


ACADEMIA
PICTURÆ
ERUDITÆ.



Joach. de Sandrart inventor.

R. Collin Calc. Reg. sculps. Brux. 1682

Publ. in Nürnberg (1683.)

JOACHIMI DE SANDRART, à STOCKAV,
Serenissimi Principis, Comitis Palatini Neoburg. Consiliarii,
& Palmigeri Ordinis Socii,

ACADEMIA
NOBILISSIMÆ
ARTIS PICTORIÆ.

Sive

De veris & genuinis hujusdem proprietatibus, theorematibus, secretis atque requisitis aliis; nimirum de Inventione, Delineatione, Evrythmia & Proportione corporum: de Picturis in albario recente, sive fresco, in tabulis item, atque linteis; de pingendis historiis, imaginibus humanis, iconibusque viventium; de subdialibus & nocturnis; de subactu colorum oleario & aquario, de affectibus & perturbationibus animi exprimendis; de lumine & umbra; de vestibus, deque colorum proprietate, efficacia, usu, origine, natura atque significatione

Instructio Fundamentalis,

Multarum industria lucubrationum, & plurimorum annorum experientia conquisita.

Unà cum

Artificum tam Ægyptiorum, Græcorum & Romanorum; quàm Italorum, Gallorum, Anglorum, Germanorum, Belgarum, aliorumq; sive antiquorum, sive modernorum, ab origine celeberrimæ illius artis, ad hæc usq; tempora florentissimorum, vitis atque encomiis, nec non operibus, quibusdam tabulis æneis eleganter exhibitis:

Eorundemque

Plusquàm ducentis Iconibus verisimis; veterum denique Romanorum picturis accuratissimis, haud ita pridem è subterraneis locis in lucem prolatis, & optimorum industria Chalcographorum ære expressis,

erecta atq; publicata:

Nec non

SERENISSIMO DVCI
ET
EXCELLENTISSIMO SENIORVM
COLLEGIO REIP. VENETÆ

consecrata.



NORIBERGÆ,
Literis Christiani Sigismundi Frobergii, Sumtibus Autoris.
Francofurti apud Michaëlis ac Johan. Friderici Endterorum Hæredes, & Johan. de Sandrart.
Anno CIↃ IↃC LXXXIII.


PAR SON TRES HVMBLE SERVITEVR R COLLIN MDCLXXIX



SERENISSIMÆ
VENETORUM
REIPUBLICÆ

GLORIAM AC FELICITATEM!



EUm esse verum amorem omnium in confesse est, quem nulla terrarum intercapedo, nullúmque temporis spatium dirimit; & qui, si sincerum conjunctum habuerit obsequium, nec eripi, nec imminui, nec ullo modo violari possit. Quid ultrò in præcordiis sentiam, patere SERENISSIME PRINCEPS, unà cum EXCELLENTISSI-


MO SENIORUM COLLEGIO, Orbi univerſo innoteſcat; & poſtumo hoc opere (neque enim, inſtante octuageſimo ferè ætatis anno, aliud quàm ſarcinas colligere decet) literatis omnibus, & quibuscunque Nobilium Artium cultoribus, meam erga SERENISSIMAM REMPUBLICAM mentis teſtationem, ſive extremam obſervantiam explicem. Ut enim primo ætatis flore ſtatutum habui cum animo, ac deliberatum, Artem pictoriam ſcientia & cognitione comprehendere, poſt ipſas Antiquitates ROMÆ circumſpecta cura à me æſtimatas penſiculatiùs, magna ratione hoc egi, ut majora præcipuis ſtudiis meis, in Urbe VENETIARUM, & natura & ſitu & deſcriptione ædificiorum & pulchritudine imprimis Nobili, afferrem incrementa: In Theatro enim Orbis terrarum eſſe me credebam, cui me tunc commiſeram, haud immemor illius: *Magis delectatur, qui in prima cavea ſpectat, quàm qui in ultima.* Spectatum huc ad rem fruendam oculis veni, qui egregia capeſſebam ſpectacula Pictorum, quorum ferè maxima pars, Dei beneficio, VENETORUM progenies erat: Hos ego moderatores ſtudii mei eſſe volui, per hos profeci; quod confiteri nec pudet, nec pœnitet. Fortuna igitur ſuffragante res maximas conſecutus, quas Illis gratias perhibebo, quibus me ipſum debeo? Quoties, inquam præclara Ipſorum opera, & ſumma arte perfecta, in mentem veniunt (veniunt autem ſæpiſſimè) toties redit in memoriam, quæ fuerit excellentia, quæ nobilitas in eximiis illius Artis Antiſtitibus *Jo. Bellino* Curioſo, *Giorgione* Animoſo, *Titiano* Incomparabili, *Jac. Robuſto* (aliàs Tinctore) Spirituoſo, *Paulo Caliari* Magno, *Jac. Baſano* Inſigni, aliis; à quibus exempla petii, è quibus documenta cepi. Has ſpecioſas cauſſas habens, juſtas illas quidem & magnas, ut memorem in benè meritos animum præſtarem, licet parem his gratiam haud relaturus, quod animo dudum intenderam, perficere tandem deſtinavi, Artis illius Nobiliſſimæ primas origines exponendo; quam ingeniis ſuis eruerunt Aſſyrii, Ægyptiíq;: Hos proximis dein veſtigiis conſecuti ſunt veteres Græci ſimul ac Romani; donec amplificatores VENETI, Italíq; cæteri, nec non Galli, Angli, Belgæ, & Germani deceſſorum inventa mirificè auxerunt. Quamobrem à carceribus velut ad metas decurrens, vitas, opera & elogia Eorundem

ab ini-

ab initio ita duxi, ut ad extremum ætatis noſtræ perducerem; ſuper hæc imagines, quæ quidem in promtu erant, cura impenſáque haud ſublatis, Celeberrimorum Scalptorum manu in ære effectas ſpectantium oculis exhiberem. Sic literis, ſic lineis ac laudibus æternabunt, quos obtinere perpetuam poſſe credimus ævitatem. Cum itaq; decora atq; ornamenta Illorum in fulgentiſſima VENETIARUM Urbe magis, quàm ullibi locorum conſpiciantur, & omnis Artium Majeſtas in ſacroſancto Illius gremio ſita ſit, SERENITATIS VESTRÆ pedibus (ut propugnationem & defenſionem dignitatis ſuæ habeat) hanc ARTIS PICTORIÆ ACADEMIAM ſubmittere audeo; quæ non minorem fortaſſis utilitatem venturis ſeculis, quàm mihi voluptatem conciliatura eſt: Eam enim nunc usq; ferè incognitam, præſtantiſſimis Artificibus imitandam propoſui. *Albertus* noſter *Dürerus*, Vir eò incomparabilior, quo abſoluta deliciarum iſtarum elegantia, ſingulis anteriorum ſeculorum Praxitelibus, Lyſippis, aut Apellibus, facilè palmam eripuit; id quidem ſua *Hominis Symmetria* tentaverat: Verùm quoniam dies diei addit ſcientiam, inventis addere facilius fuit; eáq; præſtare, quibus, ob vitæ brevitatem, Albertus manum ultimam imponere nequivit. Hæc ſunt, SERENISSIME PRINCEPS, quæ ætatem meam, à pueritia a dſenectutem usq;, occupaverunt: Hæc ſunt, SENIORES EXCELLENTISSMI, quæ Nobiliter nato majorem nominis amplitudinem adjunctura eſſe confido; qúæque tot Principum, Cæſaris Auguſti noſtri, Sereniſſimorum Electorum, BAVARI, BRANDENBURGICI, & PALATINI benevolentiam, atque, ut ita dicam, familiaritatem conciliaverunt: Hæc denique ſunt, quæ SERENITATIS AC EXCELLENTIÆ VESTRÆ Æternitati lubens appendo,

Norimbergæ, Kal. Majis,
M. DC. LXXXIII.

JOACHIMUS à SANDRART,
in STOCKAV.

In Effigiem

Autoris longè Celeberrimi.

CERNIT
APELLÆAS FACIES
ACADEMIA PICTRIX,
PHOEBÆO STUDIO DIVES;
ET ORA VIRI;
ARTI PALLADIÆ QUI PICTA PALATIA STRUXIT:
ET NOVITER DOCTA PINGERE MENTE DOCET.
EFFIGIEM
ZEUXÆA LOCAT SCHOLA DIGNA
MERENTI;
ARTIFICES
FAMAM SEMPER AD ASTRA
FERANT.

CHRISTIANUS RHODIUS,
Interpres.

Ad



Ad

Lectorem Nobilissimum
in
Academiam hanc Picturæ eruditæ
PRÆFATIO.

Quanto studio atq; industria Artifices ad immortalitatem Nominis adspiraverint.



IN more semper positum fuit ingeniis ad altiora natis, adq; honoris culmina aspirantibus, stimulantibus præcipuè famæ gloriæq; & ambitionis aculeis, omnes in id intendere nervos, quò ad eam proposita sibi opera deducerent perfectionem, cujus intuitu immortalem Nominis sui consequerentur gloriam. Et quamvis non pauci novercantis fortunæ odiis in humilem satis depressi vitæ statum fuerint; omni tamen industriæ nisu in id allaborarunt, ut, eâdem labore devictâ, certo quodam virtutis studiorumq; genere haud parvam sibi præstantiæ acquirerent famam atq; encomium: gnari quippè, laudatissimum hunc benè agendi zelum, diuturnamq; per multas insomnes noctes adhibitam diligentiam, non tantùm adhuc vivis, â Regibus atq; principibus munificentissimè refundi; sed post abitum quoq; in subsecuturæ æternitatis Elysium glorioso monumentorum statuarumve titulo memoriæ posteritatis commendari. Nihilominus tamen gloriosissima hæc quoq; artificiosorum laudatissimorumq; operum monumenta acuto illo temporis arrodentis dente eatenus fuerunt labefactata inq; ruinas conversa illustres, ut in pulverem sæpè arenasq; collapsa vix aliquam sui ullatenus exhibeant memoriam.

Opera tamen illorum injuriâ temporum dirui.

Exactius igitur mecum trutinans, quâ ratione vel nomina tandem tot Artificum celebratissimorum, laxiore temporis cursu efflatoq; ultimo vitæ halitu, in vanas expirent auras: omni studio meditatus sum, qnomodo fieri queat, ut lethalis iste benemeritorum memoriæ Vermis ita perimatur, quò minùs, exacto naturali ætatis suæ curriculo, præclarissimorum ab ipsis relictorum operum apud posteros intermoreretur memoria. In quem finem singulari studio, conatuq; haud contemnēdo in id incubui, ut ortum quàmplurimorum atq; prosapiam, nec non in arte sua excellentiam, partim ex antiquioribus testimoniis collectam, partim propria experientia usuq; indagatam, partim etiam ab amicis etiamnum viventibus, fundamentaliter haustam; pro tenuitate, ætate jam tandem fatiscentis ingenii mei, in gratiam omnium bonarum artium cultorum, debita amplitudine describerem: in honorem quidem illorum, qui extremum Charonti jam persolverunt naulum: in usum vero atque commodum horum, qui ad nobilem picturæ artem applicare manum desiderant, atq; adeò celeberrimorum in hoc genere artificum vitam, quantum possibile fuit, sciriq; potuit; unà cum tempore, quo floruerunt, nec non Operibus tandem, si quæ singularia atq; memorabilia post se reliquerunt, decenter explicarem.

Pro conservanda nominum illorum memoria vita illorum, ortusq; & artium inventa hic describuntur.

Instructo autem jamjam in omnibus, debiteq; parato mihi haud exigua hæc animum conturbabat controversia, militantibus hinc inde fundamentis copiosissimis atq; argutissimis: cui nimirum inter duas has artes laudatissimas deferenda sit prærogativa; Picturæ ne scilicet, an verò Sculpturæ?

Picturæ atq; sculpturæ.

Ubi Sculpturam sic quasi me alloquentem habebam præ oculis: Illa sane ego sum, quæ tot ingenia argutissima, temperamenti melioris Spirituq; vivacissimi, instituenda ad me allicere sum solita. Illa inquam, sum ego, quæ multorum annorum decursu hâc meâ Adversariâ natâ sum prior. Ita ut cœlestis ille quoq, omnemq; naturam immensum supergressus Artifex atq; Plastes in ipsa primi hominis formatione meâ primum usus sit operâ. Unde quoq; tot artes præstantissimæ aliæ, debitam mihi exhibituræ reverentiam, ad ipsos meos devolvuntur pedes, nutui meo spontaneo subjectæ procubitu. In mei quippè gratiam inventa sunt opera Anaglyphica semiplena, nec non Plastica ex argillâ, cerâ, vel gypso; in statuas efformata artificia varia. Ego lapides, marmora atq; æra tractavi prima. Operibus meis nec canum obest senium, nec ulla temporis diuturnitas; cùm ea è tali elaborentur materiâ, quam nec tempestatum procellæ, nec frigoris calorisve injuriæ, nec pluviarum niviumve allapsus atterere queunt: Unde ad ulteriorum temporum monumenta multò valent præstantius, quàm pictura ulla, secretioribus tantùm concredenda conclavibus, & intimioribus asservanda adytis. Tot etiam Pictorum undiquaq; reperitur multitudo, ut vel frondium florumq; numerum, vel ipsam micantium noctu siderum copiâ suâ excellant infinitudinem: eò quod ad artem istam omnis idonea sit complexio; nec manus tantùm agilis atq; levior, sed meticulosa quoq; atq; tardior in illâ præstare queat omnia. Cùm è contrario Ego Sculptura ingenia tantum requiram acutissima, & fervidiora, non in artificibus saltem celebrioribus; sed in quovis etiam & communiori operatore. Ex quibus omnibus nobilitatis mea prærogativa satis superq; perspici potest. Siq; fides denegetur mihi; denegari tamen non poterit antiquo illi Historiæ Naturalis indagatori Plinio; cujus monumenta id referunt: Antiquos cum ambabus nobis ponerent statuas, meam ex auro puro; picturæ autem argenteam tantùm dedicasse: meamq; collocasse ad dexteram, cum illam alteram à sinistris saltem admisisset. Quo ipso obtenta à me, præ Picturâ, gloria atq; præstantia delarata fuit quàm manifestissimè.

Ad Sculpturam requiritur ... acutior & ingeniosior, quàm ad Picturam.

Sicco autem pede hîc prætereo ipsius quoq; materiæ pretium, cui ego labores meos dedico: quia lapides mihi pretiosissimi; quales sunt Prophyrites, Jaspis, Ophites, varia marmorum genera cum aliis lapidibus, præter aurum argentumq; sum, aliaq; metalla præstantiora, committi solent: cum in contrarium misera illa Pictura vilissimo quovis & abjectissimo colorum genere contenta sit, pannosq; & lintea tractare soleat sordidiora.

Subjectum Statuariæ præstantius esse, quàm etiam Picturæ.

Id quoq; fundamenti loco à me adducendum est meritò, rem quamvis eo saltem dici præstantiorem, perfectiorem atq; pulchriorem, quo magis ex omni parte imitatur naturam ipsam. Jam verò ego Sculptura veram cujusvis rei genuinamq; præcisè assequor formam, objectumque meum sic exprimo, ut ex omni situ plenè conspici atq; considerari queat; ac si ipsummet oculis sese sisteret exemplar vivum. Præterea quoq; cum artificiosâ illâ Memnonis Statuâ, oriente sole in ipsam prorumpere possum loquelā. Cum è contrario leviore suo penicillo Pictura, adhibitâ multâ laborum industriâ, vix ad umbram similitudinis accedere queat.

Præstantiorem artificialium judicandam esse, prout ea rem quæ naturam imitatur proximius.

Tandem quoq; ego Sculptura plenissimam requiro nec ordinariam saltem & communem quorumcunq; lapidum cognitionem, ita ut cujusvis natura atq; proprietas exactè dignoscatur, ne in elaboratione remotiùs à scopo quis abscedat, erroresq; committat haud emendandos in posterum. Cùm ex adverso Pictura penicilli sui ductus nunquam non reiterare, commissosq; errores colore quovis succenturiato occultare queat.

Sculptura plenam requirit lapidum cognitionem, eò quod errores ejus corrigi nequeant, prout pictorum.

Hæc postquam cum tædio audientis; quamvis non citra fundamentum, sic effutiisset Sculptura: Pictura è contrario pauciori verborum compendio suam quoq; propugnabat prærogativam; sic elocuta:

Responsum Picturæ cum rationibus præcedentiæ suæ.

Adversaria mea Sculptura amplissimô verborum apparatu, tumidoq; atq; temerario arrogantis animi præconio, sibi tribuens præeminentiam, nobilitatisq; prærogativam; primi fundamenti loco in scenam producit totius humani generis Protoplasten ab ipso omnium artificum Autore & Sculptore cœlesti, è limo terræ formatū, itq; Statuam quasi loquela præditam plasmatum, atq; effictum. Eadem autem & mihi non penitus abneganda est gloria; quæ, quamvis propriè Pictoria dicar; suo modo tamen & ad Plasticen concurro, Plasmaturæq; colores. Ipse quoq; Praxiteles Statuariorum quondam præstantissimus, Picturam artis suæ Matrem atq; nutricem; hanc verò illius sæpè filiam nuncupare est solitus; eò quod ex delineatione atq; designatione Picturæ, originem Sculptura traxerit.

Antequam enim Statuarius lapidem ipsum, aliamve materiam scalpro suo aggreditur; necessario conceptu in phantasiâ prius designat, quomodo hoc vel illud debita proportione effigurare velit: quod nihil aliud est, quàm opus aliquod diagraphicum, inter pictoriæ artis primitias collocandum.

Designatio Statuariis necessaria quidem, propria tamen Pictorum est.

Quod verò artes quasdam sibi subordinatas atq; subjectas jactitet Sculptura; atq; hoc ipso præcellere mihi velit; risu potius dignum est, cum vix alii plures subsint atq; inserviant artes, quàm mihi Pictoriæ. Unde enim ortum suum habet ingeniosa inventio atq; confictio historiarum, quas proponit Poësis? Unde celebratissima illa Ars Designatoria atq; Diagraphica? Unde tot mensuræ atq; coordinationes famigeratissimæ Architecturæ? Quônam potissimum spectat, jucundissimum Prospectivæ & Optices Studium? Picturæ subactu aquario: in recens albarium; & subactu oleario factæ: Quonam referenda sunt Opera in tabulis, ære, tela, vitro, lapidibus, effecta? Nonne â me Pictura hæc omnia? Unde originem habent

Artes variæ pulcherrimæ à Pictura ortæ.

præ-

præstantissima illa graphidis miniatæ vel cretaceæ opera; Opera musiva; Pictoria vitrorum, Chalcographica; Encaustica; aliæq; artes innumeræ, quas mero brevitatis studio nominare hoc loco desisto? Nonne à me illæ proveniunt?

A diuturnitate peti non posse prærogativæ Argumentum.

Quod verò Sculpturæ opera majori gaudeant diuturnitate, quàm quæ à Pictoria proveniunt; id soli debetur materiæ, quam utraque tractat: nec ulla exhinc peti potest præeminentia vel nobilitas: cum aliàs rusticus etiam senio decrepitus, Imperatori cuidam primò ætatis flore demortuo; picea vel abies, plantis quibusvis pretiosissimis; imò cervus vel quodvis animal longævum aliud, ipsi homini præferri deberet. Quamvis non sim ignara, effigies Romæ inveniri Opere musivo effectas, quæ ætate suâ Statuarum & Colossorum omnium superent diuturnitatem.

Cur pauciores sint Statuarii.

Quod autem ad Pictorum copiam, & ex adverso ad Statuariorum attinet paucitatem; ex hoc sanè non sequitur, quod ad Sculpturam ingenia requirantur argutiora & vivaciora judicia: Sed id ex hoc saltem enascitur, quod nostro tempore pauci sint Sculpturæ amatores, quibus impensas illuc elocare sit animus: Unde illos, qui eidem sese addixerunt arti, præ mediorum ad cultiorem vitæ sustentationem requisitorum inopiâ, aliud quoddam eligere oportet professionum genus. Præsertim cùm non adeò sit facilè opera plura è pretioso lapide exsculpta, levi brachio componere; (quia nimium ad hoc requiritur pretium:) interim autem absq; praxi & exercitatione continuâ, ars illa nimis leviter nec unquam satis addiscatur. Quare Sculpturam, excusaturam Artificum suorum paucitatem, plus decuisset hoc uti prætextu; quàm quod in hoc aliquam ullatenus reperire queat gloriam vel præeminentiam.

Statuariam continuâ exercitatione addisci oportere.

Opera Pictorum Statuis cariora.

Hic autem notandum quoq;, quod Statuæ atq; Effigies Sculptorum, quamvis è pretiosiore exsculptæ sint materia, nunquam tamen tanto remunerentur pretio, quàm complura Pictorum Opera. Quæ enim Statua sive sculpta sive fusa ab ullo Monarcharum tanto est comparata pretio, quanto Apellis Picturas comparavit Alexander magnus? Quando ullius artificis vel Statuarii opus tot æstimatum est coronatorum millibus; atq; id de pluribus reperimus Picturis. Et quamvis te, Sculpturam, antiqui auro; meam verò Effigiem argento saltem expresserint: hoc ipso tamen tua saltem Artificumq; tuorum manifestata est arrogantia atque elatio.

Difficultatem Artis plus consistere in labore intellectus, quàm manuum.

Quod si etiam difficultas illa laboris, quæ â duritie materiei Statuario exoritur, ullam alicui tribuere potest Nobilitatem vel prærogativam; hæc sanè gloria Laotomorum potius erit, in montibus atq; lapidicinis, durissimo labore vitam sustentantium: atq; consequenter rudis quilibet & luscus claudicansq; faber præferendus erit Aurifici cuidam ingeniosissimo. Multum tamen hoc ipso à vero aberratur scopo; eò quod omnis difficultas ex interno potius intellectus, quàm externo manuum labore æstimanda sit. Cum igitur Statuarius externum saltem effigurare corpus annitatur; Pictoriæ vero artis Studiosus excitatior, internas quoq; animi passiones atq; perturbationes repræsentare teneatur: hinc potius mea erit Nobilitatis præeminentia, quam tua, Sculpturæ.

Plura sunt Picturæ requisita, quàm Statuariæ.

Tandem id quoque Statuario sufficit, si secundum amussim longitudinem, secundum perpendiculum altitudines; & secundum normam angulos legitimè disposuerit: A Pictore autem non istud saltem; sed & hoc præterea requiritur, ut Perspectivæ sit gnarus & Optices; ut personarum, animalium, aliarumq; rerum in Opere suo occurrentium ritè instituat distributionem; utq; colores exaltare & profundius demittere, & figurarum incrementa & decrementa secundum distantias legitimè instituere queat: in quibus omnibus mille errores committi queunt, dum in statua quadam vix obrepat unus. Porrò quoq; Statuario sufficit, si cognitionem habeat formæ & faciei humanæ; artusq; eleganter imitari queat, atq; repræsentare. Pictoris verò è contrario est; præterea corpora omnia, etiam quæ tactum fugiunt, oculis exhibere; simulque Opticam callere, quæ rerum naturalium omnium edocet umbras, earumque reflexionem; porrò & colores temperare atque infringere; nec non elevare & rotundo corpore exprimere quædam, quæ in nudâ effinguntur planitie; omnia porrò secundùm artem pro suâ quævis proprietate exprimere, disponere, omnemque imaginem colore suo necessario; quorum tamen multa sunt millia, repræsentare. Ubi licet quis flores campi omnes, variasque arborum efflorescentias consideret, cum omni rerum in aëre, mari, fodinisque montanis contentarum diversitate, iis tamen omnibus colorum meorum copia nondum exhauritur. Et nihilominus in his omnibus Scholares meos informare teneor atq; erudire.

Pictor unà cum affectibus & aliis repræsentare tenetur circumstantias.

Concedendum quidem, etiam à Sculptura in statuis exprimendos esse affectus, motusque & mores congruos: at vero longè istud fit imperfectius, quàm à Pictoria. Quicquid enim in exprimendis gestibus hunc vel illum artuum motum, faciei minas, brachii elevationem atque libertatem, corpus ad fugam dispositum, actusque similes excedit; à me Pictura debita colorum immutatione in facie aliisq; membris, unà cum aliis circumstantiis prædictos affectus, motusq; animi insequentibus, ex ipsa Natura exprimendum est.

Pictoria naturam multo propinquius imitari valet, quàm Statuaria.

Præterea Statuarii rarissimè, imò potius nunquam vestigiis naturæ tàm proximè insistunt, quàm veri in genere Pictorio Artifices. Quis enim unquam legit, Praxitelen tam naturali facilitate ullos sculpsisse fructus; ut ipsæ quoq; aves ex aëre advolarint eosdē decerpturæ? quod tamen à Zeuxide præstitum est? Quô tempore Phidias usque adeò excœcavit humanos oculos, ut quispiam suæ artis accedens, efictum reducere tentaverit velum, quo subtus latentem spectaret effigiem? Quod factum tamen est à Pictore Parrhasio.

Ut

Ut autem omnes dubiorum tuorum nodos, quos Gordios putas, unô solvam segmine; tu-ipsa fateberis vel invita, quod ad meos labores multò plus requiratur ingenii atque judicii, quàm ad tuos; Quamvis enim mutilatâ semel materiâ non facilis amplius ejusdem detur restitutio; cum statuam nullo quasi negotio sæpè corrumpi penitus contingat, ut abjicienda sit: omnes tamen isti errores diuturnâ cautelâ, constanti patientia, sollicitisque dimensionibus, omninò præcaveri possunt: ita ut effigies tandem infatigabili potius quadam industria, quàm peculiari ad id requisito judicio ad suam deducatur perfectionem. Et quâ ratione, quæso, omnes tuæ difficultates cum meis comparari possent; si saltem eas quis intueatur, quas Pictura recentis albarii requirit? Quanto enim conatu, quantâq; industriâ Opera inibi diagraphica suis Archetypis sunt exprimenda? Quanta sedulitate atq; solertia singulæ partes ibidem sunt distribuendæ, atq; coordinandæ? ita ut opera tua, si cum meâ comparetur, laboriosa potius dicenda sit patientia, quàm ingeniosa ratiocinatio.

Labores Statuariorum eorumq; difficultas in laboriosa potius patientia consistunt, quàm ingenioso judicii nisu.

Difficultas colorum recenti calci applicandorum sola omnes illas superat, quæ in Statuaria occurrunt.

Sit enim & Sculpturæ sua ob judicium laus, quod in honorem atq; solamen omnium Statuariorum lubens concedam: Sed quid ex adverso in picturis istis murorum recentium (il Fresco) non requiritur? Ubi Pictor colores suos in materiâ tàm humidâ neutiquam ipse cognoscere potest; cum tamen uno eodemq; die totum opus simul sit inchoandum & absolvendum: & nihilominus illum scire oportet, quâ vivacitate, exiccato opere, iidem in lucem prodituri sint; ubi postmodum serò nimis spectabiles evaderent errores. Non careat, inquam, ingenio; si Statuarius duas vel tres elaboret è marmore figuras cœcutientes; ex omni parte oculum admittentes. Si vero artificiosa Pictoris manus in unica sæpè tabula quadraginta circiter vel quinquaginta figuras tam solerti exhibet dispositione atq; ordine, ut alia â facie, ad latus alia, â tergo tertia, &c. juxta omnia tàm colorum quàm umbrarum hinc inde occurrentium requisita spectari queat; coloribus præsertim splendidioribus oleariis, ubi in mera superficiei planitie omnia tamen rotunda exhibentur, veràq; elevantur vivacitate: quam, quæso, ibidem requiri putas ingeniositatem, quodq; acumen judicii?

Pictoriæ amplitudo.

Fac quæso periculũ ô Statuaria, & omnia mihi exhibeto Elementa cum omnibus suis proprietatibus; prout ego juxta ipsum naturæ dictamen præstare sum solita. Exsculpatur mihi in lapide verum aëris Elementum, cum debita ejusdem luminositate atq; obscuritate; ita ut illud ipsum undiquaq; refertum sit omni circumvolitantium avium genere. Detur, quæso, tuô artificio sua aquæ transparentia; ibidemq; suæ pinnæ piscibus atq; squamæ, prout natura fert. Exhibeantur quæso impetuosi marinorum fluctuum motus atq; spumæ, in quibus delitias suas dulcisono quærunt ore Sirenes. Proferatur opere tuo alma viventium mater tellus, aperto sinu suô plantarum tenera producens germina, tenuesq; surculorum frondes cum omni tàm florum quàm fructuum opulentia, ut nihil ullibi desit paventibus sylvarum obscurarum incolis. Tandem tuo quoq; artificio naturali sua facie spectandum mihi præbeas furentis æstum ignis, flammivomos circumcirca eructantem fumorum globos; unà cum ipsius lucis sensim auctæ incremento: vel approximantem vesperam; cum adventante per fuscas crepusculi portas tenebricosa nocte, reductis interea ad nocturna pabula quadrigis Phaëtonteis. Hæc sanè omnia tuo nunquam tetigeris digito: cum Pictor tamen ingeniosus, argutis suis speculationibus solertibusque inventionum methodis eadem omnia ad vivum Naturæ exemplar repræsentare soleat. Et hæc quidem, ut ostenderem, quàm impudente temeritatis ausu tu prærogativam præ me sollicites, paucis dixi.

Effectus Picturæ in repræsentandis Elementis.

Auditâ sic utrâque parte; Sculptura quidem fervido nimis erupisse mihi visa est impetu; quem Pictura tamen sarcastico potius atque delusorio risu, quàm ullâ pectoris effervescentiâ sit ulta: cumque Sculpturæ contemplandæ non paucas etiam consecraverim ætatis meæ horas; è contrario tamen pictoriam (pro illa quidem exigui mei studii tenuitate, cujus testes esse queunt nonnulla diversis locis â me relicta opuscula;) multis annis exercuerim; judicium tandem qualecunq; meũ, de isthoc super Nobilitatis præeminẽtia certamine, sic edere decrevi, ut solenni tamen protestatione omnem à me prius removeam temeritatem; nec istâ meâ sententiâ cuicunq; melius sentientium effato præjudicare decreverim: id quidem omninò sperans, cum talia prolaturus sim, quæ intelligere mihi videor; non fore, ut ad instar Ephesini illius Phormionis Peripatetici de bellicis artibus discurrentis, inexperti tamen; ob impudentem meam inscitiam, ab Annibale, id est, ab omni posteritate, risui habear, atq; subsanner.

Judicium Autoris.

Duas igitur has artes sorores esse judico gemellas uterinas, unà sic educatas mammâ; sicut ab una matre, quæ Designatio est atq; Distributio, sive Ars Diagraphica, eodem nixu in lucem sunt editæ: unde neutra à me præfertur alteri; nisi quatenus artifex artificem ipsa Artis superare solet perfectione atq; excellentia. Et quamvis ex una parte altera quandoq; alteri præemineat, de gloria quasi certatura; in alio tamen casu iterum sublimius scandit altera: ita ut severiore examinatæ disquisitionum statera parem ambæ habeant perfectionem, parem Nobilitatem, non aliter, ac si duo corpora unam saltem haberent, quâ animarentur, animam. Usq; adeò ne quidem dividi commodè possunt; ut multis casibus testis est ipsa experientia: unde Pictores plurimi simul & pulchras efformarunt statuas; prout & è contrario à multis Statuariis exculta simul fuit ars Pictoria, prout de Leonardo da Vince, Antonio Polaiuolo, & Michaele Angelo Buonaroti in vita ipsorum pluribus legi potest. Inprimis postremus iste in utraq; hac arte ad illud usq; ascendit excellentiæ cul-

Pictoriam & Statuariam duas esse sorores gemellas.

Prærogativam in Artificum saltem perfectione consistere.

Multi Artifices Statuarii simul fuerunt & Pictores, præsertim Michael Angelo Buonaroti.

tiæ cul-

tiæ culmen, ut omnes Pictores opera ejus stupuerint; omnesq; Statuarii humillimo cultu reveriti sint illius statuas. Præterea ipsa quoq; natura, absq; ullo Magistro omnes eidem sic instillavit Architecturæ regulas, ut statuas quoq; à se formatas debita altitudine atq; modo debito locare sciverit: adeoq; meritò non perfecti tantum Architecti, sed & artificiosissimi Pictoris, & ipsam superantis naturam Statuarii encomiis meritò fuerit condecoratus.

Et Albertus Durerus.

Sic etiam celebratissimus ille Albertus Dürerus, postquam in Arte Pictoria multâ jam inclaruisset fama, porro non tantum operam dedit Chalcographiæ, sed in specie & Statuariam excoluit: in qua brevi temporis spatio absq; singulari conatu tantoperè profecit, tantaq; laude præcelluit, ut illa ætate nemo eorũ, qui professione Statuarii essent, eidem habitus fuerit par: cum ex opposito nullo unquam exemplo probari queat, Sculptorem ullum in Arte simul Pictoria ad similem pervenisse perfectionem. Unde conjici potest facillimè, quàm singularia sint ingenii dona excellentis cujusdam Pictoris.

Nec non Laurentius Bernini.

Præterea, qui adhuc inter vivos est Nobilissimus ille Laurentius Bernini, Eques; Præstantissimus simul est Statuarius, Architectusq; & Pictor. Quamvis cum in prioribus duabus Artibus summum omninò assecutus sit gradum, occupatus alibi vivacissimi ingenii ejus valor in ultima dictarum artium negligentior extiterit, ita ut hac in arte vix aliquid effecerit, quod ordinarias vias transscendat.

Ut autem ad propositum redeam, hoc ipso in libro, post absolutum de Arte Pictoria in specie tractatum, prolixius enarrabitur, quinam Artifices à temporibus Cimabuæ in alterutra harum artium excelluerint.

Statuariam & Pictoriam in primitiva Ecclesia penitus fuisse abrogatas.

Primitus enim non minus Statuaria, quàm Pictoria, in Ecclesia abrogatæ penitus erant, & prohibitæ; exoleverantq; usq; adeò, ut ne in numismatibus quidem accuratior ullibi appareret effigies. Quod præceptum prioribus Ecclesiæ seculis, præcipuè temporibus Justiniani Imperatoris in usum deductum diuq; observatum est: omnibus interim imaginibus confractis atq; combustis. Donec tandem Concilio Nicæno secundo concessum iterum fuerit & approbatum, ut utraq; ars rursum introduceretur. Ubi postmodum Anno Christi 1240. Florentiæ inclarescere cepit supradictus Cimabue; qui singulari Artis suæ præstantia magnam adeptus est gloriæ excellentiam.

Sed iterum introducuntur.

Propositum Autoris.


Ut igitur hac mea opera omnibus nobilium Artium cultoribus non tantum in specie prosim, sed aliquo etiam iisdem me insinuem delectamento; de Pictura in specie prolixius primò agam; discursu scilicet instituto de omnibus illius regulis, scientiisq; ad illam requisitis: nimirum 1. De Inventione & Designatione: 2. De humani corporis symmetria & proportione: 3. De Elegantia sive decoro imaginis ejusq; abbreviatione: 4. De Affectibus & Perturbationibus animi: 5. De coloribus: 6. De Pictura subactu colorum aquario, nec non oleario factâ: item eâ, quæ fit super lapidibus: 7. De Distributione, & Concordantia Colorum: 8. De Calligraphiâ seu pingendi Elegantia: 9. De Picturis Historicis: 10. De Picturis in muro recente: 11. De Picturis Topographicis seu subdialibus: 12. De Pingendis Vestibus atq; pannis: 13. De Lumine & Conclavi Pictorio: nec non de Picturis Nocturnis. Item 14. de Colorum origine, natura & significationibus.

De sperato hujus operis usu atque fructu.

Quo ipso id sanè futurum omninò spero, ut iste meus labor iis, qui Artem hanc professione sua excolunt, non tantum utilis; sed aliis quoque lectoribus jucundus existat. Ubi illi potissimùm veram oculis suis, tanquam in politissimo istius artis speculo, propositam invenient methodum, hanc Artem fundamentaliter addiscendi; hi vero de illius operibus judicandi: quam operam in me potissimum suscepi, in debitum ipsius Artis honorem, sinceramq; cultorum ejus utilitatem; eò quod ab iis, qui propria manu hæc studia tractassent, vix aliquid auxilii huic Arti præstitum deprehenderem. Nihil enim laudabilius, quàm si Ars atq; virtus, Nobilitas atq; habilitas, honor atq; meritum, concordi cohabitent consortio: quod omnibus in genere quoq; stimulum addere poterit atq; calcar, ut non Arte minus atq; studiis, quàm laudabili virtutis exercitio, similem assequantur honoris scopum.

Excusatio Autoris de Phrasi, modisque loquendi.

Ignoscet mihi quoq;, ut humiliter precor, Lector benevolus, quod hoc in Opere non semper usus sim antiquo Latinorum loquendi genere, nec non stylo interdum prorsus pam satis humili. Illud enim vix aliter fieri potuit, si singula istius Artis proprio atq; nativo suo nomine, secundum hodiernum usum atq; consuetudinem, fuerunt nuncupanda. Hoc ultimum autem eò ipsô excusationem merebitur, quod hoc quidem loco meus nullatenus sit scopus Eloquentiæ edere velle specimina; sed inservire saltem nobilissimæ hujus artis Pictoriæ cultoribus omnibus. Hinc æqui boniq; consulturum spero Lectorem benevolum, opusq; dijudicaturum ex bona intentione, quâ nimirum, ad desiderium monitumq; plurimorum, istius professionis potissimum amatoribus pro virili satisfacere; simulq; memoriam tàm Antiquorum, quàm adhuc vivorum Artificum, partim Græcorum, partim Italorũ, Germanorũ, & Belgarũ, sive renovare, sive conservareq; vitam; illorum cum celebratissimis eorundem operibus, (adjectis, quantũ posibile fuit, celebriorum iconibus) posteritati consecrare studui.





JUVENTUTI, PICTORIÆ ARTIS CULTRICI.



Am ad vos me converto, ô Juvenes discendi cupidissimi; quibus Picturam hanc eruditam proponere animus mihi est: si nimirum ingenia quædam sunt in laudatissima vestra corona, qui isthac arte nostra delectantur, & quorum animæ à summo cœli cardine hac imbutæ sunt gratia, ut obstetricantibus circa primum nativitatis momentum felicioris ingenii aspectu sideribus, cum primo aëris haustu, naturalem ad artificiosos Picturæ ductus habilitatem illis infuderit cœlum; hi pronum hunc meum ad serviendum illis affectum gratô agnoscant animo; seduloq; attendant, mentiq; atq; memoriæ imprimant, quæ hoc in libro fundamentaliter ipsis atq; fideliter ob oculos pono, & edissero: omninò sperans non parum luminis ad promovendum animi sui desideriū iisdem affulsurum. Nec minus confido, ut quondam apud Romanos, si ante pugnam ad fortitudinem milites adhortarerur centurio, hi telis pilisq; erectis suam protestabantur promtitudinem; sic & illos debita alacritatis atque pronitatis indicia hilariter edituros, ut acclamāti mihi absq; mora præstò sint, primisque statim lectionibus potissimam totius artis partem, symmetriam nimirum hominis, & porrò omnes quoq, cœteras partes addiscant atq; exerceant: vel si fortè, prout quandoq; fieri solet, non semper in omnibus obediat natura, nec ad universa disponi queat Spiritus; in una saltem vel altera parte ad perfectionem adspirent atq; excellentiam.

Si quis ad perfectionem omnimodam fit incapax, eandem saltem quærat in una vel altera parte.

Haud siquidem inusitata hæc sunt in Arte nostra, prout exempla docent, tam antiquorum, quàm modernorum: ut una in parte unus; in alia alius; paucissimi in omnibus excellerent, ipsumque Artis culmen contingerent. Sic enim Apollodorus potissimum studiosus erat pulchritudinis: Zeuxis capitum magnitudine excedebat, fructus autem cum admiratione Picturis exhibere poterat: Eumarus omnia ad vivum exprimere studebat. Protogenes naves primò tantum pingere poterat: Apelles in omnibus erat elegans. Parrhasius in effiguratione sua excellebat: Demon inventione dives: Thimantes, judiciosus in omni opere suo, secretosque semper sensus & mysterium involvens: Pamphilus doctus: Nicomachus, celer: Athenion, argutus: Nicophanes, munditiei studiosus: Amulius, coloribus pulcher: Pausias, in efformandis pueris & floribus promtus: Asclepiodorus mensuris atq; proportionibus laudandus: Amphion, ordine: Serapio, in magnis prudens: Pyreicus, in parvis: Antiphilus, in parvis simul

Quibus in partibus quivis antiquorum potissimū fuerit celebris.

Exempla Græcorum.

atque

atque magnis: Dionysius homines tantum pingebat: Euphranor, omnia: Nicias animantia; præsertim vero Canes: Nicophanes, vetusta opera congruè pingebat; gravis aliàs & cothurno quasi incedens: Mecophanes, coloribus durus magis: Nealces, ingeniosâ expressione insignis: Aristides, in affectibus: Clesides, ad vivum pingendo: Ludius in campestribus, & subdialibus aliis.

Itali tàm veteres quàm moderni.

Eadem diversitas non olim tantum occurrebat, sed hodienum quoque deprehenditur apud Italos, Gallos, Germanos atque Belgas: & quidem majore cum perfectione, præsertim circa veras rerum expressiones, eoque pertinentem colorum vim: quod præcipuè è naturali applicatione, perfecta elevatione, & singulari celeritate Pictorum nostri temporis, elucet. Tales autem erant Cimabue, magnus ille istius Artis restaurator. Gaddo successor ejus, nec non Giotto. Eodem modo præclari erant Giovan Bellini in munditie: Michaël Angelo in figuris magno judicio; Leonardo da Vinci in prudente affectu: Andrea del Sarto jucunditate; Raphaël d'Utbino in Diagraphica, argutaque Inventione: Julius Romanus, in conceptibus inusitatis: Titianus, amœnitate, præsertim colorum: Corregio, gratia; Verones conceptu divite: Tintoreti raritate: Carazo in pingendis muris recentibus (in Fresco:) Caravaggio, & Manfredo in naturali vivacitate: Gvido Bolognese, in gratiositate; Albano, inventione decora: Bernini in statuaria & Architectura: Francisco di Quesnoy in vera Sculpturarum expressione: Algardon, agilitate: Petrus Cordon in recenti albario (in Fresco:) La Franch, celeritate, magnisque operibus: Dominico, sensu profundo: Claudio Gilli, in Topographiis & subdialibus. Pousyn, Vouet & Le Breun, jucundis historiis.

Germani veteres.

Admiratione quoque digni erant inter Germanos Martin Schön ad summitatem ascendendo; Matthias de Aschaffenburg, ingenio elegante: Albertus Dürer, judicio universali: Joh Holbein, manu felici, maturaque inventione: Amberger, veritate: Pocksberger divite Spiritu: Schvvartz, experientia: Adam Elzheimer, judicio admirando circa imagines parvas, & campestria.

Et Belgæ.

Eodem modo celebres erant inter Belgas, Johann & Hubert ab Eyk, inventione colorum oleo subactorum, Lucas de Leiden diligentia: Bruegel senior, judicio: sic etiam Sotte, Clef, & Johannes à Calcar, manu: Floris, magisterio: Brauer, in pingendis rusticis: Fochieres, in arboribus campestribus: Rubens, divite ingenio: Van Dyck elegantia: Hnndhorst, in Calligraphiis: Rembrand, umbris & laboriositate: Persellès, navigationibus & undis: Pulenburg, imaginibus parvis: Bambotio in pingendis rebus communibus: Botte, in Topographicis: nec minus Gerhard, item Daro, & Mires, in pingendis colore oleario rebus parvis.

De operibus Autoris in hac Arte.

Dè iis etiam, quæ Deus Altissimus hisce in studiis mihi concessit, nihil jam eloquar, ne fortè modestiæ limites excedam: hoc tantum addito, majorem semper fuisse voluntatis meæ pronitatem, quàm debitarum virium sufficientiam. Judicium autem de Operibus meis virtuoso spectatori sit relictum, quorum aliqua prostant in porticibus, palatiis, & pinacothecis Sacræ Cæs. Majestatis, aliorumque Regum, Electorum atque Principum, nec minus alibi in Templis & Exoticotamiis Romæ, Viennæ, Pragæ, Madritii, Florentiæ, Venetiis, Messinæ, Londini, Amstelodami, Monachii, Salisburgii, Lincii, Brinnæ, & in specie in pulcherrimo celeberrimoq; illo Templo haud ita pridem extructo Lampachii in Austria superiore, cujus septem Altaria magna mea manu elaborata sunt: quæ pro lubitu spectari queant.

Ex animo igitur iterum iterumque tyrones exhortor, ut hisce in Studiis perseverent sedulò, & id addiscant præ cœteris, quod ipsa natura, quasi

spon-

Si omnia non poſſunt, aliquid tamē diſcatur.

ſponte ſua offerre illis videtur. Si non in omnibus, ut jam dictum eſt antea, ſubſequi voluerit perfectio, grandesque Hiſtoriæ, atque Effigies primariæ captum ullius ſuperent; præ manibus ſint animalia; fructus culinares; flores; campeſtria; ædificia; Opera Optica; Conclavia; noctes; incendia; icones vivorum; navigia; maria; piſces; picturæque aliæ. Magno autem zelo ad id contendant, ut ſuo in genere ad ſummam accedant experientiam: id quod abſque periculo, prœliiſque, vel ſanguinis profuſione, facillimè fieri poteſt, modò naturam parentem ſeriò quis imitari conetur.

Picturæ puerorum futiles nō ſigna ſtatim ſunt ingenii ad Picturam proni.

Cum pueri in Scholis, ſicut plerumque fieri ſolet, chartas interdum ſuas, virunculis, animalculis, urbibus, navibus, næniiſque ſimilibus commaculant; nec minus & coloribus aliquando ludere affectant; hinc ſæpè parentibus occaſio naſcitur, ut dicant, filius meus Pictor evadere poterit atque debet. Melius tamen ſæpè foret, ut accuratius rem totam penſitarent; conſiderando veram ad ſtudia iſta aptitudinem, non judicandam eſſe è ludis hiſce manuariis atque futilibus; ſed è ſingulari quodam ingenio atque judicio: ita ut multorum ſæpè annorum labore opus ſit, priusquam aliquis certus eſſe queat iſtius aptitudinis.

Inter Picturam, & Picturæ elegantiam magnam eſſe differentiam.

Magna eſt inter Picturam, elegantiamque Picturæ differentia: multique requiruntur labores, priusquam ad hujus montis quis tandem aſcendat jugum: adeò ut illi, qui præ incapacitate retrò pedem ſiſtunt, culicibus ſint ſimiles candelæ quidem lumen deſiderantibus, ſed alas tamen ſuas comburentibus: quod eſt oleum tandem atque opera perdere.

Non ad omnia habiles natura reddit omnes.

Niſi enim blandiſſima mater noſtra Natura lac tyroni inſtillet ipſa, debitasque ingenii dotes eidem conferat; parum quoque efficiet infinita laborum ſedulitas. Non enim quemlibet ad omnia idoneum reddit natura; ſed ad unam plerumque partem ferè ſingulos. Quicunque igitur prudenter hic agere volunt parentes, ad ſingula ſedulò attendant; an ſcilicet ita natura & affectus filiorum ſuorum ad hanc artem inclinet, ut debitum tamen ne deſit judicium, quod facilè cognoſci poterit, niſi tempus ſimul cum impenſis omnibus diſpendere velint. Si creſcentibus annis unà cum exercitatione, judicii quoque ſigna creſcant; tunc ſpes eſſe poterit facilior, fore tandem, ut ultimum talis aſſequatur ſcopum.

Non promovente natura nemo hanc artem diſcere poterit.

Hanc artem exculturus tyro vitiis renunciet oportet.

Quicunque igitur hac ipſa à Deo præditus eſt capacitate juvenis, Venerem imprimis Bacchumque atque omne omninò otium, ceu hoſtes virtutis, cane pejus oderit ac angue; nec ullum diſperdat tempus, quippè quod ad perfectionem eundem deducat ſolum. Infelices enim tandem quoslibet efficit ignavia: ſicut omnium vitiorum ſua ſunt à tergo ſupplicia.

Vitium ſuppliciū ſui ipſius.

Sunt etenim, prout & inter antiquos fuerunt, Artificum aliqui, qui magnæ ſibi laudi ducunt, & ad inſignē conducere famam opinantur, ſi præcipua quadam morum feritate, perverſaque vitæ ſuæ aſotia teſtarentur, ſe ſingularibus quaſi ſubeſſe phantaſmatum intervallis: quô ipſo tamen ſtultiſſimam ſuam ſingulis propinant ſimplicitatem, quodque ratio eos fugiat, nedum ſapientia, nullibi non teſtantur; unde cum dedecore damna quoque conſequuntur, contemtum nullibi non meriti atque deriſionem.

Per virtutem gloriā quærit famamque verus Artifex.

Qui verus eſt Artifex prudentiæque Studioſus, nil magis in votis habet, quàm ut per virtutem honorem conſequatur atque laudem. Unde manifeſtò apparet, non aliàs magnum evadere tandem Artificem, quàm ſi unà cum ſtudio vitam gerat prudentem atque honeſtam.


Magnum Pictori accreſcere decus à morum civilitate.

Utque ſimul etiam debitus ipſi ſemper ſit honor, fortunamque promoveat ubique ſuam; operam quoque ante omnia det, ut apud Magnates vera morum civilitate undiquaque fiat conſpicuus, ſummaque ſeſe ipſum commendet modeſtia. Quod exempla confirmant præſtantiſſimorum,

tam

tàm veterum, quàm recentium Virtuosorum, qui magna ex parte hoc ipso quoque haud minimos assecuti sunt honores, magnaque cum laude singulari gavisi sunt opum affluentia.

Necessserat sese, nèc deprimat. Porrò etiam ne nimium sibi tribuat, nec de Arte sua multum glorietur; nec tamen ex adverso seipsum quoque contemnat, atque deprimat: sed errores potius suos ab amicis corrigentibus lubens percipiat, gratusque emendet. Corrig. se sinat. Proprios errores emendet. Inprimis cautè id observet, ad quos defectus vel imbecillitates ipse per naturam inclinet: ne in illis submersus nimium dispereat; sed defectus potius corrigat atque evitet. Præsertim autem erga omnes comem atque affabilem sese exhibeat: eò quod incivili morum rusticitate omnia facilè rursus dirui queant, quæ virtutibus supradictis fuerant elevata. Et ut paucis omnia absolvam, id sciendum unicè; quod absque duabus his dotibus, artis nimirum, insimulque vitæ decoro nemo Artificum ad veram perfectionem scansurus sit unquam. Artem cū vitæ decoro uniat.



Al Sig^r.

GIOACHINO di SANDRART

Consigliere di S. A. S. Palat. &c.


Sopra

L' eruditiss^mo suo volume stampato, & altro da stamparsi

Sonetto.

Del Marchese Nicolo Ceuoli de Marchesi

Del Carretto Patrizio Romano.



Rauiuare d' Appelle il gran pennello,
Sormontare d' Euclide ogni disegno,
Di Zeusi superar il stil più degno,
Auanzare di Fidia almo il scalpello;
Con la penna eccliffar il stil più suello,
Con la lingua erudir ogn' alto ingegno,
Formar alla virtù saldo sostegno,
Al tempo edace alzar orrido auello;
Poggiar col senno ad ingrandir le sfere,
Rippor l' alme de saggi soura il Polo,
Essequir con la man azzion sincere:
Ridar à penne estinte altiero il volo,
E fuggar dell' oblio l' altre chimere
Può GIOACHIN' sol della sua penna un volo.



Informatio

Ad Compactores, de figuris Chalcographicis rectè insigendis.

Primò, inseratur post titulum generalem Typographicum, Titulus Chalcographicus.		P. post pag.	140
Subito post dedicationem, Authoris Effigies.		Q.	154
Dein, Tabula signata Lit. b. post paginam	6	R.	160
b. *. post pag.	8	S.	172
B. post pag.	40	T.	180
b. *. *.	46	A A.	202
C. post pag.	50	B B.	210
C. *.	56	C C	222
D.	60	D D.	228
E.	66	E E.	238
E. *.	70	F F.	244
F.	80	G G.	252
G.	82	H H.	268
H.	84	I I.	282
I.	86	K K.	290
I. I.	88	L L.	296
K. K.	90	M M.	322
K.	96	N N.	328
L.	102	O O.	354
M.	110	P P.	358
N.	114	Q Q.	378
O.	120	4.	380
O. *.	122	5.	382
		6.	384
		7.	389
		8.	392
		9.	394



ACADEMIÆ PICTURÆ NOBILIS

atque

ERUDITÆ

PARS PRIMA,

De

Ipsâ arte pictoriâ, ejusq; variis requisitis.

CAPUT I.

De Inventione & Delineatione.

Argumentum.

Artis Pictoriæ Definitio. Ratio est origo Delineationis, & non casus fortuitus. Definitio Delineationis. Ex ungue Leo: id est, Intellectum, ex unica corporis parte, totam ejusdem colligere Symmetriam. Qualis ad delineandum requiratur manus? Statuarios quandoque, loco delineationis, uti prototypo quodam. Delineationis varias esse species. Rudis & informis designatio (Schizzi.) Expressior figuratio, (Profil:) quæ Architecturæ potissimùm inservit. Quâ ratione Delineatio ad Statuariam conducat, & ad Picturam. Quomodo Delineatio quàm optimè addisci possit? Ab iconibus & Statuis faciendum esse delineandi initium: dehinc delineandas esse res vivas, in quem usum institutæ sint Academiæ. Quomodo Lumen cum umbris debito ordine temperandum; Effigiesque rotundandæ sint. De reflexione luminis. Delineationem, ingeniosam requirere inventionem; optimam distributionem atque congruam dispositionem. Unde suam habeat originem bona Delineatio? Imitationem naturæ, esse perfectionem Picturæ. Hanc addiscendam beneficio corporum nudorum, nec non anatomicè dissectorum. Delineationem fieri rubricâ, vel graphide cretaceâ. Qua ratione expressior figuratio in recenti albario sit designanda. De Pictura historiarum: & quid observandum sit circa figuras? Abbreviatio figurarum unâ serie se invicem subsequentium. Perspectivæ quàm diligentissimè studendum esse. Quantum prosit, si Pictor sæpiùs variarum personarum gestus delineet, libelloq; peculiari consignet. Artis atque diligentiæ solertem requiri harmoniam.

Picturæ definitio.



Obilissimum illud humani Ingenii inventum Pictura [*juxta Socratem est εἰκασία τῶν ὁρωμένων, sive imitatio & repræsentatio eorum quæ, videtur Nobis*] est Ars, superficiem quandam sive tabulæ, sive muri, sive telæ, variis, juxta Exemplar, sive delineationem, obducendi coloribus, qui ingeniosâ dispositione, artificiosoque linearum ductu figuram quandam atque effigiem referant.

[*Sic autem Picturam definit Jul. Cæs. Bulengerus Soc. Jes. Presbyter de Pictura, Plastice & Statuaria lib. 1. cap. 3. Pingere nihil est aliud, quàm penicillo lineas ducere, & colores addere, quibus homines, bruta, plantæ, arbores, aliæq; res exprimuntur. Pictura nobilis quondam ars, tùm cum expeteretur à Regibus populisq;, & illos nobilitans, quos esset dignata posteris tradere. Ea est vita memoriæ, lux vitæ, testis temporum, nuncia virtutis, mortuorum à morte restitutio, famæ gloriæq; immortalitas, vivorum propagatio; quæ facit ut absentes præstò sint, & variis dissitisq; locis uno tempore repræsententur.*]

Origo Delineationis est ratio.

Delineatio autem sicut verè dici potest Architecturæ, Statuariæ & Picturæ Mater, ita ex alio fonte non profluit, nisi ipsius Rationis: unde peculiare requirit judicium, tanquam universalis quædam forma, idea atque exemplar rerum omnium, quascunque Natura produxit unquam. Hæc enim in corpore non humano tantùm, sed & brutorum atque plantarum, & consequenter etiam in Architectura, Statuaria atque Pictura debitam illam edocet proportionem, quæ est inter Corpus totum, ejusdemque partes: veramq; illarum differentiam. Ex qua cognitione fundamentalis illa exurgit Imaginatio, sive Conceptus, atque idea, quam in Intellectu suo præconcipit Artifex; & postmodùm ope manus sive creta, sive rubrica, sive carbone in chartâ designat.

Non verò Casus fortuitus.

Sunt aliqui, qui originem sive Patrem Delineationis statuunt esse Casum fortuitum: Ubi postea exercitatio sive experientia hunc quasi fœtum ad instar nutricis sive Magistræ, Cognitionis beneficio, nutriat atque educet. Ego autem contra existimo, casum hunc fortuitum non omninò eandem progenuisse; quamvis ansam dederit & occasionem eam inveniendi.

Delineationis definitio.

Hinc facilè colligere licet, Delineationem nihil esse aliud, quàm perceptibilem quandam designationem, effigurationem vel declarationem conceptus nostri, à mente formati, & Phantasiæ, ideæ instar propositi. Ubi locum habet tritum illud Priscorum Proverbium: Ex ungue Leo. Quo innuitur: Artificem, visâ saltem unicâ quâdam parte corporis alicujus naturalis, mox intellectu suo concipere posse totum illud corpus, cum omnibus ejusdem partibus; ac si illud integrum vivumque oculis suis lustraret.

Proverbiũ: Ex ungue Leo. Intellectũ totum colligere corpus ex unica ejusdem parte.

Qualis ad delineandũ requiratur manus?

Hîc igitur ante omnia requiritur, ut Manus artificis singulari industria diuturnâque exercitatione habitum sibi acquirat, agilisque evadat atque habilis ad delineandum probeque effigurandum sive pennâ, sive graphide, sive cretâ atque carbone, omne id, quod unquam progenuit natura. Tunc enim perfecta demùm tam Artificis quàm Artis quoque prodit Excellentia, si Intellectus conceptus suos non in lucem proferat, nisi quàm optimè præmeditatus; nec alia eosdem in chartâ ingeniosè designet Manus, nisi quæ diutinâ multorum annorum diligentiâ in delineando sit exercitatissima.

Statuarios quandoque delineationis loco uti exemplaribus quibusdam plasticis.

Cùm autem Statuarii quidam delineandi atque designandi non nimiam habeant experientiam, adeoq; figuras in chartâ vix congruè queant exprimere; hinc, ejus loco, ideas sibi formant atque exemplaria sive argillacea sive cerea, debitâ proportione congruâq; mensura homunculos, animalcula, aliasq; ad sculpendum propositas figuras commodè referentia; eademque in papyro sive aliâ quâdam superficiê planâ, sibi proponunt: quæ similiter ab illis Præfigurationes atque Designationes vocantur.

De variis delineandi modis.

Schizzi: rudis & informis designatio.

Varii igitur dantur delineandi modi: inter quos, cùm rudis tantùm informisq; sive calamo, sive carbone, cretâve figurarum fit projectio, Adumbratio id saltem, & Idiomate Italico Schizzi, vocari solet. Prima hæc inventio conceptum saltem atque Ideam Mentis exprimit; impolitoque tantùm opere formam atque distributionem picturæ propositæ designat. E simplici hoc Schemate errores suos perspicit artifex in opere evitandos; ita ut figuras illas, si quæ fortè nimis parvæ, majores; & quæ nimis magnæ, minutiores reddat, ut, juxta congruam rationis Symmetriam, cuncta debitam adipiscantur proportionem. Hæc autem correctio atque emendatio ex consequenti instituenda, in intellectu prius instituto rigoroso errorum omnium examine probè ponderanda, atque præmeditanda est. Diu enim considerandum, an hæc vel illa figura ingeniosam satis atque argutam nacta sit delineationem atque dispositionem? An quædam sint emendanda atque immutanda? & qua via correctio hæc instituenda sit? Quæ omnia post longam demùm atque diutinam intellectûs meditationem experientiâ sensim & consvetudine maturescunt.

Ad hanc exquisitũ requiritur intellectûs judicium.

Alius

Expressior figuratio,

Alius delineandi modus expressior est figuratio seu expolita graphide operis designatio; cùm primaritis. Ductibus circumcirca informis illa adumbratio inducitur, quod vulgò Profil seu figuratio membrorum dicitur. Et hæc quidem species non minùs ad statuariam & picturam conducit, quàm ad Architecturam; in hac ultima tamen potissimum usui est: [*& Scenographia dicitur: præter ichnographiam & orthographiam requisita,*] eò quod istius artis potissimus labor sit delineatio, in meris consistens lineis, quæ principium ibidem sunt atq; finis: unde & huic speciei nomen: Cœtera enim, mediante idea & exemplari quodam ligneo juxta Orthographiam harum linearum fabrefacto, laotomis committuntur atq; murariis.

quæ Architecturæ potissimùm inservit.

Qua ratione Delineatio ad Statuariam conducat,

In Statuaria, delineatio ad omnem membrorum figurationem valdè est utilis, quam Statuarius per singulos artus oculis exindè haurire operiq; suo applicare potest: præsertim si pars quæpiam extantior fingenda sit; sive id fiat cera; sive argilla, ære, marmore, & ligno.

& ad Picturam,

In Pictura delineationes istæ varium habent usum; præsertim ut cuilibet figuræ vel effigiei sua eò commodiùs figurentur membra. Quod si legitimè optimaq; proportione factum sit; & umbra deinde atq; lumen debitè adjiciantur; lineamenta exhinc palmariiq; ductus figurarum depingendarum blandam nanciscuntur elevationem atq; protuberantiam: undè tota effigies desideratam sortitur bonitatem atq; perfectionem. Quicunq; igitur legitimum delineandi usum atq; applicationem probè pernovit, tandem accedente exercitiorum continuatione & maturitate judicii, in omnibus hisce artibus ad summum ascendet perfectionis atq; præcellentiæ gradum.

Qua ratione Delineatio quam optimè addisci possit?

Ut autem quis artem hanc, omnia phantasmata, conceptusq; mentis suæ probè delineandi, rectius addiscat, ante omnia opus est, ut præmissis aliquo tempore exercitiis juxta exemplaria in papyro designata, postmodum se exerceat depingendo figuras, è marmore, gypso, alia ve materia plasticè fabrefactas ad vivum certo quodam loco constitutas: sicut etiam designando pulchram aliquam statuam antiquam; vel prototypon aliquod argillaceum, sive nudum, sive vestitum, quia tales figuræ, cùm immobiles sint, vitâq; careant, facilem admodùm discipulo aperiunt methodum; quam è corporibus viventibus, quibus major est motus atq; mutatio, vix poterit sperare.

Ab iconibus & Statuis faciendum esse delineandi initium.

Acquisito per tales delineationes, diutinaq; exercitia, firmiore habitu atq; consuetudine, manuque solerte & habili; tandem ad delineationem rerum viventium accedendum est: inibiq; tanta tyro se exerceat diligentia & attentione, tamq; diu; donec quàm accuratissimam optimisq; artis regulis fundatam acquirat naturæ imitationem. In quem finem omninò necessarium est, Academias frequentare pictorum; ubi quis in societate plurium ex objecto quodam dextrè proposito, exemplariq; vivo varios designare potest membrorum situs: Atq; hæc tutissima & optima est via cognitionem acquirendi fundamentalem symmetriæ, configurationis, atq; proportionis humanæ. Hæc exercitia neturam quamproximè exprimentia defatigato diuturna industria artifici laborem suum magno tandem honoris lucriq; fœnore rependunt; eò quod manum non minus quàm mentem ad singularem sic asuefacere queat gratiam, vivacitatem, atq; facilitatem. Idq; certò sibi persuadeat quilibet, istam multorum annorum continuata diligentia acquisitam praxin unicam esse artis delineatoriæ facem, verumq; medium, quo gloriam sibi famamq; pro lubitu conciliare possit artifex.

Dehinc delineandas esse res vivas;

In quem usum institutæ sint Academiæ.

[*Quidam enim Chimæras pingunt, quas vulgò vocant grotesques, ineptissimè. Quare Vitruvius lib. 7. corqueritur: homines, qui verè naturam imitari debuissent, fabulosa commentos esse, quæ natura ipsa nequat efficere. Eosdem risui habet & Horatius,*

Pictoribus atq; Poëtis:

Quidlibet audenti semper fuit æqua potestas,

Scimus & hanc veniam, petimusq; damusq; vicissim:

Sed non ut placidis cöeant immitia, non ut

Serpentes avibus geminentur, Tigribus agni.

Et S. Gregorius: Si pictura indoctorum est liber, ecquid è falsa haurietur lucis?]

Quomodo [illegible] umbris debito ordine temperandum; effigiesq; rotundandæ sint?

Si deinceps pictor effigiem porrò suam congruo rationis usu in medio luminosam, in extremis partib⁹, inq; profundo obscuriorem efformet, superficies hinc nascitur bellè mixta, quæ nec lucida nimis, nec nimis obscura, sed mediæ sit naturæ, in qua primarii ductus blando, rotundo, & extante promicant aspectu. Verum quidem est, tria hæc colorum plana, omnibus etiam minimis atq; vilissimis rebus exprimendis non sufficere: quare necesse est, singulas has partes iterum subdividere; ita, ut quæ obscura nimis non minùs, quàm quę nimis lucida rursus bipartiatur; inq; nimis luminosâ nova quædam minus lucida facies; & in obscurâ nimis, minus opaca exoriatur. Cumq; sic colorum beneficio loco medio, necnon extremo debita portio luminis atq; claritatis, profundo autem obscuritas & umbra sua debitè tri-

buta fuerint: per idoneam hanc trium istorum planorum Armogen & concordantiam eveniet, ut designatio rotunda atq; protuberans, & initiò quidem eminentior atq; lucida, dehinc verò pedetentim reductior & obscurior evadat, ita ut continuatis hisce gradibus ad meras tandem atrasq; descendatur umbras. Ad normam horum omnium colores miscentur sive oleo, aqua gummata vel glutinosa alia, prout subactu aquario, (vulgò à Tempera) vel ad recens albarium (vulgò in Fresco) pingendum est: atq; sic locis suis debitis congruè admoventur: iisdemq; tabella, vel alia quævis delineatio, ad opus propositum destinata fundatur atq; inchoatur.

De Reflexione luminis.

Reflexionis, quæ lumen secundum refert, hæc est natura atq; proprietas: ut sicut lux prima, è supernis in effigiem, figuram, aliudq; corpus demissa, objectum hoc ex unâ parte sic irradiat, ut illud è cõtrario ex alterâ parte profunda opacetur umbra; ita lumen huic proximum, à superne demissâ jam præfatâ luce communiter exortum, pro majore vel minore suo gradu atq; vehementia, umbram ipsam retrolapsam aliquatenus illuminet. Ubi notandum, lumen omne reflexum respectu lucis primævæ ordinem planè observare contrarium, versusq; eandem retroflecti atq; fulgere. Qua regula universali debito modo decentiq; solertia observata, vera exhinc oboritur picturæ eminentia, rotundatio, atq; profunditas, juxta ipsam corporum naturam, genuinamq; eorum proprietatem, haud aliter, ac si superficies ipsa protuberaret, rotundoq; emineret tumore; cum è contrario his legitimè non consideratis omnia maneant depressa, minusq; solida; unde nimium quantum artificis elucescit imbecillitas.

Delineationem, ingeniosam requirere inventionem; optimam distributionem, & congruam dispositionem.

Delineationem porrò singulari ingenio, rarâ inventione, dispositione atq; situatione, quippè quæ præ cæteris omnibus potissimum requiritur, institutam esse decet: ita ut omnium partium, cum delectatione judiciosi spectatoris jucunda colludat harmonia; nec uno loco omnia, alio pauca, vel alibi nihil penitus collocetur sine judicio rationisq; ductu. Quicquid enim sic sive ordine pulchro, sive inordinatâ confusione effiguratum est, id omne ortum suum habet ab ista delineandi arte, sive benè sive malè cognita & applicita; sive quis us' fuerit prototypis fabrefactis; sive propositis objectis viventibus. Nec fieri unquã potest, ut ars hæc designatoria felici succedat tramite, nisi omnes nervos intenderit tyro, ut res naturales atq; vivas designando ad vivum exprimat; vel juxta exemplar optimarum à præclaris artificibus efformatarum picturarum, vel statuarum antiquarum, aliarumque imaginum solidarum, ut sæpè jam dictum, effingere studeat.

Unde suam habeat bonaDelineatio originem?

Cum igitur pictor multa jam gaudet habiliq; praxi & experientia, manumque sibi reddidit agilem atq; idoneam, ante omnia studium aggrediatur rerum naturalium, omnibusq; ingenii viribus in id incumbat, ut supra dicta omnia quàm accuratissimè observentur, cumq; naturâ quævis plenissimè concordent. Naturæ siquidem imitatio magnum reddit artificem atq; præclarum, laudemq; eidem conciliat atq; gloriam. Tanti non est laboris, nobilem quandam pulchramq; repræsentare effigiem hominis ordinariam: quàm Faunum quendam Satyrumve efferatum, deformem atq; timidum, vel monstrosum aliquid simile, tàm naturali depingere facilitate, ut vita atq; pictura vix queant discerni: Id verò plus laudis meretur, majusq; de perfectione perhibet testimonium. Unde luce meridiana clarius est, supradictam hanc multorum annorum exercitiis acquisitam delineandi artem, infallibilem esse callem magnorum in hac arte progressuum.

Imitationem Naturæ, esse perfectionem Picturæ.

Præ cœteris autem utilissimum est & maximè proficuum, designando sibi proponere corpora nuda tàm virorum, quàm mulierum atq; puerorum, & circa talia suam fundare exercitationem atq; experientiam, eadem memoriæ suæ, quoad ejus fieri potest, solerter imprimere, præ cœteris autem ubiq; locorum musculos, venas, costas, spinam dorsi, pedes, brachia, & genua, diligentissimè observare: ut quis hæc omnia, etiam citra ideam vel exemplar, naturali tamen charactere efformare valeat. Quo etiam quamplurimùm confert, corpora vidisse arte Anatomica dissecta atq; aperta; ut quis noverit, qua ratione os ossi inter cutem & nervos carnemq; & musculos adjaceat; & postmodùm majori certitudine, sine omni errore, similia depingat. Quicunq; enim horum gnari sunt, effigies postmodum singulari cum gratia naturaliq; proportione convertere possunt atq; inclinare: in quo plurimi sanè cespitant; cum tamen id cuivis sit necessarium, qui non imagines saltem vivas, sed & statuas ad vivum depingere desiderat.

Hanc addiscendam beneficio corporum nudorum,

Nec non Anatomicè dissectorũ.

Hæc autem delineatio in Charta instituitur, sive rubrica, quæ terra est, sive massa lapidea, tenera atq; mollis, ad scabendum & scindendum idonea, quæq; in montibus nostræ Germaniæ reperiri solet: vel etiam creta nigricante similis naturæ, quam ad nos transmittunt Batavi. Alii calamo saltem utuntur & superficie alba: cui, sive charta sit, sive tela, luminositatem atq; albedinem suam relinquunt. Difficilior quidem, sed usitatior tamen, & inter artifices receptus est iste modus, cum in chartâ sub-

Delineationem fieri rubricâ, vel graphide cretaceâ.

tâ subfuscâ colore nigro fit delineatio, eminentiis colore albo superimpositis: quo utuntur quamplurimi.

Qua ratione expressior figuratio in recenti albario sit designanda.

Si quis autem, juxta talem delineationem, recens albarium in muro quodam picturis exornare velit, is arundinem longam, cui insertus sit carbo, ex alterâ extremitate dextrâ prehendit manu; sinistrâ verò chartam assumit, in quâ expressa est delineatio operis: adeoq; quadantenus è longinquo accedens figuras arundine carbonacea membratim, proportione pro arbitrio æstimatâ, decenti magnitudine, parieti adhuc humenti inserit; quâ designatione factâ, opus suum debitis coloribus in cœmento illo vel gypso secundùm artem perficit atq; consummat.

E præfato naturalium corporum studio illa quoq; exoritur inventio, juxta quam in majoribus historiis quatuor, octo, decem, quindecim, viginti & plures figuræ, imò integri exercitus acierum ordine disponi possunt. In quâ inventione id observandum est, ut imagines decenter ita locentur, ut si, exempli gratia, persona quædam proponatur, quæ alii cuidam reverentiam exhibeat, hæc, convertendo se, aliis non obvertat tergum: quod in aliis quoq; observandum est operibus.

Inventio in quo consistat?

De Pictura historiarum: & quid observandum circa figuras?

Historia depingenda exornata sit multa rerum varietate, quæ singulæ tamen ad scopum collineent propositum. Ubi simùl requiritur, ut cuj'vis figuræ officium, functio, munusq; nec non ætas, sive juvenilis, sive senilis, è facie ejusdem noscatur atq; gestibus. Unde fœminarum facies atq; juvenum blandior paulò efformanda est atq; delicatior, quàm Virorum: senibus autem gestus tribuendi sunt modesti & meditabundi; præsertim si quosdam, qui sacris operam dant, vel in summâ dignitate constitutos, repræsentent. Id quoq; considerandum est ubiq;, ut quælibet pars operis cum toto concordet picturæ contextu, adeoq; primo statim obtutu harmoniam præ se ferat tabula. Horrendâ facie Furia, amabili depingatur Venus vel Charis: ut intentio pictoris sufficienter agnosci queat, etiam non apposito titulo declaratorio. Si quæ feriæ, iracundæ, austeræ, feræq; proponendæ sunt imagines, iisdem vultus est formandus ferocitate quadam spectabilis. Aliis in distans locatis, tanquam fugituris, colores tribuendi sunt, sensim ad obscuriora tendentes, lumineq; magis magisq; orbati.

Abbreviatio figurarum unâ serie se invicem subsequentium.

In hoc autem apex consistit totius artificii, ut imagines nudæ vivo suo & naturali in oculos incurrant charactere: nec minus cùm aliæ alias invicem subsequuntur, eâ singulæ ponantur, & tam benè ordinatâ dispositione, ut quædam illarum promineant, reliquæ verò juxta seriem suam coloribus fractis secundùm artem minuantur, visumq; fugiant. Quâ methodo autem hoc agendum sit, paulo pòst latius explicabitur, cum de oleario subactu agendum erit; locisq; pluribus aliis. Non minus autem hoc in casu, quàm in cœteris omnibus artificiosè observanda est perspectiva: ut nimirum primò opus propositum, juxta proportionem loci atq; regularum, partim debito ordine diminuatur, partim emineat, grandiorq; exsurgat: porrò ut, juxta seriem structuræ, conclavium & columnarum, omnia prudenter & inculpatè minuantur, gratiosoq; oculos fallant glaucomate: & tandem ut, sicut totum ædificium juxta ordinem perspectivæ sensim diminuitur, ita etiam colorum floriditas atq; claritas, luminositas atq; vehementia, ut supra dictum est, pedetentim decrescat. Namq; è dispositione tam congruâ, tamq; decorâ de judicio artificis potissimùm judicari solet.

Perspectivæ quàm diligentissime Studendum esse.

Quantum prosit, si pictor sæpiùs variarum personarum gestus delineet, libelloq; peculiari consignet.

Cognitis ita sufficienter regulis opticis atq; scenographicis, instructâq; circa notitiam membrorum, quoad res omnes & corpora in universum, memoriâ: sæpius ad illa loca exspatietur pictor, ubi varios in dignitate constitutos contueri queat homines, ibidemq; gestus eorum consideret, modosq; laborandi, loquendi, negotiandi, rixandi, ridendi, contendendi, & manus conserendi; quamq; faciem non minùs ipsi, quàm qui circumstant spectatores, præ se ferant. Quæ omnia breviter atq; intrepidè in libello quodam consignet huic usui destinato, eumq; diligenter asservet in casus futuri temporis. Tot enim & tàm variæ sunt hominum actiones atq; gestus, ut impossibile ferè sit, omnes in recenti vivaq; retinere memoria: cum è contrario, si præfatus dein evolvatur libellus, semper in memoriam revocari, adq; usum debitum referri queant.

Artis atque diligentiæ solertem requiri harmoniam.

Ante omnia autem studendum est, ut tàm feliciter tamq; prudenter colludant artificis industria sive artificiũ, ejusdemq; ingenium atq; manus, tantâq; facilitate societur cum perfectione venustas, ut non tàm ad horrorem spectator & indignationem, quàm ad gaudium & oblectationem commoveatur super perfectione & felicitate artificis. Verbo dicam: genuina est operis perfecti nota, si viva potiùs, quàm picta esse appareat.



CAPUT II.

De Corporis humani ſymmetriâ & proportione.

Argumentum.

Corpus humanum aſſimilari poſſe ſtructuræ Templi cujusdam. Cognitionem Symmetriæ & proportionis, unum eſſe de ſtudiis ad Picturam maximè neceſſariis. Variæ dimenſiones: faciei; manus; brachii & capitis; frontis & naſi; pedis; pectoris. Umbilicum eſſe centrum circumferentiæ circa corpus ductæ. De longitudine corporis humani. De cubito Antiquorum. Multis uti menſuris, ſtatuariorum potius eſſe, quàm Pictorum. Quomodo corpus octo capitum habeat longitudinem? De latitudine corporis Maſculini & Fœminini. De proportione Infantum. De Staturis longioribus & brevioribus: uſumq; longiorum minus reprobari. Studium hoc in genere perſequendum eſſe in libris, & imaginibus. Menſurandi obſervandum eſſe modum; inq; membris inflexis menſuras eſſe moderandas. Exemplum hujus in figura quadam. Conducere etiam, ut Pictor Anatomiam intelligat, propter muſculos & oſſa: Ubi ſimul apponitur effigies antiqua Marſyæ deglubiti.

Corpus humanum aſſimilari poſſe Structuræ Templi cujusdam.



PRoportio hominis formoſi comparari ſolet cū Templo quodam pulcherrimo, & juxta omnes Architecturæ apices extructo; in quo omnes ſtructuræ partes optimo Ordine, debitâq; menſurâ eleganter ſeſe invicem excipiunt. Eodem enim modo Ter Maximus ille Architectus cœleſtis, in condendo homine, Opus perfecit omni perfectione majus, corpusq; ejusdem admirandæ pulchritudinis effiguravit formâ, membrorum ſymmetriâ, atq; decore incomparabili, perfectâq; omnium artuum elegantiâ.

Cognitionem Symmetriæ & proportionis ejusdem, unum eſſe de ſtudiis ad Picturam maximè neceſſariis. Variæ dimenſiones.

Cognitio iſtius humanæ Conformationis atq; Proportionis unum eſt de Studiis Academiæ noſtræ primariis & maximè neceſſariis: de quo, quamvis tantum quoad partes perfectiores, majorisq; momenti; (quoniam informium nullus hîc eſt locus:) paucula hoc loco monere conſtitui.

Faciei; Manus; Brachii; & capitis.

Prima igitur dimenſio fiat ab illo capitis ſive frontis loco, ubi prima ſunt capillorum initia, usq; ad imum menti terminum; quam Faciem nuncupamus: & hæc eſt decima totius longitudinis humanæ portio: Eodem modo Manus à termino flexuræ circa brachium, usq; ad finem digiti longiſſimi, Faciei refert longitudinem. Ulna, ſeu pars brachii anterior, quæ & cubitus dici ſolet, à cubiti extremo, usq; ad finem digiti medii, quartam hominis partem efficit. Menſura à vertice capitis usq; ad menti extremum ſumta, octavam corporis humani exhibet partem; quam etiam deprehendimus filo à vertice capitis usq; ad extremitatem colli poſticam extenſo.

Frontis & naſi. Pedis. Pectoris.

Porrò à capillorum initiis in fronte deſcendendo usq; ad humani pectoris ſummum, ſextam corporis reperimus partem: addito auem ulteriore Capitis reſiduo ad ſummum usq; computato, quarta iterum exactè reſultabit. Ab initiis capillorum usq; ad Naſi inter ſupercilia radicem; abhinc porrò usq; ad ultimum naſi finem, & hinc tandem usq; ad extremum menti terminum pergendo, ſingulis menſuris unam faciei repræſentamus tertiam; ut tota facies trium Naſorum ſit longitudine. Ab extremo pedis Calcaneo, usq; ad finem digiti in pede ſecundi, ſextam hominis offendimus partem, cujus longitudo hinc ſex pedum menſuram habet. A Pectoris Ventrisq; confiniis ſupra umbilicum, usq; ad menti imum, quarta hominis exurgit pars.

Umbilicū eſſe centrū circumferentiæ circa corpus ductæ.


Si Viro cuidam in terra manibus pedibusq; extenſo unus circini pes in umbilico ſtatuatur, altero pede circumacto; hæc circini extenſio usq; ad digitorum in manibus pedibusq; terminum, ubiq; ſemidiametri exacte refert portionem. Ita ut umbilicus verum ſit corporis humani centrum, à quo per ſummum Capitis, digitumq; manûs longiſſimum, terminatum, & pedis plantam circulus duci poteſt perfectiſſimus; è quo etiam formari poteſt quadratum.

De longitudine corporis humani.

Statuas Urbis Romæ antiquas plurimam partem ſic reperi formatas, cum quo & Plinius concordat atq; Vitruvius, ut nempè ea ſit hominis longitudo, quæ eſt extenſorum illius brachiorum per tranſverſum latitudo, quam Orgyiam dicunt: Id quod etiam confirmatur Experientiâ.

De cubito antiquorū.

Cubitus Antiquorum ſex fuit palmorum:



b
A
B
D
C
B
E
A

rum : palmus autem quatuor digitorum: quatuor autem palmi longitudinem pedis exæquant. De quibus plura diximus, ubi de Sculptura actum est. Albertus Dürerus totum corpus humanum digitorum mensuris dimetitur atq; minutorum, aliisq; dimensionibus adhuc minoribus: quæ tamen plus decent statuarios, quàm Pictores. Ego ex aliorum judiciis sæpè intellexi, Eum, qui nimius est mensurando, Mensuratorem permanere, & ad ulteriora vix pergere. Vitruvius aliiq; Artifices ingeniosissimi potius censent, per minutiores illas Capitis, pedum, nasi, plantarumq; pedis dimensiones tyronibus tantùm moras injici inutiles.

Multis uti mensuris, statuariorum potius esse, quàm Pictorum.

Idem verò hanc proponit methodum quàm brevissimam, à capite hominis usq; ad plantam pedis ejus, octo Capitum computandam longitudinem; Capite in quatuor Nasos distributo. Hac methodo octo capitum processurus effigiem ad perpendiculum applicet; mensuretq; à capitis summitate usq; ad mentum, Capitationem unam; à mento, usq; ad papillas mammarum, secundam; abhinc usq; ad umbilicum, tertiam; ab umbilico usq; ad membrum virile, quartam; abindè usq; ad dimidium femur, quintam; exhinc porrò usq; ad genu, sextam; à genu usq; ad crus medium, septimam; & tandem usq; ad plantam pedis, ultimam atq; octavam.

Quomodo corpus octo capitū habeat longitudinē?

Secundùm latitudinem verò ab axilla dextra usq; ad sinistram Viro tribuantur duæ Capitis; & ab uno coxendice usq; ad alteram, duæ faciei longitudines. Fœminarum autem corpora crassiora sunt & carnosiora; Musculi etiam in illis dantur molliores & pleniores tàm rugis [*ut in infantibus quoq; apparet;*] quàm foveolis; præsertim in manibus, genuumq; & cubitorum rectitudine. Coxa ergò fœminina uno Naso est latior, sicut axilla Masculina. Infantum corpora plerumq; quinq; sunt capitum: quorum tria ad pubem usque; duo usq; ad genua & pedes computantur. Experientia tamen de brevioribus quoq; infantum staturis testatur, ut & de longioribus. Aliàs verò, juxta Plinii assertum, anno ætatis suæ tertio usq; ad dimidiam staturæ suæ excrescunt partem.

De latitudine corporis Masculini, & Fœminini.

De proportione infantum.

Sic quoq; non in vivis tantùm exemplaribus, sed & in Operibus nonnullis Excellentissimorum quorundam Artificum, effigies tàm breviores quàm longiores repeDe Staturis longioribus & brevioribus: riuntur: ita ut ob formæ elegantiam isti dena, quandoq; & undena & duodena staturis suis attribuerint Capita. Omnes autem, qui ingenio pollent, breviores potiùs repudiant, quàm longiores effigierum staturas. Qui profundiùs his studiis insistere desiderat, scripta Alberti Düreri pervolvat; in specie autem clarissima quædam Antiquarum Statuarum sibi proponat exempla: siquidem in hunc finem, in quodam tractatu nostro de Sculptura, ære incisas exhibuimus statuas omnes, quotquot in Urbe Romana hodierno die reperiuntur celebriores.

usumq; lõgiorū minus reprobari. Studium hoc in genere persequendum esse in libris & imaginibus.

Iterum tamen commoneo; nimias & minutissimas quasvis dimensiones perniciosas potiùs esse, quàm proficuas: cùm sæpissimè membrū aliquod, præsertim porrigentis v.g. vel tradentis, ultra mēsuram sit extendendū; unde jam excurrēdi nascitur occasio. Prout & in effiguratione præcipuarum Historiæ cujusdam personarum multæ observandæ sunt anomaliæ circa actus premendi; dilatandi; extendendi; flectendi; vertendi; contrahendi; abbreviandi; & incurvandi; ubi pro majore Affectuum expressione addendum semper vel minuendum pro re natâ.

Mensurandi observandū esse modum; inq; membris inflexis mensuras esse moderandas.

Pro meliore atq; dilucidiore horum omnium illustratione, in apposito Schemate sub. L. b. Vir quidam exhibetur, qui festinabundus atq; violenter tibiale inducere omnibus nervis innititur pedi uni humido: Ubi apparet, ob vehementem ejusdem affectum, partem corporis ejus anteriorem sexta parte abbreviatam esse; quâ diminutione omissâ, Passio illa, necessariò exprimenda, satis perspicuè præfigurari & inculcari non potuisset.

Exemplum hujus, in figura quadam.

Sic è contrario brachium inflexum octavâ semper parte fit longius, quàm si recto situ extensum sit: quod è sola hac oritur, nec aliâ causâ; quoniam inflexo brachio gibberum Cubiti extrorsum procedit: prout & eodem planè modo, flexo pede calcanei magis exseruntur, similiumq; augmentationum causa fiunt, uti in dicto Schemate sub A. B. C. D. E. clarè exprimitur.

Id omnes semper observarunt, quicunq; in hac Arte excelluerunt unquam Artifices; etiam Antiqui: sicut inter alia exemplum quoq; occurrit Laocoontis, cujus crus sinistrum toto palmo fabrefactum est longius, quàm requireret natura sibi relicta: idq; ideò, quia Imago sedens è loco inferiore aspicienda est; adeoq; nimis aliàs brevis apparuisset.

Tandem id quoq; summè est necessarium, ut juxta externam corporis humani proportionem, quis fundamentalem et iam habeat cognitionem sub cute jacentium Musculorum, eorumq; originis, formæ, & usus: necnon ipsorum quoq; interiorum ossium: sine quâ in pingendis Imaginibus nudis, solo casu rem aggreditur Pictor, myindâ quasi lusurus, atq; cœcutiens. Ut igitur & hoc in casu utilem tyronibus præstem operam, cùm, propter nimiam temporis angustiam,

Conducere etiam, ut Pictor Anatomiam intelligat, propter musculos & ossa.

aliquæ

Ubi simùl apponitur effigies antiquaMarsyæ deglubiti.

aliquæ jam delineatæ Effigies Anatomicæ æri nondum potuerint incidi; antiquam illam è Palatio Justiniani, quodRomæ est, Marsyæ deglubiti statuam, in tabulâ b. huc inseram: è quâ modò dictæ Anatomiæ pars anterior, cum ossibus atque musculis eò pertinentibus, sufficienter apparet.

CAPUT III.

De
Vero Imaginis decoro, ejusque abbreviatione, sive Catagraphis.

Argumentum.

Quare non omnes imagines pictæ oculis placeant? Imago in recta linea consistat. Brachia atq; pedes utrinq; projectione & retropositione alternent. Facies versus brachium anterius se convertat: sed non versus anteriorem pedem. Caput atque corpus non simul convertantur versus eandem partem. In picturis devotis caput ne nimis intorqueatur. In Imaginibus nudis artus decenter connectantur. Collum ne sit nimis breve. Regulæ de pede atq; axillis. Membra principaliora, quantum possibile est, in oculos incurrant, nec contegantur. Nimia imaginum abbreviatio evitanda est. Regulæ de genibus & pedibus, item cruribus, nec non de axillis & femoribus: item de brachiis, manibusq; & pedibus, Imagines contortæ violentæ sunt & informes. Qua ratione imago sursum respicere, seseq; inclinare debeat? Quousq; caput imaginis retroverti queat? In quam altitudinem brachium elevandum sit. Regulæ de gestantibus onera, item de stantibus & ambulantibus. Actiones præterea imaginum, naturam imitari, cumq; decoro efformari, debere. De iconibus fœmininis. Ætates, complexiones, & naturas observandas esse. De fœminis honestioribus. Deque masculis tàm junioribus, quàm senioribus. Professionem quoque personarum respiciendam esse. Quid sit figurarum abbreviatio? Quod in hac parte excelluerit Michaël Angelo. Istius Artis methodus ab ignorantibus parvi penditur; & tamen celebratur. Dicitur autem Al di Sotto in su, Pictura ab inferiori loco conspicienda.

Quare non omnes imagines pictæ oculis placeant?



Quamvis magnus ille rerum omnium Creator decora per naturam creaverit omnia; multæ tamen inveniuntur rationes, quare ipsa rerum pulchritudo perfectior esse videatur in uno, quàm in altero subjecto: unde fit, ut sæpè imago quædam, quæ à Pictoribus, præsertim junioribus, labore multo magnaque industria elaborata est, oculo tamen nostro placere nolit. Quod exindè procedit, si nempè circumstantiæ actiones, atque dispositiones decoro careant; quas ipsa tamen natura ingenio Artificis spontè offerre solet.

Imago in recta linea consistat.

Imago erecta stans, in lineâ perpendiculari consistat, à gutturis initio, per corpus totum, usque ad pedem onere gravatum: tunc enim in tali imagine verum observatum est decorum.

Brachia atque pedes utrinq; projectione & retropositione alternent.

Omnium hominum, tàm juvenum, quàm senum, tàm Virorum, quàm mulierum, imò & puerorum, hæc est consuetudo, ut commotis vel euntibus, si pes dexter versus anteriora excurrat, eodem tempore ejusdem lateris brachium è contrario retrocedat: vel si projiciatur brachium sinistrum, à tergo restitet pes sinister: ita ut cum brachiis pedes in utroque latere semper alternent. Idem quoque in quadrupedibus observatur: ut euntibus vel currentibus pedes anteriores cum posterioribus, sic urgente naturâ, alternare soleant. Quod in picturis probè est observandum.

Imago sedens vel stans faciem eò semper convertat, quò vergit brachium anterius exporrectum. Id quod ex omnibus statuis celebriorum ex antiquis Artificum; sicut & in Operibus pictis celebrioribus tàm priorum seculorum, quàm moderni temporis, nullibi non apparet.

Facies versus brachiũ anterius se convertat. & non versus pedem anteriorem.

Quandoque etiam in statuis quibusdam stantibus, vel personis pictis, caput pedem sequitur, ita ut etiam corpus eò quasi converti velit. Verùm enim verò, quæ de bona imaginum dispositione tradi solent regulæ, id requirunt, ut caput aliò convertatur, quàm corpus. Undè pictori quàm vigilantissimè observanda est conversio capitis, ita, ut omnibus modis decorum sectetur: si enim in hoc committatur error; eodem solo tota vitiari potest imago, atque dehonestari. In operibus tamen devotis, res sacras & Spirituales con-

Caput & Corpus nõ simul convertantur versus eandem parté.

In Picturis sacris caput ne nimis intorqueatur.

cer-


MARSYAS.
Calcogr. Reg. sculp.

cernentibus, nimia Capitis contorsio non usque adeò decora est: quippè in quibus honestas magis atque devotio elucere debet.

In imaginibus nudis artus decẽter connectantur.

Si imago effiguranda est nuda, tunc danda est opera, ut imago fiat integra; utq; membrum à Pictore intentum perducatur ad finem. In his quoque aliisque membris debitè se exerceat Pictor, ne mutilationibus assvescat, nec enim unquam postea ritè connectet artus. Collum etiam non tàm breve efformandum est, ac si pectori insisteret caput. Brachium ne huc illuc jactitetur, prout euntium pedes. Si caput ad dextram conversum sit, axilla sinistra humilior fiat, quàm dextra. Sicut ex adverso, si pectus antrorsum emineat, caputque sinistram versus spectet; dextram pariter axillam sinistrâ decet esse humiliorem. Nemo tamen ad has alias ve regulas ita simpliciter adstrictus sit, ut non, suadente judicio, & urgente necessitate, in his quandoque mutatio fieri queat.

Collum ne sit nimis breve.

Regulæ de pede atque axillis.

Si effigurandæ sunt personæ laborantes, vel rustici, qui molem aliquam graviorem propellant vel trahant, quosque propter gravitatem illam manus atque pedes in unum latus conjungere, vel manibus atque pedibus in unum robur conspirare oportet, ubi scilicet insignis membrorum sit extensio; pulchræque corporis humani partes spectandæ sese offerunt: curandum præ cœteris est, quoad ejus fieri potest, ne artus illi, vestium plicaturis, vel ullâ re aliâ, obtegantur, sed probè maneant conspicui, ne præcipuus spectanti eripiatur affectus.

Membra principaliora, quantum possibile est, in oculos currant, nec contegantur.

Nimia imaginum abbreviatio, præsertim in brachiis, non semper decora est: eamque artifices primarii omnes semper evitarunt: præsertim si plus satis supersit spatii.

Nimia imaginum abbreviatio evitanda est.

Indecens quoq; est, si imago sedens pedes extrorsum, & genua è contrario introrsum sibi invicem obvertat. Si verò genua extrorsum tendant, & pedes exprimantur decussati, decorum rectius observatur. Crura fœminarum, sive sedentium, sive stantium, honesto, nec nimis ab invicem dissito ponantur situ. Indecorum quoq; est, si sedentibus masculis; (in fœminis autem indecentius adhuc) sive nudis, sive vestitis, directò conspici queat inter utrumq; genu: multoq; laudabilius est, eadem vel sinistrorsum, vel dextrorsum convertere.

Regulæ de genibus & pedibus;

item cruribus;

Multi Artifices etiam celebriores indecorum hoc in imaginibus introduxerunt, sive stantibus sive decumbentibus, ut exporrecto dextro vel sinistro femore, axillam istius lateris elevarent: cùm è contrario utplurimum axilla istius lateris, ubi femur excedit, humilior esse debeat, quàm altera.

nec non de axillis & femoribus.

Porrò & in eo nonnulli errant, quod axillæ humilioris brachium, ad efficiendum aliquid sursum eminere faciant: quod erroneum est penitus, & sæpè tamen committitur. Ut igitur indecorum hoc evitetur, semper hoc observandum est, ut brachium axillæ elevatioris sublimius quoque exporrigatur, nimirum in altero latere, ubi & femur elevatius est. Semper etiam caput, si ullo modo possibile est, versus humerum altiorem convertatur.

item de brachiis.

Si imagines decoræ atque præcipuæ pingendæ sint, & non operarii magis rudes; ne ambo illis brachia, vel ambæ manus in negotio quodam, simùl eleventur, vel applicentur, (nisi fortè imago laborans repræsentetur) sed alternationi hîc studendum. Idemque pariter & in pedibus observetur.

manibusq; & pedibus.

Tàm protervi etiam sunt aliqui, ut in eadem figura, pectus atque nates simùl exhibeant oculis, & ad miraculum tamen suæ artis se specimina edidisse putant: cùm tamen contra decori regulas turpissimè excedant. Quidam etiam Germanorum nostrorum brachia, pedesque, & omnia fero ritu motibusque decussim factis inter se invicem contorquent, genibusque inflexis pedes contrahunt, & implicant. Quæ libertas inconsiderata pro defectu potius judicii habenda est: cùm vera perfectio efferatâ hâc consuetudine neutiquam habeat opus. Quapropter in convertendis & conflectendis artubus honestas naturæq; decorum ubique spectetur. Si in altum respicere debeat imago, ne ita retrò declinetur facies, ut recto cœlum versus obtutu enitantur oculi. Nec eòusque in profundum declinanda est facies, ut axilla eandem cum umbilico obtineat altitudinem. Caput ne amplius retorqueatur, quàm ut axillis insistere videatur mentum. Econtra verò circa manus atque pedes major est concessa libertas. Brachium tamen ne altè nimis extollatur; sed eousque tantum, donec humeri altitudinem exæquet cubitus. Semper autem natura pro verâ atque tutissima haberi poterit normâ.

Imagines contortæ protervæ sunt & informes.

Qua ratione imago sursum respicere, seq; inclinare debeat?

Quousque caput imaginis retroverti queat?

In quam altitudinem brachium elevandum sit?

Si imago elevare debeat ponderosum quid, sic natura movere docet pondus illud, ut major fiat alterius pedis projectio: tamen interea alter, cui corporis incumbit onus, pes ne sit delusorius, sed firmiter instet pro sua securitate. Eadem ratione si humero gestetur onus quoddam, ejusdem lateris pes, cui onus incumbit, sanè ludere non poterit.

Regula de gestantibus onera;

Euntibus ne major tribuatur gressus, quàm quanta est unius pedis longitudo. Perfectiores ex antiquis imagines quoque stantes magna cum suavitatis laude quasi ituras, & ad motum pronas effinxerũt. Ubi simùl observanda est in elevandis & demittendis pedibus, præsertim inter saltan-

Item de stantibus & ambulantibus.

dum, requisita elegantia, ut potissimùm corpore fiat erecto.

Actiones præterea imaginum nauram imitari, cũque decoro efformari debere.

Et ne prolixior sim, in similibus picturis ita quàm accuratissimè spectetur imaginum actio atque labor, ut naturam quàm proximè atque decentissimè imitetur: ut nempè manus atque digiti naturali suo decoroque motu, qualis in citharœdis, fidicinibus, organœdisque, requiritur: riteque pariter in actibus jactandi, cœdendi, acuendi, portandi, fodiendi, currendi, anhelandi, atque saliendi, repræsententur; aliis nempè membris, seriò ubique pariter concurrentibus.

De iconib⁹ fœminis.

Nymphæ, pastorum amasiæ, Deæ, atque concubinæ, demulcẽtes sint, pulchrorumque & allicientium membrorum, nec non vividæ, motibusque procaces: simulque non in actionibus tantùm, sed & communiter aliàs amabili suavique vultu, singularique colorum floriditate depingantur.

Ætates, cõplexiones, & naturas observandas esse.

Præterea in imaginibus ætates quoq; complexiones atque naturas probè discernat Artifex. Ita ut simplicior juvenum ætas ad hilaritatem prona, suavisque & accepta, petulantiorisque naturæ esse appareat.

De fœminis honestioribus.

Matronis honestioribus ad labores non assuefactis, actiones gressusque ne tribuantur audaces atque viriles, sed forma tantùm modesta atque pudica humilisq;, sive in stando, sive ambulando, sive sedendo, ubique decora, eidemque sexui conveniens: ita ut facie quoque atque gestibus commoventia quasi ad honestatem edant signa.

Ex adverso hæc scientia in viris robustis firmum requirit solidioremq; statum, quia difficilioribus immiscentur negotiis, prout in his omnibus natura nobis ut verissima Magistra præclaram ubivis commonstrat viam.

Deque masculis tàm junioribus quàm senioribus.

Viri juvenes nullam præ se ferunt tristitiam, sed excitatiore, liberiore, & solutiore sunt animo. Senibus aliquid manui inseritur, quod ad sublevandum debilius ipsorum corpus conducat, & in cœteris pedibus effigurantur lassis incurvati, timidiores, & ad quietem proni.

Professionẽ quoq; personarum respiciendam esse.

Professio quoque & vocatio personarum in talibus picturis simùl spectanda est. Aliam enim actionem, aliosque gestus requirit pugil quidã temerari⁹, milesve procerv⁹ quàm Philosophus Pictor meditbaund⁹ qui fructus quasi jam decerpit ab arbore Naturæ, atque deglutit, ut in chartam telamve debitam eosdem rursus evomat. Breviter: quælibet ita effiguranda est persona, ut ex illius facie, actionibusque & gestibus illicò dignosci queat ejusdem professio. [Unde Horatius:

Ætatis cujusque notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus & annis.
Intererit multum Davusne, loquatur, Erosne;
Maturusne senex; an adhuc florente juventa
Fervidus. - - -]

Quid sit figurarum abbreviatio?

Porrò quoque majores nostri vigili semper oculo respexerunt figurarum abbreviationem: cujus beneficio majorem longitudinis atque altitudinis visui objiciant speciem, quam ipsæ in sese continent: quam apparentiam crassitudo effigurationum umbræque & luminis sic efficit.

Quod in hac parte excelluerit Michael Angelo.

Hac in arte, præsertim in imaginibus simplicibus, præ cœteris omnibus excelluit sæpè jam nominatus Michaël Angelo quique in hũc finem pro singulari imitatorum informatione, ex argilla, limo, gypso, vel cera talia fecit exemplaria, quæ multò sunt constantiora, quàm exemplaria mobilia atque viva. Quod Archetypum ex voto sic fabrefactum debitâ deinceps altitudine atbue distantia supra horizontem collocatur: atque juxta illud eò majori securitate efformantur imagines. Istius methodi ignorantia multos causatur labores atque conatus: quibus quamplurimi haud ita libenter vacant: præsertim, si eo fortè etiam simul non polleant judicio, ut artificium simile excogitent. Veri autem istius artis cultores magis semper magisq; conati sunt, sublatis omnibus difficultatibus viam invenire atque methodum optimam, juxta quam proportio legitimè abbrevietur, umbra autem interea debita conservetur; desideratusque adeò effectus egregiè tandem resultet. Prout quoque nec cessarunt, donec nostris jam temporibus regularis tandem istius artis cognitio adinventa sit.

Istius artis methodus ab ignorantibus parvipenditur;

Multi opera quidem abbreviata contemnunt atque vilipendunt: hi autem tales saltem sunt, qui parvam eorundem habent cognitionem; & quibus putamina istius nucis duriora sunt, quàm quæ ab iis confringi queant. Id quod & hinc liquet quod ablata & exhibita iis artificiosa opera talia insigniter tamen extollant.

& tamen celebratur.

Prout istius generis artificia quædam difficiliora etiam nostris temporibus elaborata sunt, quæ visum oculosque hominum mirum in modum effascinarunt.

Dicitur autem al di sotto in su, Pictura ab inferiore loco conspicienda.

Appellari autem ab Artificibus nostris hic labor solet al di sotto in su; id est, Opera ex inferiori loco contemplanda: quæ prout supra jam dictum, ad exemplar Prototyporum, vel statuarum, vel personarum viventium, tanta altitudine collocatarum debitè effigurari solent, collusiones umbrarum ritè semper observando; ut illæ legitimè imagini suæ inserantur. Ad talem igitur effigiem plerumque in loco quodam sublimiore collocatam converso humano oculo primò sese offerunt plantæ pedis & genua sive crura: atque tum demùm ulteriores corporis partes aliæ: Unde ars ista meritò suum accepit nomen.

CAPUT IV.
De
Affectibus ſive perturbationibus Animi.
Argumentum.

Affectus ſive paſſiones animi in arte Pictoria propterea obſervari debent, quia formam immutant & colores. De affectibus jucundis, quales ſunt Gaudium, Spes, atque Amor: iſtorumq; in facie effectus. Ipſius cordis cum ſenſibus harmonia. Unde affectuum nativitas. De forma faciei in motibus gaudii. De affectibus moleſtioribus, ut ſunt Ira; deq; hujus effectibus circa formam externam: item Triſtitia, per quam emoritur pulchritudo: Porrò Timor & Terror, & ratio, quare arrigantur capilli: Nec non Pudor Angorq; cum effectibus ſuis. Novem paſſiones aliæ. Faciem, cordis eſſe indicem: perq; hanc homines atque nationes ab invicem diſcerni. Pictoribus, Oratoribus atque Poëtis unum eſſe profeſſionis ſcopum. Per hanc ſcientiam pictorem evadere clariſſimum.

Affectus ſive paſſionis animi in Arte Pictoria propterea obſervari debent



NOn ipſas tantùm Complexiones quatuor atq; temperamenta humana profundius intelligat Pictor artificioſus, juxta quę alii qui dicuntur Sanguinei, alii Cholerici, nec minus Phlegmatici, atque Melancholici rurſum alii; ſed & quomodo, & quam ob cauſam, iſtorum ſæpè hinc inde occurrat commixtio. Effectus eorundem vulgò dicuntur Affectus, ſive motus, paſſionesve & perturbationes animi; quia ab iis ita afficiatur & commoveatur animus, ſicut accidentia corporea externum commovere ſolent corpus. Nec negligenda eſt in Arte noſtra etiam hæc ſcientia, eò quod haud leves inde fiant faciei atque formæ humanæ, nec non colorum mutationes.

quia formam immutant atque colores.

De Affectibus jucundis, quales ſunt gaudium, ſpes atq; Amor: iſtorumq; in facie effectus. Ipſius cordis cum ſenſibus harmonia; unde affectuum nativitas.

Inter hos Affectus primò occurrunt Gaudium, Spes atque Amor. Per hos calor noſter nativus cum ipſis Spiritibus, ſive tardo motu, & pedetentim, ſive celeri & confeſtim, ad fruitionem rerum deſideratarum, ſive præſentium ſive futurarum, per totum corpus diſpergitur. Hîc enim ipſum cor ſeſe quaſi aperit, ut rei à ſe deſideratę occurrat, eamque amplectatur. Tota facies pulcherrimo colore roſeo mox efflorescit. Ipſum ſiquidem cor noſtrum, cujus cum ſenſibus externis intimior & accuratiſſima eſt harmonia; accepto per iſtos nuntio de præſente objecto ſuo deſiderato, calorem hinc intra ſeſe excitatum extemplò tranſmittit in faciem, ceu propriam ſenſuum ſedem; & hoc ipſo ibidem certum quendam cauſatur ruborem. Talis enim præſentia oculis primò hauritur, auribus percipitur, manibus palpatur, aliſque ſenſibus externis cognoſcitur; perq; has inſimul portas in ſenſum internum intrat, inque intellectum: à quo proindè confeſtim denuntiatio fit ipſo cordi. Et hæc omnia in uno quaſi fiunt momento. Unde eximia illa Spirituum vitalium celeritas cum admiratione colligi poteſt.

Hoc igitur modo totius faciei habitus per affectus mutatur; ipſa verò paſſio ab objectis externis concitatur. Intellectus enim objectum illud à ſenſibus conceptum, perque phantaſiam ad ſe tranſmiſſum, accuratè, utrum bonum ſit, an malum, dijudicat: Unde poſtmodùm vel gaudium exoritur vel dolor. Hinc vir prudens vix unquam ridebit, niſi factum quoddam vel ſermo aliquis præceſſerit, ex quo eidem ridendi obnaſcatur occaſio. Si igitur vis imaginatrix formam vel ideam hujus vel illius rei, unde gaudium oriri poteſt, in ſe concepit, ſibique impreſſit; per eandem illicò commovetur atque impellitur coripſum; quod hac in commotione quaſi brachia ſua expandit, quibus jucundum atque lætum ſuum objectum amplectatur. Interea iſthac apertione cordis nativus calor noſter, unà cum ſpiritibus atque ſanguine copiosè ſatis per totum corpus diffunditur. Et quoniam, ut ſuprajam dictum, maxima iſtius caloris, ſpirituum, ſanguinisque pars in faciem aſcendit; hæc his omnibus mediantibus quaſi inflatur & expanditur; frons exporrigitur, & ſerena fit atque erugatur; oculi emicant, & inclareſcunt; genæ rubore ſuffunduntur, ac ſi cinnabari tinctæ eſſent nativa; labia componuntur, exæquanturque & complanantur. Quibusdam etiam in duas foveolas excavantur malæ, quod ob contractionem carnis muſculorumve illorum locorum ita contingit. Et hæc omnia probè ſunt obſervanda. De forma faciei in motibus gaudii.

Moleſtorum affectuum præcipua eſt ira: quæ calorem nativum eadem ratione in homine adauget & per membra diſpergit, ſed multò velociùs & immodeſtiùs, quàm hoc efficere poſſet lætitia. Per illam enim in hunc modum ſæpenumerò excandeſcunt humores atque ſpiritus, ut ex igneo quaſi rubore tota effervescat facies; niſi fortè, quod ſimiliter haud raro fit, ex adverſo expalleſcat eadem Oculi enim tùm quaſi apparent flammei; dentes præ ſtridore

De Affectibus moleſtioribus, ut ſunt Ira;

deq; hujus effectibus circa formam externam:

frendent; frons in rugas contrahitur tota, & labia præ furore gestuque leonino tota contremiscunt.

Item Tristitia,

Sic Tristitia in angustias constringit cordis statum, ut quasi suffocetur naturalis calor. Quo ipso spirituum generatio ordinaria vel penitus impeditur; vel quamvis quidam illorum generentur, iidem tamen tàm liberè & citra impedimentum cum sanguine non possunt distribui atque diffundi; unde tota vis vitalis emoritur, vividusque aliàs atque elegans faciei color extinguitur, talesque colorem assumunt ad instar terræ luridum, faciemque præ se ferunt exsuccam, meticulosam, tædiosam, atque misanthropicam.

per quam emoritur pulchritudo:

Porrò timor & terror:

Sic Metus pariter in interiores corporis recessus Spiritus humanos colligit: non tamen tam lentô gradu, sicut tristitia; sed velociter & quasi ex improviso: Unde expallescit facies, frigefacta horrorem contrahunt membra, totumque corpus tremor succutit immoderatus. Porrò sermo quoque fatiscit, & vox faucibus hæret: impetuosus est cordis nostri pulsus; quod hoc præ nimia sanguinis spirituumque copia, tàm subitò consternatur. Nec minus & capitis arriguntur comæ; eò quod omnis penè calor unà cum sanguine ad interiora viscera retrocesserit; unde frigidiores & ficciores marmore evadunt artus externi, & universa cutis cum omnibus poris suis ita obdurescit, ut capillorum radices istis infixæ rigidæ evadant pariter & ex consequenti sursum annitantur.

& ratio quare arrigantur capilli.

Nec non Pudor;

Porrò & Pudor huc pertinet, qui est Affectus ex ira metuque commixtus: Ubi cum in ista utriusque hujus passionis luctâ è parte timoris stat victoria, sanguis intra corpus retrò labitur, facies expallescit, & varia exoriuntur symptomata, prout vel magis vel minus ad interiora corporis penetralia constringitur calor naturalis. Si autem è contrario victoriam reportet iracundia, inverso cursu sanguis ita in oculos repercutitur, ut exardescentes micare videantur, spumante simùl interdum ore.

Angorque cum effectibus suis.

Anxietas è timore magno iraque vehementi commixta passio, utroque hoc affectu simùl præcordia concutit; undè in extremum periculum vitales incidunt dotes.

Novem passiones aliæ.

Ad sex has animæ perturbationes porrò referuntur adhuc aliæ: nimirum ad iram, odium & discordia: ad gaudium, levitas animi & ambitio: ad metum, terror & pusillanimitas: & ad tristitiam, invidia, dolor atque desperatio. Atque hinc satis superque apparet, quàm variis modis speciem atque faciem, gestusque & colores immutare queant affectus: cum horologii cordis nostri quasi index sit facies, motuumque ejus tabula dici frons queat.

Faciem cordis esse indicem.

Imò usque adeò totius quasi hominis interni figura est humana facies, ut ex hac sola à juvene senem, à viro mulierem, ab intemperante moderatum, ab ægroto sanum; imò cum & nationum hîc lateat character, ab Indo Æthiopem, ab Hispano Gallum, ab Italo Germanum, ut & à mortuo tandem vivum dignoscere queamus facillimè. Id quod ex nulla alia fit ratione, quàm quod è facie ipse animus moresque humani, imò sæpissimè, quæ pectore profundiùs occultata geruntur, penetrari possunt atque conspici.

perq; hanc homines atque nationes ab invicem discerni.

Is igitur, qui hâc in scientiâ præcellit alios, pro summo inter Artifices reputabitur meritò: prout medium tantùm laudis locum meretur, qui supra dictos affectus aliquatenus saltem observat. Qui verò hoc in genere nihil præstiterunt penitus, pro monstris tantùm artis nostræ æstimandi sunt, quantumcunque iidem sibi vanâ artis imaginatione blandiantur.

Per hanc scientiam Pictorem evadere clarissimum.

Magnam quoque in hoc ars Pictoria cognationem habet cum oratoria atque Poësi: eò quòd juxta Tullii dictum, & Pictorum sit, quod etiam Oratores decet & Poëtas, non oblectare tantùm & commovere, sed & erudire. Ut enim nos erudiant, officii illorum ratio exposcit; ut nos oblectent, honoris illorum incrementum expostulat; & ut corda nostra commoveant, necessitate vocationis suæ adiguntur. Quo præstantior autem celsiorque quævis Ars, vel quæcunque etiam res fuerit, eò aptior eadem quoque est, ut commoveat animum nostrum.

Pictoribus, Oratoribus atq; Poëtis unum esse professionis scopum,

[Optimè igitur à Plutarcho dictum: Poëticam esse picturam loquentem; Picturam verò, Poësin mutam: quia utraque multa invenit, multa fingit, multa mentitur utraque proximè inventa sua ad rerum naturam accommodat. Et Pictor & Poëta utile ac jucundum intuentur; uterque à turpium rerum imitatione abstinere debet: uterque nascitur Artifex, non fit; & minus studio, quàm natura valet. Calamus ergò penicilli, penicillus calami æmulus est, ut alter alteri laboris sui commodet usum. Unde Horatius:

Ut pictura, Poësis erit; quæ, si propiùs stes,
Te capiet magis & quædam si longius abstes.

Duos certè Homeri versus Euphranori ad pingendum Jovem, Phidiæ ad sculpendum præbuisse archetypon traditur. Atque hinc pictura non tantùm scribere, sed & legi dicitur, juxta illud Statii lib. 1. Sylv.

- - A pelleæ cuperent te scribere ceræ.

Et Virgilii lib. 6. Æneid. de rebus pictis a Dædalo:

- - quin protinus omnia
Perlegerent oculis.]

Nam-

Namque simul fingit Pictor, pariterque Poëta:
Fictaque & in magno Rhetore verba valent.
Estque Poëma oculis, animo & Pictura perorat:
Estque color verbis, quos capit Effigies.
Et prosunt omnes hi, delectantque colore:
Tàm cognata manent carmina, lingua, manus.

CAPUT V.

De Coloribus.

Argumentum.

Discordiam colorum esse concordiam Picturæ. Colores applicandos esse cum ingenio; eorum observandam esse harmoniam; eosq; distribuendos esse ad usum legitimum. Quâ ratione vestiendum sit corpus nudum, ut in illo à vestibus nulla oboriatur obscuritas. In copulandis Coloribus vitandam esse duritem & confusionem; eq; contrario observandam proportionem congruam, mediumq; debitum. Naturam imaginum singularem dependere à Coloribus. Has regulas observatas esse ab antiquis hujus artis Magistris atque Principibus.

Discordiam colorũ esse concordiam Picturæ.



Concordia, potissimum Picturæ decus, in discordiâ consistit, & quasi litigio variorum colorum: qui, arte & prudentia Pictoris ritè commixti, diversas corporis humani, capillorumq; & vestium partes, & omnia reliqua ad vivum exprimere apti sunt. Ubi notandum, colores non levi brachio tabulæ admovendos, quod multi communiter faciunt; sed magno cum judicio inducendos esse, ut debita corporum resultet prominentia. Iidem etiam juxta requisita artis legitimè miscendi, atque ita applicandi sunt, ut quod præcipuum est in toto opere, præ cœteris sit ornatissimum, splendidissimum, atque pulcherrimum. Unde talium quoque figurarum vestimenta vivacissimo extollenda sunt colore: cùm è contrario imagines in majori distantiâ collocatæ, cum statura etiam colorem incarnatum sensim amittere, idemque cum aliis coloribus fractis omnibus, paulatim disperire debeat.

Colores esse applicandos cum judicio:

Sic etiam personæ viliores, & ad serviendum destinatæ, vilioribus fractisque coloribus proponendæ sunt, ut scilicet hac ratione, quæ magis præcipuæ sunt, spectabiliores quoque evadant. Id quoque necessarium est, ut fundus ille, in quo tales locantur imagines, clariori paululùm lumine in apricum prodeat, quàm ubi cœteræ consistunt figuræ: ut sicuti colorum, ita & fundi utrobique sit diversitas: primoresque imagines lucidiores: cœteræ verò pedetentim obscuriores magisq; permixtos colores exhibeant.

Eorum observandam esse harmoniam.

Nec minus & id observandum Artifici, ut personis primariis colores tribuantur floridissimi, & amœnissimi; eædemque locum quoque sortiantur lucidissimum & optimũ: prout nimirũ tales etiam perpetuò pleno totoq; corpore, non autem dimidiâ vel quartâ ejusdem parte exprimi, nec pulchrioribus vestibus, quàm ipsæ suâ naturâ fuerint, decorari debent. Contra communiores obscurioresque colores propriè & potissimum inserviunt ad efformandas figuras communiores, semoto quodam loco, inque angulis ædium constitutas.

eosque distribuendos esse ad usũ legitimum.

Homo nudus sic est vestiendus, ut color vestimentorum à cute & carne notabili differat discrimine. Vestes in oculos quidem incurrant, & nativâ polleant elegantia; ita tamen, ut majores illarum plicaturæ non transversum scindant corpus vel brachium: quippè ex quo ob contecta indè membra, maxima suboriretur confusio. Tam decorè igitur ubique ad naturæ imitationem deducendæ sunt plicæ, ut subter iis artus ipsi debitâ proportione dignosci queant & appareant. Notandum quoque, quod corpora nuda vestimentis flaventibus, rubeis, violaceis, atq; purpureis super fundo obscuriore, vel viridescente, nec non cœruleis atque fulvis haud incongruè vestiri queant: modò vestis ipsa paulò sit obscurior, quàm color supradictus carneus; istæq; imagines, quæ aspectum proximius feriunt, illustriore atque floridiore sint colore, quàm cœteræ.

Quâ ratione vestiendum sit corp' nudum, ut in illo à vestibus nulla exoriatur obscuritas.

Necesse quoque est, ut Pictor mox ab initio intellectu suo veram colorum instituat distributionem, ne subitò nimis ab uno extremo prolabatur ad alterum; nec summum atque imum, sive lucidissimum & obscurissimum inter colores juxta se in

In copulandis coloribus vitandam esse duritiem & confusionem;

vicem collocet: id quod turpissimam atq; durissimam progeneraret deformitatem. Quo tamen non pertinet communis illa observatio, cùm obscura cujuslibet figuræ umbra immediatè contingit figuram aliam: eò quòd ex istius obscuritate cæteri colores potiùs viridiores & acceptiores effulgeant. Ubi tamen umbram hanc cum corpore suo unitam esse oportet: ne utroque casu potius tapes quidam versicolor atque varius, quàm effigies proposita repræsentetur. Quemadmodum enim, si incantione quadam falsus sit vel unicus tonus, integra ab illo harmonia, quamvis aliàs jucundissima, deturpatur atque evilescit: ita si in Pictura quadam vel unicus artus non debitè sit expressus, vel color aliquis duriusculè nimis sit adhibitus, totum illud opus exindè vitium contrahit, reijcique meretur. Color ille rubeus, qui ad candorem nimis, ignisque splendorem accedit, visum offendere solet: qui autem pallidus nimis, & ad furvum tendit, picturas vetustatis vituperio contaminat, ut quasi ætate corruptæ videantur. Medium ergò dextrè & cum judicio tenendum est: quo in casu hodierno die multi adhuc Artifices suos patiuntur manes.

Eq; contrario observandam proportionem congruam, mediumq; debitum.

Quædam partes Picturæ vel Historiæ depingendæ offuscandæ sunt, vel potiùs suo ordine inter umbras reducendæ: quia nimirum vel quasi è longinquo repræsentantur; vel hac ratione eæ, quæ viciniora loca occupant, spectabiliores evadunt, atq; eminentiores. Certissimum enim est, quod in congruâ colorum vicissitudine atque commissurâ maxima consistat suavitas atque gratia. Senibus non est tribuenda facies ex candido rubea atque vegeta; nec junioribus è contrario è flavo fusca, mœsta atque lurida. Quod si verò senex quidam in angulo aliquo facie fulvâ, spadiceâ, vel ardore solis, & pullitie pulveris obnubilatâ constituatur; è regione autem juvenis quidam amoris œstro percitus, cum virgine quadam pulcherrima colloquia miscens, & uterque coloribus floridis, igneis, & quasi exardescentibus, mox candido, & iterum mox rubeo: pueri quoque coloribus bellis, candidis, atque rubeis effigurentur: discors ista mixtura in tabula Operis concordiam mox pariet suavissimam; colorque humilis, pallidus atque obscurus lucidiori, flammeo atque eminenti gloriosam tribuet spectabilitatem, & ex consequenti omnem quoque Artifici suo honorem atque laudem.

Naturam imaginum singularem dependere à coloribus.

Has regulas observatas esse ab antiquis hujus artis Magistris atque Principibus.

His omnibus inter antiquos illos Artis Pictoriæ antesignanos Raphaël Urbinus, Coreggius, Titianus, Veronnesius, Tintoretus, multique alii, sive in albario pingendo, sive subactu oleario, singulari quodam illustrique ingenio atque judicio, ad perpetuam sui inter posteros famam atque gloriam, quàm artificiosissimè dederunt operam. Prout non minus juxta eosdem antiqui etiam nostri Germani, ut sunt Albertus Dürerus, Johannes Hohlbeinius, atque alii, sensim emendationem miscendorum colorum picturasque naturam imitantes adinvenerunt: de quibus omnibus infra suo loco prolixiùs agetur.

CAPUT VI.

De
Picturis subactu aquario, & subactu oleario, nec non in lapide factis.

Argumentum.

De Picturis subactu aquario factis, vulgò alla Tempera. Quomodo temperatura subactus aquarii facta fuerit quondam? Quinam colores ad hanc Picturam potissimùm sint idonei? Eandem aliquo quidem tempore durare, non tamen omni loco. De Picturâ subactus olearii: cujus primi inventores fuerunt Johannes & Hubertus ab Ecyh, Flandri: quos secuti sunt Rugieri. Per oleum colores fieri puros, molles, atque vivaces. Picturæ hujus methodus. De colore profundando seu imprimendo linteo, & applicatione operis Diagraphici. De Pictura, quæ libera manu fit. Metum in pingendo defectum indicare ingenii atque experientiæ in artifice. De picturis in lapide factis; quales sunt lapides Genuenses, quos Lastri dicunt; & Artesia. Versicolores lapides huc non esse idoneos. In lapide pingi posse, non facta impressione fundi.

A Tem-

De Picturâ subactu aquario factis, vulgò alla Tempera.



A Temporibus Cimabue, ejusq; antecessorum, usque ad tempora nostra, perpetuò, & diu adhuc antehac apud Græcos in usu fuit imagines depingere in tabulis, nec non muris vel etiam gypso. Quia autem metuebant, ne muri scissuris diffinderentur, hinc eosdem linteo prius glutine mediante induxerunt, desuperque applicitô gypsô postmodò demum picturas suas effigurarunt, qui modus dici solet alla Tempera, id est, temperaturæ aquariæ.

Quomodo temperatura subactus aquarii facta fuerit quondam?

Hanc autem temperaturam ita præparabant. Effracto prius ovo gallinaceo in ejusdem liquore frondem teneram ficulneam de ficu juniore discutiebant: Ubi è lacte istius frondis, eque vitello illa nascebatur temperatura: quâ mediante postmodùm loco aquæ vel gummi, vel tragacanthæ, colores suos subigebant, quibus dehinc opera sua perficerent.

Quinam colores ad hanc Picturam potissimùm sint idonei?

Ad hoc Picturæ genus omnes idonei sunt colores, etiam qui è mineralibus fiunt, & arte Chymicâ præparantur. Album autem calcis vivæ hic non conducit ob nimiam suam acredinem atque vehementiam. Sed cœruleum aqua subigebant cum glutine: quia flavedo vitelli eidem colori sensibilem admiscet imprimitque viriditatem, quod à glutine gummatibusq; non fit.

Tandem aliquo quidem tempore durare, non tamen omni loco.

Durabilis quoque est iste pingendi modus. Siquidem antecessorum nostrorum tempore reperta sunt opera, quæ plus quàm centum annos duraverant. Adhibetur autem in Italiâ atque Germaniâ in siccis tantùm conclavibus. In Belgio autem durabilis parum est ob causam supradictam.

Pictura subactûs olearii:

Postmodùm inventus est modus oleo subigendi colores ad picturas usitatos; quo modi supradicti plerique omnes exoleverunt, prout id satis superque testatur moderni temporis experientia.

Cujus primi inventores fuerũt Johannes & Hubertus ab Eych Flandri:

Præclara hæc ars olearia inventa primùm dicitur in Flandria à Johanne & Huberto ab Eych, qui aliàs vocantur Bruggenses. Quorum ille Alphonso Regi, & Friderico secundo Duci Urbinatum unam singulis tabulam misit in pinacothecas suas, in qua depicta erat imago S. Hieronymi: quam deinceps accepit Laurentius de Medices. Præter quas plura adhuc laudatissima elaborarunt opera alia.

quos secuti sunt Rugieri.

Istosque secutus est discipulus eorum Rugiero; cum filio suo primogenito ejusdem nominis: quorum ille ad sanctam Mariam novam Florentiæ opus parvum quadratum artificiosissimè pinxit, quod adhuc hodiè à moderno magno Florentinorum Duce asservatur.

Per oleum colores fieri puros, molles, atq; vivaces.

Iste modus oleo subigendi atque temperandi colores, eosdem multo exsuscitat magis atque vivificat, quàm priores: & ad hunc vix requiritur aliud quid, quàm docilis solertia. Oleum enim omnem à coloribus tollit imbecillitatem, immundamq; duritiem; suaque mollitie & penetrabilitate eosdem contra humiditatem multò reddit constantiores, vegetiores, atque subtiliores: ita ut Artifices cuilibet effigiei quàm facillimè veram communicare possint vivacitatem, ut inde genuina exoriatur similitudo: præsertim si prius omnia decorè & maturo cum judicio designaverint.

Picturæ hujus methodus.

Methodus autem istius generis hæc est. Colores primò teruntur in abaco Porphyretico firmissimo: Postmodùm colores miscent sequentes, album nempè, flavum, rubeum, & nigriparum; ita tamen, ut nullus prædominetur: vel etiam bolus, vel spadiceum ahenorum assumitur solum.

De coloribus pro fundando seu imprimendo linteo;

Coloribus istis sive mixtis, sive simplicibus, extensum in quadro linteum, vel tabulam uno vel secundo etiam imbuunt illitu, donec expolitum sit satis: quam vocant impressionem sive fundationem.

Et applicatione Operis Diagraphici.

Exiccato dehinc optimè linteô, delineationem suam, sive opus diagraphicum, eidem imponit Artifex, quod cretâ ex alterâ parte effiguravit; eamque chartam firmiter linteo applicat, pleneque adeò imprimit: siquidem omnes ductus facillimè suscipere solet linteum.

De Picturâ, quæ liberâ manu fit.

Alii, & quidem exercitatiores non minus Germani, quàm Belgæ, nec non ex Italis quidam, inventionem suam juxta fabrefactum Archetypum manu liberâ in tabulâ delineant cretâ, statimque desuper opus suum coloribus inchoant. Alii quoque mox ab initio effigies suas ad vivum exemplar plenissimè absolvunt: atque hi exercitatissimi sunt & agillimi.

Metum in pingendo, defectum indicare ingenii.

Quicunque verò Pictor meticulosus est, is hoc ipso indicat, quanto laboret experientiæ defectu, quodque ingenio suo concipere, sibique imaginari non possit, quomodo ritè res perficienda sit, nisi errores ipsi prius versentur ob oculos.

atq; experientiæ in artifice.

Atque tales, qui cum metu utuntur penicillo, adeoque tàm sunt pusillanimes, similes mihi videntur cœcis illis, qui vitam suam baculis prætentant ne aliquid in viâ jacens offendiculo ipsis fit, ansamq; lapsus præbeat. Maxima igitur hæc sit Pictori cura, ut omnia prius ingenio atq; imaginatione sua dextrè perpendat, antequam manum tabulæ admoveat: atq; hac ratione opus suum fundamenti loco genuinam habeat scientiam atq; speculationem.

Magis autem semper magisque Artificibus crevit animus, ut tandem non muros tantùm, tabulasque & lintea; sed & lapides

De Picturis in lapide factis: quales sunt lapides Genuenses, quos Lastri dicunt; & Ardesia.

lapides picturis imbuere ceperint: quo insigniter conferunt Genuenses illi Stratificatorii, qui Italico idiomate Lastri vocari solent. Adhuc tamen commodior est in Germania nostra, illa ad Rheni flumen aliisque locis nativa Ardesia, quia hæc colores libenter suscipit atque retinet: prout in eâdem innumeræ factæ reperiuntur, & adhuc quotidiè fiunt Picturæ.

Versicolores lapides huc non esse idoneos.

Tentatum quidem etiam est in Porphyrite, Ophite, Mixtoque marmore & aliis Germaniæ lapidibus; hi tamen, quia versicolores sunt, & plurium naturarum mixturam habent, non adeò deprehensi sunt idonei. Quamvis & marmor album in usu sit frequenti. Quo asperiores autem & ficciores sunt Lapides, (modò non sint arenosi:) eò colores ab illis suscipiuntur libentiùs atque faciliùs. Et lapides isti quàm politissimè lævigari possunt, ut ad pingendum fiant aptissimi.

In lapide pingi posse, non factâ impressione fundi.

Nec opus est, hos lapides aquâ prius glutinosâ, vel aliis, inducere: quia per se sunt ficci; primamque artificis manum suavissimè & humaniter admittunt. Si quis verò fundum prius imprimere desideret, istum subacto uti oportet oleario; quia subactus aquarius & glutinosus efficiet, ut colores decorticentur. Nec aliter ad hoc opus præparantur colores, quàm alias moris est coloribus oleariis pingere in tabulis & linteis, ut monitum jam supra.

Caput VII.

De Distributione & commistione sive unione colorum.

Argumentum.

Natura colores distribuere docet. Amor Pausiæ erga Coronariam effecit, ut flores pingere disceret. Natura colores docet per flores. De colore viridi. Color flavus è cæruleo pulcherrime promicat, cœli exemplo. Quomodo color colorem amet. Colorum distributionem natura docet, in avibus & conchyliis marinis, nec non in iride. Rubrum floridum corporibus nudis non convenire. De fluore colorum. De colore griseo. Colores circa fundorum extremitatem duriores evitandi sunt. Colorem à colore decorè esse separandum. Optimum hoc casu peti consilium ab ipsa ratione. Cinnabaris dura nimis est: minium autem omnino dispérit & fugit. De coloribus venenatis. Colores duri, clariores & emicantiores evitandi, vel juxta conformitatem naturæ infringendi sunt. Belgas & Batavos hoc in genere excellere. In magnis Operibus observandam esse diminutionem, quæ à Batavis Haudinus vocatur. Bambotium & Rembrandum hoc casu præcellere.

Natura colores distribuere docet.



SI veri Naturæ volumus esse discipuli, colores sic distribuere invicemq; committere decet, qui sint harmonici, eleganterq; concurrant, [ita tamen, ut quilibet maneat separat⁹] utque in oculos nihil incurrat, nisi quod verè decorum sit. Sic enim amore Virginis cujusdam Sicyoniæ, cui Glycerium nomen, commotus est artificiosissimus Pausias, ut, cùm illa Coronaria esset, inque corollis plectendis pulcherrimè connecteret flores, eâdem in uxorem ductâ, florido laboris illius exemplo, circa colorum usum multâ arte excelluerit; florumque tandem icones in tabula quadam cum effigie Glyceri prudentissimè, cumque admiratione omnium, depinxerit: quæ tabula exindè celebris admodum facta & stephanoplocos cognominata est, à coronarum magistrâ Glycerio.

Amor Pausiæ erga Coronariam effecit, ut flores pingere disceret.

Natura colores docet per flores.

Ita flores in genere omnes, in campis, pratis atq; montib' omnibus à summo rerum omnium Creatore tam splendidè depicti, colorum nos docent commissuram. Tulipæ enim eos tantùm colores unitos producunt, quorum alter alteri ornatui est, lubensq; ab eo suscipitur, certoq; florem decore exornat. Hæc in tapetè viridi optimeq; variegato, cum admiratione spectantur, proque vero exemplari habenda sunt: Unde meritò, ut Salvator noster Christianos, ita nos Pictores, in florum Scholam ablegare, eosdemque illis proponere possumus Magistros.

De colore viridi.

Inter colores virides, mutabiliores quidam, in virore suo, vel juxta eundem, aliam viriditatem libenter admittunt. Cum iisdē quoq; concordes sunt color rubeus, cæruleus, purpureus, pallensq; lacteus. Arbores varia viriditatis exhibent genera in frondibus foliisq; suis: siq; hæc insublime cœlum versùs intueamur, sive id matutino fiat tempore, sive meridiano, sive vespertino vel nocturno, colores illi virides, debitâ observatâ harmoniâ jucundo semper nos delectant obtutu.

Color flavus e cæruleo pulcherrime promicat, cœli exemplô.

Porrò quoq; considerandum est, quàm singularis sit amœnissima illa cœli blanditia, qua ad illuminandum, lætaque sereni-

serenitate exhilarandum orbis sui hemisphærium, aureum solis lumen, fulviq; tàm lunæ quàm stellarum radii è pulcherrimis cœruli sui fundi tractibus emicent: unde consequitur, cœrulei quoq; & flavi optimam esse concordantiam; quod in vestibus probè observandum. Cum flavo hoc colore, rubeus quoq; amicitiam colit. Nec purpureus cum flavo indecorus est. Viridis quoq; & albus insigniter se invicem condecorant: & albus color elegans est cum quovis colore junctus.

Quomodo color colorem amet.

Veram quoq; colorum distributionem natura nos edocet in avibus, psittaeis, & conchyliis marinis; quæ apud Amstelodamenses rerum exoticarum cultores, admirandâ reperiuntur discriminis varietate. Alma quoq; cœli nuncia Iris, colores plusquam artificiosè distribuit. Ut ita natura quasi nullibi non demonstret, se veram esse nobilissimæ artis Pictoriæ nutricem, suoq; lacte perfectiores educandos esse Pictores. Eadem quoq; carneo nudorum corporum colore nos docet, rubeum, præsertim quod floridius est, cinnabaris ope efformatum, durum nimis esse atq; indecens: siquidem musculorum hinc inde carnes viridem libentius admittunt cœruleumq; & purpureum colorē. Ita quoq; cœruleus color atq; viridis se invicem peramant. In fluore quoq; colorum rubrum cum rubro, & flavum cum flavo colludere potest: ita tamen, ut in flavum è rubeo, & flavum è viridi, nec non in cœruleum & purpureum è rubente tandem desinant. Sic alii quoq; colores misceri possunt & infringi.

Colorum distributionem natura docet in avibus & conchyliis marinis, nec non in iride.

Rubrum floridum corporibus nudis non convenire.

De fluore colorum.

Color griseus varius est pariter; sæpè enim rubescit, interdum & cœrulascit; alicubi clarus est, & obscurus alicubi: subter quem magno cum decoro interdum misceri possunt pulchrum aliquod cœruleum vel rubeum. Itali quidam, præsertim Raphael da Rezzo, in picturis suis Historicis variis usi sunt generibus grisei clari: in quo tamen isti paucos habent imitatores, nec magnam merentur laudem; quia colores isti nimis sunt debiles.

De colore griseo.

Multi quoq; figuras suas partim in cōclavib9, partim in locis cāpestribus cōstitutas, genuina privarunt decori laude, quod omnia quasi in unū comiscuerint chaos, extremosq; fundorum terminos intolerabili colorum duritie deturparunt: quod prudenter est evitandum. Juxta naturam igitur, situmq; regionum, ædificiorum, rerumq; aliarum, probè considerandum est, ne aliud ab alio dura nimis sectione abscindatur: sed colorum elegantia ad ipsius naturæ imitationem debitè infringatur.

Colores circa fundorum extremitatem duriores evitandi sunt.

Colorem à colore decorè esse separandum.

Hæc omnia ulteriori meditationi committuntur, ut quilibet ista in ipsa praxi, pro suo arbitratu vel augeat vel diminuat, alisq; modis exornet: ne quis transgressus harmoniam, totius operis destruat fabricam; nec color rubeus, candidus, ater, & flavus, dura nimis rudiq; collisione in se invicem incurrant. Hinc nec conducit, nimiâ uti cinnabari, vel minio; cinnabaris enim frigida nimis & dura est: minium autem inter colores adhibitum sæpè penitus effugere solet. Flavum ebuli, [Schüttgelb] cùm tenui nimis constet corpore; sicut & flavum plumbeum [Bleygelb] cautè adhibenda sunt. Viride æris autem, & auripigmentum flavum, quod merum venenum est, planè sunt evitanda.

Optimum hoc casu consilium peti ab ipsa ratione.

Cinnabaris dura nimis est: minium autem omninò disperit & fugit.

De coloribus venenatis.

Cæterùm hæc mea est genuina sententia, quantumcunq; eidem ab aliis contradicatur, omnes colores duros, claros, fortes, & exaltatos nimis, simul atq; semel fugiendos esse & rejiciendos: quippè à quibus in omnimodam redigitur discordiam tota effigies: nisi eminentior eorum luminositas frangatur & diminuatur, aliisve mitioribus & convenientioribus prudenter temperetur. Colores enim isti integri atq; crudi, prout à Chartopœis & tinctoribus, vel aliis quoq;, qui artem nostram aliqua ex parte excoluisse videri volunt, adhibentur, in Picturâ quadam prudenter & cum judicio elaboratâ, æquè inconvenienter admittuntur, ac si quis carnem crudam recenter è macello allatam comedendam apponeret. In quo mecum cōsentient, quibuscunq; curæ est veritas: cùm præsertim quidam antiquorum Germanorum, ut sunt Holbein, Amberger, Lucas de Leyden, Sotte, Cleef & alii, magna hîc face nobis præluxerint; quos Belgæ, & ultimis præsertim temporibus Batavi docili secuti sunt manu; ita ut Ars ista, omnes ita miscendi colores, eosdemq; sic infringendi, & à cruditate sua reducendi, ut in picturis omnia naturam imitentur quàm proximè; in summum jam sit exaltata gradum.

Colores duri, clariores & emicantiores evitandi, vel juxta conformitatem naturæ infringendi sunt.

Belgas & Batavos hoc in genere excellere.

In magno quodam altari, vel in tabulâ quadam aliâ, quæ varios desiderat colores, observanda est diminutio, ut sensim debitâ proportione fiat colorum decrementum; iidemq; tamen, juxta regulas optices, de figura in figuram decenter sese invicē subsequantur, suaq; nanciscantur loca congrua; quod Belgicè Hauding appellari solet. Hæc observatio maximè quidem necessaria est, à multis tamen parùm attenditur. Et hac in parte multa discere quis posset ab admirando nostro Bambotsio, alisque; in specie autem à laborioso admodū istoq; in casu prudentissimo Rembrando; qui, prout ex eorum Vitis apparebit, quasi ad miracula usq; inclaruerunt; veramq; harmoniam, citra impedimentum ullius coloris singularis, juxta regulas luminis, per omnia decenter observarunt.

In magnis Operibus observandam esse diminutionem,

quæ à Batavis Hauding vocatur.

Bambotsiū & Rembrandum hoc casu præcellere.

Caput VIII.
De
Calligraphia, seu Pingendi Elegantia.
Argumentum.

Ars Diagraphica seu delineatoria, & Pictura ipsa, ita se habent ad inviem, sicut corpus & anima; item sicut Musica & Poësis. Duas esse pingendi methodos: unam, quæ fit manu liberâ; & alteram juxta opus diagraphicum & exemplar. Germanorum nostrorum laboriosa pingendi elegantia; omnem meretur laudem, si cum ingenio facta sit, & è loco distanti spectata, nulla parte fiat diminutior. De impolitiore Titiani Pictura: quem aliqui perperam imitantur. Laudabilia picturarum opera laboriosa potius esse, quàm videri debere. Optimum esse modum, pingere juxta elegantiam. De picturis è loco propinquo; & è remotiore spectandis. Acumina luminum vitanda esse. De recentiore verâq; pingendi methodo. De elegantia Colorum; cum discrimine personarum. Fuliginem tædarum, & cæruleum Cobaltinum, vulgò Smalta, improbos esse colores. Depingendo aliorum picturas & imitando, ad perfectionem pervenire. Pictorem in operibus suis nullum debere tolerare errorem; nec unquam fidendum esse judicio proprio, sed tantùm alieno. Artem, quam quis exercere vult, sciendam prius esse, & habitû possidendam. Magistram potius eligendam esse Naturam, quàm alios.

Ars Diagraphica seu Delineatoria, & Pictura ipsa, ita se habent ad invicem, sicut corpus & anima; item sicut Musica & Poësis.



ARs Diagraphica seu designatoria ita se habet ad Picturam, sicut corpus ad Animam: quia per colores, emortui designationum ductus verè demum resuscitantur, adq; motum quasi & vitam promoventur. Unde duæ hæ artes porrò etiam cum Musica comparari solent & cum Poësi; eò quod Poësis ita Musices, ut Pictura Diagraphices, sit anima: perq; colores eâdem ratione exornentur & quasi vivificentur linearum adumbrationes; atq; per carmina ingeniosa Cantiones & opera Musica.

Duas esse pingendi methodos; unam, quæ fit manu libera;

Excitatiora ergò quædam Ingenia, tanto pollent artis usu atq; exercitio, ut cujuslibet rei ideam mox animo concipiant, eamq; citra omne medium aliud, vivis coloribus repræsentent. Hanc tamen Corinthum non cuivis adire contingit; sed peculiare ad id requiritur naturæ donum, & ingenium ad perfectionem natum: Prout & in parvis saltem id fieri potest operibus, pauciorum figurarum, rerumq; immotarum, atq; minoris momenti.

& alteram juxta opus diagraphicum & exemplar.

Alii multo labore atq; conatu adinventam animoq; conceptam effigiem suam cretâ vel cerussa in charta prius designant; postea telæ colore quodam oleario imbutæ eandem apprimunt, ubi pleniorem mox effigurationem cum omnibus requisitis expressius adumbrant; eamq; prius optimè consideratam coloribus inchoatis projiciunt: (quod opus inchoatum dicitur Gallicè Ebauche Germ. untermahlt:) Ubi porrò, si qui admissi fuerint errores, eosdem corrigunt, tandemq;, omnibus probè exiccatis, novos colores floridiores vegetioresq; inducunt, debitâq; tandem cum diligentiâ totum opus absolvunt. Hoc processu utuntur & Itali: præsertim si non in recenti calce vel gypso [*in Fresco*] operentur; de quo pluribus dicetur capitulis sequentibus.

Germanorum nostrorum laboriosa pingedi elegantia, omnē meretur laudem, si cum ingenio facta sit, & è loco distanti spectata, nullâ parte fiat diminutior,

Germani nostri opera sua singulari laboris industriâ ad perfectionem deduxerunt: prout apparet in picturis Alberti Düreri; Hohlbeinii; Lucæ ab Eych, & aliorum: in quibus etiam capilli minutissimi summa subtilitate atq; puritate sunt expressi: id quod è propinquo cum admiratione spectatur. Accurata hæc mundities summâ laude digna est, visuiq; quo diutius, eò melius arridet: præsertim si debita accedat elegantia judiciumq; & vivacitas, & omnia simul quoq; è longinquo possint cognosci. Si enim per distantiam nihil deperdant talia opera, tum sanè singulari omninò digna sunt encomio. Sic celebris ille Titianus in ætate sua juvenili, suiq; temporis flore maximoperè studebat, ut omnia quàm accuratissimè & quidem hoc modo pingeret, ut non in distans minus, quàm è viciniâ spectatoris oblectarent oculum. Circa ultimos autem ætatis suæ annos magna utebatur pingendi asperitate, adhibito multorum colorum onere; quod neutiquam è vicinia, sed è longinquo tantùm visui placebat.

De impolitiore Titiani Pictura:

Hac methodo aliis quoq; pariter uti placuit: qui tamen magno cum dispendio opera sua hoc ipso penitus corruperunt. Eò quod putarent, picturas ejus, citra multa studia parvoq; labore, levi brachio ita factas esse: cum tamen vel extremas ingenii sui vires, & quidem plus in iis applicuisset, quàm alii judicare potuerint. Atq; hic verus optimusq; est modus, opus aliquod elaborandi, cui perfectionis laus competere queat; si magnâ industriâ cuncta conficiant; & id tamen absq; labore multoq;

quem aliqui perperam imitantur,

Laudabilia Picturarum opera laboriosa potius esse, quàm videri debere.

conatu factum esse, oculis appareat: talia enim opera plerumq; spirituosa sunt & vivacia.

Ambas istas methodos in gratiam tyronum hujus artis cultorum, per hæc exempla proponere volui; ut ex iis pro genio votoq; suo eam seligere possent, quæ cuivis potissimum arrideret.

Optimum esse pingẽdi modum, qui fit juxta elegantiam.

Meum autem consilium hoc est, ut ad priorem accuratumq; illum modum quilibet sese applicet: siquidem crescentibus annis & ingruente senio præ defectu visus asperior illa ratio sensim per se obrepit.

De Picturis è loco propinquo; & è remotiore spectandis.

Cœteroquin jam antehac notum est, ea, quæ parva sunt, & è vicinia spectanda, majorem requirere curam atq; diligentiam: & è contrario id, quod ab oculis remotius est ponendum, impolitius paulò, grossius, multisq; coloribus, sed majori judicio elaborari posse.

Acumina luminum vitanda esse.

Si imaginum latera vel anguli luminibus acutis præcisa sunt, effigies durior est, nec rotunditatis forma in oculum incurrit: quem errorem multi antiquorum commiserunt.

De recentiore veraque pingendi methodo.

Recentisſimus atq; genuinus pingendi modus est, pinguem, mollem, atq; lævem, adeoq; quasi vivam repræsentare effigiem, & in hunc scopum dirigere colores; majora plana ritè observare, decenterq; rotundare, tinctusq; medios, vel dimidias umbras debitis locis inserere. Hoc ultimum enim maximam rotundationi largitur vim; præsertim si colores non sint cœruli, languidi & pallidi nimis, ac si subactu tantùm aquario res acta foret, vel monochromatismô miniatô: sed illi ardentes sint, fortes, & quasi calidi, carniq; similes.

De elegantia colorũ;

Colores quoq; sua in qualitate umbram semper habeant ita unitam, prout eandem repræsentat lumen.

cum discrimine personarum.

Optimè etiam discernenda est illa, quæ in senibus occurrit diversitas: ita ut colores tàm faciei, quàm corporum & manuum in senibus atq; juvenibus ne sint iidem. Masculos etiam duriores decent colores, quàm tenellum genus muliebre, atq; pueros. In iis quoq;, quibus multus est labor sub æstu solari, vel aliàs potissima vitæ pars sub aëre rigido consumitur, vel multa navigatio est per impetuosos maris fluctus, color fulvus, nigricans, spadiceus, & rubens, haud parcè nimis est adhibendus.

Fuliginem tædarum, & cœruleũ Cobaltinum, vulgò smalta, improbos esse colores.

Fuligo tædarum in omni subactu oleario vitanda est: emoritur enim, aliosq; colores, quibus immixtus est, nimis reddit duros. Sic quoq; cœruleum cobaltinum (Smalta vulgò) periculosum est: præterquam in magnis atq; claris aëris tractibus, si multô albô oleôq; nucis sit permixtum, & penicillo mundiore applicatum. Si enim cum aliis coloribus, præsertim flaventibus, nimium misceatur, colorum quoq; fugam atq; mortem causatur.

De pingendo aliorum picturas & imitãdo, ad perfectionem pervenırı.

Tandem depingendo Opera moderna optima, in quibus requisita hæc omnia occurrunt, addisci potest modus in hac arte optimus, beneq; fluentis penicilli artificium. Atq; adeò imitatio in his studiis (sicut & in cœteris) via ad perfectionem longè est tutissima.

Pictorem in operibus suis nullum debere tolerare errorem;

Huic discursui regulas adhuc alias & adhortationes quasdam pro virtuosis nostris lectoribus annectemus. Nimirum si pictor ad artis culmen adspirans, errorem aliquem in Opere suo observet, vel tale quid ab alio eidem monendo commonstratur; tunc ne matribus illis imprudentioribus evadat similis, quæ vitia quoq; liberorum suorum amare atq; laudare solent. Non enim in partu statim intermoritur penicilli ductus, prout in Musicis atq; Harmonicis vox, ubi vitam soni mox sequitur Echo mortis: sed quod pictum est, multos vivit duratq; annos, errorumq; suorum cum perpetuo manus vituperio testis est serò moriturus. Nec id excusationem meretur, si quis dicat, se necessitate compulsum cessisse festinationi; eò quod vivendi media studiorum suorum tempore fuerint tenuia, atq; penuriosa: quippè quod inculpationem ejus potius adaugeret. Virtus enim atq; scientia unica est ad sustentationem tàm corporis quàm animæ via; quæ hinc non semper in pleno consistit affluxu. Multa enim Philosophorum aliorumq; ingeniosissimorum exempla testantur; eos natos quidem fuisse parentibus opulentioribus: & tamen deseruisse easdem opes, ne ab iisdem inescati illaquearentur; sed eò expeditiores in via decurrerent virtutis.

Nec unquam fidẽdum esse judicio proprio, sed alieno.

Nihil est, quod magis hominem fallit, quàm δοξοσοφία proprii judicii, & φιλαυτία omnium actionum suarum deprædicatrix. Optimum verò judicium vix aliud est, quàm quod ab aliis petitur, imò ab ipsis sæpè inimicis: eò quod & amici è complacendi amore nimioq; affectu, opus aliquod perfectius judicant, quàm in se est; adeoq; autori blandiuntur, eumq; collaudant; non tàm ad veritatem proni, quàm ad id, quod placeat auribus. Neminem itaq; tædeat, cujusvis æquo animo suscipere judicium. Quamvis enim alii non sint picturæ cultores; cognitione tamen & judicio de specie naturaque hominis haud destituuntur: unde licitum illis omninò est, de operibus naturam imitantibus suum ferre judicium.

Artẽ, quam quis exercere vult, sciendam prius esse, & habitu possidendam.

Qui igitur in his aliisque artibus ad aliquam aspirat laudem; is primò artis suæ fundamenta dexterrimè edifcat. Scientia à sciendo nomen habet, & ars Græcis ab operando cognominatur: unde scientiâ opus est cum operatione conjunctâ, siquis dignè accedere vult ad praxin sui studii. Quicũq;

in medium prolabuntur theatrum sine scientia, nautis illis similes dici possunt, qui navi sua in tumidum excurrunt pelagus, nec velis tamen clavoq; debitè prius sunt instructi: unde certius nihil est, quàm quod in periculum incursuri sint inevitabile.

Magistram potius eligendam esse Naturam, quàm alios.

Tandem quoq; Pictor, cui nec ingenium deest, nec judicii opulentia, ne totum se obstringat methodo alterius cujusdam, ut eundem in omnibus imitetur: cum hac ratione non futurus esset naturæ filius, sed nepos potius vel avunculus. Cum enim præ oculis ipse habeat maximum illud naturæ theatrum, quare per angulos sectaretur hos vel illos alios, qui ab illâ quoq; artem suam didicerunt solâ? Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ, atq; purius, & melius, quàm è rivulis quibuscunque vel cisternis, qui fonti illi suam debent originem. Nemini enim sublata unquam fuit libertas ab ipsa natura discendi.

Caput IX.

De Picturis Historicis.

Argumentum.

Omnia subjecta esse ordini, certisq; regulis. Ab istis etiam non excipi pictorem historiarum. Septem regulæ de dispositione hujus picturarum generis: quæ juxta debitam ubique proportionem observandæ. Pictor primò historiam diligenter perlegat, deinde de eadem efformet rudes quasdam & informes designationes (Schizzi,) è quibus deinde magnam sibi efformet chartam Archetypi locô. Melior autoris methodus, pingendo nimirum primò prototypum parvum coloribus oleariis. Ritè observandum esse Horizontem. Picturam partis postremæ committendam non esse labori aliorum. Pictura ne laboret defectu effigierum. Quinam hoc in studio excelluerint. Imagines figuræ inserviant. Bona additamenta magna esse harum picturarum ornamenta: quod etiam dici potest de vario imaginum situ atq; gestu. Principale tamen opus in ipsa consistere historia.

Omnia subjecta esse ordini, certisq; regulis.



Quicquid à Deo creatum est, subjectum est quibusdam boni ordinis regulis: cùm & Regna quoq;, provinciæq; & respublicæ certa habeant statuta atque leges, juxta quas gubernantur: imò quilibet etiam homo, cujuscunque etiam fuerit vocationis, certis limitatus sit professionis suæ regulis atque terminis. Adde quod & bruta plerumque animantia, & apes præsertim atque formicæ sub certis vivant magistratibus sibi præpositis, & legibus, à quibus, ut vocationi suæ vivant conformes, adiguntur.

Ab istis etiam non excipi Pictorem Historiarum.

Atque sic etiam, qui historias cum judicio pingere allaborat, mente sua primum ante omnia dextrè perpendat, necessarium istius picturæ ordinem, ut scientia & experientia duce opus tandem repræsentare perfectum atque consummatum, suamq; inventionem ad ultimum usque statum secundùm requisita artis & historiarum ordinem deducere queat; sive ruri id fit, sive in domibus, atriis, œcis, templis, vel locis quibuscunq; aliis.

Septem regulæ de dispositione hujus picturarum generis;

Septem autem hîc potissimum occurrunt regulæ sive genera in picturis historiarum necessariò observanda: ut nempè pictura legitimè disponatur, respectu habito ad id, quod superius, ad id, quod inferius, ad id, quod ad dextram, adque id, quod ad sinistram est, atque fieri debet: ut etiam ritè à nobis discedat, locumque posteriorem petat; item ad nos accedat; & tandem quæ ad circulum spectant, probè observet.

quæ juxta debitam ubiq; proportionem observandæ.

Hæ regulæ semper observandæ sunt, juxta proportionem tabulæ vel telæ: ne figuræ videantur portare quadrum, vel intra fundum immergi, aut præ angustiis in eodem quasi sepeliri, vel membris suis principalioribus eidem inseri atque infigi. Effigies igitur magna cautela constituantur liberiores, & figura quælibet sufficienti gaudeat spatio: nec fundus nimia oneretur personarum copia.

Pictor historiam primò perlegat diligenter;

Propositam quoque historiam ante omnia sæpius perlegat pictor, & quidem è diversis autoribus: quia unus semper plures admiscet circumstantias, quàm alter: quod specialiter inservit conceptuum amplitudini. Cùm igitur illorum quæ legit nucleum, memoriæ suæ impressit, tunc omnia pro imaginatione sua ingeni-

genioso jucundoque ordine rudibus quibusdam adumbrationibus in chartis vilioribus projiciat: ex iis autem prototypi loco magnam tandem conficiat chartam diagraphicam, juxta ipsam totius operis magnitudinem. Ista fuit præcipuorum Italorum, tàm Florentinorum, quàm Romanorum consuetudo. Ego autem melius esse judicavi, si juxta rudimenta quædam aliquot chartulis designata, ipsam historiam sano cum judicio in linteo quodam unius circiter duorumve pedum altitudinis depingerem, omnibus viribus conatus, ut cuncta illius requisita, sive designationem sive, dispositionem, sive colores spectantia accuratè exprimerem. Et tale prototypum deinde huic vel illi Imperatori vel Regi, vel aliis istorum studiorum cultoribus, sive Ecclesiastici sive Politici ordinis, ad ratificandum solitus fui mittere: ubi deindè si quæ mutari desideraverint, eadem in magna illa tabula genuini operis cum optima illorum satisfactione decenter observavi.

deinde de eadem efformet rudes quasdam & informes designationes (Schizzi) è iquibus dende magnam sibi efformet chartam Archetypi locô.

Melior Autoris methodus, pingendo nimirum primò prototypum parvum coloribus olcariis.

In consummatione operis, anguli tabularum ne maneant vacui, nec tamen figuris etiam nimis referti. Inprimis in talibus picturis relinquendus est prospectus pro agnoscenda horizontis altitudine: qui, ubi necesse est, semper sit humilis, pro majori imaginum elevatione. Partes horizontis posteriores ne per alium pingi curet Pictor; prout ex Italis faciunt plurimi, qui suô semper tantummodò abundant sensu: ita ut plerumque ob plures Medicos, quod dici solet, pereat ægrotus. Pictor sanè historiæ totius, eo tandem non carebit cerebro, ut regionibus suis, campisve, debitam, nubium, vel ædificiorum beneficio, tribuere queat harmoniam. Porrò nec raro nimis ordine figuras collocet; sed ubi præcipua historiæ pars suum habet locum, effigies multas, imò imaginum quandoque turmas exhibeat, quæ omnes suo fungantur officio: in quas etiam optimam luminis derivet partem, ut in illas potissimum oculum suum dirigat spectator. In hoc Titianus, Tintoretus, multâque Magisterii laude dignus Paulus Veronesius majori claruerunt artificio, quàm Michaël Angelo: cujus excellentia in sculptura unius cujusdam figuræ præstantissimæ præstantior fuit, quàm in picturis & distribuendis coloribus.

Ritè observandum esse Horizontem.

Picturam partis postremæ cõmittendam non esse labori aliorum.

Pictura ne laboret defectu effigierum.

Quinam in hoc studio excelluerint,


Nemo etiam pictorum in tali coordinatione & parergis ad unam se adstringat effigiem; quippè quæ omnes hîc tantum toti operi serviunt, nec ullo gaudent prædominio. Ad perfectionem istorum quoq; operum haud parum conducunt additamenta quædam meliora, inventionesq; peregrinæ cum proposita materia satis convenientes: ut sunt imagines quædam elegantes, gestus quidam decori, & expressiones affectus: quæ omnia insigniter elevant picturam. Nec minorem eidem conciliant gloriam effigierum varii situs, ut aliæ totam faciem obvertant; aliæ dimidiatæ sint, & latere tantùm videndæ; aliæ tergum obvertentes; sedentes; decumbentes; genibus innixæ aliæ; vestitæ quoad dimidiam partem quædam; aliæ omninò; atq; sic variis modis inter se commixtæ.

Imagines figuræ inserviant.

Bona additamenta magna esse harum picturarum ornamenta: quod etiam dici potest de vario imaginum situ atq; gestu.

Principale tamen opus semper sit Historia ipsa, quæ in tabulæ medio cum ornamentis præcipuis præ omnibus aliis conspicua effulgeat. Et quamvis omnia, quæcunq; hac arte præstari possunt, in pictura quadam historica, cumulanda sint: nimio tamen labore eadem nihilominus non sit onerata; sed sufficit, si specialia vestium, Physiognomiæ, ædificiorum, & regionum campestrium, requisita, juxta naturam cujusvis provinciæ notoriè incurrant in oculos.

Principale tamen opus in ipsa consistere historia.



CAPUT X.

De
Opere albario seu pingendis muris recentibus, quod vulgò in Fresco vocant.

Argumentum.

Artem hanc multa perficere simùl. Quid sit Pictura Operis albarii, quam vulgò in Fresco dicunt? Quinam huc requirantur colores. Pictorem operis albarii agilem esse debere atq; exercitatum. Quinam colores huc non conducant. Methodus ad hoc picturæ genus in figuris grandioribus. Figuratio hujus operis præliminaris, & prototypum chartæ crassioris. Hoc recenti gypso particulatim, & consequenter integrum admovetur, gypsumq; veruculo compungitur.

Artē hanc multa perficere simùl.



Rs ista pingendi operis albarii cœmentiq; recentis & parietum adhuc humentium omnes pictoriæ artis species reliquas in hoc superat, quod hanc unico perfici oporteat die; cum circa picturas alias immutando, revidendo, atq; corrigendo, multi sæpè insumantur menses, imò anni. Atq; hæc picturæ species, quam vulgò in Fresco dicimus, antiquitus usitata erat admodum, & à paucis adhuc hodiè continuatur, præsertim in Italia, riariusq; in Germania. In Belgio autem locum eadem haudquaquam reperit, propter aërem marinum nimis ibidem humidum.

Quid sit pictura operis albarii, quam vulgò in Fresco dicunt?

Hæc autem albarii recentis pictura ita se habet; si nimirum murus quidam recēs cœmento gypsove inductus adhuc humidus coloribus imbuitur: ubi quanta pars cœmento contecta fuit, confestim à Pictore quoq; est pingenda: cum aliàs cœmentum nunc superinductum cum pictura desuper inchoata, tantoperè indurescat, ut cum albario continuato deinceps juxta se posito non amplius uniatur, nec illud recipiat; sed pudendis fissuris spontè separentur, tandemq; dissiliant atq; frustatim delabantur. Unde Pictura hæc muraria agili manu in calce adhuc humida volanti perfici vult penicillo.

Quinam huc requirantur colores.

Colores autem huc requisiti omnes terrei sint oporteat, & neutiquam minerales: sed album è cocto fit lapide Tiburtino, sive calce usta; flavum est ochra; rubrum è terra sanguinea; viride è terra viridi: cæruleum ex ultramarino seu cœruleo Ægyptio atq; Smalto; ruffum ex ochra spadicea; furvum ex terra, quæ Umbra dicitur; nigrum è fuligine tædarum; aliiq; similes adhibenter colores substantiæ firmioris; qui à calce corrodi nequeunt: cum è contrario experientia doceat, quod Lacca sive color purpureus Venetus, flavum ex ebulo, omnesq; alii colores è succis facti, mox sub initium evanescant; cinabaris autem atq; minium cum flavo plumbeo atq; similes, in nigrum convertantur.

Hæc Pictura celerem requirit manum, ingeniumq; maturum & agile, adeoq; optimum: quoniam colores, dum adhuc hument, rem multò repræsentent aliter, quàm cum siccati fuerint. In hoc etiam opere magis ingenio uti oportet magistrum, quàm chartâ diagraphica; ita ut omnia jam in promtu habeat, praxiq; diutina sit exercitatissimus: cum labor iste moram ullam, vel compotationes succisivas haudquaquam toleret. Ubi quoq; notandum est, nihil hic omittendum esse, quod iteratis ductibus inducatur: nec usum hic esse colorum sive glutine, sive vitello, sive gummi Arabico, sive tragacanthæ subactorum: quoniam hac ratione naturali suo candore orbatur murus, omnesq; postmodùm colores dispereunt, flaviq; admodum, atque turpes & nigricantes evadunt.

Pictorem operis albarii agilem esse debere atq; exercitatum.

Quinam colores huc non conducant.

Si quis igitur præcipuam aliquam historiam in calce recenti depingere conatur, is historiam primò ritè perpendat atq; præmeditetur; dehinc conceptus suos sive calamo, sive creta chartæ committat. Siq; arrideat opus hoc diagraphicum, mox imagines historiæ suæ præpositæ ex argilla vel cera in tabula quadam collocet, (etiam vestitas, quantum opus est, linteo subtili madido, vel tela serica tenui,) altitudine unius vel duarum spithamarum. Fabrefactum ita Archetypum tanta à sese collocet altitudine atq; distantia, prout non minus horizon, quàm lumen atq; distantia ipsa, nec non historiæ ordo requirunt: atq; sic sua spontè sese prodent figurarum proportio, series, lumen, umbra, partesq; tàm dimidiæ, quàm integræ, juxta verum atq; genuinum naturæ cursum atq; ritum.

Methodus ad hoc pingendi genus in figuris grandioribus.

Figuratio hujus operis præliminaris;

Dehinc

Dehinc chartam in hunc usum conglutinatam accipit artifex eâ magnitudine, quâ sibi totum opus efficere proposuit: inq; illâ beneficio præcipuarum partium archetypi totam historiam probè effigurat: quæ vulgò Chartone, id est, Charta major Diagraphica dicitur. Quo peracto frustum aliquod, sive figuram unicam, ab ista charta abscindit, tantæ nimirum quantitatis, quantam illius diei pensum requirere videtur; illudq; ad superficiem inducti recentis albarii apponit, atq; postmodùm veruculo acuminato, sive acu ferrea ductusq; primarios figuratæ istius chartæ, leviter circumducit vel compungit.

Hoc recēti gypso particulatim;

Quo factô, pictor effigurationem operis sui propositi parieti insertam reperit, cum gypsus recens lubenter obsequium præstet: atq; sic ad ductum hunc diagraphicum debiti applicantur colores. Altera die frustum è charta abscinditur aliud, eademq; pergitur methodo, ut factum erat antea; atq; sic singulis diebus continuatur opus, donec ad ultimum suum perductum sit complementum. Hac itaq; ratione error nullus admitti potest, quoniam circa applicationem frusti cujuscunq; recenter abscissi, priorum semper frustorum in muro apparent termini.

Si verò quis in tabula aliquid, sive tela, secundùm Archetypum istud chartaceum depingere vult; scissuris istis non habet opus: sed Archetypum hoc saltem è parte posteriore carbone trito atq; sicco optimè denigratur, tabulæq; sic firmiter imponitur, atq; tunc ductus primarii beneficio veruculi ferrive supradicti undiquaq; superinducuntur; vel factis puncturis pulvere carbonaceo consperguntur, quo pertranseunte totum opus diagraphicum in tabula reperitur, quod deindè coloribus oleo subactis debitè imbui potest. Atq; hæc est methodus & praxis plerorumq; Italorum, præcipuè vero Florentinorū. Alii verò, præsertim illi, qui pleraq; sua opera ad vivū depingunt exemplar, solis utuntur Archetypis naturalibus: juxta quæ opus suum propositum dextro cum judicio mediante cretâ in tabulâ suâ designant, atque sic citra omne adminiculum aliud, laborem suum persequuntur.

& consequenter integrum admovetur, gypsumq; veruculo compungitur.

Caput XI.

De Picturis Topographicis sive Campestribus, & subdialibus.

Argumentum.

Tyrones pictoriæ Artis, super Imaginum Studio defatigatos, recreationem quærere debere in contemplandis regionum atq; locorum tractibus: unde discere queant picturas Topographicas. Poëtica descriptio temporis matutini. Pictori probè considerandam esse Auroram; nec non continuas tractuum diminutiones atq; abbreviationes. Fundos anteriores & posteriores pulchro ordine sibi invicem committendos esse. Muzianum & Titianum præstantissimos fuisse Italorum in pingendis tractibus provincialibus & subdialibus. Arbores camporum esse Musculos; illasq; peculiaria requirere Studia. Effigies humanas & alias similes Accidentale quid saltem esse in picturis Topographicis. Locorū campestrium subdialiumq; similiū colores quàm pulcherrimè enitere finitâ pluvia, durantibusq; tempestatibus procellosis, nec non tempore autumnali Melius esse, si quis pingat secundùm exemplaria viva, quàm si eadem saltem delineat. Autorem & Claudium Gillium id studii genus Romæ sæpenumerò excoluisse. De aliis adhuc Artificibus in pingendis tractibus apricantibus excellentissimis.

Tyrones Pictoriæ Artis, super Imaginum Studio defatigatos, recreationem quærere debere,



Yro Artis pictoriæ diuturno circa. Imagines Studio defatigatus, hebescente à nimio obtutu sensim oculorum acie, certa remissionum sibi decerpat intervalla, ad recreandum quandoq; torpescentem aliàs nimia occupatione animum: cum & arcus, etsi præstantissimus alioquin, continuò tensus, tandem rumpi soleat. Quamprimùm igitur atratâ cœlum obducere pallâ cogitat Hesperus, è profundioribus Morpheum jamjam evocaturus umbris; antequam hîc Lethæis oculos ejus conspergat laticibus, frugali in florentissimo quodam prato, appropinquante jam breviore æstivarum noctium decursu, corpusculum refocillet cœnulâ; ut blando recreatus somni allapsu, dum punicantibus aurora phaleris roseum inequitat cœlum, alacris è stratis exurgat atq; excitatior.

Salu-

Salutantibus ergò, è sinu Thetydes jamjam proditurum in auras Phœbum, cantu suo aviculis, ad primas portarum hiationes, cum uno pluribusve Comitibus Philomusis, extra mœnia sese proripiat, per amœnissimum Naturæ exspatiaturus amphitheatrum; ubi pro meliore Spirituum suorum exsuscitatione per latas camporum planities, virescentesq; arborum frondes, per susurrantes rivulorum sibilos, & assurgentia montium juga, valliumq; profundiores hiatus; per prata, per arva dociles pascat erudiatq; oculos.

in contemplandis regionum atque locorũ tractibus:

Unde discere queant Picturas Topographicas.

Ibidem igitur scenam inveniet omni pulcherrimarum varietate rerum instructissimam, quæ ad ingeniosam tractuum campestrium repræsentationem satis eundem informabit. Ad ultimum siquidem Horizontis terminum puniceam decrepiti Titanis Amasiam videbit Auroram ex undis ascendere, adventum nunciando flammantissimæ illius Diei Facis frigidioribus Oceani fluctibus aliquantisper mitigatæ: cujus ignivomæ ex imo prosilientes quadrigæ ad primum cœli enitentes præcipitium præ crebro incitatæ spiratu vix capiunt anhelitum. Atq; tum contempletur sedulò, fulmineos illos atq; pulcherrimos inter purpureas nubes rutilante ductu hinc inde promicantes fulgores: & aurei splendoris Tapetibus undiquaq; instructissimum Eoi tractûs Palatium, excipiendo mox intraturo sic adornatum Phœbo Domino: ubi in omne colorum genus distractæ tàm fulgido nitore magnificentiam suam exhibent Nubes, ut ne quidem ab ultimo Ignis examine nunc resurgens Aurum majores radiorum explicare posset divitias. Jamq; & remotissimorum cœrula juga montium Phœbæis inaurari splendoribus gestiunt; magniq; illi cœlorum fornices Sapphirino suo sensim magis enitescunt ornatu, argenteæ Latonæ Lampadi jamjam ultimum obducturi velum. Interea confusas nocturna quiete comas suas & Tellus nunc iterum decoro explicat plexu; Virescentemq; venatorio quasi habitu vestem rorantium guttularum conspergit margaritis. Commodum autem citatiore in cœli planum cursu provolvitur igneus Phœbi globus: Venatoribus interim frequenti canum latratu per densa nemorum latitantes insectantibus feras, atrato vestigiorum attritu viridantes undiquaq; connotando cespites.

Poëtica descriptio temporis matutini.

Pictori probè considerandam esse Auroram:

Ubi id potissimùm observandum est Pictori, quomodo remotiores terræ, colorem per distantiam suam pedetẽtim amittant. Ubi montes attingere videbuntur nubila, motuq; transire perpetuo: Campi etiam, & prata, nec non Arces omnes è longinquo mobiles apparebunt atq; transitoriæ. Ad quæ omnia magna Pictor attendat industriâ atq; sedulitate: eò quod hoc ipsum sit illud, quod fundos posteriores ad magnos distantiarum promovet excursus.

nec non continuas tractuum diminutiones.

Pictura igitur talis, parte sua posteriore, imbui non debet colore spadiceo vel puniceo, nec integro alio, sed coloribus lucidioribus atq; fractis: montanaq; porrò & ædificia effingenda quidem sunt, sed colore magis magisq; bruno, quo ad aëris cœrula accedunt magis: ita ut debitâ mensurâ, debitoq; ordine, colores remotissimi à natura sua ferociore frangantur magis, propinquiores autem minus.

Fundi in picturis istis ingenium produnt Artificis, si nimirum bello ordine ita sibi invicem committantur atq; coadunantur, ut tamen accessus & recessus terrarum ubiq; ritè appareant: ita ut anteriores (id quod & aliàs omni loco est observandum:) retrò semper ad Horizontem quasi propellant subsequentes; ipsi verò magis semper magisq; sponte prodeant in lucem. Cavendum etiam, ne fundi ad lucis terminos duro nimis colorum saltu ad extrema vergant, sed propter ibidem enatam luminis reflexionem, dimidiatis coloribus mitigentur: Prout iidem etiam ne nimiâ aëris, montium, ædificiorumq; vel domuum copiâ dedecorandi, sed potius pulcherrimis magnisq; arboribus atq; plantis exornandi sunt.

Fundos anteriores & posteriores pulchro ordine sibi invicem committẽdos esse.

In magnis ejusmodi pulchrisq; Operibus Picturarum Topographicarum inter Italos antiquos, (qui aliàs rariùs huic Studio dederunt operam:) inprimis Muzianus, omniq; laude dignissimus Titianus, ad admirationem usq; excelluerunt: prout exempla quædam posterioris hujus, ligneis incisa tabulis, abundè testantur, in quibus Horizon ubiq; optimus, fundiq; apparent satis firmati, ita ut anteriore loco semper figura quædam extet grandior, cœteris omnibus sensim diminutis. Id quod etiam Figuræ Montanorum Tyrolensium æri incisæ, celeberrimi Breugelii dexterrimè ostendunt.

Muzianum & Titianum præstantissimos fuisse Italorum in pingendis tractibus provincialibus & subdialibus.

In arboribus, quæ camporum quasi sunt Musculi, omnis Picturarum Topographicarum versatur laus & omne vituperium; quare magno hîc opus est studio curaq; singulari, ut decenti quis naturaliq; calleat manu, varias majorum arborum, foliorumq; & frondium, tàm propinquarum, quàm remotiorum repræsentare species. Et hæ quidem circa cacumina ne sint rotundæ, quasi raso capillitio; nec planæ, vel acuminatæ nimis; sed ex omni parte congruo ramorum intertextu mobiles satis, ventisq; patentes, taliq; pingantur artificio, ut omnia naturam quamproximè & exactissimè referant. Et quia difficultate non caret, omnia nosse arborum genera, earumq; folia, colores, atq; stipites; prout eadem occurrit difficultas in pingendis

Arbores esse camporum musculos: illasq; peculiaria requirere studia.

homi-

hominum capillis; vestiumq; plicaturis: ideoq; eò major hîc adhibenda est diligentia, ut quis ad perfectionem accedat quàm licet proximè, modumq; & methodum atq; consuetudinem assumat naturalem penitus, oculisq; acceptam.

Effigies humanas & alias similes, accidentale quid saltē esse in Picturis Topographicis.

Figuræ hominum atq; pecorum in pingendis tractibus apricis ne sortiantur nimium lucis, pulchritudinis, colorumq; splendorem: ut quasi mantissa saltem sint, ipsa regione prædominante.

Locorum campestrium, subdialiumq; similium colores pulcherrime enitere finitâ pluviâ, durantibusq; tēpestatibus procellosis nec non tēpore autumnali.

Ipsæ locorum regiones in natura sua jucundiùs semper atq; perfectiùs spectantur post delapsam pluviam; vel etiam si quadam tempestatis procella aër sit distinctior, magisq; diffectus: eò quod tunc temporis nubes inenarrabili formarum colorumq; apparent varietate. Idq; etiam autumnali deprehenditur tempore, ubi arboreta eorumq; folia partim rubent, partim flavescunt, magnamq; præ se ferunt figurarum atq; colorum diversitatem: quod picturis multam conciliat amœnitatis elegantiam.

Melius esse, si quis pingat secundum exemplaria viva, quàm si eadem saltem delineet.

Qui huic Picturæ studio dediti sunt, facillimâ hîc uti possunt methodo, si multa ad vivum delineent, unde magnum acquirere habitum, istisq; delineationibus postmodò in variis uti possunt casibus. Ipse ego idem præstiti per aliquot annorum decursus. Tandem autem cum vicinus meus proximus, domesticusq; in Urbe Roma, celeberrimus ille Claudius Gilli, aliàs Loraines appellatus, camporum semper simùl quæreret atq; desideraret diverticula, ut in delineationibus ad vivum sese exerceret: in quâ tamen Artis parte, favore Naturæ satis utebatur exiguo; cum è contrario in usu colorum magna polleret dexteritate: hinc ansa nobis enascebatur, ut (loco delineationum vel adumbrationum factarum cretâ nigra atq; penicillo;) in campis apricis Tiburtinis, iisq; locis, quæ jam Frescada, Subjaca, al S. Benedetto, dicuntur & alibi, in chartâ debitè fundatâ, vel telâ coloribus ad vivum plenè depingeremus, Montes, Antra, Valles, atq; deserta, horrendos Tyberis lapsus, templum Sibyllæ, & similia. Atq; hic, juxta meam quidem opinionem, modus est optimus, quo intellectui ipsa veritas quàm propriissimè potest imprimi: siquidem hac via ipsa quasi corporis & animæ fit unio. Cum in nudis delineationibus è contrario nimis adhuc remotus adstet animus, ut vera rerum species nunquam tàm pura atq; genuina facie elucescat. Idem quoq; modò dictus Claudius tandem in picturis Topographicis, quamvis serò satis, verisq; illarum fundis atq; coloribus tantoperè inclaruit, eâq; excelluit perfectione, ut miranda præstiterit, meritoq; dicendus sit reliquos omnes esse antegressus. Deq; ipso, sicut & de Adamo Elzheimero, Paulo Brilio, Fochiero, Bothio, aliisq; tàm Germanis, quàm Belgis, in hoc picturarum genere præcellentibus, Parte secunda dicetur pluribus.

Autorem & Claudiū Gillium id studii genus Romæ sæpenumerò excoluisse.

De aliis adhuc Artificib⁹ in pingendis tractibus apricantibus excellentissimis.

Caput XII.

De
Pingendis Vestibus & Pannis.

Argumentum.

Honestatis, æstusq; & frigoris, atque pluviarum causâ vestiti incedimus. Vestes juxta sexum, statum, nec non dispositionem personarum; quin & pro nationum diversitate distinguendas esse. De Archetypis & homunculis certô vestium genere indutis. Lucam Lugdunensem excelluisse in picturis vestium. De veste exteriore: deq; rotundatione plicarum. Albertum Dürerum haberi posse pro Magistro vestium pingendarum. Artuum sub vestitu deprehendenda esse vestigia. Plicaturas non debere esse superfluas. Italos hoc in genere Alberti Dureri esse posse discipulos: sicut & Aldegravium. De plicaturis mollioribus & grossioribus. Plicas differre pro diversitate materierum. Laus Raphaëlis circa pingendas vestes juxta ritum antiquorum Romanorum. In hac arte excelluisse Titianum; Paulum Veronesium, & è modernis Adamum Elzheimerum; & Horatium Gentileschium. De statuis antiquorum: & perfectissimo illarum vestitu. Per plicas nullum membrum nullumq; lumen in specie obtegendum vel offuscandum esse. Nec nimias nec nimis paucas adhibendas esse plicaturas. Regulæ quædam, Pannos inclinare ad situm planum & æqualem. Ulteriores regulæ. De longitudine plicaturarum.



Eculiare quoq; eſt ſcientiæ genus in Arte Pictoria, ut quis probè intelligat veſtitus atq; habitus imaginum: quo in genere multi, quorum in aliis partibus haud minima fuit experientia, nimis tamen fuerunt debiles; operumq; ſuorum famam hoc ipſo ſufflamminarunt. Et quamvis in Imaginibus nudis præcipua conſiſtat Artis laus: Indi quoque cum aliis Nationibus vel planè incedant nudi; vel ex parte tantùm veſtiti, nos Chriſtiani tamen cum aliis Europæ populis honeſtatis causâ, nec non ob frigus noſtri Climatis, ad uſum veſtium obligamur: quæ etiam contra pulverem, ſoliſq; fervorem, nec minùs contra nivem atq; pluviam immunes nos præſtant atq; defendunt.

Honeſtatis, æſtusque & frigoris, atque pluviarū causâ veſtibus incedimus.

Magna autem in veſtibus inprimis obſervanda eſt differentia: quippè quæ nec formâ, nec coloribus, nec plicaturis unius ſunt generis, ſed juxta ætatem ſtatumq; & diſpoſitionem perſonarum; nec minus juxta ſexum vel Maſculinum vel fœmininum; quin etiam juxta ritū provinciæ vel antiquiorem vel recentiorem, modumq; præſentem maximæ ſunt diverſitatis.

Veſtes juxta ſexum, ſtatum, nec non diſpoſitionem perſonarū; quin & pro nationum diverſitate diſtinguendas eſſe:

Pro meliore facilitatione iſtius ſtudii, unà cum ſedula vivorū exemplarium contemplatione Archetypa quoq; fieri ſolent minora cerea, & homunculi, tunicis ſive palliis è linteo crudo vel papyro humida veſtium loco induti: in quibus plicaturæ repręſentantur jucundæ; nec citra uſum; ſi in majoribus imaginibus cum judicio quis eaſdem imitetur: quamvis ob motûs defectum facilè quis hoc caſu poſſit ſeduci.

De Archetypis & homunculis certô veſtium genere indutis.

Lucas Lugdunenſis laudatus in pingendis veſtibus artifex, præ cœteris id obſervavit, ut veſtes exteriores ſemper efformaverit groſſiores, quàm interiores: ſicut etiam plicas ſemper incepit cum rotūditate quadam; eaſdemq; pariter ita terminavit. Albertus Dürerus abſq; debito laudis pręfamine nunquam nominandus, veſtiū naturam præ cœteris optimè intellexit: & inprimis circa decreſcentes ætatis ſuæ años: quod v.g. in vita beatiſſimæ Virginis: item in quatuor optimis partibus Paſſionis ſuæ majoris, inq; Imaginibus pluribus aliis egregiè demonſtravit. Iſte ſub veſtitu artus ipſos ſpeciemq; corporis ſpectabiliter exhibuit; circa luminis copiam latioribus uſus eſt planis; in umbris verò reſtrictior ſemper, atq; adeò plicaturas efformavit ſuaviſſimas, artificioſas, & planè naturales. Eaſdem quoq; nō adhibuit ſuperfluas, ſed magnâ cum moderatione; & iis potiſſimùm locis, ubi membra motum habent neceſſarium, vel veſtes coarctantur, vel ipſius figuræ manibus, ſive in brachiis, ſive in pedibus ſuſtinentur; undè neceſſariò exurgunt plicaturæ, adeoq; hac ratione effigies repræſētavit multâ famâ celebres, & verè artificioſas; modoq; ſuo pulcherrimô plurimis ſui temporis Italis oculos demùm aperuit, ut ipſius veſtigiis directò inſtiterint. Quod etiam faciebat Laudatiſſimus noſter & unicus Weſtphalus Souſtenſis nomine Aldegravius: qui niſi plicarum copia exceſiſſet, easq; duriter nimis innodaſſet, eidem fermè fuiſſet ſimilis.

Lucam Lugdunenſem excelluiſſe in pingendis veſtibus.
De veſte exteriore: deq; rotundatione plicarum.
Albertum Durerum haberi poſſe pro Magiſtro veſtium pingendarum.
Artuū ſub veſtitu deprèhendenda eſſe veſtigia.
Plicaturas non debere eſſe ſuperfluas.
Italos hoc in genere Alberti Düreri eſſe poſſe diſcipulos: ſicut & Aldegrafium.

Veſtes plurimę præſertim fœmininæ, ſi è tenui ſint materiâ, tanquam levius evolantes; plicas referre debent molliores; ex adverſo autem, quæ è panno ſunt groſſiore, plicis paucioribus, ſed majoribus, pingendæ ſunt. Sic holoſericum plicas habere debet conſpicuas cum ſingulari diſtinctione: eodem modo pannus Attalicus, cui in plicis fulgor debetur peculiaris: nec minus Taphetum atq; Linteum plicaturas requirunt generi coloriq; ſuo omninò conformes; ut ſingulæ hæ materiæ ritè diſtingui, & è plicaturis ſuis dextrè cognoſci queant: niſi errorem quis committere velit manifeſtum.

De plicaturis mollioribus & groſſioribus.
Plicas differre pro diverſitate materierum.

Veſtitum Imaginum, cum omnibus juxta vitæ ſtatum diverſitatibus, laudabiliter etiam intellexit Raphaël: qui eas quoq; juxta ritum antiquorum Romanorum debitè exornavit, ritè diſpoſuit, cuilibet functiones ſuas attribuit; artuſq; ſub veſtibus latitantes nudos tàm decorè reddidit conſpicuos, ut maxima hinc oculo pronata ſit delectatio, quod id cognoſcere poſſet, cujus tamen ſpeciem pannus ipſe obvelaret: id quod in hoc pingendi genere inter artificia numerandum eſt potiora. Aliàs in hâc quoq; ſcientiâ excelluerunt Titianus, qui veſtitu uſus eſt, juxta ritum Venetorum & Longobardorum; Paulus Veroneſius; Barotius decoris ſemper ſtudioſus; & ex antiquioribus alii. Sic inter modernos quoq; Adamus Elzheimerus; qui in operibus magnæ Britanniæ Regi elaboratis, multum aſſecutus eſt famæ: nec minus Horatius Gentileſcius, nullo laudis genere ſatis evehendus.

Laus Raphaëlis circa pingendas veſtes juxta ritum antiquorum Romanorum.
In hac arte excelluiſſe Titianum;
Paulum Veroneſium & è modernis Adamum Elzheimerum, & Horatium Gentileſcium.

Quas apud antiquos Ægyptios, Græcos atq; Romanos, præſertim in magna præclariſſimarum ſtatuarum ab illis relictarum copia, reperimus veſtes; in quibuſdam partibus magni quidem etiam æſtimandæ ſunt: ita tamē, ut eoſdem non in omnibus imitari queamus. Cum enim Effigies illorum circumcirca & ex omni parte eſſent conſpicuæ, periculum erat, ne, ſi plicam unam perfectiorem & majorem ex uno latere efformarent, imaginem ex altero latere nimium contegerent; quod minus fuiſſet decorum. Quam ob cauſam habitu plerumq; uſi ſunt tenuiore, corporiq; arctiſſimè applicito; eodem tamen ſingulari ſemper artificio magnoq; cum decoro diſpoſito. Iſtius perfectionis exempla eſſe poſ-

De ſtatuis antiquorū, & perfectiſſimo illarum veſtitu.

sunt hic simul apposita Flora Romana in Palatio Farnesio ; Cleopatra in Vaticano ; Sibylla Cumana ; & Tiburtina ; nec minus Sabina : item Vestibus volantes in Anaglyphis semiplenis Nympharum : præ cœteris autem Juno Cæsia, quæ magnam meretur laudem : quippè in qua ipsum panni genus sua natura plicaturis dives est, nonnullis tamen artubus offuscatis. Huc etiam pertinet magnus ille Consul Londini in horto Comitis Arondelensis. Quæ omnia optima possunt esse sui generis Archetypa.

Per plicas nullum membrum nullumque lumen in specie obtegendum vel offuscandum esse.

Vestes igitur ad habitum Effigierum necessariæ plicas suas ita projicere debent, ut istæ ne inducantur membris plurimo lumine conspicuis, ita ut magnæ ibidem obscuræq; umbræ, & in umbris plicæ elucentes formandæ sint. Ita quoq; plicarum forma per artus discurrere debet, ne eosdem transversos quasi disscindant, nec majores umbras, vel depressiones caussentur, quàm ipsa pars eminentior vestitæ imaginis requirit.

Nec nimias nec nimis paucas adhibendas esse plicaturas.

Porrò sic quoq; applicandæ sunt vestes, ne imago videatur denudata & spoliata ; vel ac si pannô quodam in unum involucrum compacto onerata esset. Prout multa eorum occurrunt exempla, qui in una quadam plica particulari nodove vel sinu ita sunt toti, ut eodem omnem onerent imaginem ; obliti interea, in quem finem hæc vestis formata sit ; ut nimirum per eam decorè membra vestiantur, iis nimirum locis, quibus arctior convenit applicatio : unde nullatenus formandæ sunt vesicarum instar vento inflatarum ; ne circa eminentias membra lumine potissimô conspicua atq; pulchriora occultent. Hoc sanè extra controversiam est, quod eleganter formandæ sint plicaturæ : sed istud quæso illis fiat figurarum locis, ubi artus ipsi vestimenta coarctant.

Regulæ quædam,

In historiis id potissimùm requiritur, ut vestium ibi quædam occurrat diversitas ; & plicaturis quibusdam, præsertim in vestitu serico conspicuæ tribuantur fracturæ. Quædam plicæ appareant molliusculæ, earumq; versura ne sit nimis dura ; quædam etiam sint incurvatæ. Plicæ illæ, quæ à coarctatione sunt remotissimæ, quàm proximè etiam rursus accedant ad primam simplicitatis suæ naturam: prout omnia in sua proprietate conservari desiderant. Unde vestis quælibet, quia æqualis est duritiei & crassitiei, sive se convertat imago, sive recto adstet situ, plana formari vult atq; erugata. Quamvis igitur à corrugatione vel constrictione quadam vis eidem inferatur, ut naturalem suam planitiem atq; æquorem deferere cogat; illa tamen ejus portio, quæ ab isto violentiæ loco est remotissima, plurimum semper naturæ suæ propriæ atq; primæ retinebit.

Pannos inclinare ad situm planum & æqualem.

Plicarum abbreviatio.

Ubi imagines abbreviatæ sunt, vel membrorum occurrunt Catagrapha & obliquitates, plicarum major sit copia, & membra iisdem ambienda ; quàm ubi talis non occurrit brevitas.

Ulteriores regulæ.

Qualis est natura plicarum in brachiis ad demonstrationem hujus vel illius rei protensis, talis quoq; debet esse plicarum ratio super cruribus, pedibus, omnibusq; membris aliis per totam imaginem hoc vel illud commonstrantem. Plicaturæ vestimentorum in quavis figura vel effigie adjumento semper esse debent exprimendo figuræ gestui: ita ut nullum spectatori caussentur dubium. Plicaturæ quoq; umbra sua nullum membrum reddant inconspicuum, adeoq; ad profundiora potius remittendæ sunt, ut pars superior imaginis vestitæ eò sit spectabilior. Tandem quoq; si plus quàm una vestis tribuatur imagini, istæ non sic disponendæ sunt, ac si vestis intima nuda saltem contegeret ossa ; sed carni etiam aliquid tribuendum, & tanta crassitie efformandus est vestitus, quàm requirit necessitas, vestiumq; sibi incumbentium proportio.

De longitudine plicarum.

Plicaturæ, quæ artus circundant, quoad crassitiem deficiant, quò fiunt ab artubus circundatis remotiores. Longitudo plicarum strictiorum & membris propinquiorum diminuatur illo latere, ubi membra sub plicaturarum copia abbreviantur: & hæc ipsa plicarum longitudo ex adverso augeatur, ubi membrorum plicæ sunt pauciores : ita ut semper tamen singulæ unius vestimenti plicaturæ distinctè cognosci queant, qua ratione unitæ fuerint, & manere desiderent: & hac ratione omnium unius vestis plicarum unica sit harmonia : nec undiquaq;, neglectâ isthac concordantiâ multæ appareant plicarum fracturæ singulares.



CAPUT XIII.

De
Lumine & Conclavi Pictoris: item de Picturis Nocturnis.

Argumentum.

A Sole lumen accipiunt Planetæ atq; Terra; ut & naturalem suum colorem res omnes atq; singulæ. Idem pariter præstant fulgur; Luna atq; Ignis. Antiquorum, in eligendis conclavibus ad pingendum minoribus, negligentia, quâ debitam sibi amplitudinem lumenq; necessarium præripuerunt ipsi. De verâ Conclavis Pictorii latitudine atq; longitudine; deq; lumine majore atq; minore: quod septentrionale sit oportet. Quomodo collocandum sit Archetypum, & quâ ratione observanda sit distantia. Necesse esse, ut ipse Pictor opus propositum è longinquo examinare queat. Res etiam parvas requirere spatium, lumenq; decens. De commodo fenestrarum papyracearum. De luminis altitudine. Quomodo procedendum circa picturas nocturnas penes ignem & candelas repræsentatas. Color Ignis. Quis color tribuendus sit figuris Nocturnis, & quinam actionum gestus. Præclara picturarum nocturnarum exempla factarum à Raphaële; Bassano; Gerhardo ab Hundhorst; Adamo Elzheimero; Antonio de Correggio, & ab Autore.

A Sole lumen accipiunt Planetæ atque Terra;



SI de reflexione & lumine ad pingendum requisito, sermo instituendus sit, à sole faciendum est initium: qui tanquam totius mundi anima stellis suum communicat fulgorem errantibus, & propterea in planetarum locatus est medio. Idem quoq; omnia, quæ in terra sunt, reddit conspicua, postquam fugatis obscuræ noctis tenebris pulcherrimam sui nunciam Auroram in deaurato suo capillitio intra eminentes montium tractus ad nos transmisit: ubi postmodùm cum aëre pelagus atq; tellus, nubesq; & montes atq; campi, nec non ædes hominesq; & animalia, imò creaturæ omnes naturalem suum recipiunt colorem, cùm antehac, in mediis tenebris, nigricantia apparuissent omnia. Idem quoq; præstat fulgur inter obscuriora nubila; noctisque tempore pallidior Luna; nec minus candela atq; lucerna unà cum igne, lumine suo cœrulo pallidoloq; atq; rutilo. Et lumen tale reflexionis nomine vocatur; similia autem Opera dicuntur Nocturna.

ut & naturalem suum colorem res omnes atq; singulæ;

Idem quoque præstant fulgur, Luna; atq; Ignis.

Multi antecessorũ nostrorũ, imò plurimi quoq; inter Germanos & celeberrimi quidã Artifices, in hoc errarũt, quod parvis nimis ad labores suos usi sint, & lumine solisq; splendore undiquaq; repletis conclavibus pictoriis: quo ipso spatium sibi atq; distantiam necessariam ab Archetypo suo vel tabula remotè satis discedendi & retrogrediendi; nec minus laborem suum è longinquo conspiciendi, deq; eo judicandi; insimulq; etiam legitimam, è sublimi illabentis luminis ad rotundationes necessariam, vim; & ex consequenti naturale quoq; omnium colorum robur, præscide-runt, atq; eripuerunt: undè, si debitò & conveniente usi fuissent conclavi pictorio, præstantissimis suis Operibus, multò plus contribuere potuissent vivacitatis, energiæ atq; veritatis.

Antiquorum in eligendis conclavibus ad pingendum minorib⁹ negligentia: quâ debitam sibi amplitudinem lumenque necessarium præripuerunt ipsi.

Necesse igitur est, ut conclave aliquod idoneum eligatur, præsertim ad pingendas Imagines iconicas & magnitudine viventium; nec minus etiam ad Picturas historicas atq; similes. Et hoc quidem debitâ suâ carere non debet altitudine atq; amplitudine; ita ut longitudo ad minimum eidem sit triginta pedum, & latitudo fermè eadem: prout & lumini, quod è medio conclavi ejusq; lacunari summo illabi debet quinq; vel sex ad minimum in quadrato tribui debent pedes, quamvis foramen rotundũ foret convenientius. Subter hoc lumen adhuc una sit priori similis apertura, quæ claudi queat & contegi: ita ut si Historiæ repræsentandæ sint, quæ in campo aperto plenò Sole claroq; in lumine facta sunt ad id, quod illabitur superius, admitti quoq; possit aliquid istius inferioris. Et hoc quidem lumen è Septentrione peti debet; quia ab isto cardine solis splendor omnium est minimus. Genuinũ ergò atq; conveniens Arti nostræ Conclave istud est; si in illo omnia eodem congesta Archetypa atq; exemplaria, nec non ipsæ picturæ lumen quoddam perfectæ pulchritudinis habeant, undè cuivis rei suum accedere possit decorum, sua umbra & sua reflexio.

De vera Conclavis Pictorii latitudine atque longitudine;

deq; lumine majore & minore:

quod septentrionale sit oportet.

Si itaq; sive vivũ exemplar, sive idea muta vel Archetypum in loco quodam, sive humiliore, sive elevatiore, (secundùm requisita Horizontis, supra quẽ opus ipsum, postquam consummatum est, tandem collocari debet:) hac ratione optimo lumine illustratum præ oculis consistat, ut omne

Quomodo collocandũ sit Archetypum; & quâ ratione observanda sit distantia.

Neceſſe eſſe, ut ipſe Pictor opus propoſitũ è longinquo examinare queat.

ibidem ſit lumen omniſq; umbra, quam Pictor deſiderare queat: ſic tandem Pictor octo plus minus pedibus abindè remotus conſideat. Atq; ſic debitum ipſi undiquaq; eſt lumen; & ſatis eidem adhuc ſuppetit ſpatii, abhinc retrogrediendi: quod ſummoperè ipſi eſt neceſſarium, ut opus ſuum è longinquo contueri, vel etiam opera ſua fortè majora huc illuc provehere, eademque pariter demittere & exaltare queat.

Res etiam parvas requirere ſpatium & lumen decens.

Illi quoq;, qui opera tantum illa minora elaborant, ſi præſertim vivis uti velint exemplaribus, ob neceſſariam ſibi diſtantiam, & ut lumen è ſublimi accipiant, laboribus ſuis ne incumbant in anguſtis nimis Conclavibus; ſed ſpatium ſibi atq; lumen quærant: ubi omnia melius certiorique menſurâ & majori vivacitate ipſis apparebunt.

De commodo feneſtrarum papyracearum.

Si autem lumen ob defectum melioris commoditatis à meridiano admittendum ſit cardine; feneſtræ muniri queunt quadraturis è chartâ imbutâ oleo factis, ne ob ſplendorem ſolis falſę ullę ingruere queant

De luminis altitudine.

luminis immutationes. Plerumq; iſta quoque ſit luminis altitudo, ut quodvis corpus illuminatum tantundem quoad longitudinem in terram projiciat umbræ, quanta eſt vera ipſius longitudo.

Quomodo procedendum circa Picturas nocturnas penes ignẽ & candelas repræſentatas.

Si quis Hiſtoriam repræſentare velit noctu geſtam, is ignem ſtruat magnum claroq; lumine ardentem, & fulgore longè lateq; circa ſe conſpicuo: & in rebus circumſtantibus decenter obſervet, quâ proportione naturali colorem ignis participent, quoq; propinquiores ſunt, eò magis rutilent, & quâ ſpecie in oculos incurrant

Color ignis.

alia. Ignis enim rutilus planè eſt, ita ut ad colorem ejus mixtura requiratur flavi plumbei clari, cum candido atq; minio: & hac ratione ipſæ quoq; res ab igne colluſtratæ effigurandæ ſunt. Quò magis autem res quælibet ab igne remotior eſt, eò magis in ipſis quoq; ceſſare debet ejuſdem ſplendor, ut pedetentim in atrum tenebricoſumq; noctis colorem deficiant.

Quis color tribuendus ſit figuris Nocturnis;

Figuræ ante ignis lumen conſtitutæ obſcura & nigricante ſpecie inter ipſius fulgorem prodeant: quia ipſi noctis obſcuritati, non autem igni ſuam debent originem. Imagines autem ad latera collocatæ pro dimidiâ parte obſcuræ, & pro dimidiâ igneæ ſive rutilæ ſint. Quæ autem ab igne colluſtrantur penitùs, totæ rubeant, & à flammarum reflexione illuminatæ in fundo ſpadiceo atq; obſcuro conſiſtant.

& quinam actionum geſtus.

Quod autem ad actiones geſtuſq; & diſpoſitionem illarum attinet; iidem, qui igni ſunt viciniores, hôc modô repræſentari poſſunt, quaſi obtenderent pallia, vel manus faciei præmittant, vel igni obvertant, quaſi nimium ignis averſuri æſtum. Qui autem remotiores adſtant, oculos ſuos manibus obterere poſſunt, quaſi mordicante fumo, vel offendente flammarum fulgore. Geſtus atq; diſpoſitiones plures atq; ſimiles, prudens quilibet Pictor ex ipſâ naturâ vivorumq; exemplorum occaſione aucupabitur.

Præclara picturarum nocturnarũ exempla factarum à Raphaele, Baſſano,

Inter artificioſas ejuſmodi picturas præ cœteris laude digniſſima eſt nox illa Raphaëlis: quâ Angelus è carcere educit Petrum: ubi illius ſplendore omnia illuſtrantur quàm decentiſſimè. Sic etiam Baſſanus multa elaboravit opera nocturna, quę laude ſua haudquaquam ſunt privanda.

Gerhardo ab Hundhorſt,

Gerhardus ab Hundhorſt præclariſſimus erat circa nocturna ad lumina reflexa: prout exempla laboris ejus ſpectari poſſunt Romæ in Templo, quod vocant Alla Madonna della ſcala: qualia adhuc plura elabaravit alia, etiam illo adhuc tempore, cum ego Ultrajecti diſcipulus ejus eſſem; quæ omnia pingebat magnitudine viventium, magnamq; omni loco his ipſis promerebatur laudem. Multa quoq; dici poſſent de Celeberrimi illius Francofurtani

Adamo Elzheimero,

Adami Elzheimeri Noctibus picturâ minutiore repræſentatis: ubi v. g. Jupiter & Mercurius in tugurio Baucidis & Philemonis ad lucernam nocturnam accumbunt: ut Ceres facem tenens à vetulâ quadam potum petit: nec minus etiam, ubi fugam Chriſti in Ægyptum ad Lunæ ſplendorem inſtituit, Joſepho tædâ ardente manibus arreptâ viam præmonſtrante: cum pluribus aliis. Singulari quoq; Encomio dignum

Antonio de Corregio,

eſt opus illud Antonii de Corregio, quo Nativitatem Chriſti exhibet, accedenteſq; Paſtores, qui pleno lumine à Chriſto puerulo illuſtrantur: id quod ſupernaturali quaſi & admirando judicio expreſſit.

& ab Autore.

Similia quoq; opera Autoris manu facta hinc inde conſpici poſſunt: nimirum Romæ; quâ ratione Nero Imperator Senecam nudum ad facem ardentem, in præſentiâ Centurionis cujuſdam cataphractati, atq; militum, nec non uxoris ejus, amicorumque & diſcipulorum, apertis venis ejus interfici curet; quod apud Principem Juſtinianum invenitur. Sic etiam quâ ratione Cato Uticenſis ad candelæ lumen ſibi ipſi violentas inferat manus. Sic etiam ſacra Domini Cœna Lincii in Auſtria: & diſceſſus S. Joſephi ex hoc mundo: nec minus vulneratio S. Sebaſtiani ſagittis facta ad lumen facis cujuſdam, in Altaribus Lambachienſibus: ſimiliter quoq; decollatio S. Johannis Baptiſtæ in Æde Dominica Bambergenſi; & alibi alia, de quibus ad evitandam inanis gloriolæ vanitatem ipſa potius loquatur oculorũ inſpectio, quàm folium iſtud plura adjiciat.

❋

Caput XIV.

De Colorum origine, natura & significatione.

Argumentum.

Qua ratione lux omnia detegat, tenebræ autem contegant omnia. Colores esse duplices, naturales & Arte inventos. Lumen & Umbram duos esse totius mundi colores principales, fundamentalesq́; Artis Pictoriæ. Per nigrum in albo doceri omnes homines; humanamq́; conservari societatem. Albedine atq; nigredine colores fieri nobiles vel ignobiles. Antiquitùs quatuor tantùm colores in usu fuisse. Septem colores principales. Ad Picturam multos inventos esse colores. De coloribus pro subactu oleario comprobatis; quales sunt Album Anglicum (Schulp-Witt;) ochra flava; rubrica Anglicana (Braun-roth;) Terra viridis; Lacca color est debilis; Flavum ebulinum (Schitt-gelb) fugax est; Umbra, terrea; Atrum ex ossibus; Atrum è fuligine, inconstans; nigrum cærulascens, & carbonaceum; cæruleum ultramarinum color est perfectus; cæruleum Germanicum & montanum fugax; flavum plumbeum, & minium. Pictori nota esse debet Colorum significatio. Quæ sit significatio coloris albi; flavi; cærulei; rubri; (cùm carneo & purpureo;) viridis, bruni, & nigri. Colores mixtos sequi significationem colorum suorum principalium.

Qua ratione lux omnia detegat;



Sub primum rerum initium, Sapientissimus ille totius Naturæ Conditor, visibilia omnia è nihilo producturus, advocatâ primò Luce, confusum illud chaos, quod omnium creandorum massa erat communis, in apricum protulit. In hoc chao tunc temporis omnes simùl juncti atq; commixti invicem erant colores, donec tandem debita singulorum institueretur separatio. Porrò etiam, postquam genuinam suam faciem jamjam nacta est omnium rerum natura, hæc ipsa tamen ingruentibus singularum Noctium tenebris semper iterum occultatur, opusq́; quotidiè habet diurno Solis lumine, ut visui sese rursus queat exponere. Adeoq́; non nisi Lumini unico acceptum referimus hoc beneficium, quod singula suis videamus coloribus. Unde quidam erroneam hancce fovent opinionem, quasi colores omnes ipsi Lumini inhæreant: quod tamen ex eo non est probabile, quia aliàs omnia apparerent albida; cùm Lumen alium conferre rebus colorem nequeat, quàm illum, quem ipsummet habet. (Nisi forte intra corporum poros parte quâdam illius absorpta, candor ille deficere judicetur.)

tenebræ autem contegant omnia.

Colores esse duplices, naturales & arte inventos.

Duo tamen communiter existunt colorum genera: quorum primum est naturale, ille nimirum color, qui cuivis rei nativus est, & per quem eadem ab aliis distingui atq; internosci solet; prout in specie in metallis apparet. Alterum colorum genus est artificiale, cùm nimirum ingenio & arte hominis ex aliorum commixtione color aliquis invenitur. Quemadmodum autem ipse creator in principio distinctionem instituit inter Lucem & tenebras, totamq́; naturam inter duos istarum extremitatum colores, tanquam inter duos cardines coaptavit: sic iidem meritò haberi possunt pro duobus præcipuis, adeoq́; pro totius rei pictoriæ primis fundamentis. Solo enim albo & nigro res omnes, per lucem & umbram repræsentare potest artifex, non ullo adhibito colore alio tertio; si profunditatibus atq; eminentiis ritè observatis, omnia rotundâ elevet mole, & rem quamlibet debitâ proportione vel approximando adaugeat, vel retrocedendo diminuat. Et nigrum hoc atq; album creata omnia in deformia distinguit & in pulchra, iisq́; vel odium conciliat vel amorem. Prout isti duo colores anima quoq; sunt & vita Nobilissimarum artium, scriptoriæ nempè & Typographicæ, quarum beneficio mediante hoc albo & nigro in artibus, atq; scientiis, rerumq́; gestarum serie homo informatur, totiusq́; humani generis commercium conservatur, negotiis nempè & contractibus hoc ipso medio variè corroboratis; & absentibus etiam per loca quàm maximè dissita sic colloquentibus & familiaritate mutuâ sese devincientibus invicem.

Lumen & umbram duos esse totius mũdi colores principales, fundamentalesq́; ArtisPictoriæ.

Per nigrum in albo doceri omnes homines; humanamque conservari societatem.

Ut autem ad ipsas colorum naturas paulò descendamus profundiùs, sciendum est, colorem album haberi pro nobilissimo; è contrario autem pro maximè ignobili nigrum; ita ut & cœteri ex hoc solo vel majoris vel minoris æstimentur, quod nempè alterutri horum viciniores sint atq; magis cognati. Olim idem erat colorum numerus, quem statuebant elementorum, nempè quaternarius; cùm & Aristoteles solummodò albi, nigri, flavi, atq; rubri mentionem faciat. Sic & Græci, Euphranore alisq́; testantibus, quatuor saltem primitùs pinxere coloribus. Unde fortè colligas, cũ binos istos cœruleum nempè in cœlo, & viridem in arborum foliis ac gramine ob-

Albedine atq; nigredine colores fieri nobiles & ignobiles.

Antiquitùs quatuor tantùm colores in usu fuisse.

serva-

servatos minimè negligere potuerint, illos nigredinem atq; albedinem ceu lucem ac umbram sub quatuor istis haud comprehendisse: sed medios tantùm, rubrũ nempè, atq; flavum, cœruleum & viridem colorum nomine vocasse. Duobus enim hisce posterioribus quævis pingi atq; efformari quî potuissent? Nec etiam video, quomodo quatuor illos jam dictos Aristotelis colores cum Elementis congruè comparem? Cùm, licet ruber quidem ac niger igni & terræ dici queant similes; albus tamen atq; flavus aërem & aquam nullatenus exprimant.

Septem colores principales.

Deinceps septem in natura deprehensi sunt colores cardinales; albus nimirum, cœruleus, flavus, ruber, brunus, s. purpureus, viridis & niger: quamvis quintus iste, utpotè ex rubro atq; nigro tantùm commixtus propriæ speciei nomen haud mereatur. Et ordo quidem iste, albedinis ac nigredinis, seu lucis ac umbræ respectu consideratis, jure competit: aliàs verò cœruleum rubro, & flavo album, quia horum metalla aurum atq; argentum sunt, meritò cedunt.

Ad Picturam multos inventos esse colores.

In usum verò Artis nostræ & pro illius perfectione successu temporis multi invẽti sunt colores, de quibus integra typis edita sunt volumina, è quibus ea quilibet sibi seligere poterit, quæ in usum suum judicaverit esse necessaria: eò quod non omnibus omnes ex æquo colores prosint. Adeoq; nihil hîc dicam de Monochromate miniato, & pictura recentis albarii (in Fresco,) de pictura florum, de coloribus gummatis, & qui communiter aquâ tantùm subigi solent; sed de iis tantùm agam, qui oleo subigendi sunt & ad opera sub quantitate viventium pingenda adhiberi debent, quosq; ego comperi esse optimos, constantissimos & maximè tractabiles.

De coloribus pro subactu oleario comprobatis; quales sunt

Ut igitur ab albo faciam initium, Album illud Venetum, quod panum vel pileolorũ forma ad nos afferri solet, ego quidem omninò deprehendi inconstans atq; impurũ, ita ut citissimè emoriatur, & flavedine quadam offuscetur: quare adhibere solitus fui genuinum illud atq; constans Album Anglicanum, (Schulpweiss;) quod è stanno vel plumbo Anglico præparatur, & Amstelodami à Chromatopolis nomine Belgico (à Conchyliis) Schulp-witt nominari atq; sic vendi solet; quia nimirum diutiùs in candore suo perseverat. Ibidem etiam magna in copia obtineri possunt Ochræ flavæ pulcherrimæ & optimæ, qui color unus est inter maximè necessarios; cujus flavedo eminentior etiam inter umbras commisceri potest, ita ut tàm igneo splendore in Germania non reperiatur. Jamq; sequitur Brunum illud purpureum, quod Braun-roth appellamus; præsertim illud, quod nõ obscurum vel nigrum nimis apparet: hoc, inquam, ex Anglia pariter Amstelodamum transportatur; prout & Terra illa, quam viridem dicimus (Terra verda.) Porrò Ochras iidem quoq; habent brunas; terramq́ue Coloniensem, (Cülsche Erd,) substantiæ optimæ: quâ nonnulli utuntur plurimùm, Ego autem parcius.

Album Anglicum (Schulp-witt,)

Ochra flava;

Rubrica Anglicana; (Braun-roth:)

Terra viridis;

Rubrum illud, quod Laccam vocamus, non est minerale, ut suprà commemorati colores; sed succus tantùm aliquis (è vegetabili quodam) extractus, adeoq; fugacis admodùm naturæ. Sed quia sine illo opera nostra debitè absolvere nõ possumus, hinc eò major adhibenda est diligentia, ut optimo tantùm illius genere quis utatur, quale Florentinum est, & Venetum; præsertim ubi ultima picturæ adhibenda est manus. Quod enim vilius est, ab aëre, sole, & aquis vitium patitur & evolat.

Lacca est color debilis.

Eodem planè modo sese res habet cum flavo ebulino (Schitt-gelb,) quod pariter sub forma succi extrahi, & in coloris substantiam incorporari solet: Unde eâdem hîc opus est prudentiâ, ita ut ibi tantùm, ubi carere illo non possumus, & cum judicio cauteq; admodùm quis illud cum aliis commisceat, & adhibeat. Multi quoq; circa hunc colorem sese immiscent abusus: Augustæ Vindelicorum autem Flavum hoc ebulinum confit optimũ & obscurissimum, quale unquam manibus meis tractare contigit.

Flavum ebulinum (Schitt-gelb) fugax est;

Terra, quæ Ombra vocari solet, mineralis est, & fugacitati haudquaquam subjacet, sed color est terrestris admodùm: quem potius evitavi, quàm adhibui, quia colorem haud præbet amœnũ. Nigrum ossium, (Beinschwartz) quod è combustis tibiis Boum, vel aliis ossibus durioribus præparari solet, quæ igne comburuntur, donec nigredinem contrahant, valdè idoneum est pro subactu oleario; longè autem melius & constantius est illud, quod paratur ex Ebore usto.

Umbra, terrea;

Atrum ex ossibus;

Atrum fuliginis (Rus-schwartz) inconstans est & noxium, atq; hinc etiam planè evitandum, si ullatenus id fieri queat. Atrum illud, quod è sarmẽtis vitium combustis præparari solet, adhuc durabilius est, & à multis usurpatur. Nigrum commune carbonaceum usitatum quidem pariter satis est, nec nimiam tamen constantiæ laudem meretur. (Paratur autem & è combustis persicorum nucleis nigrum.)

Atrum è fuligine, inconstans;

Nigrum cœrulascẽs, & carbonaceum;

Cœruleum ultramarinum, sive asureum, quod è Lapide Lazuli præparatur, color est perfectissimæ constantiæ; imò quo pulchrior & lucidior, eò constantior. Cœruleo Germanico, variisq; cœruleis montanis (Berg-blaw) non nimium est fidendum, quia facilè emoriuntur, & obscura fiunt atq; viridescunt.

Cœruleum ultramarinũ color est perfectus;

Cœruleum Germanicũ & montanum fugax;

Cinna-

ut & Cinnabaris; flavũ plũbeum, & minium.

Cinnabaris ritè præparata congruè quidem & debitis locis nonnunquam adhibenda, sed parciùs applicanda eſt; ſicut & flavum plumbeum tàm quod clarius eſt, quàm quod obſcurius; nec non minium: ruboris enim pulchritudo inconſtans illis eſt atque fugitiva admodùm. Et hanc omnium colorum iſtorum indolem ipſa me docuit illorum natura & magiſtra rerum experientia.

Pictori nota eſſe debet Colorũ ſignificatio,

Jam circa colores etiam, quam in Ethicis (atque politicis) ſignificationem habeant, ſcire in arte pictoria valdè conducit: ut artifex nimirum in picturis ſuis genuinum hiſtoriarum ſenſum atque debitos affectuum characteres coloribus ingeniosè accommodatis attingere ac aſſequi valeat. Primas igitur hîc tenent bini iſti, flavus nempè atque albus color, quos in ſole ac luna cernimus, inque duobus illis metallis, auro ſcilicet atque argento reperimus.

Quæ ſit ſignificatio coloris albi;

Ubi Lucem quidem propriè repræſentat albus, flavum non antiquitate tantùm antecellens, cùm lux ſole fuerit prior; ſed & puritate atq; claritate; eò quod color iſte omnium ſit puriſſimus atque lucidiſſimus. Quare puritas eodem indigitari ſolet & caſtitas; prout & juſtitia nec non innocentia illibata: Adde quod Sapientiam quoque ceu Intellectus lucem eo deſignent. Sicut & lætitiæ & felicitatis pariter, ut & ſanctitatis cenſetur eſſe nota; eò quod ſerena luce totum videamus delectari terrarum orbem, nec minùs angeli quoque aliique cœlicolæ beati albis ſeſe, quoties apparuêre, ſtiterint veſtimentis. Cœteroquin colorem huncce non pauca commonſtrant creata naturalia; qualia præſertim ſunt: argentum puriſſimum & margaritæ; ſic ipſa etiam venuſtorum corporum cutis, nec non Lilia, aliique flores; nix itidem, charta, ova, farina, calx, creta atque ſebum; quæ ſingula album hunc referunt colorem. Aliàs verò primæ idem infantiæ; nec non Elemento Aquæ; & inter metalla ſtanno; è temperamentis autem illi, quod humidum eſt ac frigidum & phlegmaticum vocari ſolet; tandemque autumno aſſimilari ſolet.

flavi;

Poſt album, colorum lucidiſſimus eſt flavus, qui & ſolis color eſt & auri, quam ob cauſam idem etiam pro nobilisſimo haberi ſolet. Unde jam per ſe conſequitur, Majeſtatem, Excellentiam, Nobilitatem, honorem atque gloriam eodem deſignari, eò quod ſol in aſtrorum Regno monarcha ſit unicus; nec non divitias quoque eodem ſubindicari, quippè quarum pondera ex auro commenſurantur potisſimùm. Flavum autem pallidius: quale in deciduis autumnalium frondium apparet foliis, nota eſt corruptionis. Aliàs quoque ſedem ſuam hic color habet in Topaſio gemmâ; nec non in heliotropio & calendula, aliisque floribus ſimilibus. Ex ætatibus eidem tribuitur virilis, ex anni temporibus, æſtas; è complexionibus cholerica, quæ calida dicitur & ſicca. Et duo quidem iſti colores, flavus nimirum ac albus, in arte Heraldica & Inſignibus vocantur duo Metalla; ubi neutrum fas eſt ſuperimponere alteri.

cœrulei;

Poſt flavum albedini proximus eſt color cœruleus, ſerenati nempè illa cœli facies: ut enim ex hoc Sol ipſe & Luna atque Stellæ; ſic flavum è cœruleo in picturis pulcherrimè elucescit. Hoc ipſo ſubindicatur Devotio, ad cœli nimirum culmina aſpirans; nec non ſedulitas, eò quod in motu perpetuo ſit cœlum; multarum quoque rerum ſcientia, quia è ſummis deſcendit omnis ſapientia; porrò & famæ amplitudo, cùm color iſte totum ambiat terrarum orbem. Quam ob cauſam verò zeli quoque dictus ſit ſymbolum, penetrare nequeo: niſi fortè ſubintelligendus ſit devotionis zelus. In naturalibus quoque aliis ſedem ſuam reperit, ut in Sapphiro, floribusque quamplurimis. Elementum autem, cum ipſo correſpondens, eſt aër; & inter Planetas Jupiter; porrò inter ætates, juventus; inter metalla, ferrum; inter complexiones, ſanguinea, quæ calida eſt & humida; & inter anni tempora Ver. In arte Heraldica autem vocatur Laſureus.

rubei;

Rubeus color inter album & nigrum intermedius planè eſt; & Heroum color vocitatur: quia Viri fortes ad profundendum in bello ſanguinem ſuum hoc ipſo incitantur, igneusque illorum animus eodem ad fortia magis accendi ſolet facinora. Hinc fortitudinis eſt ſymbolum, & crudelitatis, ob ſanguinis effuſionem, & iracundiam: ſed & juſtitiæ, quia proprio tandem mali tinguntur ſanguine: porrò & verecundiæ; ob faciei erubeſcentiam; nec non amoris, cum iſte quaſi flamma ſit cordis. Inter gemmas in rubino ſplendeſcit, inque floribus quamplurimis, præſertim autem in floridisſimo roſarum genere promicat. Inter elementa eidem annumeratur Ignis; Inter Planetas, Mars; Inter artes, Virilitas; Inter

tempe-

(cum carneo & purpureo;) temperamenta cholericum, quod calidum est & siccum; inter metalla, Cuprum; inter anni tempora, Æstas. Aliàs sedem suam quoque reperit in pulchritudine labiorum: & si immixtum habeat album, incarnatus vocatur, atque roseus aliàs. In insignibus summum iste habet locum, & Rubineus vocatur. Purpureus autem color rubeus est obscurissimus, è tincturâ conchyliorum quorundam desumtus olim, & Regibus solis attributus, ita ut plebejis gestare purpuram omninò esset vetitum. Atque hic in solis Insignibus Regni Castiliæ invenitur.

viridis; Color viridis in summa Telluris superficie progerminat, & in gramine, arborumque frondibus sese prodit, & oculis præ cœteris blanditur. Hinc Gratiam quoq; designare solet; & amœnitatem animi; quoniam per illum quasi ridet annus: nec non sanitatem & vivacitatem, quia herbarum color est; item Spem, eò quod viridantia frugum sata plena agricolæ promittere soleant horrea. Inter gemmas è Smaragdo effulget; & ad partes Veris accedit; & Adolescentiæ vegetantis nota est, Veneremque pro Planeta habet. In insignibus autem rejici solet, cujus tamen causa me latet.

bruni; Brunus color, (cujus species, amethystinus, spadiceus, ruffus, badius, puniceus) est mixtura rubri & nigri, rubeoque proximus; inter gemmas elucet ex Amethysto, & pro Planeta habet Mercurium. Significatio autem ex utroque mixturæ colore petenda est; ita ut hinc Symbolum exurgat Mediocritatis in omnibus animi perturbationibus, impetuque ingenii; unde procedunt prudentia, frugalitas & acquiescentia. In insignibus raro invenitur, & inter ætates, quietum denotat vitæ senescentis statum.

Niger color, oppositum est candidi, unde obscuritas rerum omnium, prout ab albedine omnia fiunt lucidiora. Atque hinc propriè loquendo Nigredo dicenda non esset Color, sed omnium potiùs colorum Mors atque interitus. Unde symbolum quoque est tristitiæ, mœroris, variorumque infortunii generum, prout & ipsius damnationis propter infernales illas tenebras. Interim tamen constantiæ quoque nota dicitur, quia inter omnes colores quàm diutissimè durat: quam ob causam inter gemmas huc etiam refertur Adamas. Elementum ejus Terra; Planeta, Saturnus; metallum, Plumbum est: Inter anni tempora autem ei tribuitur Hyems; inter complexiones, melancholica, quæ frigida est & sicca. In Arte Heraldica nomen suum vulgare retinet. nigri,

Quæ autem denique mixtorum porrò colorum sit significatio, ex principalium descriptione, qui mixturam illam ingrediuntur, satis perspicuum est; prout paulò antea de amethystino jam diximus. Colores mixtos sequi significationem colorum suorum principalium.

CAPUT XV.

De Pictura Sinensium, item de figuris ligno incidendis: nec non de Melano-chalcographia seu figuris nigricantibus in ære effingendis.

Argumentum.

Muhammetani nullas tolerant imagines. Chinenses easdem peramant, de coloribus tamen oleariis nullam habent notitiam, & picturis tantùm utuntur simplicibus, nuda circumscriptione delineatis. Ratio istius inscitiæ. Pictor illius gentis clarissimus fuit Higiemondus, quem nigrum appellant, Indus natione. Descriptio operum quorundam à Chinensibus pictorum. De figuris ligno incidendis. Hæc ars primam dedit ansam, ad inveniendam artem Typographicam. In hac arte excelluerunt in Belgio, Lucas Lugdunensis; in Germania, Albertus Dürerus; Grünwaldus & Holbeinius. De arte melano-chalcographica, quam æris nigricantis vocant. Istius inventor fuit Locum tenens Chiliarchicus N. de Siegen. W. Vaillant mira in hac arte præstat. Regulæ quædam de Pictura.



Postquam varia jam tradidi de arte hac nostra, non olim tantùm in Ægypto, Græcia & Italia; sed & hodiè adhuc in Germania & Belgio, aliisque regionibus Europæ satis superq; exculta; non abs re fore visum mihi est, si quædam etiam superadderem de iis, quæ Nationes aliæ peregrinæ in hoc studiorum genere præstiterunt. Ubi Turcæ quidem & Persæ, (quorum hi in omni artium genere acumine ingenii & judicio illos semper præcellunt) quippè qui Muhammetanæ Religioni addicti sunt, è singulari devotione statuariam & pictoriam pro peccato mortali habent, nec ullas imagines tolerant, vel alicui utendas concedunt. Inter alios tamen Barbaros Asiaticos Chinenses in arte pictoria satis experti sunt, prout & in aliis artibus subtilitate ingenii cœteros longè post se relinquunt. Hi igitur utraque hac arte præ cœteris insigniter delectantur, iisdemque non tantùm variè utuntur; sed illarum quoque cultores in magno honore habent. Cùm præsertim imaginibus & statuis frequenter exornent templa sua, in quibus idola ipsis sunt quàm plurima, quæ ab illis in omni necessitatis casu adorantur atque coluntur.

Muhametani nullas tolerant imagines.

Chinenses easdem peramant;

Præterea tamen ornatus quoque & delectationis causâ magnam habent picturarum copiam, quibus varia vitæ repræsentantur negotia; quæque magni ubivis ab illis æstimantur. Easdem tamen fermè omnes absque ulla regula, soloque fallacissimo illo ductu conjecturæ suæ ocularis elaborare solent. Nihil enim ipsis innotuit de præstantissimo illo colorum oleo subactorum usu; prout & nihil de temperanda colorum duritie & mitiganda picturæ speritate: sed coloribus aqua tantum gummatâ temperatis, prout nostrates, qui Miniaturæ studio sese dedunt, utuntur in foliis sericis vel membranaceis.

de colorib⁹ tamen olearis nullam habent notitiam:

Omnia quoque simplicissimè tantùm repræsentant, solo circumductu rem delineando, nullâ simùl adhibitâ umbrâ; nihil etiam rotunda mole elevant, sed objecta sua coloribus simpliciter superintegunt. Ignorant enim, quâ ratione res quælibet, juxta nativam suam proprietatem, debitè sit elevanda; item quomodo aliquid sisti debeat antrorsum, & quomodo retrorsum; & qui sint modi alii ad naturalem rei statum exprimendum apprimè necessarii, quos quidem pictores Europæi sedulò ubivis observare solent. Horum omnium, inquam, ignari omninò sunt, ita ut imagines illorum nudo linearum circumductu formatæ sint. Unde facies quoque anteriùs totas repræsentare omninò nesciunt: & sic quoque in subdialibus; ædificiis; animalibus; aliisque rebus simplicioribus procedunt: Ita ut meritò quis mirari queat, quî fiat, quod natio hæc aliàs satis arguta Artis Prospectivæ nullam penitùs habeat notitiam. Opera ergò illorum utplurimùm non in hoc tantùm valdè sunt levia; sed in illis quoque pars posterior plerumque major apparet, quàm anterior, ita ut è diametro videantur adversari præscripto regularum.

& Picturis tantum utuntur simplicibus.

nudâ circumscriptione delineatis.

Omninò tamen persuasum mihi est, si natio ista non omnes è terra sua in regiones exteras prohibuisset peregrinationes, vel pictores nostros Europæos ad se admitteret, illos indubitatò ob argutissimam naturalis ingenii sui sagacitatem, compendia istarum artium meliora mox indagaturos, præclaraque experientia confirmaturos esse. In misera autem hac, de qua jam loquimur, Pictura sua Indus quidam, quem Higiemondo & communiter Nigrum, vocant, quamvis ab omni arte quàm maximè alienus, pro optimo tamen habebatur artifice: cujus vera Imago Lectori Nobili peculiari figurâ hîc exhibetur.

Ratio istius inscitiæ.

Pictor illi⁹ gentis clarissim⁹ fuit Higiemondus, quem nigrum appellant, Indus natione.

Ridiculæ autem Picturæ hujus opera haud pauca in meis sunt manibus, quæ ab ipsis Chinensibus obtinui: cum quibus si antiquas illas fatuasque figuras, in prioribus illis ante duo Secula impressis libris, vel in antiquis tapetibus repertas, quis conferat, non ovum ovo dicet esse similius. Et quia, quæ in illis occurrit diversitas, in solis coloribus consistit, æri sanè incidere eadem operæ pretium non fuit. Inter illa autem mulier quædam Chinensis honestioris formæ, quæ, pro more illius Regionis lac è mammilla sua expressum digito suô in os infantuli derivat: sic enim enutrire solent infantes suos, ne scilicet ab illis mordeantur, nec etiam hi magni oris vitium, quod inter illos pro signo magnæ deformitatis habetur, sibi creent. Figura quædam alia Dominum quendam repræsentat illius regionis maximè præcipuum, ditissimum, atque spectatissimum, qui in palatiô suo super tapete quodam residet, habitu splendidissimo, & in consortio concubinarum suarum sese recreat, istis scilicet eidem variè ministrantibus, suffituque, refrigeratione aërisque ventilatione eundem oblectantibus. Alibi communis quidam illius nationis Scriba repræsentatur genibus innixus, & scutellam potu Tée repletam habens, quasi jamjam bibiturus. In alia quadam figura nobilis quædam fœmina exhibetur, avem quandam feram cicurans, quod penes illos ruri admodùm in usu esse dicitur; ita ut mulieres Sinicæ majore vix gaudeant delectatione, quàm ut aviculas liberè volitantes, quas ibidem copiosissimas habent

Descriptio operum quorundam à Chinensibus pictorum.

atque pulcherrimas, cicures reddere & ad consortium humanum assuefacere queant. Adhuc alia figura Saltatricem repræsentat, quales in illâ regione inveniuntur quàm plurimæ, quæ in diversoriis, nec non & alibi inter convivia, sicubi desiderantur, instrumentis suis musicis variè ludunt, simulq; saltant, & more comico cantant atque saliunt, & hac ratione certo pretio conductæ societatibus varia ministeria præstant.

De figuris ligno incidendis.

Antequam autem Discursui huic nostro imponamus finem, paucula adhuc dicenda restant de formis, prout vocant, sive figuris ligno incidendis: quæ Ars pulcherrima sanè libris præsertim typo impressis per literas initiales magnum conciliat ornatum. Figuræ a. in hac arte in trunculis è ligno pyrorum primò ab Artifice delineante calamo describuntur atque designantur; & deindè à Xylographo sive Sectore formarum ita ligno inciduntur, ut quicquid lineis vacuum est, penitùs exscindatur, nihilque maneat superstes, ac eminulum, nisi quod opere Diagraphico illuc delineatum est. Et iste postmodùm trunculus ita exsectus in quadro typographico literis apponitur, cochleisq; simul firmatus sub prælo chartæ pariter imprimitur. Inventæ autem pulcherrimæ hujus artis gloria Germanis nostris debetur, quippè è qua deinde ars typographica originem traxit, quæ Anno 1440. Argentorati atque Moguntiæ primum habuit initium: ita nimirum, ut, antequam Ars illa moderna fundendi typos innotesceret, prout notum est, forma integra scripturæ imprimendæ ligno inscriberetur, lignoq; postea modo supradicto exciso tabula hæc consequenter ita imprimeretur, prout adhuc videre licet in libris primitùs impressis, quales sunt Processus Belialis de Anno 1487. Reformatio Norica Anni 1488. aliique similes.

Hæc ars ad inveniendam artem Typographicam, primam dedit ansam

In hac arte excoluerunt in Belgio, Lucas Lugdunensis;

Tales figuræ Xylographicæ apud Germanos superiorum temporum, ceu primos illarum inventores, magni æstimabantur: quos postmodùm imitabantur in Belgio Johannes Niger Frisius, Lucas Lugdunensis Batavus, & tandem etiam in Italia Marcus Antonius & Hugo da Carpi. Inter Germanos laboriosus ille Albertus Dürerus ipse formas quasdam incidit: quem secutus est Tobias Stimmer, istumque porrò ejusdem frater Christophorus Stimmer Xylographus clarissimus. Atque sic non tantùm Norimbergæ, sed & Augustæ Vindelicorum, Basileæ & Argentorati multi erant in pulchrâ hâc arte Magistri satis clari atque celebres, prout in scriptis Operibusque Düreri, Grünwaldii, Pirkheimeri atque Holbeinii magnâ cum illorum laude videre licet. Libentissimè hîc quoque mentionem fecissem illorum artificum qui pulcherrimas illas & præclarissimas figuras ligno inciderunt, quas nobis Scripta Petrarchæ Anno 1551. Scripta itidem Ciceronis Anno 1540. impressa; Calendarium quoque Ecclesiasticum Norimbergæ impressum, prout & Biblia multa tam Germanica quàm Latina, nec non Homeri, Virgilii & Ovidii opera recentiorum editionum, variè exhibent, quippè qui laude suâ meritò non essent defraudandi: Nomina tamen illorum nullibi reperire nec expiscari potui.

Grünwaldus & Holbeinius.

De arte melanochalcographia, quam æris nigricantis vocant.

Ars illa Chalcographica, quam nigram dicunt, meritò hîc etiam sicco pede non est prætereunda: illa autem in hoc consistit, ut instrumentis quibusdam ferreis atque chalybeis acutis satis, vel potius aculeatis laminæ cupreæ more solito expolitæ, ex arte terantur, premantur, & obtorqueantur: quo facto, acuto deinde cælo effigiem porrò sive figuram in molli isto cupro delineant, (&, quæ elevanda sunt, iterum expoliunt.) Qui labor quinquaginta vel sexaginta impressiones præbet exactiores, nec multò post, cùm in cupri saltem superficie hæreat, nec profundè illud penetret, atteritur, atque evanescit. Aliàs verò non magnæ judicatur esse difficultatis ars ista, & exercitium in se haud indecens, nec injucundum. In delineatione autem totum consistit negotium, ita ut ei, qui hanc probè callet, ars ista, similesq; scientiæ aliæ, penitus pateant, ludique tantùm instar sint.

Istius inventor fuit Locumtenens Chiliarchicus N. de Siegen.

Primus hujus artis inventor Anno 1648. bello nimirum Germanico finito, fuisse dicitur Locumtenens quidam Chiliarchicus Hassiacus, cui nomen N. à Siegen, qui hac ratione Serenissimæ Viduæ Regentis Hasso-Casselianæ effigiem dimidiâ viventis quantitate; nec minus Principem quoque Auriacum efformavit. Deinde Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Robertus, Comes Palatinus Rheni &c. artis quippè delineatoriæ ac pictoriæ peritissimus, hancce scientiam egregiè admodùm expolivit, & ad tantam extulit perfectionem, ut addi nihil queat amplius: id quod certa quædam opera, à præcellentissima Serenitatis suæ manu facta, videlicet effigies quædam Magdalenæ, item nonnullæ icones Viventium, item miles quidam retrospiciens, micanti sua Cataphracta clypeoque & hastâ instructus, quibus paria non inveniuntur, abundè comprobant. Porrò eandem artem ulterius excoluit W. Vaillant pictor aliàs admodum peritus, inque delineatione exactè & solidissimè exercitatus, qui elegantia & artificiosa æri hoc modo committere cœpit opera quàm plurima, ob multitudinem jamjam reticenda: & iste jàm ob sum-

W. Vaillant mira in hac arte præstat.

mam suam industriam exercitiumque indefatigatum fidem ferè in hisce superat. Iste tamen Chalcographiæ modus operosis illis decussationibus aliisque in communiore cælatura occurrentibus difficultatibus opus non habet; sed si debita figuræ circumscriptio unà cum umbra & lumine sat accurata est, decussationes, lineaturas, vel punctationes admittit qualescunque; cum istæ qualitatem primariam haud attingant. Cœterùm in Arte hac natura ipsa quàm jucundissimè elucet, & tanta in ipsa concurrit vis luminis & umbræ, inque omni parte, præsertim in iconibus, tam eminens atque grata, ut simile quid neque cælando, neque aquis fortibus in ære aliàs obtineri queat.

Regulæ quædam de Pictura.

Conclusionis locò canones quosdam sive regulas ad Artem Pictoriam pertinentes apponere libuit, quas in studiis meis propriis ipse mihi præscripsi, atque secutus sum: quæque omnibus nobilissimæ hujus artis cultoribus haud parvam afferre poterunt utilitatem.

1. In Praxi pereximiæ hujus Artis Pictoriæ quilibet omnes illius regulas atque leges semper præ oculis habeat, illasque sequatur.

2. Perfectio ex hac Arte oriundorum operum, non pomposis verborum ampullis suavique eloquentiæ flumine, adeoque sine experientia acquiritur: sed genuina hîc requiritur scientia, & praxis atque exercitatio quàm accuratissima.

3. Observationes methodique jam notæ atque celebres, nec non ab antiquis quoque excultæ omninò præferendæ sunt recentioribus illis, & quotidiè nunc excogitatis pingendi modis facilioribus.

4. Si Artifex quidam opus aliquod insigne atque eximium elaborare conatur, ante omnia studeat, ut illius rei, quam propriè repræsentare desiderat, plenissimam habeat notitiam.

5. Officium boni habilisque & experti Pictoris in hoc consistit, ut in omni operum suorum parte plenissimum ostendat judicium; vel saltem perfectioni nullibi non tàm propinquè accedat, ut inter id, quod optimum, & quod paulò vilius est, quàm minima intercedat differentia.

6. Qui non ipse studii hujus exercitio interfuit, vel labores Pictorum propriis oculis est contuitus; néc illos, qui hanc Artem docent, vel de ea loquuntur, sedulò atque sæpiùs audivit; sed ex eo suam tantùm jactat Artem, quod multa de ea legerit, ille non tantùm insipiens est admodùm, sed & seipsum nimium quantum fallit.

7. Licet quis, ut genuinum in re quadam reperiat fundamentum, multum insumere debeat temporis; is tamen nondum repertô fundamentô ne pergat, sed debitum rei scopum indefatigatus exquirat, juxta vulgatum illud: Omnia conando docilis solertia vincit.

8. Sicut non tantùm mores regionis, sed & temporis historiarum à Pictore exhibendarum quàm maximè differunt; ita genuinus cujusvis temporis regionisve character in effigiebus atque faciebus exprimendis, unà cum vestitu tractibusque campestribus & animalibus, per quæ Provinciæ dignosci solent, ubivis observandus est.

9. Nemo ad certam aliquam methodum vel consuetudinem, sive receptum inter Pictores morem sese adstringat; sed sicut ipsa natura omnia semper variat & diversimodè producit; ita & nos in omnibus variare, & à bono ad melius nos convertere debemus.

10. Consilium vel exemplum clarissimorum in Arte Magistrorum, qui in hac vel illâ parte præ cœteris excelluisse existimantur, neutiquam negligatur: nisi quis re accuratiùs pensitatâ melius quid superadinvenerit.

11. Boni Artifices in memoriâ prudentum nunquam emoriuntur: & fructus illi, qui ab eruditis proferuntur, multò sunt durabiliores, quàm quod imperiti pariunt: undè cum hodiernô die artes atque scientiæ nonnisi multis laboribus ac sumtibus obtineantur, præclara ingenia nulli horum parcunt, quò post mortem suam in illorum quoque numerum referantur.

12. Notum quidem est, visum inter omnes totius Naturæ operationes motu pollere celerrimô, eò quod unô quasi momentô infinitas quasi species percurrere atque contueri possit. Nihilominus tamen unô eodemque momentô non omnia particulariter visu dignoscere atque discernere licet. Exemplum hujus esse potest ista typis sub prælo impressis penitus repleta pagina: in qua primo quidem intuitu confestim dijudicamus, multa ibi contineri descripta: Quænam autem sint illa verba, quidque dicant atque significent, primô intuitu nemo dicere valet; sed lineæ prius verbotenus perlegendæ sunt, ut quid contineant, hoc modo edifcatur. Eodemque modo, si quis in altum quoddam ædificium vel turrim quandam ascendere velit, ipsa natura jubet gradatim illuc eniti.

Atque

Atque sic etiam, si tyro quidam Pictoriæ artis naturali aliàs capacitate ad celeberrimam hanc cœlestemque Artem satis præditus, fundamentalem veramque cognitionem variorum Artis illius objectorum formarumve assequi desiderat; ante omnia necesse est, ut quælibet membratim consideret, nec ad secundum accedat, nisi quod primum esse debuit, optimè jam memoriæ impresserit, habitumque in pingendo illo jamjam sit assecutus. Quod si enim aliter quis procedat, vel tempus omni pretio pretiosius inaniter consumitur, vel ad minimum studium ipsum & cognitio Artis mirum in modum protrahitur atque prolongatur. Adeoque plus diligentiæ quàm celeritati tribuere tenetur discipulus.

13. In effigie decora manus ne elevetur altius, quàm ad caput; nec cubitus, quàm ad axillam; nec pes, quàm ad genu usque. Pes quoque longiorem pede non faciat gressum.

14. Cujusvis imaginis ipsa quasi anima & affectus exprimendus est; & id in ipsis quoque animalibus. Neque enim decet aratrô junctos boves superbâ illâ exprimere formâ, quâ pingi solet equus ille Alexandri Magni Bucephalus. Quamvis hæc forma non deceat famigeratam illam Inachi filiam, quæ in vaccam mutata fingitur: quę meritò depingitur erectô capite, pedibusque fugacibus, & caudâ innodatâ procurrens.

15. Ut necessaria corporis artuumque humanorum, nec non brutalium proportio, debitè observetur: ante omnia conandum est, ut membra singula legitimè invicem correspondeant, nec inæquali situ, sive contra requisita sexus, collocentur.

16. Communis imaginum mensura secundùm longitudinem consideranda est, non verò secundùm crassitiem.

17. Inter laudatissimas & maximè admirandas Naturæ productiones numeratur & hęc, quod in una specie variæ reperiantur formæ, quę nunquam ex omni parte, & omninò sibi invicem sunt similes. Unde quicunque naturam imitari studet, artus quàm optimè & accuratissimè considerare tenetur.

18. Contrarium; nempè longos imagini tribuere pedes & collum breve; item pectus angustum, & brachia longiora, tanquam deforme atque turpe fugiendum est; ita ut omnia juxta ipsius Naturæ discrimen discriminentur.

19. Qui aliquid ad vivum designare desiderat, is tantâ à prototypo abscedat distantiâ, quanta est ipsius rei longitudo, bis vel ter sumta; simulque sibi in imaginatione suâ proponat lineas quasdam rectas, quarum beneficiô id contempletur, quod designare vult: atque tunc lineæ hæ præsentativæ veram ipsi totius rei cognitionem insinuabunt. Et hoc in omni proposito, sicut & in designandis Operibus antiquorum, probè observandum est. Ubi tamen simùl notetur, quia celeberrima antiquorum Opera in perfectione suâ, ad magnum jam ascenderunt culmen, ita eadem penitus esse imitanda, ut nihil omninò nec addatur, nec diminuatur: aliàs enim procul quis à scopo aberrat, quod multis sæpè, tam Gallis quàm Belgis, accidit, qui Opera sua juxta exemplar quoddam antiquum quidem efformârunt, sed immixto simùl modo quodam pejore proprio, vel à Magistris suis assumto: Unde in illis chartâ deinceps exhibitis, parum apparuit boni, sed imitatio potiùs Calloti sui, seu Perierii, vel etiam Sprangerii, Golzii, vel Rubenii sese prodidit. Adeoque nil melius est, quàm genuina antiquorum Opera æquè ac Picturas rarissimas viâ rectâ, sepositâq; omni alteratione imitari: cum eadem, ad instar Sacræ Scripturæ, nec castrationem admittant, nec additiunculas.

20. In Operibus parvis errores non tàm facilè cognoscuntur, quam in majoribus. Ratio hæc est, quia in illis non omnes partes necessariæ æquè perfici possunt, quàm in homine, vel animali magnitudine viventis depictô. Si igitur opus ipsum hâc ratione non plenè est elaboratum; errores quoque in eo tàm facilè non animadvertuntur. Si enim e. g. virum quendam ducentis vel trecentis passibus â te distantem quàm diligentissimè contempleris, ob nimiam tamen distantiam dijudicare non poteris, utrum pulcher sit, an deformis; utrum vultu conspicuo & spectabili, an verò communiore. Et si istius viri diminutionem legitimè velis dignoscere, digitum saltem tuum ad unius quasi spithamæ distantiam oculo tuo ita prætendas, ut extremitas ejusdem subter pedes è longinquo adstantis viri applicetur: atque tunc digitum tuum eleves, iterumque demittas in eundem locum; & oculo tuo incredibilis apparebit diminutio.

21. Necesse est, ut quis simul ubique & inter omnes homines; & simul tamen domi atque solus sit: id est, cogitationes quidem suas quis emittere potest, ad omnia quasi objecta idonea, & proposito suo inservientia, ubicunque olim oculis hausta; & domi tamen solus eadem quis secum ponderare, & quod optimum videtur, ex illis eligere debet: hâc enim ratione mox laudabilem tyro in operibus suis assequetur Naturæ imitationem.

22. Postquam aliquis præcipuæ cujusdam Historiæ unum vel plura elaboravit Prototypa, cum amico quodam fidissimo consilium capiat, eademque examinari curet; omnibusq; deindè admonitioni-

bus diligenter quoque insistat, omnique studiô enitatur, ut tota inventio historiæ sit conformis, & in se quàm elegantissima: atque tunc sequatur exemplaria viva.

23. Honorem potiùs & gloriam sibi proponat Pictor, quàm utilitatem; nihilque festinanter præcipitet: prout quàm plurimi ex ista præcipitantia pravam assumunt consuetudinem, & sic corrumpuntur funditùs. Cùm è contrario majore & continuatiore studio ferventioreque diligentiâ judicium excrescat pleniùs, & gloriâ deinceps atq; famâ suam secum per se deferant utilitatem.



24. Quàm optimè dixit Horatius, tum demum ad perfectionem deductum esse opus quoddam, cum exindè possessori enascatur gaudium, Artifici autem sperata utilitas atque commodum.

25. Quamvis interdum leviores quidam & minutiores simùl obrepant errores; propter aliarum tamen partium præstantiam opus ipsum ne vituperetur: sicut qui testudine quàm artificiosissimè ludit, non statim pudore suffunditur, si unica semel chorda aberret: vel sicut non statim rejiciendus est laudabilis aliàs sagittarius, si intimum scopi nigrum semel non tetigerit. Sæpè enim optimæ quoque & præstantissimæ Picturæ sub initium oculis non satis blandiuntur, donec quis scopum & intentionem Artificis exactiùs pernoscat. Ideoque Picturæ in animum tardius intromittendæ sunt, sicut aquam per rostrum & gulam sensim demittunt gallinæ; atque tùm demum tutius de illic judicare potest. Et hanc quoque benignitatem à nobilissimo Lectore præsens iste expectat liber, qui cum Autore perpetuo ejusdem sese commendat favori ac benevolentiæ.

Et sic Picturam depictam cernitis omnes:
Quiq; legens discit, pingere cuncta potest.



ACA-



ACADEMIÆ PICTURÆ NOBILIS


atque

ERUDITÆ

PARS SECUNDA,

Quâ continentur

Pictorum antiquitùs Celeberrimorum, tàm Ægyptiorum, quàm Græcorum & Romanorum, Encomia & Vitæ,



Præfatio.



Criptores plurimì atque antiquissimi unô quasi ore hanc fovent opinionem, Nobilissimam Artem Pictoriam, nec non Statuariam primitùs ab Ægyptiis excogitatas atque inventas esse: quamvis & alii Artem sculpendi marmoris & collocationem Statuarum Chaldæis; colorationem verò Imaginum, usumq; penicilli Græcis tanquam inventoribus adscribant.

Primus Pictoriæ & Statuariæ inventor est DEUS ipse rerum omnium Creator.

Ut autem à capite rem exordiamur, & à primâ origine artes has examinemus, primus Inventor, prout omnis boni, sic etiam harum Artium, est DEUS ipse Ter Optimus Maximus, cœli terræq; Conditor. Summus enim hic rerum omnium Architectus & Artifex, Verbô Spirituq; suô primò protulit lucem, atq; hâc ipsâ informe illud Chaos, & obscurissima ejus profunda illustravit. Deinde cœlum suum creatum luminaribus splendidissimis, terram verò floribus arborum, herbarum & hortorum, mille colorum varietate discriminatis condecoravit; omnia quoque in lucem & umbram quàm perfectissimè distribuit, adeoq; in ipsam Naturam Diagraphicen & Picturam plenissimam inseruit.

Terra est Pictura prima perfectissima,

Cumq; deinde millena quoque produxisset animalium genera, hominem tandem, primam nimirum & præclarissimam Statuam, è gleba terræ plasmavit atq; effiguravit hoc ipso certissimum atque infallibile Archetypum, Ideamq; & Exemplar Statuariæ proponens. Formando autem effigiem hanc admirandam è materia tàm informi & vilissima, simùl viam docere voluit, atque methodum, quâ ratione materiæ ineptæ & parvi pretii

Homo prima est & optima statua.

elevari,

elevari, & in usum transferri; imò debitis quoque additionibus & expolitionibus ad ultimam tandem perfectionem perduci queant. Porrò hoc opus suum palmarium pulcherrimo quoque & vivacissimo colore illustravit atque pinxit; qui Artis suæ penicillus jam omnibus Pictoribus manum dirigit, eosq; oculorum beneficio meditari docet, quâ nimirum ratione Creatorem feliciter imitati, externam hominis iconem in plano depingere debeant.

Architecti & Statuarii antediluviani fuerunt Kain & Tubalkain.

De primæ ætatis, antediluvianæ scilicet, Artibus nihil quidem scriptô traditum reperitur, nisi quod Cain condiderit urbem, quodq; pronepos ejus Tubalkain Artifex fuerit in variis æris & ferramenti generibus: unde concludi potest, Architecturam & Iconopoëticam successu temporis ab hominibus fuisse exercitas: ita ut, sicut in ære, sic etiam in ligno & lapidibus varia ipsos tentasse, sculpsisse, & pinxisse, conjicere liceat. Item Noa. *Illustre quoque testimonium nobis exhibet structura Arcæ Noachi, quem alterum meritò vocamus totius mundi parentem; quòd nempe jamtum sat cognita fuerit Ars Architectonica.* Structores Turris Babylonicæ post diluvium. *Et quâ ratione unicô circiter post diluvium seculô turrim Babelicam, quæ summitate suâ cœlum tangeret, ritè fundare potuissent, nisi Architecturæ quàm optimè fuissent ignari, istamq; Artem ex ipsa Arca Noachica secum detulissent?*

Nimrod. *Istos deinde turris Babylonicæ Architectos secutus est Nimrod, qui in terra Sinear, sive Chaldæâ, urbem Babelem tribusq; adhuc aliis condere cœpit:* Assur. Semiramis. *quam postmodùm successor illius Assur, ejusq; nurus, magna illa Semiramis, tanto splendore absolvit, ut muri Babylonici inter ipsa mundi miracula referrentur. Nullum autem est dubium, quin unà cum structura simul etiam excoluerint Statuariam,* Primæ Statuæ. *quâ ædificia sua exornarent: cùm Diodorus de hac Regina scribat, non tantùm varia animalia, sed seipsam quoque cum marito suo Nino, ejusq; Patre & Matre, Sculpturis effigurari & publicè proponi jusserit, quò memoria illorum ob oculos semper versaretur posteritati: qui etiam potissimus est istarum Artium finis atque scopus.* Hinc originem habet Idololatria. *Hoc ipsum autem postmodùm occasionem dedit Idololatriæ & cultui Imaginum; ita ut quatuor illi sub nominibus Beli sive Saturni & Jovis, item Junonis & Opis, à posteris eorũ pro Diis atq; Deabus habiti atq; culti sint.* Chaldæi inventores statuariæ. *Chaldæi postmodùm cultũ hunc Imaginũ ulteriùs propagarunt, soliq; Statuã sub nomine Oramasdæ dedicarunt. Prout & Laban suos habuit Teraphim atque lares, quos ipsi filia ejus Rachel furtò abstulit, secumq; in terram Canaan traduxit. Quia igitur Chaldæi procul dubio operam dederunt, ut pulchris statuis sua exornarent templa: hinc Sculpturæ inventio jure, optimô iisdem tribui potest.*

Ægyptii primis temporibus nullas Imagines sculpebant artificiosas.

Ægyptii cum Chaldæis in hoc Imaginum cultu quasi certantes, Deos sibi constituebant Mizraimum & Nimrodum, cum sorore hujus & filio, qui aliis nominibus ab ipsis vocabantur Typhon, Osyris, Isis & Orus, per duos intermedios Solem intelligentes atque Lunam: quamvis insimul etiam animalia, & præcipuè taurum, cum plantis quibusdam colerent. Quod magnâ autem diligentiâ primitùs excoluerint Statuariam, credibile non est; Prout etiam è characteribus Ægyptiis Laurentii Pignorii Patavini apparet, Imagines ab ipsis inventas potiùs fuisse monstrosas, deformes & macropleuras, quàm artificiô quôdam effictas: & Picturas illorum nuda potiùs & crassa atque monstrosa continuisse lineamenta, figuris illis similia, quæ hodièdicuntur Larvaturæ Arabicæ (Grottesche) Successu autem temporis hanc Artem illos melius exercuisse, probabile est, cùm & Diodorus antiquissimum quoddam sepulchrum Simandionis Regis celebret; quem Reges succedanei, cum Pyramidibus suis Templisq; clarissimis, sint imitati: quamvis illa à Scriptoribus insana vocentur opera.

Cùm autem Israëlitæ in Ægypto diu satis coluissent idola, hinc DEUS mox post exitum ex Ægypto è monte Sinai tonitruante voce sua seriò prohibuit: ne ullam facerent imaginem ad cultum: Israëlitici Statuarii. *ipsi tamen nihilominus paulò post in eodem deserto ad similitudinem bovis Ægyptii, qui ab his Apis vel Serapis vocabatur, vitulum erexerunt aureum: quem Aaron primò designavit graphio, atque deinceps fudit.* Aaron. *Quod autem DEUS non præcisè Sculpturam prohibuerit & Picturam; sed potiùs abusum harum Artium, imaginum nempè cultum, ex hoc apparet, quia Bezalielem, Ahaliabum & alios sapientes (prout ipse his verbis ad Mosen utitur)* Bezaliel & Ahaliab. *Spiritu suo, sapientiâ item, intelligentiâ & cognitione implevit, ad cogitandum cogitationes operandumq; in auro, & in argento, & in ære: & in arte lapidariâ, lapidumq; Sculpturâ, & in arte lignariâ, ut tabernaculum conventûs arcamq; fœderis cum duobus ejus Cherubinis, omnibusq; vasis ejus reliquis per illos elaborari possent. Ab Ægyptiis populisq; Orientalibus deinde Græci has artes didicerunt, easq; ad majorem perfectionem evexerunt: prout magnus ille Poëtarum Princeps Homerus graphide sua scriptoriâ clypeum Achillis potiùs depinxit, quàm descripsit. Unde colligi potest, illo jam tempore, nimirum annô mundi ter millesimô Sculpturam atque Picturam in aliquâ jam perfectione fuisse.*

Gyges Lydius in Ægypto primam fecit designationem.

Referente Pliniô libro trigesimô quintô, Gyges Lydius in Ægypto primus fuit, qui Imaginem aliquam delineavit Occasionem autem exhinc nactus dicitur, quod igni assistens suam conspiceret umbram, quam carbone ad parietem delinearet. Sic alii quoque ex umbra quorundam in sole stantium, Quintilianô teste, extremas lineas circumscripserunt: Prout Tabula hic adjuncta, quam litera B *designat, clariùs id demonstrat.* Lit. B. *Tales fuerunt Philocles Ægyptius; Cleanthes & Ardices Corinthii; atque Telephanes Sicyonius; undè Græci, prout omnia, hanc quoque inventionem suis tribuunt.* quem alii secuti sunt: præsertim Græci. *Aristoteles quoque cognatum quendam Dædali nominat; qui vocatus fuerit Pyrrhus.*

Opiniones aliæ de hac inventione.

Alii porrò statuunt, nobilem hanc Artem

suam





suam traxisse originem ex imperfectis illis Imaginibus, quas optima Parens Natura in marmore aliisq; lapidibus, effiguravit. Multi quoque credunt, primos istius Artis inventores occasionem adeptos è variis illis in nubibus quandoque apparentibus figuris.

Quæ etiam adscribitur puellæ cuidam amore captæ.

Quidam pulcherrimæ hujus Scientiæ primum inventorem statuunt amorem; dum referunt, puellam quandam amore captam, quam dicunt filiam Dibutadæ figuli cujusdam artificiosissimi amasii sui peregrè abeuntis faciem, seu hujus potiùs umbram, in muro ad lucernæ lumen conspectam pro adminiculo memoriæ carbone delineâsse, & hâc ratione Artem Diagraphicam adinvenisse: prout de variis his opinionibus latiùs videri possunt Leo Baptista Alberti lib. 1. della Pittura, Cælius Rhodiginus & alii.

Quinam primi coloribus pinxerint.

De Polygnoto Thasio Plinius narrat, quod primus mulieres lucidâ veste pinxerit, capita earum mitris versicoloribus operuerit, plurimumq; Picturæ primus contulerit: siquidem instituerit os adaperire, dentes ostendere, & vultum ab antiquo rigore variare. Cleophantes Corinthius & Apollodorus Atheniensis primi penicillum invenerunt atque tractârunt: ita ut de illo Plinius dicat libro 35. cap. 3. quod primus invenerit imagines colorare testâ (ut ferunt.) tritâ. De hoc autem libro eodem capite nonô: quòd primus species exprimere instituerit, primusq; gloriam penicillô jure contulerit. Hos insecuti sunt Timagoras Chalcidensis; Pythis; Polygnotus; Aglaophon; Zeuxis; & Apelles: quem ultimum hunc, utpotè clarissimum omnium, Alexander Magnus maximi æstimavit.

Statuarii & Pictores simul Philosophi fuerunt & Poëtæ.

Lucianus & Pacuvius testantur, omnes ferè Statuarios & Pictores olim celebres, simùl Poëseos & Philosophiæ fuisse cultores. Quorum unus Metrodorus nomine Athenis Romam vocabatur à Lucio Æmilio Paulo, tanquam probatissimus Philosophus ad erudiendos liberos ejus; itemq; ut Pictor ad excolendum illius triumphum.

Græci in Statuaria insignes artifices.

In Statuariâ Græci pariter præ cæteris excelluerunt; non Diis tantùm, sed & hominibus statuas collocantes. Et hoc primò quidem ab Atheniensibus fiebat; à quibus hic mos & Romam traductus est: cum hâc quidem differentiâ, quod Romani statuas suas Vestibus indutas; Græci verò nudas erigerent. Tales in statuariâ artifices olim erant Prometheus, Phidias, Praxiteles, Polycletus, Lysippus, Pyrgoteles, & Pygmalion: & quia primus horum, (qui circa annum mundi bis millesimum sexagesimum in Attica vixit:) ex argilla molliore & pingui primam hominis figuram plasmavit; hinc de eo per fabulam narrari solet, quod hominem creaverit. Ultimus autem jam enumeratorum Pygmalion, artem hanc ad tantam evexit culmen, statuamq; quandam tàm effinxit vividam, ut de eo dictum sit: Eum precibus suis à Diis obtinuisse, ut vitâ illam donarent.

Pictura & Pictores à Græcis magno honore multisque muneribus afficiuntur, præsertimà Fabio.

Cæterùm Pictura tàm à Græcis quàm à Romanis tanto colebatur honore, ut pictoribus quibusdam integrorum pro una tabula darentur oppidorum opes: & magnum illud Romanorum decus Fabius, sæpè non aliâ usus sit subscriptio e, quàm quod Fabium Pictorem sese nominaret. „ Imò publico etiam edicto alicubi sanciebatur, ne ullus Servorum hanc artem exerceret: Unde si quidam ejusdem quàm optimè essent gnari, manu missi in civium numerum admittebantur, & multis muneribus afficiebantur: prout & si quid rari & pretiosi in prœliis direptum esset, mandato Fabii inter hos Artifices distribuebatur.

& Marcello

Magnum illud belli fulmen Marcellus, cùm potentissimam Siculorum urbem Syracusas igni submittere cogeretur, magnâ cavebat industriâ, ne ex illo latere accenderetur, ubi Picturam quandam collocatam noverat artificiosissimam; ut illam in triumpho Romam deferre posset. Idem quoque cum totum ferè orbem diripiendo spoliâsset, omnia præstantissimorum quorumvis Artificum opera Romam transtulit; æternamq; hanc urbem clarissimis exornavit statuis: cum vel in unicâ Rhodo Insulâ plus quàm triginta millia rarissimarum statuarum tàm ænearum, quàm marmorearum, invenerit, quæ protectionis ergò partim illuc, partim quoque nec minore numerô Athenas, Delphos, Olympiam, & Corinthum deportatæ erant.

à Nicomede & Attalo Regibus.

Nicomedes Bithyniæ Rex ad coëmendam artificiosissimam quandam Veneris statuam à Praxitele fabrefactam, omnes ferè divitias impendit. Attalus Rex Pergami unicam Bacchi tabulam, Aristidis manu pictam, sex mille sestertiis (quæ nostrâ pecuniâ efficiunt centum & quinquaginta millia coronatorum;) emere voluit, quàm Tabulam posteà Lucius Mummius pompâ maximâ in templo Cereris Romæ collocavit.

In Hetruria multa invénta sunt antiquarum sculpturarum rudera.

E dictis hisce satis quidem liquet, quâ ratione Scriptores antiqui inventa utriusq; hujus Artis gloriam partim Chaldæis & Ægyptiis, partim Græcis tribuant: Leo Baptista Alberti tamen Hetruscis illam asserere conatur, ob rationes sequentes.

Clusii.

Clusii enim (sic ille scribit) haud ita pridem penes admirandum illud Regis Porsenæ sepulchrum, (qui circa annum mundi ter millesimum quadringentesimum & septimum vixit,) sub terra inter Labyrinthi ruderainventi sunt lateres quidam probè exusti, in quibus imagines quædam artificiosissimæ & eleganter elevatæ adhuc perfectæ claræq; & inculpabiles apparuerunt. Unde colligere licet (juxta hunc Autorem) Artem hanc non tum demum suum cepisse initium; sed ad ipsum jam perfectionis culmen evectam fuisse.

Aretii.

Hoc ulteriùs confirmare nititur per vasa illa quàm plurima tàm nigra quàm rubra, pulcherrima sanè Aretii effossa: in quibus arte singulari atque subtilissimâ integræ historiæ anaglyphicè effictæ visuntur: quas non à tyronibus, sed ab Artificibus exercitatissimis elaboratas fuisse oportuit.

Et Viterbi.

Porrò quoque statuæ illæ sub initio regiminis Alexandri sexti Pontificis Viterbi repertæ satis superq; testantur, statuariam in his terris ante multa tempora plenissimè exercitam fuisse. Quamvis enim ignoretur, quando & quô tempore statuæ istæ sculptæ fuerint; ex antiquis tamen characteribus illarum figurarũ sepulchrorum atq; ædificiorum, unà cum literis ibidem insculptis in se quidem Hetruscis, jam tamen inusitatis atque incognitis, certissimè colligi potest, illa omnia esse antiquissima, illusq; temporibus fabrefacta, cum

urbs hæc in optimo ſtatus ſui flore extitiſſet. Præterea quoque majorum noſtrorum temporibus, anno ſcilicet 1454. cum urbs Aretium primò cepiſſet muniri, inter varias in hunc finem inſtitutas foſſiones, ſtatua inventa fuit ænea monſtri illius Bellerophontei, in cujus ungulis literæ quædam inſculptæ fuerunt, unde linguæ illius gnari non maximam tantùm illius antiquitatem, ſed nomen quoque artificis cognoſcere potuerunt. Hæc autem ſtatua, tanquam opus ſingulari ſuâ antiquitate raroq; artificiò celeberrimum, in Palatium magni Ducis Hetruriæ novumq; illius Oecum, in quo depictæ ſunt res geſtæ Leonis decimi Pontificis, traducta atque collocata eſt. Imò præter hæc omnia multa adhuc Opera antiqua alia detecta ſunt, quæ, à magno Hetruriæ Duce Coſmo comparata, ibidem aſſervantur.

Quia igitur antiquiſſima harum artium inventio, tàm inter Græcos, Ægyptios, & Chaldæos, quàm etiam, & fortè magis adhuc, inter Italos, Germanos & Belgas dubia eſt; ego fortè meâ quidem ſententiâ ad veritatem quàm proximè accedam; conſentiente quôvis, qui patienter iſta examinaverit; ſi dixero: Primum iſtarum artium initium deſcendere ab ipſa Natura humana; primumq; earum Archetypum Ideamq; & exemplar dici poſſe clariſſimam hanc totius mundi creati ſtructuram; pro vero autem totius hujus ſtudii magiſtro haberi poſſe ſupernaturale illud intellectûs humani Lumen, è ſingulari gratia ab omnipotente Numine hominibus infuſum atq; communicatum: quippè quô Lumine homo ſuper animantia cætera irrationalia ceu ſummus ipſorum Dominus evectus, Deoq; ipſi certo modò aſſimilatus eſt.

Primum iſtarum artium initium ipſa eſt Natura: & hominis intellectus, qui verus eſt noſter Magiſter.

Si enim, prout teſtis eſt experientia, pueri ipſi rudi cultu inter ruſticos in ſylvis ſæpè atque deſertis educati, eò quandoq; perveniunt, ut poſt conſpectas aliquoties ſtatuas elegantes, ope intellectus ſui inſiti indoliſq; nativæ, quædam delineare incipiant: quantò magis credibile eſt, primos homines ingenii viribus tantò perfectiores, quò primæ Divinæq; origini propinquiores eſſent; Naturæ ingeniiq; ductu è variis pulcherrimiſq; extructi noviter mundani ædificii ideis atque archetypis, laudatiſſimas has Artes, quæ nihil ſunt aliud, quàm nudiſſima Naturæ imitatio atq; ſequela, addidiciſſe; eaſdemq; ſucceſſu temporis magis magiſq; elaboratas, ad ultimam tandem perfectionem deduxiſſe.

Exemplum à pueris ſimplicioribus.

Artes hæ naturæ ſunt imitatrices.

Id quidem negare non auſim, unum quendam fuiſſe primum, qui Artes has excogitaverit; cùm quælibet inventio certum quendam habeat autorem. Neque etiam abnuo, hunc primum ſtatim ſecutos eſſe alios, qui ad Inventionem Diagraphices, Anaglyphices (Rilievo,) Statuariæ, & Pictoriæ, multa contulerint: eò quod unius hominis ingenium in his Artibus ad tantam altitudinem aſcendere non potuerit; quin alius pariter ingenioſus iiſdem aliquid addere, eaſq; ad majorem perfectionem elevare potuiſſet. Hoc unicum aſſero, difficulter admodùm affirmari poſſe, hunc vel illum certum fuiſſe & infallibilem iſtarum Artium inventorem. Poſtquam enim opera eorum per primam, ſecundam, tertiam, & porrò per centeſimam & milleſimam manum transvolârunt, nimiâ tandem temporis diuturnitate Artificum nomina, præſertim cum nullus Scriptorum ea annotaret, extincta & oblivioni tradita ſunt.

Difficile eſt primos inventores denominare.

Et quamvis Autores plurimi unius vel alterius inventoris in libris ſuis faciant mentionem; iidem tamen nihil dicere volunt aliud, quàm hunc primum eſſe, cujus adhuc ſuperſit memoria: non verò ante hunc ipſum neminem fuiſſe alium. Eâdem enim ratione conformis omnium opinio Homerum pro primo celebrat Poëtâ; non quaſi ante ipſum nullus omninò fuerit alius; (quomodo enim ſuâ ſponte ad tantam pervenire potuiſſet perfectionem, niſi artem ſuam ab aliis priùs didiciſſet?) ſed quia illorum memoria unà cum ſcriptis eorum deperdita fuit; iſtius autem nomen atq; Poëma, ceu primum, remanſit ſuperſtes.

Homerum non eſſe primum Poetam.

Hoc autem certiſſimum eſt omninò, Artem Delineatoriam ante Pictoriam & Statuariam exultam fuiſſe; & ab illa has ſuam traxiſſe originem: unde ratione præcedentiæ neutri harum habet quod cedat, ut nec ſcribendi ars typographiæ concedit prærogativam. Quod verò tam antiqua illius non ſuperſint Opera, quibus id confirmari queat, quàm in Statuariâ extant, & ob oculos verſantur, illius cauſa unica in ipsâ conſiſtit materiâ: quia nimirum lapides, marmoraq; & æra, circa quæ verſatur Statuaria, ne longiſſimô quidem tempore conſumuntur: cùm è contrario papyrus, cum telâ, linteo, membranâ, nec non pelles, & cortices, in quibus opera ſua efformant Delineator & Pictor, creſcentibus annis in pulverem redigantur atque cinerem. Unde patet, ſuperbam hanc Artem apparenter potiùs, quàm pro ipſa rei veritate præcedentiam ſibi, & antiquitatem arrogare poſſe.

Ars Diagraphica ante Picturam & Sculpturam exculta, harumque mater fuit.

Finitô igitur de primo iſtarum Artium initio diſcurſu; jam porrò accedemus ad ſummam ab illis conſcenſam perfectionem, & porrò ad earundem interitum, tandemq; ad regenerationem illarum pedem movebimus; de quibus omnibus majori cum fundamento ſermonem inſtituere poterimus. Tardiùs igitur hæ Artes primùm emerſerunt Romæ: & prima ibidem imago fuit Statua quædam Cereris ænea, teſtante Pliniô lib. 34. ad quam fabrefaciendam impenſæ deſumtæ ſunt è bonis Spurii Caſſii; quem, quia ad Regiam dignitatem adſpiraverat, ipſe pater ejus occiderat. A Diis poſtmodùm ad ſe ipſos deſcenderunt; Statuaſq; partim proprias, partim majorum ſuorum (ut harum conſpectu ad ſimilem inſtigarentur virtutem atque fortitudinem,) erexerunt. Tales autem imagines non tantùm aureæ, argenteæ, æneæ ligneæ, argillaceæ, gypſeæ, marmoreæq; erant & eburneæ; ſed etiam, & maximâ quidem ex parte in ſcriniis cereæ; unde Cerarum quoque ipſis tribuitur nomen. Hanc autem conſuetudinem, prout & leges ſuas, & alias Artes, Romani à Græcis traduxerunt: inter quos Athenienſes Harmodio, & Ariſtogitoni, interfectoribus nempè tyrannorum ſuorum, publicas; ante hos autem Gorgias Leontinus propriam ſuam ex auro puro ſtatuam in templo Delphico collocaverat. Pompejus Magnus deindè Pharnacis Parthorum Regis ſtatuam argenteam in triumpho Romam tranſtulit. Inter Romanos primò Marcus Attilius Glabrio patri ſuo ſtatuam equeſtrem; poſtmodùm autem

Quâ ratione Pictoria & Sculptura Romæ primum emerſerint, quodque prima ibidem imago fuerit Ceteris.

Romani Statuas ſibi ipſis poſuerunt.

Quod à Græcis didicerunt.

Marius statuam propriam similem per omnes ferè urbis vicos erexit.

Quamvis autem duæ hæ artes, Pictoria scilicet & Statuaria, sub quindecim primis Imperatoribus, ibidem cum laude propagatæ fuerint; illarum tamen perfectio atque bonitas successu temporis notanter deficiebat: sicut inter alia, illorum temporum ædificia testantur, artificiosas antiquorū delineationes de die in diē decre visse. In specie autē sub regimine Imperatoris Constantini Magni Architectura & Sculptura notabiliter retrogressæ sūt: quod satis apparet ex ipsis Operibus hoc tempore Romæ erectis; & ex arcu triumphali, qui adhuc propè Colosseum extat. Hæc enim Opera ex defectu bonorum Artificum ex historiis illis Trajani tempore in marmore sculptis; prout etiam è statuis altis antiquarum prædarum desumebantur: sed quilibet istarum Artium cultor pro suâ prudentiâ istius & priorum temporum differentiam facillimè dijudicare poterit: eò quod opera Antiquorum ingeniosa essent, & artificiosa atque pulcherrima; sequiorum autem deformia, inordinata, crassaque Minervâ omni Diagraphices decoro destituta. His porrò accedebat mox subsecuta Gothorum aliorumq; populorum exterorum atque barbarorum invasio; quâ unà cum Italia funditùs disperditæ sunt omnes pariter Artes.

Hæ Artes notabiliter iterum decrescūt sub Constantino Imperatore.

Tandemq; propter invasiones barbarorū planè dispereunt.

Hoc fatum tamen Architectura paulò minùs experta est, quàm Artes cœteræ: prout videre est è thermis Lateranis à Constantino Imperatore erectis; ubi quæ ad portam principalem columnæ, è puro sunt Porphyrite, cum capitulis è marmore pulcherrimis, nec non parastatis duplicibus pretiosissimis; quæ omnia elegantissimè & artificiosissimè ex culpta sunt, ita, ut tota illa structura multò cum ingeniò sit erecta: cùm è contrario ea, quæ in pavimento tessellato & marmoris instar variegato conspiciuntur, nec non quæ vitreata sunt, impolita sint omnia, rudiq; & crassâ manu elaborata. Hancq; porrò differentiam spectare quoque licet in pulcherrimo illo templo S. Johannis in Laterano; in quo Constantinus statuas Christi & duodecim ejus Apostolorum, è puro collocavit argento: quæ omnes, prout & propria ejus effigies, unà cum aliis, arte sanè exiguâ & delineatione valdè inconcinnâ elaboratæ sunt; ita ut artificiosam illam aliorum Imperatorum perfectionem, quos in Capitolio Romano adhuc spectare licet, multis passibus & è longinquo demùm insectentur. Unde satis colligere licet, duas has Artes, Pictoriam nempè & Statuariam, ante Gothorum invasionem urbi Romæ ultimum jam dixisse Vale.

Architectura tamen in aliquo adhuc manebat pretio.

Quod verò Architectura illis temporibus adhuc diutiùs conservata fuerit, usq; adeò mirum non est: facillimum enim erat, antiqua illa & magna ædificia, quæ à Romanis totius terrarum orbis prædâ, referta fuerant, imitando; nova extruere; eò quod Archetypum & Idea Artificibus semper præ oculis esset: cum è contrario Pictoribus & Statuariis opera omnia pretiosiora & rariora vel direpta, vel confracta fuerint. Qui igitur in templo, quod Romæ est, Petrino in Vaticano, adhuc superstes visitur pulchrarum columnarum, pretiosarum stylobatarum, elegantium Capitulorum, artificiosorum arcuum, aliorumq; rariorum Operum musivorum & vitreatorum Thesaurus, ex aliis jamdudū extructis ædificiis præclarissimis collectus est, unde hoc Templum his omnibus exornatum fuit: quod pariter factum quoque est cum ædibus Sacris ad Sanctam Crucem Hierosolymitanam; item S. Laurentii & Agnetis. Et quis ignorare potest, illud ipsum Baptisterium, in quo magnus ille Monarcha cum filiâ suâ Constantiâ ad animarum suarum admissi sunt lavacrum; præsertim illam Concham Porphyreticā pretiosissimā: & Candelabrum marmoreum cum puerulis quibusdam venustis, qui foliis quàm artificiosissimè ornati sunt; cùm omnia rarò elaborata sint artificio, multis temporibus ante jam fuisse fabrefacta?

Ratio hujus.

Collecta undiquaq; templi Petrini, quod Romæ est, ornamenta.

Nihil autem has Artes tantoperè ad ultimam sui promovit ruinam, quàm quod Imperator Constantinus Magnus Romanam urbem penitùs reliquit, & anno Christi trecentesimò trigesimò sedem suam Imperatoriam in Græciam atque Byzantium transtulit: quem in locum eundem secuti sunt omnes illius temporis artifices celebriores; prout eodem magnam quoque copiam rarissimarum Imaginum & Statuarum, multâ pecuniâ coëmtam, transtulit. Sic autem natura fert rerum humanarum omnium, ut si semel ad interitum aliquid vergat, id decursum hūc suum haud sistat prius, quàm ad ultimum tandem venerit interitum.

Mutatio sedis Imperatoriæ his artibus ultimam intulit ruinam.

Nimirùm illò quidem tempore, sedente tunc Liberiò Pontifice, Architecti Romani singulari industriâ atq; ingenio magnificam illam ædē, quæ Mariæ majoris dicitur, extruere conati sunt; hoc ipsum tamen nonnisi magnis cum defectibus, multâq; imperfectione præstiterunt. Quamvis enim principalis ejusdem distributio unà cum Symmetriâ atq; proportione juxta regulas artis ex amussim sit instituta: ex opinione tamen artificum recentiorum longè prudentissimorum, prima ejusdem designatio, nec non opera musiva & vitreata unà cum Picturis in muro factis, debitò carent judiciò. Porrò etiam temporibus Juliani Imperatoris, qui Apostata cognominatur, in monte Cœlio conditum est templum in honorem D. Martyrum Johannis & Pauli; quod pariter omni decoro atq; elegantiâ destitutum est. Et è duobus his aliisq; pluribus, sumtuosis quidem, sed malè ordinatis ædificiis, satis apparet, ipsam quoque Architecturam illo tempore ad ultimam prolapsam esse ruinam; eò quod undiquaq; ingeniosi exercitatiq; deficerent Architecti. Quod & Aretinorum exemplo edocemur, qui si melius quid indagare potuissent, procul dubio nullis pepercissent sumtibus, ut tàm pretiosa ex Porphyrite, Jaspide, Granatis, marmore, cedris & similibus, cariùs conquisita materialia meliùs fuissent collocata.

Templum S. Mariæ Majoris eodem tempore erectū imperfectū est admodum.

Architecturæ decrementum.

Atq; tum demùm Gothorum aliorumq; barbarorum festina sequebatur invasio, qui Romæ omnia ædificia pulcherrima & magnificentissima funditùs everterunt, ut cum omnibus artibus atq; artificibus viva quasi sepelirentur. Et primò quidem pretiosas picturas & statuas fatum illud tetigit, quippè quæ delectationi potiùs, quàm ulli usui inservirent; cum ædificia adhuc ad habitationem corporisq; humani defensionem, prodesse viderentur:

Interitus Romani Imper i occidentalis secum traxit interitum omnium artium.

Quare Imagines & Statuæ funditùs eversæ fuerint.

tur: quamvis etiam, quæ circa illa versatur Ars, paulo post imensum decreverit. Nimirum quia imagines & statuæ primò statim obtutu illorum exhiberent nomina qui magnæ inter Romanos fuissent autoritatis, vel egregiis facinoribus evasissent celebres: Undè deinceps imagines eorum in perpetuam illorum memoriam columnis æneis, arcubus triumphalibus, thermisq; & monumentis impositæ fuerant: Hinc easdem barbari ex odio atq; invidiâ confestim dejectas everterunt, inq; frusta comminuerunt, ut omnis illorum memoria, unà cum effigiebus, penitùs eradicaretur. Hæc primò circa annum Christi quadringentesimum præstabant Visigothi, qui Alaricum sibi præfecerant Regem, totamq; Italiam, & urbem præcipuè Romanam, hancq; jam alterâ vice totaliter atq; crudeliter devastaverant. Hos postea sequebantur Vandali sub Genserico Rege suo, qui effigies quoque vivas, Imperatricem nimirum Eudoxiam, interfecti tunc Imperatoris Valentiniani viduam, cum multis Romanorum tàm nobilium, quàm plebejorum, in exilium abductos in extremam præcipitârunt perniciem. Reliqua plebs Romana, præsertim cùm meliores jamdudum antehac cum Constantino Byzantium transmigrâssent; postmodùm feros barbarorum mores imitata breviter usq; adeò fuit perversa, ut omnium virtutum atq; legum, omniumq; artium, imò omnis quasi boni memoriâ abolitâ, ipsis jam brutis viverent stupidiores.

Hoc primò fiebat à Visigothis;

Et Vandalis.

Reliqua Romanorũ plebs omnem virtutem, artem atque honestatem obliviscitur.

Christiana porrò Religio multum quoq; contulit ad Artium Iconopoëticarum exterminium.

Ad hoc Artium istarum Iconopoëticarum exterminium multum quoque conferebat sub Imperatore Constantino Magno introducta Christiana Religio; quæ inusitatâ miraculorum vi atq; copiâ omnes Gentiliùm errores, unà cum Idolis illorum radicitùs extirpabat: ubi omnibus nervis in id vigilabatur, ut omnis vel minima ad pristinum Idolorum cultum occasio è medio tolleretur, ita ut non tantùm pretiosissima & rarissima Operis musivi & encaustici Opera cum aliis falsorũ Deorum gentilium Imaginibus sumtuosissimis; sed clarissima quoq; monumenta statuæq; celeberrimorum quondam Monarcharum atq; Heroum, in pulverem comminuerentur atq; cinerem. Prout & destructum est illô tempore Ethnicum illud templum Hadriani, è quo ornamenta plurima pro cultu Divinæ Majestatis ad templum D. Petri in Vaticano jure optimô maximô adhibita sunt. Atq; id quidem non artium istarum odiô vel invidiâ faciebat Christiana religio; sed prout jam dictum est antea, ut omnis gentilium errorum penitùs tolleretur atq; extirparetur ansa & occasio.

Earundem interitum queque promovit Totila.

Neque id satis erat: sed ulterioribus ruinis subjicienda erat Roma. Tam vehementer enim omnem iram suam in illam effundebat Totila, gladioq; & igne omnia tantoperè devastabat atque exscindebat, ut octodecim dierum spatiô, ne unicus quidem homo vivus, imò ne minima quidem Romæ pristinæ similitudo superstes esset: Cùm ædes reliquæ in rudera sic penitùs conciderent omnes, ut rariores quoque sub terrâ adhuc residuæ artificiosorum operum reliquiæ totaliter nùnc sepelirentur.

Roma subterranea.

Cumq; horum posteri in summâ horum omnium superficie, quæ æquoris instar complanata erat, agros colere, vineasq; plantare vellent, quasdam adhuc prioris miseriæ reliquias, sed inter has picturas rariùs, quia levior atque tenuior istarum materia nimiâ temporis diuturnitate jam consumta erat; Statuas tamẽ durioris materiæ plures detexerunt: à quibus conclavibus subterraneis, nostrô adhuc tempore, Grottæ appellantur cameratales in subterraneis constructæ.

Unde nomen acceperint Grottæ.

Post hæc omnia, cum Narsetis strenui illius Romanorum Ducis operâ expulsi essent Barbari, elapsò nimirum quasi seculô Romam veniebat circa annum sexcentesimum sexagesimũ tertium Constans Imperator Constantinopolitanus, & reliquias omnes secum transportabat, si quid fortunæ potiùs arbitriô, quàm hostiũ propositô ibidem manserat superstes. Quãvis rapinæ istius Imperator hic nullũ sentiret fructũ, eò quod, adversis in mari navigationi ejus ventis, in Siciliam deportatus, ibidem à quodam suorum interficeretur, ut hâc ratione raptum hunc integrum solius fortunæ relinqueret ludibrio; & hâc ratione non Roma tantùm, sed & Sicilia devastaretur penitùs. Saraceni enim de thesauro hôc raptuq; certiores facti Siciliam magnâ vi invadentes, omnia diripiebant, quæ ipsis grata esse poterant: Statuæ autem & Effigies artificiosæ, quas Romani Pontifices, & præsertim Gregorius Magnus post se reliquerant, feroci manu barbarorum istorum militum, omninò corruptæ atque annihilatæ sunt.

Ultimæ ruinæ causa fuit Constans Imperator.

Cujus raptum Saraceni omninò perdunt.

Artium Iconopoëticarum restauratio.

Cùm autem frusta quædam ex his omnibus informia adhuc reperirent posteri, hi deinde impulsu propriô nativi sui ingenii hæc studia reassumserunt, & quamvis omni regulâ destituti, nudoq; arbitratu suo manum applicarent, haud parum tamen in his præstiterunt. Nec mirum, si opera illorum sub initium crassa essent & rudia, defectu nimirum delineationis atque distributionis secundùm Artem institutæ: prout inter alia id edocuerunt figuræ arcuum, templi Petrini antiqui, ante structuram ultimam, nec non in portis Romanis; quæ in memoriam Sanctorum quorundam Patrum Græco more elaboratæ, & aliquot Conciliis Ecclesiæ stabilitæ manserunt. Simile exemplum quoq; adhuc extat Ravennæ, & præsertim extra urbem in Templo rotundo D. Mariæ Sacro, quod statim post ejectionem Longobardorum extructum fuit. In hoc autem Templo rarissimum quoddam & singulare spectatur Opus, (quamvis cætera satis inepta sint,) Tholus nimirum, sive fornix, i. e. pars ejus omnium summa, quâ totum Templum plenissimè contegitur, quæq; cum decem pedum habeat latitudinem, ex uno tamen lapidis frusto fabrefacta est: cùm aliàs vix possibile videatur, quod lapis ducentis mille pondo pendens ad tantam altitudinem extolli potuerit.

Initia earũ rudia erant & informia.

Exempla horum Romæ,

& Ravennæ præsertim in admirando illo ædificio S. Mariæ rotundæ.

Quamvis igitur ante & post hæc tempora artes hæ aliquoties caput suum iterum extollere conarentur; quin & imaginibus quoque & Statuis non in privatis tantùm ædibus, sed in Templis quoque, præsertim tempore Theodosii Imperatoris, & quidem anno Christi quadringentesimo trigesimô primô locus concederetur; imò Gregorius Magnus Pontifex illas Laicorum libros diceret, ut quæ in Templis admitterentur, (ad illorum nempè ornatum, non verò ut adorarentur, sive colerentur,) consentiret; imò Concilium quoque Constan-

Adeoque hæ Artes caput suum quidem attollunt.

tinopo.

tinopolitanum sextum concessionem hanc confirmaret; successor tamen ejus Sabinianus, quòd gloriæ illius invideret, easdem iterum abrogavit, & è medio sustulit. Et quia artificibus quoque illô tempore tenuior procuraretur sustentatio, hinc Artes istæ, cum vix aliquantulum suspicere cepissent, mox iterum rejectæ atque suppressæ fuerunt.

Mox tamen iterum supprimuntur.

Et Leo quidem tertius Imperator annô septingentesimô decimô octavô Constantinopoli publicô decretô sub pœnâ capitis sanciebat, ut omnes Christi, Mariæ, Apostolorum, aliorumq; Sanctorum Imagines in forum comportarentur, quas cum omnibus Imaginibus, quotquot ullibi in Templis reperiri poterant, publicè comburi curavit. Et hoc mandatum eâdem ratione per omnes totius Imperii provincias publicabatur, executione contra refractarios atque transgressores quàm acerbissimè institutâ. Et quamvis Gregorius III. Pontifex Maximus huic edicto sese opponeret, artibusq; his fabricatricibus Imaginum insigniter faveret; alii tamen illius successores hunc ipsum favorem non habuerunt hæreditarium; ita ut earundem resuscitatio in ipso quasi partu suffocaretur.

Leo tertius Imperator omnes Imagines evertit atq; cõburi jubet.

Cùm autem Anno millesimô decimô tertiô Florentiæ Episcopus esset Marcus Alibrandus Florentinus, Architectura aliquantulum sese recolligere visa est. In Templo enim tùm temporis ibidem in monte S. Miniati extructo, præter alia ornamenta, tàm interna quàm externa, marmorea pretiosissima, etiam è porta majore apparet, Architectos Italos omnibus viribus tùm enixos, ut portas, fenestras, columnas, fornices, & arcus, juxta modum antiquum laudabilem, & maximam partem secundùm ideam Templi Florentini antiquissimi, quod D. Johanni sacrum dicitur, fabrefacerent. Eodemq; tempore ars quoque Pictoria, quæ hactenus fermè extincta fuerat, expergisci iterum cepit: prout in magno Sacello jam commemorati Templi Miniatensis ex opere musivo apparet.

Ulterius incrementum Architecturæ,

& restauratio Picturæ.

Hôc igitur tempore ambæ hæ Artes in Italia rursus ceperunt crescere; quò plurimum contribuebat structura Templi cujusdam Pisani annô millesimô decimô sextô facta, quod à Buscheto natione Græcô ex insula Dulichio oriundô, & Artifice celeberrimô, ibidem extruebatur, intus nimirum & extus marmore contectum, (quod illô tempore haud parvi res erat momenti,) innumerisq; rapinis, à Pisanis è terris longè dissitis per mare comportatis, columnis nempè, capitulis, & arcubus pulcherrimis, lapidibusq; pretiosissimis, ceu cacumen Pisanæ gloriæ, exornatum. Et quia omnes illæ partes partim exiguæ admodùm, partim magnæ, partim etiam mediæ essent proportionis, hinc ex his omnibus acutissimum Buscheti suprà commemorati elucet judicium, quo omnia & singula tàm artificiosè distribuere atque commiscere, intusq; & extùs exornare potuit. Præ cæteris autem hic egregia illa situatio celebratur, pulchrarum primariæ portæ columnarum, quæ omnes pedetentim ita decrescunt, ut jucundissima hinc exsurgat prospectiva. Et hoc ipsô egregius hic Architectus in sempiternam nominis sui memoriam monumentum commeruit honorificentissimum cum tribus Epitaphiis in perpetuum sui & posterorum ejus honorem appositis, quorum unum hos continet versiculos:

Templum Pisanum.

Buschetus Architectus Græcus.

Istius monumentum atque Epitaphium.

Quod vix mille boum possent juga cuncta movere,
Et quod vix potuit per mare ferre ratis:
Buscheti nisu, quod erat mirabile visu,
Dena puellarum turba levavit onus.

Lucani postmodùm anno 1233. Imagines quoque egregias uni portarum suarum imposuerunt: quæ Statuæ à Nicolao Pisano sculptæ satis demonstrant, quàm insigniter hic Statuariam, antehac unà cum Architecturâ penitùs quasi emortuam, iterum resuscitaverit atque extulerit. Meliores enim Picturæ & Statuæ sub ruinis Italiæ olìm sepultæ, tandemq; iterum effossæ illis temporibus, vel adhuc fuerunt occultatæ, vel neutiquam inspectæ & consideratæ: eò quod Statuarii & Pictores illorũ temporum crassissimâ suâ & ineptâ methodo, quam è reliquiis antiquorum Græcorum vel è superstitibus illorum argillaceis lapideisve statuis satis monstrosis hauserant, quasi occœcati & inebriati essent. Tales enim Magistri, ex defectu aliorum in Italiam evocabantur; qui ineptum quoque crassumq; opus suum musivum, nec non Pictoriam & Statuariam haud meliorem, quàm ab ipsis hactenus excultam, secum in Italiam deferebant; aliasq; nationes pariter, nempè Germanos, Gallos, Anglos, & Belgas methodo hâc informi universaliter informabant; ita ut hæ nationes unà cum Italia usq; ad meliora tempora hæc studia meliùs non excoluerint. Et quia illis temporibus nihil adhuc publicè enotuerat, quod elegantius, artificiosius vel melius fuisset; hinc opera hæc, quamvis in se pessima, cum admiratione tamen suscepta, proq; rarissimis & pretiosissimis habita sunt.

Nicolaus Pisani Statuariam emendat atque restituit.

Picturæ & Statuæ antiquæ meliores illis temporibus non considerabantur.

Græcia ineptos mittit Artifices.

Tandem circa annum 1250. ingenia quædam subtiliora & acutiora in Italia emerserunt, qui indefessâ suâ diligentiâ continuatisq; exercitiis Artes has in pristinum tandem decorem atq; gloriam restituerunt. Quamvis hi enim illos tantùm præ oculis haberent arcus Triumphales, statuas, imagines & effigies, quibus post Romam devastatam, ut potè levissimâ sanè arte elaboratis, parum laudis tribui potest; ipsi tamen tantâ usi sunt prudentiâ, ut paucum illud, quod bonum esset, seligerent, crassas verò informitates Gothicas gradatim excluderent, & pristinæ perfectionis vestigia omni Zelô sectarentur.

Itali ineptum Græcorum modum deserunt, antiquos imitantur.

Differentia tamen est inter eos Artifices, qui antiqui dicuntur. Qui enim reverâ antiqui dici possunt, solidâq; laude digni habentur, sunt illi, qui ante Imperium Constantini, Corinthii, Athenis, & Romæ; nec non in aliis celebrioribus urbibus sub Alexandro Magno, & postmodùm sub Nerone, Vespasiano, Trajano, Adriano, & Antonino, circiter floruerunt: reliqui verò, quià temporibus Sylvestri I. Pontificis Maximi, usque ad ea tempora secuti sunt, de quibus jam loquimur, antiqui tantùm communi nomine dicuntur, quia potiùs maculare tabulas, quàm pingere effigies potuerunt. Ob nimias enim turbas bellicas primarii & verè antiqui Artifices è medio sublati sunt, ut non nisi antiqui hi Græci

Differentia inter antiquos artifices hæc est, ut quidam vere antiqui sint, atque laudabiles;

& antiqui communiores.

pauca

paucarum linearum magnorumq; planorum coloratorum Magistri superstites manerent: qualia Opera generis antiqui musivi per totam Italiam in omnibus templis antiquioribus variisq; ædibus privatis; præsertim in districtu Pisano, prout & Venetiis ad S. Marci ædem plura spectari possunt.

Quàm vilis fuerit antiquorũ Pictura,

Multæ quoque reperiuntur Picturæ & Statuæ vividis quidem Spirituq; plenis oculis; sed manibus quasi sideratis atque pendulis sine gestu & actione efformatæ: prout videre licet in æde Miniatensi extra Florentiam ad portam, quâ ad Sacrarium & conventum itur: nec minùs ad Templum ejusdem urbis, quod Spiritui Sancto sacrum vocant, in totô latere illius Monasterii, quod ipsum Templum spectat; sic quoque Aretii in Templis S. Juliani & S. Bartholomæi: & Romæ in Templo Petrino antiquo, ubi circumcirca sub fenestris historiæ depictæ sunt, quæ monstra potiùs, quàm effigies aliquas distinctas repræsentant. AdPicturam hanc paucâ Arte elaboratam, quoque accedebat Sculptura illorum parùm laudabilis, cujus exempla extant in porta Templi Florentini, quod Michaëli Angelo dicatum est; item in magno illo Templo Lutetiæ, quod D. Virgini sacrum est (communiter Nostre Dame) aliisq; in locis pluribus Galliæ, Angliæ, Germaniæ & Belgii ex opere anaglyphico semipleno elaborata: prout & in variis monumentis Sanctorum, ornamentisq; portarum, quæ omnia tàm inepta, deformia, atque turpia sunt, ut infaustiora vix excogitari possint.

& Sculptura.

Istius præfationis conclusio.

Hisce igitur discursum hunc meum concludo: qui paulò quidem prolixior evasit, quàm primũ meum tulerat propositum; nihil tamen quàm solã utilitatem partim Artificum ipsorum, partim aliorum quoque harum Artium fautorum pro scopo habet, & neutiquam ex inordinato quodam erga Artem meam affectu & amore suam trahit originem. Ex hoc, inquam, isti videre poterunt, quomodo Artes hæ ab exili quidem principio, ad plenissimam perfectionem ascenderint; sed ex nobiliore isto cacumine in extremum quoque detrusæ fuerint præcipitium; ita ut eadem quasi sit ipsarum natura, quæ ipsius vitæ humanæ, illisq; non minùs atque huic nativitas, incrementum, senium, tandemq; & decrementum atque interitus tribui queant: & tandem quoque, quâ ratione de novo restauratæ & quasi regeneratæ; nec non ad istud demùm culmen, in quo nunc versantur, exaltatæ fuerint.

Intentio scopusq; Autoris in isto suo opere.

Præterea intentio scopusq; meus & hic simùl est, ut si fortè post aliquod temporis inter vallum (quod summa tamen Divini Numinis cura avertat;) sive negligentiâ ipsorum hominum, sive ob labilem totius hujus mundi conditionem singulari fatô res eò rursus deveniat, ut Artes istæ porrò, ut olim, in aliquod sui decrementum oblivionemq; descenderent, eadem tamen spontè suscepta hâc operâ meâ ab interitu sese vindicare, & subtiliora atque nobiliora posterorum nostrorum ingenia ad meliùs prosequenda hæc studia excitari possent.

Ordo hic secundùm artem; & non secundùm annos observatur.

Quod autem ad ordinem tandem attinet, id potiùs respiciam, quomodo Ars potissimum Picturæ gradatim ad suam excellentiam, atque perfectionem ascenderit, quàm quomodo ipsi Artifices sibi invicem successerint. Interea non eorum tantùm vitam atque res gestas, nec non si quæ præclara post se reliquerunt opera; sed illorum quoque effigiem sub similitudine, quantum fieri potuit, nativâ, in hunc librum congessi: Ubi, qanta hìc fuerit industria atque defatigatio mea, facilè perspicietur, si quis perlegendô ista perpendet, unde ea omnia desumserim, & in quem finem cuncta & singula allegaverim. Quod autem de cæteris artibus dicendum restat, prudentioribus nunc relinquo: cum ego in ætate hac mea jam satis decrepita & septuaginta quinque annorum jam sat mihi, imò quasi nimium oneris imposuerim: jamjamq; ad illud me accingo iter, quod divinâ favente clementiâ feliciter me absoluturum confido.




MINERVA.
b
I. d. Sandrart del.
R. Collin f.



PARTIS SECUNDÆ


ACADEMIÆ PICTORIÆ

LIBER PRIMUS

De

Vita & Encomiis

Celeberrimorum antiquitùs tàm Aegyptiorum, quàm Græcorum & Romanorum, primorumq; adeò inter pictores Artificum.



Caput I.

De

Primis quatuordecim Pictoribus, inter quos Phidias.

Argumentum.

Quod Artes in vitâ humanâ ad delectationem faciant. I. Gyges Lydius Pictor primus in Ægypto. Lydi artem Pictoriam in Italiam deferebant. Gyges invenit artem Delineatoriam; cujus inventionem sibi Ægyptii tribuunt. II. Pyrrhus primus inter Græcos Pictor, Dædali nepos, qui ante annos bis mille ferè & octingentos vixit. III. Polygnotus Pictor Atheniensis, Picturam igne factam invenit, quæ Encaustice dicitur. Pictura prima nuda erat circumscriptio: cujus inventor Philocles fuit, & alii. Monochroma, sive Pictura unius coloris. Polygnotus artem Pictoriam in meliorem gradum evehit, circumducta designationis lineamenta intùs explendo. IV. Telephanes Phocensis. V. Cleophantus Corinthius. VI. Bularchus, cujus Picturæ æquali auri pondere divenditæ sunt. Hic primus inventor fuit effigierum coloribus pictarum. VII. Eumarus Atheniensis, primus ad vivum Pictor. VIII. Cimon Cleoneus, inventor Catagraphorum, sive obliquarum imaginum. IX. Panæus Atheniensis. Colotes Pictor & Statuarius. Timagoras Pictor Chalcidensis. X. Polygnotus Thasius, primus mulierum Pictor laudabilis. Ejus præmium. XI. Phidias Atheniensis, Pictor & Sta-

tuarius. Cujus opera fuerunt: Ægis Palladis; Statua Jovis Olympii; Statua Alexandri in Bucephalo. De tempore antiquorum Artificum, eorumq; in picturis certamina. Effigies Minervæ, opus Phidiæ. Opera ejusdem alia, nimirum Nemesis Rhamnusia; Cliduchus; Venus. Hic artem tornatoriam invenisse dicitur. Occasio duorum istorum Proverbiorum: Ex ungue leo; &, Phidiæ signum. Pericles eundem in suam adsciscit amicitiam. Opera ejus Minerva pulchra & aurea. Tumultus Athenis contra Periclem. Phidias propter illum in odium venit; furtiq; accusatur: & quamvis innocens fuisset inventus, in carcerem tamen conjectus, ibidem moritur. Agoracritus Discipulus ejus. XII. Mycon Atheniensis. Onaras filius ejus Statuarius. XIII. Apollodorus Atheniensis, Pictor & Statuarius: confringit opera sua. Primus erat, qui pulchritudinem decenter exprimeret. XIV. Callimachus Atheniensis, Pictor & Statuarius, calumniator est propriorum operum. Lucerna ejus mirabilis.

Quod artes in vita humana ad delectationem utiles sint.



Multi hominum, ob mœstam animi sui naturam, spiritumq; in tenebris quasi submersum, melancholiæ evaderent mancipia; eò quod vi naturæ suæ propriæ, quãvis ea sublimia quandoque appetat, crassiores ignorantiæ nebulas penetrare, & ad summum veræ tranquillitatis atque felicitatis olympum evolare nequeant: nisi sensus ipsorum & pectora nobilissimarum Artium atque Scientiarum Studiis atque exercitiis dexteriùs recludantur atque animentur, cumque viæ humanæ istius mortalitatis ærumnis undiquaq; cinctæ sint, & acerbitatibus deplorandis, hinc in mediis istis miserorum casuum angustiis relaxationem aliquam nemo non quærit atque delectationem. Et hæc quidem inter alia præcipuè etiam invenitur in artibus variis, quæ cum admiratione sive visum, sive auditum, sive sensus alios, sic oblectare queunt, ut tædium homini, durante hôc extra cœlestem patriam exiliô ac peregrinatione, quadantenùs sublevetur: haud aliter ac facundus in viâ comes jucundis suis colloquiis milliaria alicuiin itinere abbreviare, totamq; viam opinione citiùs ad desideratum suum terminum promovere solet. Et quamvis aliqui Artes has, quales sunt Pictoria, Poësis, & Musica, pro superfluis & non necessariis habeant; hæ tamen per se satis superque testantur, quantâ vi polleant tàm visum, quàm auditum, totumque adeò animum exhilarandi atque delectandi.

I. GYGES Lydius, primus Pictorum in Ægypto.

I. GYGES Pictor primus in Ægypto.

Pictoriam igitur Artem, quam hoc in theatro introducendam mihi proposui, primùm invenisse dicitur, quantum quidem accuratâ desuper institutâ disquisitione reperire licuit, Gyges, quô nomine eundem nuncupat Polydorus Historicus Urbinas librô 2. cap. 24. è capite 56. lib. 7. Plinii. Gyges iste natus erat in Lydia, Asiæ mimoris provinciâ, supra Joniam Orientem versùs sitâ, & limitaneas habente Boream versùs Mysiam, & Austrum versùs Carii regnum. Antiquis regio hæc dicebatur Mœonia; cujus metropolis erat Sardes ad Tmolum montem, ubi clarissima illa Crœsi Regia. Lydi isti antiquitùs idolorum cultui præ cœteris erant addicti: unde à Græcis Tuscani dicti sunt, quasi idolorum sacerdotes, prout nomen hoc quidam interpretantur. Isti duce Tyrrhenô Rege suô septimum Italiæ Regnum occupârunt, unde regioni illi adhuc Tuscanæ, & mari adjacenti Tyrrheni nomen remansit. Hi igitur cùm Divorum cultûs usque adeò essent studiosi, Statuariam quoque & Pictoriam maturè admodùm in istam Italiæ partem transtulerunt, ita ut Scriptores antiqui quamplurimi, & præsertim Leo Baptista Alberti, expresse perhibeant, Artem Diagraphicam jam tempore Porsennæ Regis in magna hîc fuisse perfectione. Testimonium hujus quoq; ex Regis istius Epitaphio, Clusii haud ita pridem detectô, satis confirmatur, quia penes illud figuræ quàm plurimæ anaglyphicæ pulcherrimæ repertæ sunt. Simile quid etiam repertum est Viterbi, & Anno 1554. Aretii, ubi antiquum illud monstrum Chimæræ, ex ære fusum, effossum est. Ex quibus omnibus satis superq; patescit, Hetruscos à multis jam temporibus his artibus dedisse operam. In ungula quadam jam dictæ Chimæræ, sicut etiam in statuis aliis Viterbii repertis, certæ quædam Inscriptiones detegebantur, quarum characteres exotici penitùs magnam pariter indigitant antiquitatem, eò quod nullus istius temporis eruditorum eosdem legere, vel sensum eorundem divinare potuerit.

Lydi artem pictoriam in Italiam deferebant.

Ut autem ad Gygem nostrum Lydium revertamur, huic ipsi hæc tribuitur Gloria, quod in Ægypto existens Artem Pictoriam invenerit, primusque delineaverit figuras quasdam. Quo tempore autem propriè vixerit, & cui novam hanc inventionem deindè communicaverit, nullâ certitudine declarari potest. Hoc quidem certissimum est, Ægyptum maturè fuisse excultam, & idolorum cultum ante multa jam tempora ibidem viguisse, cum quo Ars Dia-

Gyges invenit artem delineatoriam.

graphica excrescere & enutriri solita est, sicut ad ulmum vitis. Unde quantum conjecturâ contingere licet, amabilis hæc Nympha Pictura circa arenosa primùm Nili littora versicolorem suam tunicam induit, & exhinc magnâ cum admiratione ad alios populos pulchritudinem suam publicè exhibitura eandem expandit. Quicquid autem sit: Ægyptii sanè, Pliniô teste, hanc sibi tribuunt gloriam, se istius Artis, & quidem per Gygen modò dictum, primos fuisse inventores. Illud tamen, quod addunt, paradoxum majus est: nobilem hanc scilicet scientiam sex mille jam annis penes ipsos floruisse, antequam exhinc ad Græcos traducta sit. [*Nihilominus Memnon fuit antiquissimus in Ægypto pictor & statuarius. Videatur Diodorus Siculus libr. 2. de Simandii Regis Ægypti sepulchro, cujus ambitus milliare unum amplexus est. Ejus sepulchri porta fuit è lapide Porphyretico tantæ magnitudinis, ut duo jugera longa esset, alta quadraginta cubitos. In eo ingredientibus occurrebat lapideum peristylium quadratum, cujus singula latera quatuor jugerum essent. Pro columnis animalia erant sita monolitha sedecim cubitorum. Erat & alter aditus & porta superiori similis, sed sculptura uberiori. In ingressu statuæ tres erant ingentes unius lapidis Memnonis opus. Har m una sedens, cujus pedis mensura sept m ex edebat cubitos, cæterasq; Ægypti statuas magnitudine superabat. In tantâ mole neq; fissur erat, neque macula. Erat & aliud sign m matris uno lapide, cubitorum viginti, habens supra caput reginas tres. Post hanc portam & aliud erat peristylion nobilius superiore sculpturis variis, in quibus bellum erat contra Bactrianos. Prima pars muri obsidionem urbis sculptam continebat. Secundus paries sculptus erat captivis absq; viro, i. e. excisis & sine manibus. Tertium latus sculpturis variis, picturisq; decoris Regis Sacrificia triumphumq; devictis hostibus continebat. In medio peristylio statuæ duæ jacebant ingentes ex unico lapide cubitorum septem & viginti. Dehinc ambulatio domibus plena, in quibus diversa epularum genera. Sculptus dein eminens cœteris Rex variis coloribus; erant deinceps Ægypti Deorum omnium imagines. Sequebatur Bibliothecâ, in quâ inscriptum: Animi medicamentum. Postmodùm domus erat, in quâ viginti lectisternia Jovis & Junonis. Ibi picta animalia sacris apta. Circumibat monumentum aureus circulus, in quo descripti erant per singulos cubitos, dies, anni, astrorum motus & occasus. Hic circulus à Cambyse sublatus.*] Et hîc quidem prolixô labore inquirendum mihi esset, quàm variis modis annorum periodos diversi numeraverint populi: cum juxta nostrum computandi modum tantum non sit vel ipsius mundi ævum, ut veritate niti queat jam descripta Ægyptiorum jactantia: Hoc autem ulteriùs disquirant eruditi, me interim ad ulteriora procedente.

Cujus inventionem sibi Ægyptii tribuunt.

II. PYRRHUS, Primus Pictorum inter Græcos, nepos Dædali.

II. PYRRHUS primus inter Græcos Pictor, Dædali nepos.

ARs quævis præclara in admirationem hominum oculos alliciens, ob pulchritudinis suæ splendorem occulta manere nequit: quæ proculdubio quoq; erit causa, quod Ars nostra Pictoria ex Ægypto in Græciam translata, ibidemq; tanquam nova inventio in lucem producta sit, & quidem per aliquem Dædali cognatum vel nepotem, qui ab aliis Pyrrhus, ab aliis Euchir vel Euctis nominatur. Hunc igitur Aristoteles primum in Græciâ Pictorem fuisse autumavit. Dæda'us autem insignis erat Artifex in re Statuaria, Diagraphica, Artibusq; aliis pluribus, natione Atheniensis, sub regno Thesei, circa Annum mundi 2730. & ante natum Christum 1120. clarus. Unde patet, paulò post horum annorum tempora Artem Pictoriam in Græcia suum cepisse initium.

Qui ante 2800. ferè annos vixit.

III. POLYGNOTUS, Atheniensis pictor.

III. POLYGNOTUS, Atheniensis pictor.

IN describendis autem vitis antiquorum horum Artificum, necessarium esse deprehendo, ut ad evitandos in obscuris his errores è rerum antiquarum Scriptoribus sedulò omnia conquirantur, & cum distinctione applicentur. Theophrastus igitur, testante Pliniô lib. 7. c. 56. autor est, Polygnotum Atheniensem (cujus effigiem tabula Iconum literâ C. notata, exhibet,) primum inter Græcos fuisse Pictorem. [*Sic enim Quintilianus lib. 12. cap. 10. Primi, quorum quidem opera non vetustatis modò, (sed & artis) gratia visenda sint, clari pictores, fuisse dicuntur Polygnotus atq; Aglaophon, quorum simplex color tam sui studiosos adhuc habet, ut illa propè rudia ac velut futuræ mox artis primordia, maximis, qui post eos extiterunt, autoribus, præferant, proprio quodam intelligendi, ut mea opinio fert, ambitu.*] Ubi tamen sciendum, primis temporibus, cùm ars Pictoria vix tùm nata, & valdè adhuc imperfecta esset, illum, qui aliquid pro illius emendatione in medium protulisset, facillimè pro ejusdem inventore haberi potuisse. Hic autem Polygnotus, quantum conjicere licet, primus fuit, qui Picturam ignis beneficiô instituit. Iste autem pingendi modus, quantum ex diligentissimâ inquisitione conjecturare possumus, vel fuit Pictura auri encaustica (vulgò Email,) vel quod ferrô candente aliquid ligno, vel ebori, inurerent: vel etiam vitrô

Picturam igne factam invenit, quæ Encaustica dicitur.

liquatô, vel ceris coloratis figuras quasdam repræsentarent: quæ omnia citra ignis usum fieri non potuerunt. Primus autem pingendi modus diu satis saltem consistebat in nudo linearum circumductu, quam Latini Linearem dicebant Picturam, quasi umbra saltem hominis esset lineis circumducta. Et linearem quidem hanc inventam dicunt à Philocle Ægyptio, vel Cleanthe Corinthio, *[sic enim de hoc Strabo lib. 8. In Alphæoniæ Dianæ templo Cleanthis & Aregonthis picturæ visuntur, hominum Corinthiorum. Alterius quidem Trojæ excidium; alterius Dianæ in cunis deportatio.]* eamq; primi exercuere (Plinio teste lib. 35. cap. 3.) Ardices Corinthicus & Telephanes Sicyonius; qui omnes nudo saltem circumductu usi esse dicuntur, citra omnem colorum vel umbrarum usum, nudis carbonum signis contenti. *[jam tamen spargentes lineas intus: ideò & quos pingerent, adscribere institutū, docente Pliniô, locô citatô, & Æliano lib. 10. var. histor. unde Petronius: Omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat.]*

Pictura prima nuda erat circumductio, cujus inventor Philocles fuit & alii.

Cleanthes. Ardices. Telephanes.

Porrò ab ignotâ quadam manu inventus dicitur modus quidam pingendi secundus; quo nempè simplicior illa circumductio singulis impleretur coloribus: quam monochromaton dixerunt Græci, ab unico colorum genere. *[Alii monogrammon vocant, ab unica semper & eadem linearū specie, prout Epicurus lib.2. de Natura Deorū, apud Ciceronem, monogrammos Deos vocat, eosdem semper, qui nec ira mutentur, nec lætitia. Lucillius tamen apud Nonium tenues & decolores homines appellat monogrammos. De his tamen ita Quintilianus lib. 11. Instit. c. 3. Qui singulis pinxerunt coloribus, alia tamen eminentiora, alia reductiora fecerunt, sine quo ne membris quidem suas lineas dedissent.]* Et Plinius quidem opinari videtur, hoc nomine intelligi Picturam illam duorum colorum, ut cùm v.g. griseum pingitur in cœruleo, vel lucidum in obscuro; dum scribit, Picturam illam monochromaticam ad sua usq; durare tempora. Fieri tamen potuit, ut in hoc erraret, eò quod artifices illi antiquiores hanc scientiam usq; adeò nondum excoluissent, ut opera sua exaltando & inumbrando perficerent; unde probabile est, illos schema suum simplicius, unico tantùm succo vel colore, explevisse. Et quamvis Græci, arrogantes pro more, primæ istius inventionis gloriam suis adscripserint popularibus; hoc ipso tamen nihil effecerunt aliud, quàm quod aliis istam gloriæ suæ coronam præripere voluisse deprehendantur.

Monochroma sive pictura unius coloris.

Ego igitur adhuc in hac opinione persisto, Gygem Lydium in Ægypto degentem primum fuisse, qui Artem Delineatoriam quasi primùm à se genitam in lucem produxerit, cùm umbram propriam nudô circumductu in pariete albido carbone ex igne accepto circumscripsisset: & Polygnotum deinde hunc primum fuisse, qui Artem hanc adauxerit, & Picturam illam linearem coloribus expleverit. Prout idem quoq; plura invenit, &, ut solent ingenia excitatiora, ulteriora semper inquisivit. Reperimus enim, eundem quoq; singulari artificio exsculpere potuisse ligna. Idem quoq; pro tabularum usu lignum aliquod invenit, quod à Latinis larix dicitur. Et lignū quidem hoc (Germanis Lerchenbaum) tàm est glabrum, ut ne minimam quidem admittat rimulam; adeoq; ad hunc usum valdè esset conveniens. Omninò tamen certum est, duos fuisse Polygnotos, multo tempore à se invicem distantes: prout etiam duos autores describunt Mycones, seniorem nempè & juniorem. Alium enim invenio Polygnotum Thasium, & non Athenis oriundum, qualis hic erat, de quo nunc sermo est. Hic autem Atheniensis, (de altero enim suo dicetur loco,) eodem tempore vixisse dicitur cum Mycone sympatriotâ: & uterq; præclarus fuit Pictor; ambo etiam ochra Atheniensi usi dicuntur. Atramentum porrò suum, (ut Plinius tradit libr. 35. cap. 6.) Polygnotus & Mycon, celeberrimi Pictores Athenis, è vinaceis fecêre ustis, quod trigynon appellarunt. De hoc autem Polygnoto plura non reperio, quàm quod cælaturæ etiam fuerit artifex. Quo tempore autem propriè vixerit, ignoratur.

Polygnotus artem Pictoriam in meliorem gradū evehit, circumducta delineationis elemēta intus explendo.

IV. TELEPHANES
Phocæus.

Artifices, qui compositis voluminibus condidere hæc (verba sunt Plinii libr. 34. c. 8.) miris laudibus celebrant & Telephanem Phoceum; ignotum aliàs, quoniam in Thessaliâ, ubi habitaverat, latuerint opera ejus. Alioquin suffragiis ipsorum æquatur Polycleto, Myroni, & Pythagoræ. De hoc plura quidem enarrari possent, quia autem reperio, eum Statuarium fuisse, fabrumque ærarium, temporibus Xerxis & Darii Persiæ Regum; hinc plura de eo superaddere supervacaneum duco, & sufficit, differentiam saltem ostendisse inter ipsum atque Telephanem Sicyonium suprà jam commemoratum; qui dudum jam antea, ceu primus antiquorum Pictorum, vixerat.

IV. TELEPHANES Phocensis, Statuarius.

V. CLEO-

C

COMPOSVIT ZEVXES IVNONEM E QVINQVE PVELLIS.





PARRHASIVS VELO, VOLVCRIS CEV FALLITVR VVA.

V. CLEOPHANTUS Corinthius.

V. CLEOPHANTUS Corinthius.

DE Inventione Picturæ coloratæ probabilis maximè est opinio, quam tradit Plinius lib. 35. cap. 3. quod primus nempè invenerit colorare imagines Cleophantus Corinthius, & testâ quidem, ut ferunt, tritâ. Nisi fortè in fragmentis vasorum testaceorum nondum exustorum, pinxisse censeri debet: ut iis deindè perustis, ortum hinc habuerit Pictura vasorum terreorum. Cleophantum hunc, vel eodem nomine alium, Plinius censet fuisse illum, quem tradit Cornelius Nepos secutum in Italia Demaratum, Tarquinii Prisci Romani Regis patrem, fugientem à Corintho injuriâ Cypselli Tyranni. Hic autem Demaratus habitationem sibi eligebat in Hetruriâ, ubi generatus ab ipso filius, quintus deindè factus est Rex Romanorum. Eundem quoq; Corinthum relinquentes sequebantur Euchir & Eugrammus, ambo in Arte Plasticâ faciendisq; imaginibus & vasis terreis excellentes; ita ut cum ipsis hæc Ars in Italiam venisse censeatur.

VI. BULARCHUS pictor.

VI. BULARCHUS pictor: cujus pictura auro repēdebatur.

BUlarchus, si Picturæ ætas consideretur, Pictor quoq; fuit Lydius, & procul dubio illis quoq; jam temporibus valdè peritus atq; artificiosus, quia unica ipsius tabula à Candaule Rege Lydiæ Heraclidarum novissimo, qui Myrsilus vocatus est, repensa est aurô. Et quia Candaules tabullam hanc multis annis ante mortem suam, vel etiam multô tempore post mortem ipsius artificis emisse potuit; hinc iste pro uno ex antiquissimis Pictoribus habendus erit, cum exhinc satis pateat, quanta jam tum dignatio esset Picturæ: id enim circa ætatem Romuli accidisse conjectatur Plinius lib. 35. cap. 8. qui duodevicesima Olympiade interiit: Candaules autem eodem annô, quô Romulus: manifestâ jam tum claritate Artis atq; absolutione. Quod si recipi necesse est, (notante Plinio loco citato:) simùl apparet, multò vetustiora hujus Artis esse principia, eosq;, qui monochromata pinxerint, (quorum ætas non traditur,) multò ante fuisse Hygiænontem, Diniam, & Charmam, & Eumarum, atq; Cimonem. In tabulâ autem illâ suprà commemoratâ Magnetum prœlium pinxerat Bularchus. Quid autem artificiosus hic Picturæ propagator plus ultrà elaboraverit, præ temporis antiquitate obscurum, nec scriptis in nos traductum est.

Inventor effigierum coloribus pictarum.

Hygiænon. Dinias. Charmas.

VII. EUMARUS Atheniensis.

VII. EUMARUS Atheniensis primus omnium imitator.

COnjici porrò potest, Eumarum Pictorem Atheniensem ipsô Bularchô modò commemoratô esse antiquiorem: eò quod ipsius tempore Ars ista adhuc tàm fuerit imperfecta, tantæq; simplicitatis, ut in Picturis masculorum & fœminarum sexûs dignosci non posset. Ubi deinceps Eumarus iste, Pliniô teste, librô 35. cap. 8. primus in picturis monochromatis marem fœminamq; discrevit. Adde quod hic quoq; primus fuerit, qui figuras omnes imitari sit ausus.

VIII. CIMON Cleonæus.

VIII. CIMON Cleonæus inventor Catagraphorum.

VEstigia Eumari hujus atq; inventa egregiè excoluit Cimon Cleonæus, cujus Patria Cleone in intimioribus Achajæ sita erat. Hic Catagrapha invenit, hoc est, obliquas imagines, & variè formare vultus respicientes suspicientesve, & despicientes; quod ante illius tempora in usu nondum fuerat. Hic etiam primus in picturis suis membra distinxit, musculosq; & venas protulit; prætereaq; in veste & rugas & sinus invenit. [*Adeoq; tum jam ipsa se ars distinxerat, & invenerat lumen atq; umbras differentia colorum alterna vice sese excitante. Deindè adjectus erat & splendor, alius hic quàm lumen, quem, quia inter hoc & umbram esset, appellarunt tonon; (i. e. vigorem;) commissuras verò colorum & transitus, armogen. Plin. lib. 35. c. 5. Optimè autem dein Phidias lumen & umbras custodivit, & ut eminerent è tabulis picturæ maximè curavit. Sili Attico autē ad lumina utebantur: Scyrico ad umbras; Indici ratio ad incisuras in picturâ, hoc est umbras dividendas à lumine. Plerig; lumen de colore purpureo propriè accipi volunt: malè. Lumen enim opponitur umbris; & sæpè vocatur ἄνθος s. flos. Eo est opus, ut varii habitus, vultus, status, fiant: de quibus Qnintilianus l. 2. c. 14. Ut in statuis atq; picturis videmus variari habitus, vultus, status: nam recti quidem corporis vel minima gratia est, cum sc. adversa sit facies, demissa brachia, juncti pedes, & à summis ad ima rigens opus. Flexus a. ille (qualem Curon invenit;) & ut sic dixerim motus, dat actum quendam effictis. &c.*

IX. PANÆUS Atheniensis pictor.

IX. PANÆUS Atheniensis.

ET hîc quidem meritò de Plinio querela mihi instituenda esset, quod in describendâ Pictorum historiâ non meliorem observaverit ordinem. Hic tamen vel hoc ipso excusationem meretur, quod eodem ipsô capite 8. lib. 35. & ipse conqueratur, non constare sibi in hac parte Græcorum diligentiam: quod verum tempus, in quo præclari quivis Pictores vixerint, non ac-

curatè observent, & multas post Olympiadas Pictores demùm celebrent autores. Ille igitur, quem post Cimonem describit Plinius loco citato, Panæus Pictor Atheniensis Olympiade vixit octogesimâ tertiâ, prout & frater ipsius Phidias, cujus tamen autores supradicti nonagesimâ demum Olympiade faciant mentionem. Verba Plinii locô cit. sunt ista: Præterea in confesso est, octogesimâ tertiâ Olympiade fuisse Panæum Phidiæ fratrem, qui Clypeum intus pinxit, & in Ægide Minervæ, quam fecerat Colotes, Phidiæ discipulus, & in faciendo Jove Olympio adjutor. Alii tamen hunc fratrem Colotæ esse volunt. Idem quoque clypei cujusdam partem interiorem pinxit, cujus externam pinxerat Phidias initiò Pictor. De Colote autem plura non invenio, quàm quod præ cæteris statuas Philosophorum finxisse dicatur solitus. Plin. lib. 34. c. 8. Quod autem Panæus hujus fuerit frater, erroneum esse judico, cùm Plinius expressè, Phidiæ fratrem fuisse Panæum, dicat: Hic Panæus autem in Arte hac magnam habuisse peritiam ex hoc judicatur, quod, referente eodem Plinio, prœlium Atheniensium adversus Persas apud Marathona factum pinxit. Ubi adeò jam colorum usus percrebuerat, adeoq; Ars perfecta erat, ut in eo prælio Iconicos Duces pinxisse tradatur; Atheniensium Miltiadem, Callimachum, Cynegyrum; Barbarorum verò Datim, Artaphernem; ita ut quasi vivi de facie cognosci possent: [*De hac colorum mixtura sic Julius Firmicus lib. 3. Astron. sicut in imaginibus artifex pictor lineamenta membrorum variâ mixturarum diversitate persignat, & temperatis coloribus formam mutatione facit similitudinis corporalis. &c.*] Quinimò certamen picturæ etiam florente eo institutum est Corinthi ac Delphis: primusq; hic omnium certavit cum Timagora Chalcidense; superatus tamen ab eo in ludis Pythiis in Apollinis honorem celebratis, quod & ex ipsius Timagoræ Carmine vetusto Plinii adhuc temporibus apparebat. Panæus quoq; Elide in Templo Minervæ pinxit muros, vel potiùs ex aliorum opinione lacte atq; croco flaventes reddidit: quoniam digito humente tacti, eundem flavedine colorabant, ac si quis crocum tractâsset manibus.

Colothas Pictor & Statuarius.

Timagoras Chalcidensis pictor.

X. POLYGNOTUS Thasius, pictor.

X. POLYGNOTUS Thasi⁹, pictor

Antequam autem ad Phidiam me convertam, de Polygnoto Thasio quædam dicenda mihi sunt, (cujus Iconem exhibet tabula lit. C. notata,) qui primus mulieres lucidâ vestæ pinxit, & capita earum mitris versicoloribus operuit; plurimumq; Picturæ primus contulit, siquidem instituit os aperire, dentes ostendere, vultumque ab antiquo rigore variare. Idem quoque picturis suis varios exprimebat motus atq; affectus: undè de eo porrò sic loquitur Plinius libro cit. c. 9. Hujus est Tabula in porticu Pompeji, quæ ante curiam ejus fuerat, in qua dubitatur, ascendentem cum clypeo pinxerit, an descendentem. Hic Delphis ædem pinxit: hic & Athenis porticum, quæ Pœcile vocatur, gratuitò, cum partem ejus Mycon mercede pingeret: unde major huic autoritas: siquidem Amphictyones, quod est publicum Græciæ concilium, hospitia ei gratuita decrevêre. Tanti tùm temporis hi Græciæ Magistratus hujus Artis erant fautores. De tempore ipsius nihil invenitur certi, nisi quòd ante nonagesimam Olympiadem vixisse dicatur. Idemq; argenti quoque cælaturam magno exercuisse dicitur artificio.

n ulierum primus.

Opera ejus.

Ejus præmium.

XI. PHIDIAS Atheniensis, Pictor & Statuarius.

XI. PHIDIAS Atheniensis, Pictor & Statuarius.

Quemadmodum autem ambæ hæ Artes, Pictura nimirum & Sculptura, unius matris sinu, Diagraphices nimirum, genitæ atq; educatæ sunt: ita Pictori non admodùm difficile est, vel Sculpturâ lapides concinnare, vel æra fusionibus. Exemplum hujus nobis exhibet Phidias, qui in utrâq; hâc arte excelluit: (cujus iconem tabula ænea repræsentat, quæ literâ C. consignata est.) Hic filius erat Charmini Atheniensis cujusdam, magnâq; cum laude florebat Olympiade octogesimâ tertiâ; trecentis nimirum ab urbe conditâ annis. Quamdiu autem vixerit, equidem ignoratur: id tamen reperitur, eundem Olympiade nonagesimâ nondum demortuum, sed inter Pictoriæ artis cultores adhuc fuisse primarium. Pinxisse enim a Plinio dicitur eâdem ætate lib. 35. cap. 8. Athenis Clypeum quendam (Minervæ puto,) ejusque partem externam; cujus partem internam frater ejus Panæus pinxerat, ut dictum est supra in hujus vita. Erat autem in clypeo illo Medusæ caput, variis nimirum crinitum serpentibus. [*fabulam infrà describimus.*] Deinde Phidiam hunc scalpsisse tradunt marmora [*Plinius lib. 36. c. 5.*] Veneremq; ejus fuisse Romæ in Octaviæ Operibus eximiæ pulchritudinis. Urbi porrò Olympiæ, statuam sculpebat Jovis ex ebore & auro, quo in opere faciendo Colotas discipulus ejus ipsi fuerat adjutor. Sed & ex ære signa plura cum fecisset, Jovis tamen hæc statua, quam nemo imitari ausus fuit unquam, pro miraculo nullibi non celebratur; unde glo-

Opera ejus: Ægis Palladis

Statua Jovis Olympii.

ria

ria quoque & fama ipſi enata fuit, quod omnium Statuariorum optimus eſſet & præclariſſimus. Interrogatus quondam ab amico, quonam mentem ſuam dirigens vultum Jovis propemodùm ex ipſo cœlo petitum eboris lineamentis eſſet amplexus? illis ſe verſibus quaſi magiſtris uſum reſpondit: Iliad 1.

Ἦ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων,
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον.

Id eſt:

Dixit, & nigris ſuperciliis annuit Saturnius,
Immortales verò comæ commotæ ſunt Regis,
Capite ab immortali: magnum autem concuſſit Olympum.

Vid. Valer Max. lib. 3. cap. 7.

Unde patet, quàm accuratè artifices antiqui expenderint Poëtarum ſcripta. Hanc ſtatuam quoque Plinius inſigniter laudat lib. 36. cap. 5. & Pauſanias in Eliacis prioribus. Tantâ autem fuit magnitudine, ut ſedens effingendus eſſet Jupiter, cum aliàs tectum templi illius Olympii, alioquin alti ſatis, auferrendum fuiſſet; ubi tamen & hoc ſitu ſummum capite tangebat lacunar. Et hanc quoque Statuam ipſi Jovi tantoperè placuiſſe fingebant, ut per tonitru quaſi gaviſus tùm ederet ſignum, annotante Zwingerô in Theatro mundi.

[De hac etiam Propertius lib. 3.

Phidiacus ſigno ſe Juppiter ornat eburno:
Praxitelē propriâ vindicat arte lapis, &c.

In digito autem quodam iſtius Jovis Olympici inſcripſerat Phidias: Pantarces pulcher: prout tradit Clemens Alexandrinus in protreptico:]

Ante palatium montis Caballini in urbe Roma duæ conſiſtunt ſtatuæ, Alexandrum Magnum cum Generoſo equo ſuo Bucephalo exprimentes, quarum antiquiſſimam Phidias, alteram Praxiteles elaboravit, monente ſic Inſcriptione antiquâ his verbis:

OPUS. FIDIÆ. OPUS.
PRAXITELIS.

Videatur in opere noſtro de Sculptura Tabula ænea, quam ſignat lit. F. Id ipſum quoque teſtatur nova quædam Inſcriptio his verbis:

Inſcriptio Romana.

Phidias, nobilis Sculptor, ad artificii præſtantiam declarandam, Alexandri Bucephalum domantis effigiem è marmore expreſſit. Praxiteles Sculptor, ad Phidiæ æmulationem, ſui monumēta ingenii, poſteris relinquere cupiens, ejusdem Alexandri Bucephaliq; ſigna, felici contentione perfecit. Sixtus. V. Pontifex Maximus, ſigna Alexandri M. celebrisq; ejus Bucephali, ex antiquitatis teſtimonio, Phidiæ & Praxitelis æmulatione, hoc marmore ad vivam effigiem expreſſa, à Fl. Conſtantino Maximo è Græcia advecta, fuisque in thermis in hoc Quirinali monte collocata, temporis vi deformata, ad ejusdem Imp. memoriam, urbisq; decorē, in priſtinam formam reſtituta hic reponi juſſit. A. M.D.LXXXIX. Pontif. IV.

Et Angelus quidem Roccha lib. de Bibl. Vatic. pag. 256. ſuſtinere nititur, Praxitelen opus ſuum Romæ elaborâſſe.

Porrò Plinius lib. 34. c. 8. eodem tempore, ſcribit, innumeram propè artificum claruiſſe multitudinem, quam ætatem ab Olympiade octogeſimâ tertiâ usque ad centeſimam quinquageſimam quintam extendit. Ibidem autem Phidiæ æmuli fuiſſe dicuntur Alcamenes, Critias, Neſtocles, & Hægias: & deinde Olympiade octogeſimâ ſeptimâ Agelades, Callon, Polycletus, Phragmon, Gorgias, Lacon, Myron, Pythagoras, Scopas, & Perelius. Idem eodem locô addit, veniſſe & in certamen laudatiſſimos artifices, quamvis diverſis ætatibus genitos, quoniam fecerant Amazonas: quæ cum in Templo Epheſiæ Dianæ dicarentur, (verba ſunt Autoris) placuit eligi probatisſimam ipſorum Artificum, qui præſentes erant, judicio: cùm apparuit eam eſſe, quam omnes ſecundam à ſua quisq; judicâſſent: Hæc fuit Polycleti; proxima ab ea Phidiæ; tertia Cteſilæ; quarta Cydonis; quinta Phragmonis.

Statua Minervæ.

Poſtmodùm etiam Minervæ Statuam fabrefecit admirandam ex ebore & auro viginti ſex cubitorum altitudine, in hujus ſcuto Amazonum prœlium cælavit, intumeſcente ambitu Parmæ; ejusdem concavâ parte Deorum & Gigantum dimicationem; in ſoleis verò lapitharum & Centaurorum: adeò momenta omnia compacta artis illius fuêre. In baſe autem, quod cælatum erat, Pandoras Geneſin appellavit: ubi Dii erant triginta numerô naſcentes, victoriâ præcipuè mirabili. Peritos idem Autor lib. 36. cap. 5. miratos dicit & ſerpentem, & ſub ipsâ cuſpide æream Sphyngem Tandemque addit, hæc obiter tantùm dicta eſſe, de Artifice nunquam ſatis laudato, ſimul ut noſcatur, illam magnificentiam æqualem fuiſſe & in parvis. Hæc autem Minervæ Statua adhuc Plinii tempore Athenis in Parthenone adſtitit, quod templum erat iſtius Deæ, ubi, quaſi in cœnobio, virgines habitabant.

Nemeſis Rhamnuſia.

Ejusdem quoque opus fuit Nemeſis Rhamnuſia, quæ erat Statua Veneris decem cubitorum altitudine in manu mali ſ. pomi ramū tenens (ex quo parva ſurgebat cōplicatio, ubi, teſte Antigono, ſcriptū erat;

Agoracritus Parius fecit, hunc enim discipulum suum Phidias adeò dilexit, ut nomen ejus inscripserit operi, ex quo proverbium: Rhamnusia Nemesis.) Deq; hac statuâ Plinius lib. 36. c. 5. refert, certâsse inter se duos Phidiæ discipulos in Venere facienda, Alcamenem nempè Atheniensem, & Agoracritum, & vicisse Alcamenem, non opere, sed civitatis suffragiis contra peregrinum suo faventis: quare Agoracritus eâ lege signum suum vendiderit, ne Athenis esset, & appellaverit Nemesin: idq; positum fuisse Rhamnunte pagô Atticæ. Aliud quoque ipsius opus notum est; quod Cliduchum vocant, id est clavigerum; quod unà cum Minerva quadam Phidiæ, Paulus Æmilius Romam transtulit, inq; Fortunæ Templo locavit. Hunc Cliduchum opus illud fuisse statuunt, quod Pausanias in Eliacis describit; nimirum eôdem expressam fuisse effigiem Plutonis clavem tenentis, Bacchi item & Proserpinæ, duarumq; Nympharum. Porrò duo etiam ab illo fabrefacta sunt signa alia, quæ Catulus in eadem æde Fortunæ posuit palliata. Elieis Venerem sculpsit eburneam, testudini pedem suum imponentem: quo ipso innuebat, quod sicut testam suam nunquam deserat testudo, ita fœminas deceat domi manere reconditas. Prætereà inter opera ejus quoq; numerantur Apollo æreus: in sede Jovis Olympii tres Gratiæ pulcherrimæ; Puer quoq; aliquis diadematus; item Minerva quædam lignea, manibus pedibusq; marmoreis, pro Platæensibus: Mercurius pro Thebanis, & Miltiadis statua cum aliis Atheniensium quorundam, pro Delphis: quæ omnia à Plinio, Plutarcho & Pausaniâ de illo referuntur. Testante Plinio quoq; toreuticen, f. artem cælatoriam f. anaglypticam aperuisse atq; demonstrasse meritò judicatur, quam Polycletus erudisse credendus est. Plin. lib. 34. cap. 8. Felicitate autem inveniendi in tantũ pollebat, ut, Luciano in Hæresibus teste, totius Leonis magnitudinem ex unico ejusdem ungue æstimare valuerit: quod locum dedit proverbio: *Ex ungue Leonem!* Quâ verò in hoc procedatur methodo Vitruvius libro tertio breviter demonstrat. Idem porrò hâc in arte tantos fecit progressus, ut proverbio: *Phidiæ signum*; utamur, de rebus, quæ ad primum quoq; aspectum admirandæ habentur. Istoq; Cicero in libro de claris Oratoribus hisce utitur verbis: *Hortensii admodùm adolescentis ingenium ut Phidiæ signum aspectum & probatum est.*

Cliduchus.

Venus.

Anaglyphica invenit (Basso rilievo)

Proverbium: Ex ungue Leo, & Phidiæ signum.

Illustris ille Atheniensium Dux magnusq; bonarum Artium Fautor Pericles, Plutarcho in hujus vita teste; laudatum Phidiam amicorum sibi adscivit intimum; collectosque ad ornandam Atheniensium urbem variarum artium Magistros, è quorum numero Ictinus, Callicrates, Corœbus, Xypetius, Metagenes, Xenocles, Mnesicles, celeberrimus item pictorum Zeuxis, & Agartharchus; omnes illius inspectioni subjecit; ac singulis pensum suum ab illo assignari voluit: quo ipso in sui perniciem illorum in sese excitavit invidiam. Sub opere igitur extruendæ arcis, excellens ille Architectus Mnesicles ab editissimo quodam loco decidens adeò lædebatur, ut jam omnes de illius salute desperarent. Cumq; Pericli ob id haud parum sollicito, ut ferunt, Minerva in somnio remedium monstrasset, quo Architecti istius morbus confestim sanatus fuit: istius Deæ Iconem, pro debitâ gratitudine, tam artificiosè ex metallo fabricavit Phidias, ut nomen Formosæ sortita fuerit, cùm ab ipso Statua salutaris Minervæ vocaretur. In majorem verò hujus Deæ gloriam, Phidias iconem ejus, quam ex ebore sculpserat, auro induxit, undè & Minerva aurea appellabatur: Ipsique à Pericle pro singulari hoc & artificiosissimo Opere quinquaginta Talenta persoluta sunt. Statuæ autem hujus altitudo ad viginti sex cubitos extendebatur, eademq; & Lemnia, quod à Lemniis sacrata fuerat, dicebatur. Illius in clypeo pugnam Amazonum, interq; illas sui ipsius effigiem ceu Viri calvi manibus ingens saxum tenentis cælaverat. Periclem quoque cum Amazonum quadam luctantem in eodem clypeo formaverat, cujus faciem tamen Minervæ hasta utcunq; tegebat, quâvis aliàs ab omni latere abundè agnosci posset. Et hæc ambo tàm aptè tamq; ingeniosè inserta erant, ut eadem eximere volenti, absq; totius statuæ confractione haud facilè cessissent. Idem hoc opus Cicero hunc in modum scribens indigitat. *Non enim est tale, quod in Arce poni possit, quasi Minerva Phidiæ, sed tantum ut ex eadem officinâ exiisse videatur.* Et Ovidius illius sic meminit:

Pericles eũdem in suam adscivit amicitiam.

Minerva Formosa.

Aurea.

Arcis ut Actææ vel eburna vel aurea custos
Bellica Phidiacâ stat Dea facta manu.

Cumq; harum statuarum ergò Atheniensium populus adversus Periclem concitatus, eidem exprobraret, quod nimiâ in opera hæc prodigalitate, reditus publicos insigniter diminuisset; rogantiq; in concione: an pretio nimis caro emtæ videantur? responsum esset: plus nimio; ipse replicabat: Nomen itaq; meum operibus hisce inscribi curabo, impensas verò mihi imputabitis. Ubi populus quidem generoso hoc responso aliquantulum placabatur; sed Thucydides interim cum asseclis sub specie nimiò à Phidiâ emtæ Minervæ Periclem incusare nunquam desistebat: donec ex Alcibiadis consilio

Tumultus Athenis contra Periclem.

Thucydidem ex patriâ armis tandem profligaret.

Phidias propter illum in odium venit,

Quantum autem populi odium amore Phidiæ sibi contraxerat Pericles; tantas Periclis nomine calumnias tulit Phidias. Affluente enim ad opera ejus visenda multo fœminarum numero, inimici ejus fingebant, Phidiæ lenocinio alienos amores captare Periclem. Præterea quoque cum ex perfidiâ ab adversariis subornati Menonis servi sui, in Minervæ fabrefactione multum auri subduxisse diceretur Phidias, eundem propterea populus furti accusabat. Aurum verò, quod maximô ipsi cedebat commodo, statuæ ita applicuerat, ut resolutis nexibus undique tolli posset: quod ad probandam innocentiam suam cum ponderari jussisset calumniatorum quidem suorum malitiam hoc ipso convincebat; aucto tamen in sese magis magisque populi odio, ut obtrectatores quoq; illius impunè dimitterentur. Tandemq; hic ipse Phidias in carcerem conjectus, vel curis macerantibus, vel veneno ab inimicis clàm exhibito animã efflavit.

Furtique accusatur.

Et quamvis innocens;

In carcere tamen moritur.

Agoracritus discipulus ejus.

De Discipulo, quem habuit, Agoracrito, quem tantoperè adamabat, ut è suis operibus pleraq; nomini ejus donaret, suprà jam diximus. Ejusdem informatione quoq; usus est Alcamenes.

XII. MYCON Atheniensis, pictor.

XII. MYCON Atheniensis.

IN vita Polygnoti secundi mentionem injecimus, quanta artis suæ prœmia ab Atheniensibus tulerit Mycon Atheniensis: ex quo ipsum tunc temporis omnium Artificum facilè fuisse principem abundè patet. Colorem atrum ex vinaceis parabat, quem trygnon vocabant. Primus etiam ochrâ Atticâ usus est. Sed & statuarius cum fuerit, (juxta Plin. l. 34. c. 8.) Athletis præ cœteris spectatus dicitur. Et major quidem appellabatur, quia alius ejusdem nominis fuit, ab hoc Minoris cognomine distinctus, cujus filia Timarete & ipsa scitè admodùm pinxit. Lapitharum cum Centauris pugnam, opus celeberrimum Athenis in Thesei templo positum; nec non Argonautas, Colchos petentes; quæ tabula Castoris templo dicata fuit, quàm ingeniosissimè delineavit Mycon iste Major. Porrò & Atheniensium cum Amazonibus, sub duce Theseo pugnam; ut & Reges, super Ajace, ob Cassandram Priami filiam in Minervæ delubro vitiatam, consultantes, depinxit. Ingentem præterea virginum captivarum numerum cum Cassandræ imagine picturâ expressit: nec minùs pugnam Marathoniam, in qua tàm pugnantium invicem fervorem, quàm turpem Persarum in lacunas paludesque fugam eleganter exhibuit. Præterea Phœnicum classem; Barbarorum à Græcis perpessam cladem; ac Theseum navem conscendentem; Minervæ etiam ac Herculis effigies mirâ arte formârat. Filius ipsi erat Onaras, omnium ex Dædali schola sculptorum facilè princeps: ab hoc Phigalii unicam Cereris statuam sex millibus coronatorum mercati sunt. Vixitq; hic Onaras Olympiade octogesima tertia.

Onaras filius ejus statuarius

XIII. APOLLODORUS Atheniensis, pictor & statuarius.

XIII. APOLLODORUS Atheniensis, pictor & statuarius.

SI ad Plutarchi exemplũ præclaros Græciæ Italiæq; viros invicem comparare constituissem, haud immeritò Michaëli Angelo opponerem Apollodorum Atticum, iisdem naturæ dotibus egregiè ornatum. Hic enim in summo artis decore exquirendo tam contumacis erat profunditatis, ut pulcherrimas quas confecerat quandoq; imagines, ex voto sibi haud respondentes spontè cõfregerit. Opera enim sua, quãvis omni numero essent absoluta, ipsi tamen minus semper perfecta videbantur. Adeoq; multis Insani nomine veniebat, quod tantæ artis tantiq; laboris opera unico momento perdere solitus esset. Unde & Silamon statuarius (tradente Plin. l. 34. c. 8.) Iracundiam repræsentaturus, sub illius facie id efficiens, eidem illusit. Idem pictor quoq; simùl fuit præstantissimus, primusq; (Plinio teste) species exprimere instituit, & primus gloriam penicillo tribuit. Plinii ętate supererat Sacerdos ejus quidam adorans; & Ajax fulmine incensus Pergami spectabatur. Vixit autem Olympiade nonagesima tertia: neq; ante eum tabula ullius ostendi potuit, quæ oculos teneret: unde ab hoc artis fores apertas fuisse annotat Plin. lib. 35. c. 9. [*Apollodorus Atheniensis pictor primus invenit φθορὰν καὶ ἀπόχρωσιν σκιᾶς, corruptionem & colorationem umbræ, ait Plutarchus: ideò dictus est σκιόγραφος; id est, umbrarum pictor. Iste pileum ferebat rectum ut Persarum Reges, & in operibus suis adscribebat: invidebit potiùs aliquis & reprehendet, quàm imitari possit.*]

Confringit opera sua

Primus erat, qui pulchritudinem decenter exprimeret.

XIV. CALLIMACHUS Atheniensis, pictor & staturius.

XIV. CALLIMACHUS Atheniensis, pictor & statuarius.

QUod si heterocliti & singularis fuit ingenii Apollodorus, artisq; ad apices Studiosus; idem sanè non minus & de Callimacho Atheniensi dici potest: quippè qui & ipse in arte statuariâ diligentiæ non habens finem probroso insignis est cognomine, ob id Cacizotechnos appellatus, id est calumniator sui & artis, memorabilis exemplo adhibendi curæ modum: semper enim, quod suum erat, vituperabat, perfectione insatiabilis.

Calumniator propriorum operum.

Qui

Qui Zelus pro arte suâ quidem laude non caret, interdum tamen errorum causa esse potest atq; calumniæ. Unde nimiæ curæ nemo abundet excessu, ne in progressu potiùs impediatur Ars ipsa, quàm promoveatur: cùm non exiguam exindè gestet maculam Callimachus, omnisq; illius æmulus, qui, quod semel benè actum sit, rursum tamen corrumpere non erubescit. Hujus statuæ sunt saltantes Lacænæ; emendatum opus (verba sunt Plinii l. 34. cap. 8.) sed in quo gratiam omnem diligentia abstulerit. Hunc quidam & pictorem fuisse tradunt. Alioqui lucernam quoq; fabricavitæneam, in arce deindè Minervæ suspensam Athenis, in quâ per totum annum nunquam cessabat lumen, oleo nimirùm nunquam deficiente. Idem quoq; perforandi lapides artem primus invenisse dicitur. *[Idem sculptor τηξίτεχνος juxta alios nominari studuit, quasi artis subtiliator, & qui eam in tenuiorem exquisitioremq; disciplinam reduxerit. Τήκω enim est attenuo. Nam ipse primus lapidem perforavit, minutatimq; tractavit. Pausan. At Vitruvius lib. 4. cap. 1. κακότεχνος legit, quasi malevolus.]*

Lucerna ejus mirabilis

CAPUT II.

ZEUXIS PARRHASIUS, & pictores adhuc septem alii.

Argumentum.

XV. ZEUXIS Heracleotes. Illius divitiæ & opera. Apophthegma illius: carpere faciliùs, quàm imitari. Vitium illius in pingendo. Tabulam Agrigenti pingit ad exemplar quinq; virginum vivarum. Agatharchus pictor jactantiâ insolens. Ingeniosum Zeuxidis responsum: Perfectionem requirere moram. Virgilii poëmata. Certamen Zeuxidis & Parrhasii; in quo hic artificem ipsum, ille verò aves saltem fefellit. Judicium Zeuxidis de picturâ propriâ. Opus ejus Helena, cognomine pulchra. Nihil pingebat, quod vulgare esset. Opera ejus sunt Centaura quædam lactans; & Marsyas. Quo tempore vixerit? XVI. PARRHASIUS Ephesius. Evenor Pater ipsius atq; Magister. Phrylus pictor. Parrhasius primus argutias vultûs, elegantiamq; capilli excoluit, in lineis extremis palmam adeptus. Ad opera sua terrâ utebatur Eretriâ candidâ. XVII. DEMON Atheniensis. Illius opera. A fulmine ambusta non obliterabantur. Multa elaboravit. Sed quo nemo insolentior & arrogantior. A Timanthe in certamine vincebatur. XVIII. TIMANTHES. Illius opera, Iphigenia immolanda. Opera ejus alia. XIX. EUPOMPUS Sicynius. Tertii picturæ generis. Sicyonii sc. inventor. Lysippus statuarius. Ingeniosum Eupompi responsum. Laus Lysippi. Pamphilus Magister Apellis. XX. NICOMACHUS. Ejus opera. Discipuli ejus, Aristocles, & Philoxenus Eretrius. Istius opera. Quando Nicomachus vixerit. XXI. ARISTIDES Thebanus. Quando vixerit. Istius nominis plures fuêre artifices. Omnium primus animum pinxit. Opera ejus. Horum unum magno pretio emitur. Aliud per inscitiam pictoris cujusdam corrumpitur. Alia ejus opera carò emta. Niceros & Aristippus discipuli ejus. XXII. PAMPHILUS Macedo. Illius opera. Primus in picturâ omnibus literis eruditus. Apophthegma illius. Minoris talento docuit neminem. Talentum quid. Hujus autoritate effectum, ut ingenui tantùm eam exercerent artem, quæ nunc à multis vilipenditur, sed ex imbecillitate judicii potissimùm. Pamphilus alius, statuarius. Duo Praxiteles statuarii. Artifices antiquitùs plerumq; pictores simul fuisse & statuarios. XXIII. ECHION, pictor & statuarius. Illius opera.

XV. ZEUXIS Heracleotes.

XV. ZEUXIS Heracleotes.



Euxis (cujus iconem tabula ænea, quam litera C. notat, exhibet:) celeberrimus ille quondam pictor ex Heracleâ Macedoniæ oriundus, artis pictoriæ fores, ab Apollodoro apertas, intrâsse dicitur, audentemq; jam aliquid penicillum ad magnam perduxisse gloriam: à quibusdam falsò in octogesimâ nonâ Olympiade positus, cùm fuisse necesse est Demophilum Himeræum & Neseam Thasium; quoniam utrius eorum discipulus fuerit ambigitur. In eum Apollodorus suprà dictus versus fecit, artem ipsis ablatam Zeuxim ferre secum. Opes quoq; tantas acquisivit, ut, in ostentatione earum, Olympiæ

Opes ejus.

POLYGNOTUS ATHEN.PIC. POLYGNOT. THAS.PIC. C.












PHIDIAS ATHEN.PIC. ZEVXIS HERACL.PIC.





aureis literis in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentârit. Postea donare opera sua instituit, quod ea nullo satis digno pretio permutari posse diceret; sicuti Alcmenam Agrigentinis, Pana Archelao.

Opera ejus.

Fecit & Penelopen, in quâ pinxisse mores videbatur: & athletam. Adeoq; sibi in illo placuit, ut versum subscriberet, celebrem ex eo: invisurum aliquem facilius, quàm imitaturum.

Apophthegma ejus: *ῥᾷον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι.*

Magnificus quoq; erat Jupiter ejus in throno, adstantibus Diis: & Hercules infans dracones strangulans, Alcmena matre coram pavente & Amphitryone. Pinxit & Monochromata ex albo. Deprehenditur tamen Zeuxis grandior in capitibus articulisq;: [*Quin & Aristoteles cap.6. lib. de Poët. ita de eo: Planè ut inter pictores Zeuxis à Polygnoto differebat; Polygnotus enim mores hominum bellè exprimebat:* ἡ δὲ ζεύξιδος γραφὴ οὐδὲν ἔχει ἦθος, *contrà Zeuxidis pictura moribus omninò caret.*] Alioquin tantus diligentiâ, ut Agrigentinis facturus tabulam, quam in templo Junonis Laciniæ (dictæ à promontorio Brutiorum, quod nunc dicitur Capo di Columni:) publicè dicarent, inspexerit virgines eorum nudas, & quinq; elegerit, ut quod in quaq; laudatissimum esset pictura redderet: (verba sunt Plin. lib. 35. cap. 9.) in quarum honorē multa deinde edebantur carmina. [*Hanc ipsam tamen historiam aliis paulò circumstantiis enarrat Cicero, de Inventione lib. 2. & elegantissimè his quidem verbis: Crotoniatæ quondam cum florerent omnibus copiis, & in Italiâ cumprimis beati numerarentur; templum Junonis, quod religiosissimè colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaq; Heracleontem Zeusim, qui tum longè cæteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is & cæteras tabulas complures pinxit, quarum nonnulla pars usq; ad nostram memoriam propter fani religionem remansit: & ut excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in sese imago contineret, Helenæ se pingere simulacrum velle dixit. Quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimùm aliis præstare sæpè accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim eum, si quo in genere plurimùm posset, in eoq; magnoperè laborasset, egregium sibi opus illo in fano relicturum. Neq; tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeusis illicò quæsivit ab his, quasnam virgines formosas haberent? Illi autem statim hominem duxerunt in palæstram, atq; ei pueros ostenderunt multos magnâ præditos dignitate. Etenim quodam tempore Crotoniatæ multum omnibus corporum viribus, & dignitatibus antesteterunt; atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum maximâ cum laude retulerunt. Cum puerorum igitur formas & corpora magno hic opere miraretur: Horum, inquiunt illi, sorores sunt apud nos virgines: quare, quâ sint illæ dignitate, potes ex his suspicari. Præbete igitur mihi quæso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur. Tunc Crotoniatæ, publico de consilio, virgines unum in locum conduxerunt, & pictori, quam vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque elegit, quarum nomina multi Poëtæ memoriæ tradiderunt, quod ejus essent judicio probatæ, qui verissimum pulchritudinis habere judicium debuisset. Neque enim putavit omnia, quæ quæreret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse, ideò quod nihil simplici in genere omni ex parte perfectum natura expolivit. Itaque tanquam cæteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi, aliquo adjuncto incommodo muneratur. Hæc illa.*] Nos autem historiam hanc peculiari picturâ conceptam, tabulâ nostrâ æneâ C. * benevolo Lectori exhibere voluimus.

Vitium ejus in pingendo.

Tabulam ad exemplar quinque virginum vivarum pingit Agrigenti.

Hic illorum erat præcipuus, qui Periclis tempore, ad exornandas Athenas convocati erant; de quibus supra in vita Phidiæ facta est mentio. Agatharchus pictor cum apud Zeuxim mira celeritate se animalia depingere gloriaretur: Ego vero, (inquit Zeuxis) longo tempore. Nam in opere faciundo promtitudo ac celeritas haud potest stabilem gravitatem & exquisitam pulchritudinem rebus adjungere. At labori tempus impensum robur ad conservationem & perpetuitatem operis affert. (Sic Plutarchus in Par.) Quicquid enim negligente & festinante manu consarcinatur, nullius est pretii; cum quod citò fit, citò etiam pereat. Sic Virgilii poëmata, quæ longo ille tempore, magnoque labore, ac velut ursa lambendo fœtum elaborasse dicitur, adhuc suam obtinent, quasi æternitati consecrata, laudem: cum evomita ab aliis & excacata, ut dicitur, carmina, fumo etiam citiùs evanescant. Et Plutarchus quidem in Moral. istud Zeuxis responsum ad Amicorum applicat naturam; cum illos, quos longi temporis fides consummavit declarat esse optimos.

Agatharchi Pictoris insolentia.

Ingeniosum Zeuxidis responsum; perfectionem requirere moram.

Virgilii Poëmata.

Æquales Zeuxidis & æmuli fuêre Timanthes; Androcydes; Eupompus & Parrhasius. Et hic quidem, Plinio referente, (lib. 35. cap. 10.) descendisse in certamen cum Zeuxide traditur: & cum ille detulisset uvas pictas tanto successu, ut in scenam aves advolarent; ipse detulisse linteum pictum, ita veritate repræsen-

Certamen Zeuxidis & Parrhasii.

tata, ut Zeuxis alitum judicio tumens, flagitaret tandem remoto linteo ostendi picturam, atque intellecto errore concederet palmam ingenuo pudore, quoniam ipse volucres fefelliſſet, Parrhaſius autem ſe artificem. Quod certamen à nobis ſingulari ſchemate eâdem tabulâ C. * diagraphico genere exhibitum eſt. Fertur & poſtea Zeuxis pinxiſſe puerum uvas ferentem, ad quas cum advolaſſent aves, eâdem ingenuitate proceſſerit, iratus operi, & dixerit: Uvas melius pinxi, quàm puerum: nam ſi & hunc conſummaſſem, aves timere debuerant. Plinius ibid.

In quo hic artificem ipſum, ille v. aves fefellit.

Judicium Zeuxidis de pictura propria.

Fecit & figlina opera; (juxta Plinium;) quæ ſola in Ambracia (Vulgò Larta) relicta ſunt, cum inde Muſas Fulvius Nobilior Romam transferret. De illis tamen dubium eſt, utrum tabulæ ſaltem fuerint figulinæ, picturis illuſtratæ atque exuſtæ; an verò anaglyphici operis. Zeuxidis manu Romæ etiam erat Helena in Philippi porticibus. Et hæc, ut opinor, illa eſt, de quâ Valerius Maximus lib. 3. cap. 7. Zeuxis, inquit, cum Helenam pinxiſſet, quid de eo opere homines cenſuri eſſent expectandum non putavit: ſed protinus hos verſus adjecit. Iliad. 3.

Opus ejus Helena cognomine pulchra.

Ου νέμεσις Τρωάςε καὶ ἐυκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ' ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν,
Αἰνῶς ἀθανάτοισι θεαῖς εἰς ὦπα ἔοικεν.

Id eſt:

Non eſt indignè ferendum, Trojanos & fortes Achivos
Talem propter mulierem longo tempore dolores pati:
Valdè (enim) immortalibus Deabus vultu ſimilis eſt.

In depingendâ igitur Reginâ hac Zeuxis elegantiam ductuum ſuorum ad emphaſin poëmatis ita accommodabat, ut penicillo obſtetricante ſic illa in lucem denuò ederetur, quemadmodum olim à Leda nata fuerat.

Lucianus quoq; in Tractatu ſuo de Antiocho teſtis eſt, præſtantiſſimum hunc artificem vulgares materias quàm rariſſimè tetigiſſe, & circa notiora heroum Deorumve facinora vix fuiſſe occupatum: ſed novis ſemper rarioribusq; inventionibus, dictante ingenio ſuo acutiſſimo, ſpectatores delectâſſe. Interq; primaria ejus inventa Centauri cuj9dam fuiſſe dicitur uxor, duos lactans Centauros parvulos: Cujus apographon autographo quàm ſimillimum ſuo adhuc tempore Athenis extitiſſe Lucianus refert: cùm opus ipſum originarium, à Sylla cùm rarioribus operibus aliis per mare in Italiam miſſum, facto ad Maleam naufragio, fluctibus abſorptum eſſet. Lucianus autem, qui elegans illud apographum Athenis apud pictorem quendam ipſe inſpexerat, ex accurato memoriæ ſuæ promtuario ſic illud nobis iterum depingit.

Nihil pingebat, quod vulgare eſſet.

Opera ejus ſunt Centaura quædam lactans,

Ipſa hæc Centaura, in viridanti quodam nemore ſuper gramine decumbens, parte ſua equina in terram ſe demiſerat, humana vero atq; fœminina cubito innitebatur: pedibus anterioribus non protenſis quaſi è de cubitu in altero latere; ſed uno quaſi ad geniculationem retracto, ungulaq; erga corpus vergente; altero autem erectiore terram feriente, quaſi equæ jamjam ſurrecturæ. Pullorum unum, an liberos dicas, brachio amplectebatur humano more ex mamillâ lactentem; alterum verò equinâ potiùs quàm humana forma conſpicuum, equino ſuo ubere brutorum more lactabat. Superiorem iſtius tabulæ partem Centaurus mas occupabat è ſumma rupe, erecto collo, quaſi ab excubiis, ut ſuſpicari licebat, uxori arridens: hic autem dimidio ſaltem corpore à ſemifera nimirum parte conſpicuus extenſo brachio cum quodam catulo leonis quaſi in terriculamentum amaſiæ ludere videbatur. Tota autem pictura magno elaborata erat artificio, figuris dexterrimè delineatis & coloribus argutiſſimè cum ſummâ totius operis venuſtate commixtis. Quæ obliqua, reducta aut plicata erant, ad apices exculta apparebant, ut nihil, quod ipſiſſimum artis faſtigium requireret, omiſſum eſſet: adeóque profundiſſima in hac arte Zeuxidis argutia ubiq; eluceſceret. Centaurum enim ſeniorem alacrem exhibuerat atq; ferocem, non capillis tantùm erectis, ſed omnibus quoq; tàm humanis quàm ferinis partibus reliquis hirſutum; humeris latis & elevatioribus; facie Satyrica, rugis quidem aliquibus pro ſubridentis geſtu renidente, ſic tamen, ut efferis ejus moribus & atrociori aſpectui hoc ipſo nihil demeretur. Fœmina autem equæ cuidam Theſſalicæ, indomitæ adhuc nec dum paſſæ ſeſſorem haud erat abſimilis: in qua reliqua quidem humana portio omni pulchritudinis decore pollebat, aures tamen, ad acumen, quales ſunt Satyrorum, tendebant. Coagmentatio tandem humani & equini corporis ſenſim ita ſibi immiſcebatur, ut neutiquam extrema extremis juncta, craſſove nexu utrumq; genus conglutinatum videretur. E liberis quoq; dira jam patris elucebat ferocitas, quippè qui oculos quidem ad leonem dirigerent, uberibus tamen manu prehenſis ſuo ſuctui indulgere haud deſiſterent. Hæc è Luciano.

Inter artificioſa Zeuxidis opera etiam erat Marſyas religatus, qui Plinii adhuc

& Marſyas.

tempo-

temporibus Romæ in Concordiæ delubro spectabatur. Jam verò juxta Eusebii computum inter Zeuxidis mortem & ætatem Plinii, anni sunt quingenti & octo: unde perspicuum est, quamdiu durare queant colores albugine temperati. Idem autem hic Plinius libr. 34. cap. 8. & lib. 35. cap. 12. de eodem tradit, quod fuerit discipulus Lysistrati, hic autem Lysippi frater. Jam verò Lysippus adhuc vixit Olympiade centesima decima quarta, tempore nimirum Alexandri Magni. Certius autem, juxta Plinium lib. 35. cap. 9. eum jam Olympiadis nonagesimæ quintæ anno quarto clarescere cœpisse. Quo posito, cum dictæ Olympiades vel septuaginta sex annis distent, conjicere liceret, Zeuxim ad egregium ætatis terminum usque supervixisse. *[His addi queunt, quæ de hoc Quintilianus tradit. Post Polygnotum, Zeuxis & Parrhasius non multum ætate distantes (circa Peloponnesia ambo tempora: nam cum Parrhasio sermo Socratis apud Xenophontem invenitur:) multum addiderunt, quorum prior luminum umbrarumq; invenisse rationem, secundus examinasse lineas subtilius traditur. Nam Zeuxis plus membris corporis dedit, ille ita circumscripsit omnia, ut eum legumlatorem vocent: quia Deorum atq; heroum effigies, quales ab eo traditæ, cœteri, tanquam ita necesse sit, sequuntur. lib. 12. cap. 10.]*

Quo tempore vixerit.

XVI. PARRHASIUS Ephesius.

XVI. PARRHASIUS Ephesius pictor.

QUemadmodum in stadio decurrens, visâ alterius velocitate tanto majori studio ad brabeum adspirat: sic Parasii tempore (sic eum Plinius scribit, cum Parrhasius scribatur aliis.) certantes quasi inter se pictores auctiore emergebant numero. Parasius autem hic (cujus iconem tabula ænea sub lit. D. repræsentat.) Ephesi natus, & ipse multa constituit, Zeuxidis nimirum ætate circa Olympiadem nonagesimam quintam. Pater ejus erat Evenor, & ipse pictor insignis, de quo Plinius lib. 35. cap. 9. refert, quod cum Aglaophonte, Cephissodoro, & Phrylo, omnibus jam illustribus Olympiade nonagesima floruerit; præceptor maximi pictoris; Parasii scilicet, qui nimirum à patre quidem artem hanc didicit, sed eundem mox multis parasangis post se reliquit, prout è supra dicto certamine patescit.

Evenor pater ipsius atq; præceptor. Aglaophon. Cephissodorus Phrylus, Pictores.

Hic igitur ingenio suo alacerrimo & opulentissimo pictoriam artem variis ditavit inventis recentibus; Plinioq; teste, primus symmetriam picturæ dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus, quæ est in picturâ summa subtilitas. Corpora enim pingere & media rerum, est quidem magni operis: sed in quo multi gloriam tulerint. Extremâ corporum facere, & desinentis picturæ modum includere, rarum in successu artis invenitur. Ambire enim debet se extremitas ipsa, & sic desinere, ut promittat alia post se, ostendatq; etiam, quæ occultat. Hanc ei gloriam concessere Antigonus & Xenocrates, qui de picturâ scripsere, prædicantes quoque, non solùm confitentes. Alia multa Plinii tempore graphidis vestigia extabant in tabulis ac membranis ejus, ex quibus proficere tùm dicebantur artifices. Cerussâ Eretriâ usus est cum Nicomacho ad candida, quæ terræ suæ, quod circa hanc Eubœæ urbem inveniretur, nomen habebat: hanc præter usum pictorium refrigerasse & emolivisse refert Plinius l. 35. cap. 6. & explesse vulnera, si coqueretur, ad siccanda præcipuè utilis; & capitis doloribus, & ad deprehendenda pura: subesse enim ea intelligebantur, si ex aquâ illata non arescerent.

Parrhasius Primus argutias vultus, elegantiamq; capilli excoluit: in lineis extremis palmam adeptus.

Terrâ utebatur Eretriâ candidâ.

XVII. DEMON Atheniensis.

PLures in hoc errasse deprehendo, quòd de illustribus pictorum operibus scripturi variè eadem confuderint; ita ut pleraq; etiam Parasio tribuerent, quæ Demonem tamen habebant autorem. Vixit autem Demon iste Zeuxidi & Parasio coævus ab Olympiade nonagesima tertia: & argumento quoque ingenioso pinxisse fertur. (Iconem ejus autem tabula ænea sub litera D. repræsentat.) Volebat enim (verba sunt Plinii lib. 35. cap. 10.) varium, iracundum, injustum, inconstantem; eundem exorabilem, clementem, misericordem excelsum, gloriosum humilè, ferocem, fugacemq; & omnia pariter ostendere.

Idem pinxit & Thesea, qui Romæ in Capitolio fuit: & Navarchum thoracatum: & in unâ tabulâ, quæ Plinii tempore Rhodi erat, Meleagrum, Herculem, Persea: hæc ibi ter fulmine ambusta neq; obliterata, hoc ipso tùm temporis pro miraculo extabat. Pinxit & Archigallum (s. Antistitem Sacerdotum Cybeles;) quam picturam amavit Tiberius princeps; atq;, ut autor est Decius Eculeo, LX. sestertiis æstimatam cubiculo suo inclusit. Pinxit & Cressam nutricem (Jovis,) infantemq; in manibus ejus: & Philiscum & Liberum patrem adstante Virtute: & pueros duos, in quibus spectabatur securitas & ætatis simplicitas. Item sacerdotem astante puero cum acerra & corona. Erant & duæ picturæ ejus nobilissimæ Hoplitides (sive armatos exhibentes,) alter in certamine ita decurrens, ut sudare videretur: Alter arma deponens, ut anhelare sentiretur. Laudabantur &

Illius opera;

A fulmine ambusta non obliterabantur.

Multa elaboravit.

Æneas, Castorq; ac Pollux in eâdem tabula: item Telephus, Achilles, Agamemnon, Ulyxes: (è bello Trojano noti omnes.)

Sed quo nemo insolentior & arrogantior.

Fœcundus Plinio artifex dicitur, sed quo nemo insolentiùs & arrogantiùs sit usus gloria artis: namq; & cognomina usurpavit, Abrodiætum sive delicatum se appellando; aliisq; verbis principem artis, & eam ab se consummatam: super omnia Apollinis se radice ortum: & Herculem, qui tunc erat Lyndi, talem à se pictum, qualem sæpè in quiete vidisset. Magnis autem suffragiis superatus à Timanthe Sami in Ajace, armorumq; (Achillæorum) judicio, herois nomine se molestè ferre dicebat, quod iterum ab indigno victus esset: (Timanthem hoc nomine cum Ulysse comparans.) Pinxit & minoribus tabellis libidines, eo genere petulantis joci se reficiens. *[De his conqueritur Clemens in Protreptico: Tabellis pictis in sublimi positis attenti* ἀσελγείαις τοὺς θαλάμους κεκοσμήκασι, *lasciviâ thalamos ornãt. Et: Aliæ vobis sunt imagines, panisci, puellæ nudæ, satyri ebrii, & partes illæ arrectæ picturâ nudatæ, aut schemata & figuræ Philænidis. Item: Abjecto pudore & metu domi dæmonum libidines depingunt, & in lecto jacentes inter ipsos amplexus in Venerem nudam in ipso concubitu victam respiciunt, & in palis annulorum avem amatoriam, Ledam circumvolitantem, exsculpunt.]*

A Timanthe in certamine vincebatur.

XVIII. TIMANTHES.

XVIII. TIMANTHES.

Timanthes quâ patriâ, & quo tempore, natus sit, ignoratur. Vixit autem circa Olympiadẽ nonagesimam tertiam, artisq; suæ monumẽtis magnam sibi promeritus est famæ gloriam. Eidem enim vel plurimum affuisse ingenii testatur Plinius l. 35. c. 10. Eiq; tribuitur Iphigenia, oratorum laudibus celebrata, qua stante ad aras perilurâ cum mœstos pinxisset omnes, & luctuosum hoc immolandæ virginis sacrificium, Calchantem nempè tristem, mœrentem Ulyssem, clamantem Ajacem, lamentantem Menelaum patruum, adeoq; tristitiæ omnem imaginem consumsisset: patris ipsius Agamemonis vultum involvendo velavit, quem dignè non poterat ostendere: ita ut cum pictura ejus aruspicis & amici, & fratris lachrymis maderet, parentis fletum spectantis affectu existimandum relinqueret. De quo aliàs sacrificio Ovidius 10. Metamorphos. nec non Valer. Max. l. 8. c. 12. Fuerunt & alia ingenii ejus exemplaria, veluti Cyclops dormiens in parvulâ tabellâ, cujus & sic magnitudinem exprimere cupiens, pinxit juxta satyros, thyrso pollicem ejus metientes: ita ut in omnibus ejus operibus plus semper intelligeretur, quàm pictum esset: & cum ars summa esset, ingenium tamen longè artẽ transcenderet. Pinxit & Heroa absolutissimi operis, artem ipsam complexus, viros pingendi: quod opus Plinii adhuc tempore Romæ in templo pacis erat.

Illius opera;

Iphigenia immolanda.

Opera ejus alia.

XIX. EUPOMPUS Sicyonius.

XIX. EUPOMPUS Sicyonius.

Eadem ætate quatuor horum artificum, circa Olympiadem nempè nonagesimam tertiam floruit & Eupompus Sicyonius, pictor artificio excellens. Ejusdem erat Victor quidam certamine gymnico palmam tenens. Ipsius autoritas tanta fuit, ut diviserit picturam in tria genera, quæ ante eum duo fuere; Helladicum & quod Asiaticum appellabant: propter hunc enim, qui erat Sicyonius, diviso Helladico tria facta sunt, Jonicum, s. Asiaticum; Sicyonium, & Atticum: Prout nunc temporis picturæ genera dici possent Belgicum, Italicum, & Venetum. Idq; non aliundè eveniebat, quàm à summâ operum ejus perfectione, quam in imaginibus tam nudis, quàm aliis undiq; præ se ferebat.

Tertii picturæ generis invẽtor.

Lysippus & ipse Sicyonius, quem in arte statuaria Duris (Plinio teste l. 34. c. 8.) negat, Tullius fuisse discipulum affirmat, sed primò ærarium fabrum, audendi rationem cœpisse tradit, pictoris Eupompi responso. Eum enim interrogatum, quem sequeretur antecedentium, dixisse, demonstratâ hominum multitudine, naturam ipsam imitandam esse, non artificem. Ex quo Lysippus clarissimus evasit statuarius, ut ad sexcenta decem opera fecisse tradatur, quorum singula arti claritatem dare potuissent. Teste enim Quintiliano ad veritatem optimè accessit, quamobrem etiam Alexander ille Magnus ab uno Lysippo se fingi voluit, ut pingi ab Apelle. Cœterùm de Eupompo plura non invenio, nisi quod Pamphilum docuerit Apellis præceptorem.

Lysippus Statuarius.

Ingenio-sum Eupompi responsum.

Laus Lysippi.

Pamphilus præceptor Apellis.

XX. NICOMACHUS.

XX. NICOMACHUS.

Nicomachus, de cujus origine alia non inveniuntur, quàm quod filius & discipulus fuerit Aristodemi Statuarii insignis: (& quidem, si frater ejus fuit Aristides, qui Thebanus vocatur, Thebis oriundus.) Pinxit, teste Plinio l. 35. c. 10. raptum Proserpinæ; quæ tabula tunc temporis Romæ in Capitolio in Minervæ delubro supra ædiculam Juventutis asservabatur: & in eodem Capitolio aliam, quam Plancus Imperator posuerat, Victoria scilicet quadrigam in sublime rapiens. Hic primus Ulyxi addidit pileum. Pinxit & Apollinem & Dianam, Deumq; matrem in leone sedentem; item nobiles Bacchas arreptantibus Saty-


Ejus opera.

D

PARASIUS EPHESIUS



DEMON ATHENIENSIS




PAUSIAS SICYONIUS



GLYCERA SICYONIA



NICIAS ATHENIENSIS.



ATENION MARONAENSIS.



J. v. Sandrart del. *P. Kilian f.*

ris: Scyllamq; quæ tunc temporis Romæ erat in templo Pacis.

Nec fuit alius in ea arte velocior. Tradunt namq; conduxisse pingendum ab Aristrato Sicyoniorum tyranno, quod is faciebat Telesti poëtæ monumentum, præfinito die, intra quem perageretur; nec multò ante venisse, tyranno in pœnam accenso: paucisq; diebus absolvisse celeritate & arte mirâ. Post mortem ejus reliquum erat (ut Plinius tradit lib. 35. cap. 11.) è supremis ejus operibus unũ, imperfecta nimirum tabula, in qua Tyndaridas inchoaverat; quæ in majori admiratione erat, quàm artificia ejus perfecta. Discipulos habuit Aristidem fratrem & Aristoclem filium, & Philoxenum Eretrium. Cujus tabula nullis postferenda, Cassandro Regi picta, continuit Alexandri prælium cum Dario. Idem pinxit & lasciviam, in quâ tres Sileni comessabantur. Hic & celeritatem præceptoris secutus, breviores etiamnum quasdã picturæ vias & compendiarias invenit. De hoc Nicomacho autem probabile videtur, quod tempore Apellis & Alexandri Magni, nimirum circa Olympiadem centesimam duodecimam vixerit; quam ætatem Aristidi fratri ejus tribuit Plinius; cui tamen tanquam discipulo meritò hic præferendus fuit.

Discipuli ejus Aristocles, Aristides & Philoxenus Eretrius. Istius opera.

Quando Nicomachus vixerit.

XXI. ARISTIDES Thebanus.

XXI. ARISTIDES Thebanus. Quando vixerit.

IN describendâ Aristidis ætate haud parum difficultatis invenio: cùm uno in loco Plinius nimirum l. 35. c. 10. eundem æqualem faciat Apellis, qui circa Olympiadem centesimam duodecimam floruit: eodemq; capite alibi dicat, quod Timanthi æqualis Euxenidas docuerit Aristidem præclarum artificem; Eupompus Pamphilum Apellis præceptorem: Timanthes autem circa Olympiadem nonagesimam tertiam refertur. Iterumq; l. 34. c. 8. idem narrat, Aristidem quendam circa Olympiadem octogesimam septimam discipulum fuisse Polycleti Sicyonii, Statuarii celeberrimi: ubi inter Olympiadẽ octogesimam septimã & centesimam duodecimam vel seculi est differentia; undè conjici potest, vel tres fuisse istius nominis Artifices, unumq; inter hos statuarium; vel si unus tantùm, hunc ad magnam ætatem pervenisse, quod credibile non est.

Istius nominis plures fuere artifices.

Iste autem, de quo nobis est sermo, Thebis oriundus erat in Bœotia; fraterque est Nicomachi, atque discipulus, quia Apelli coævus, cum Euxenidæ discipulus coævus dicatur, Apellis præceptori. Hic juxta Plinium lib. 35. cap. 10. omnium primus animum pinxit, & sensus omnes expressit, quos vocant Græci ethe; item perturbationes: durior paulò in coloribus. Hujus pictura erat oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: ubi intelligebatur sentire mater & timere, ne emortuo lacte sanguinem infans lamberet: quam tabulam Alexander Magnus transtulerat Pellam in patriam suam. Idem pinxit prœlium cum Persis, centum homines eâ tabula complexus, pactusque in singulos minas denas cum tyranno Elatensium Mnasone. Pinxit & currentes quadrigas; & supplicantem penè cum voce: & venatores cum capturâ: & Leontionem pictorem: & Anapavomenem propter fratris amorem morientem: item Liberum patrem & Ariadnen, spectatos Romæ in æde Cereris: Tragœdum & puerum in Apollinis. Cujus tabulæ gratia interiit pictoris inscitiâ, cui tergendam eam mandaverat M. Junius Prætor sub die ludorum Apollinarium. Eodem planè modo, quo & Johanni ab Eyk, per ignorantiam socii cujusdam, pes obliterabatur in imagine ejus. Ex quo simùl patescit, antiquis olei cum coloribus mixturam adhuc fuisse ignotam. Spectata est & in æde Fidei in Capitolio imago senis cum lyrâ puerum docentis. Pinxit & ægrum sine fine laudatum; eâq; in arte tantum valuit, ut Attalus Rex unam tabulam ejus centum talentis emisse tradatur. Prout & cum Achaiâ capta Lucius Mummius Achaicus publicè venderet prædam, idem Attalus, pro una Aristidis tabula, in quâ non nisi Bacchus, 6000. sestertium licitatus est. Ubi Mummius, jam pactus, cum è pretio suspicaretur aliquid in ea virtutis, quod ipse nesciret, multum querente Rege, emtione rescissa in Cereris templo Romæ posuit istam tabulam. vid. Plin. lib. 35. cap. 4. Inter rariora & imperfecta artificum opera, à Plinio etiam numeratur (lib. 35. cap. 11.) Iris Aristidis; (Junonis nuncia.) Hujus Aristidis Thebani discipuli fuerunt & filii Niceros & Aristippus, cujus erat Satyrus cum Scypho coronatus: discipuliq; ejus fuerunt Antorides & Euphranor; de quibus sequenti dicetur capite.

Omnium primus animũ pinxit.

Opera ejus.

Horum unum magno pretio emitur.

Aliud per inscitiam pictoris cujusdam corrumpitur.

Alia ejus opera carò divendita.

Niceros & Aristippus discipuli ejus.

XXII. PAMPHILUS Macedo.

XXII. PAMPHILUS Macedo. Illius opera. Primus in pictura omnibus literis eruditus. Apophthegma illius

ERuditionem & polymathiam multum prodesse pictori exemplo suo nos edocet Pamphilus natione Macedo; qui Sicyone ab Eupompo hanc artem didicit. Juxta Plinium autem (lib. 35. c. 10.) pictura ejus erat cognatio; & prœlium ad Philuntem; & victoria Athenensium. Item Ulyxes in rate. Et hic quidem primus in picturâ omnib' literis Eruditus erat, prẹcipuè Arithmetices & Geometrices, sine quibus

Minoris talento docuit neminem. Talentum quid.

negabat artem perfici posse. Docuit neminem minoris talento annis decem: (quod Budæus de singulis annis exponit, ut decem talentis docuisse censendus esset.) quam mercedem & Apelles & Melanthius ei dedêre. Est autem Talenti ad sexcentos coronatos aureos æstimatio.

Hujus autoritate, effectû ut ingenui tantùm eam exercerent artem.

Hujus quoq; autoritate effectum est Sicyone primùm, deinde & in totâ Græciâ, ut pueri ingenui ante omnia diagraphicen, hoc est picturam in buxo docerentur: recipereturq; ars ea in primum gradum liberalium. Et semper quidem honos ei fuit, ut ingenui eam exercerent, mox ut honesti, perpetuo interdicto, ne servitia docerentur. Ideò neq; in hac, neq; in toreutice, seu anaglyphica, ullius, qui servierit, opera celebrantur.

Quæ nunc à multis vilipenditur; sed ex imbecillitate judicii potissimum.

Unde patet, quanta apud Antiquos istius artis fuerit æstimatio; quam nunc complures vilioris existimant, imò per ignorantiam excœcati, pro vana & inutili calumniantur. Quam quidem injuriam nobilissima Ars nostra duriore ulcisci non potest vindicta, quàm ut calumniatores istos Sisypheum ignorantiæ suæ saxum provolvere finat: cùm ipsa interea, prædicantibus judiciosissimis quibusvis, Nutrix audiat atq; Mater omnium præclararum Artium atq; Scientiarum. Adde, quod re ipsa haud parùm decoris tribuat Templis, Theatris, Palatiis, ædibus, musæis, pinacothecis nobilioribus, inibiq;, cum admiratione spectantis oculi, publico hinc inde gaudeat honore. Plura de hoc Pamphilo non invenio, nisi quæ in Melanthii vita recurrent. Alius tamen adhuc fuit Pamphilus statuarius & Praxitelis discipulus: prout& duo fuêre Praxiteles, ambo statuarii, quorum alter Oympiade centesima quarta; alter ætate Pompeji Magni vixit.

Pamphilus alius statuarius. Duo Praxiteles statuarii.

XXIII. ECHION pictor & statuarius.

XXIII. ECHION pictor & statuarius. Artifices antiquitùs plerumque pictores simul fuisse & statuarios.

NOn inusitatum erat apud antiquos, ut non picturæ saltèm operam darent Artifices, sed & cælatores, sculptores, ærisq; fusores existerent. Eq; numero talium etiam erat Echion; cujus patria non invenitur. Græcum autem fuisse nominis augurio judicam⁹, eumq; Olympiade centesima septima cum Therimacho clarum extitisse tradit Plinius lib. 35. c. 10. & l. 34. c. 8. quamvis de Therimacho præter nomen, & quod preter picturam etiam inter statuarios numeretur, nihil sit reliquũ. Echionis autem nobiles erant picturæ: Liber Pater: item Tragœdia & Comœdia; Semiramis ex ancilla adipiscens regnum: anus lampadas præferens, & nova nupta verecundiâ notabilis. Idemq; & ex illis fuit clarissimis, de quibus cap. 7. lib. 35. sic ait Plinius: Quatuor coloribus solis immortalia illa opera fecêre, ex albis melino; ex silaceis (seu flavis) Attico; ex rubris sinopide Pontica; ex nigris atramento, Apelles, Echion, Melanthius, Nicomachus, clarissimi pictores, cum tabulæ eorum singulæ oppidorum vænirent opibus.

Illius opera.

CAPUT III.

De PAUSIA, aliisq; sex Artificibus, inter quos PRAXITELES.

Argumentum.

XXIV. PAUSIAS Sicyonius, picturâ encausticâ nobilis: quales etiam fuerunt, Lysipus, Aristides, Praxiteles, Nicanor. Arcesilaus, nec non Pamphilus. Brietes, Pausiæ pater & Præceptor. Pinxit parietes, parvasq; tabellas. Amavit Glyceram inventricem coronarum: eamq; pinxit. Opera ejus. Ars ejus in elevandis & rotundè terminandis membris. Patria ejus, patria pictorum. XXV. EUPHRANOR, Pictor, statuarius, cælator & faber ærarius. Opera ejus Colossi. Heroës. Vitia ejus in pingendo: de pictura scripsit volumina. Opera ejus. XXVI. PRAXITELES statuarius. Proverbium: Praxitelea Capita. Opera ejus. Venus Gnidia, nuda. Venus Coa, vestita; quarum illam amore quidam lascivo ambiit. Opera ejus alia. XXVII. CYDIAS pictor. Hujus opera. XXVIII. ANTIDOTUS pictor. XXIX. NICIAS Atheniensis pictor, primus picturæ iminentis cultor. Opera ejus. Quorum unum multâ pecuniâ oblatâ non vendidit. Opera ejus magna. Vixit etiam temporibus Alexandri Magni. XXX. ATHENION Maronites. Præceptor ejus Glaucion. Vitia ejus. Opera ejus; in juventâ obiit.

XXIV

XXIV. PAUSIAS
Sicyonius.

XXIV. PAUSIAS Sicyonius picturâ en causticâ nobilis; quales etiam fuerũt

Lysippus; Aristides; Praxiteles; Nicanor; Polygnot⁹; Arcesilaus; Pamphilus.



Supra à nobis dictum est in vita Polygnoti cap. 1. n. 3. hunc invenisse artem encausticam: de qua ita Plinius lib. 35. cap. 11. Ceris pingere, ac picturam inurere quis primus excogitaverit, non constat: quidam Aristidis inventum putant, posteà consummatum à Praxitele; sed aliquantò vetustiores encausticæ picturæ extitere, ut Polygnoti & Nicanoris & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoq; (cujus supra facta est mentio cap. 2. n. 19.) Æginæ picturæ suæ inscripsit ἐνέκαυσεν, i. e. inussit: quod profectò non fecisset, nisi encausticâ inventâ. Pamphilus quoque Apellis præceptor non pinxisse tantùm encaustica; sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium, primum in hoc genere nobilem.

Brietes Pausiæ pater & præceptor. pinxit parietes;

Hic Pausias Brietis filius fuit, ejusdemq; primò discipulus. Pinxit & ipse penicillo parietes Thespiis, (quod erat oppidum Bœotiæ Heliconi proximum, unde Musæ dicuntur Thespiades:) cum reficerentur, quondam à Polygnoto picti: multúq; comparatione superatus existimabatur, quoniam non suo genere certâsset. Idem & lacunaria primus pingere instituit: nec cameras ante eum taliter adornari mos fuit. Parvas pingebat tabellas, maximeq; pueros: hoc æmuli eum interpretabantur facere, quoniam tarda picturæ ratio esset illa: quamobrem arti daturus & celeritatis famam, absolvit uno die tabellam, quæ vocata est hemeresios, i. e. unius diei; puero picto.

parvasque tabellas.

Amavit Glyceram inventricem coronarum, eamq; pinxit.

Amavit in juventa Glyceram municipem suam inventricem coronarum, certandoque imitatione ejus ad numerosissimam florum varietatem perduxit artem illam. Postremò pinxit illam sedentem cum corona, (quod factum post olympiadem centesimam:) quæ è nobilissimis ejus tabula appellata est stephanoplocos, ab aliis stephanopolis; quoniam Glycera venditando coronas sustentaverat paupertatem. (Illud enim nomen à plectendis hoc à vendendis coronis derivatum est.) Hujus tabulæ exemplar, quod apographon vocant, L. Lucullus duobus talentis emit à Dionysio Athenis.

Opera ejus.

Pausias autem fecit & grandes tabulas: sicut spectatam in Pompeji porticibus boũ immolationẽ: eam enim picturam primus invenit, quam postea imitati sunt multi, æquavit nemo. Ante omnia cum longitudinẽ bovis ostendere vellet, adversum eum pinxit, non transversum: unde & abundè intelligitur amplitudo. Dein cum omnes, quę volunt eminentia videri, candicantia faciant, coloremq; condiant nigro: hic totũ bovem atri coloris fecit, umbræq; corpus ex ipso dedit: magna prorsus arte in æquo extantia ostendens, & in confracto solida omnia. Sicyone & hic vitam egit, diuq; fuit illa patria picturæ. Tabulas inde publico omnes propter æs alienum civitatis addictas, Scauri ædilitas Romam transtulit.

Ars ejus in elevandis & rotundo terminandis membris.

Patria ejus, pictorum patria.

XXV. EUPHRANOR
Isthmius.

XX. EUPHRANOR, pictor.

Euphranor Isthmius (quo nomine intelliguntur angustiæ illæ, quibus Achaiæ connectitur Peloponnesus, in quibus quasi mediis sita erat Corinthus.) Olympiade cẽtesima quarta longè ante omnes eminuit (teste Plinio l. 35. c. 11.) Discipulusq; fuit Aristippi: (idem ib. c. 10.) Idemq; & inter fictores s. statuarios excelluit, fecitq; colossos, & marmora ac Scyphos scalpsit: Docilis ac laboriosus ante omnes, & in quocũque genere excellens ac sibi æqualis. Ideq; primus expressisse videtur dignitates heroum.

Statuarius, cælator & faber ærarius.

Opera ejus colossi; Heroes.

Vitia ej⁹ in pingendo.

Prout autem quod semel cõcedit natura, non semper largitur eadem: ita Euphranor, cùm duodecim Deos pingeret Athenis, tanta arte Neptuni imaginem tantaq; majestate illius vultum repræsentabat, ut postmodùm pro formando Jove nihil haberet reliquum, adeoq; hoc ipso scopum non attingeret. Et ita primus quidem videtur usurpasse symmetriam, ut tamen universitate corporum exilior, & capitibus articulisq; grandior esset. Volumina quoq; composuit de symmetria & coloribus.

De pictura scripsit.

Opera ejus alia.

Opera ejus fuêre: equestre prœlium, duodecim illi Dii; Theseus, in quo dixit: eundem apud Parasium rosa pastum esse; suum verò carne. Nobiles ejus tabulæ Ephesi: Ulixes simulata vesania bovem cum equo jungens; & Palamedes dux fasce gladium condens.

XXVI. PRAXITELES
Statuarius.

XXVI. PRAXITELES statuarius.

Cum hoc Euphranore, Plinio teste lib. 34. cap. 8. Olympiade centesima quarta vixit Praxiteles statuarius: quamvis idem lib. 33. cap. 9. & alterius faciat mentionem Praxitelis, qui Mag. Pompeji ætate primus fecerit specula argentea. Hic autem, de quo nobis agendum est, (cujusque iconem tabula ænea sub lit. E. refert:) inter statuarios excelluit; quod non tantùm Proverbium illud: Praxitelea capita; sed illæ quoque Bucephali & Alexandri statuæ

Proverb. Praxiteléa capita.

subindicant, de quibus suprà in vita Phidiæ mentionem injecimus, ubi multis Praxitelis opus præfertur ei, quod Phidiæ est. Præter opera ejus, quæ Athenis in Ceramico erant, *[Ceramici autem duo erant loca Athenis, unus in civitate, ubi scorta prostabant; & alter extra civitatem. Nomenq; habet κεραμικὸς, à κεραμεὺς, figulus.]* Neptunum scilicet equestrem cum Gigante; à Plinio l. 36. c. 5. ante omnia laudatur Venus quædam, quam ut viderent multi, navigaverunt Gnidum. Duas autem fecerat, simulq; vendebat, alteram velatâ specie, quam ob id quidem prætulerunt optione, quorum conditio erat, Coi, cum alteram etiam eodem pretio detulisset, severum id ac pudicum arbitrantes. Rejectam Gnidii emerunt, immensa differentia famæ. Voluit eam postea à Gnidiis mercari Rex Nicomedes, totum æs civitatis alienum, quod erat ingens, dissoluturum se promittens: omnia autē citiùs perpeti maluêre, nec immeritò; illo enim signo Praxiteles nobilitavit Gnidum. Ædicula ejus tota aperta erat, ut conspici posset undiq; effigies, favente ipsâ, ut credebatur facto: nec minor ex quacunq; parte admiratio erat. Feruntque amore captum quendam (Amyntas alicubi dicitur) cum delituisset noctu, simulachro cohæsisse, ejusq; cupiditatis fuisse indicem maculam. Erant autem in Gnido & alia signa marmorea illustrium artificum; Liber pater Bryaxidis, & alter Scopæ, & Minerva: nec majus aliud Veneris Praxitelicæ specimen, quàm quod inter hæc sola memoratur. Ejusdem fuit & Cupido objectus à Cicerone Verri: ille, propter quem Thespiæ visebantur, tunc in Octaviæ scholis positus. Ejusdem & alter nudus in Pario colonia Propontidis, par Veneri Gnidiæ nobilitate & injuria: adamavit enim eum Alchidas Rhodius, atq; in eo quoq; simile amoris vestigium reliquit. *[Thebis autem lex vetabat, juxta Ælianum var. hist. lib. 4. cap. 4. aliquid obscœni aut picturâ aut plastice fingere.]* Romæ Praxitelis opera erant, Flora, Triptolemus, Ceres in hortis Servilianis: boni Eventus & bonæ Fortunæ simulachra in Capitolio: item & Mænades, quas & Thyadas vocant (Bacchi sacerdotes) & Cargatides & Sileni in Asinii Pollionis monumentis, & Apollo & Neptunus.

Opera ejus;

Ven^s Coa, vestita;

Venus Gnidia, nuda.

Hanc quidam amore lascivo ambit.

Opera ejus alia.

Et quamvis marmore felicior, ideò & clarior esset: fecit tamen & ex ære pulcherrima opera (tradente Plinio lib. 34. cap. 8.) Proserpinæ raptum: item Catagusam, s. fila ducentem: & ebrietatem, & Liberum Patrem, nobilemq; unà Satyrum, quem Græci periboëton cognominant, i. e. celebrem. Signa etiam, quæ ante Felicitatis ædem fuêre; Veneremq;, quæ cum ipsâ æde incendio cremata est, Claudii principatu, marmoreæ illi suæ, per terras inclytæ parem: item Stephusam, seu coronas nectentem; Spilumenen, seu maculatam; Oenophorum, seu vini gestatorem: Harmodium & Aristogitonem tyrannicidas, quos à Xerxe Persarum Rege captos, victâ Perside, Atheniensibus remisit Magnus Alexander. Fecit & puberem Apollinem subrepenti lacertæ cominùs sagittâ insidiantem, quem Sauroctonon s. lacertæ occisorem vocant. Spectabantur & duo signa, ejus diversos affectus exprimentia; flentis matronæ, & meretricis gaudentis: hanc putabant Phrynen fuisse, deprehendebantque in eâ amorem artificis & mercedē in vultu meretricis habebat simulacrum. *[De hoc autem ejus amore hæc extat historia: Praxiteles nimirum Satyrum ex Pario marmore & Cupidinem ex Pentelico lapide summâ industriâ elaboraverat, dùm Phrynen meretricem, insigneq; scortum, amore deperiret: à quâ interrogatus, quodnam opus haberet pretiosissimum? tacuit ipse, spondens autem ei, quod eligeret, se daturum. Technâ autem quâdam Phrynes servus accurrit, officinam Praxitelis ardere nuncians. Intentus itaq; Praxiteles, impendio resistere sperans, foràs repente sese proripuit, inquiens; nihil misero mihi ex laboribus superest, si Satyrus & Cupido conflagrarint. At Phryne, ne festines, inquit, calliditate tantùm mea circumventus es. Tali itaque astutiâ Cupidinis simulacrum Phryne à Praxitele dono accepit. Id autem eâ mortuâ à Thespiensibus octingentis auri minis comparatum & Cerissi servatum Cajus Cæsar Romam advexit, quod postea à Claudio Imperatore remissum, Nero denuò abstraxit. Plut. in Hyper. Athenæus lib. 12. cap. 22.]* Benignitas a. Praxitelis exindè patet, quod, ut Plinius loco supra citato refert, Calamidis quadrigæ aurigam suum imposuerit, ne melior in equorum effigie, defecisse in homine crederetur. Natus autem erat in extremâ Italiæ orâ, quam Magnam Græciam olim appellabant: deindè ob artis excellentiam civitate Romanâ donabatur, quam plurimis etiam egregiis signis ornavit. Scripsit (teste Varrone) quinque Volumina nobilium operum in toto orbe. Claruit autem potissimùm cãdido marmore, quod ab insulæ nomine, in quâ effodiebatur, Parium dicebatur. Propert. lib. 3.

XXVII. CYDIAS pictor.

Euphranoris tempore fuit Cydias pictor, patria quidem ignotus, sed cujus tabulam, Argonautas representantē *[qui heroës sũt, cum Jasone in Argo navi Colchos profecti ad diripiendum vellus aureum: suntq; qui dicant, fuisse duos & quinquaginta, alii addunt quatuor.*

XXVII. CYDIAS pictor

Hujus opera.

Valer. Flac. lib. 1. multos enumerat. Orph. l. 1. & Apollonius in catalogo heroum. Horum autem præcipui fuerunt Jason, Typhis, Castor, Pollux, Hercules, Hylas, Telamon, Theseus, Orpheus, Nauplius, Moxsis, Zetes & Calais. Dicuntur quoque Minyæ.] Sestertiis centum & quadraginta quatuor Hortensius orator mercatus est, eique ædem fecit in Tusculano suo. *[Quæ villa erat haud multum ab Urbe distans, cujus deinde Cicero in scriptis suis frequenter meminit. Hodie S. Mariæ de grotta ferrata dicitur; & monasterium est, ubi monachi Græci degere solent.]* Vid. Plinius lib. 35. cap. 11.

XXVIII. ANTIDOTUS, pictor.

XXVIII. ANTIDOTUS pictor.

DE Antidoto hæc habet Plinius loco jam allegato: Euphranoris discipulus fuit Antidotus: hujus est clypeo dimicans Athenis: & luctator; tibicenq; inter pauca laudatus. Ipse diligentior, quàm numerosior, & in coloribus severus. Maximè inclaruit discipulo Nicia Atheniensi.

XXIX. NICIAS Atheniensis, pictor.

XXIX. NICIAS Atheniensis pictor; primus picturæ eminentis cultor. Opera ejus.

NIcias, cujus iconem tabula ænea sub lit D. repræsentat, patriâ Atheniensis, diligentissimè mulieres pinxit: lumen & umbras custodivit, atq; ut eminerent è tabulis picturæ maximè curavit. Opera ejus sunt Nemea (sylvæ Nympha, in quâ Hercules miræ magnitudinis leonem interfecit:) docente Plinio lib. 35. cap. 4. sedens supra Leonem, palmigera ipsa, adstante cum baculo sene, cujus suprà caput tabula bigæ dependebat: iuscripserat autem Nicias se inussisse, tali enim usus est verbo. Et hanc quidem tabulam D. Augustus in Curiâ, quam in Comitio consecraverat, posuit. Item Liber Pater in æde Concordiæ: Hyacinthusque quem Cæsar Augustus delectatus eò secum deportavit Alexandriâ captâ: & ob id Tiberius Cæsar in templo ejus dicavit hanc tabulam: Et porrò Diana. Ephesi verò erat Megabyzi sacerdotis Ephesiæ Dianę sepulchrum: Athenis Necromantia Homeri; in quam tantâ contentione animi incubuisse dicitur, ut cibũ sumere sæpè oblitus sit, vid. Plutarch. in Moral. Ælian. de var. histor. Hanc vendere noluit Attalo (vel juxta Plutarchum, Ptolemæo:) Regi talentis sexaginta (quæ sunt coronatorum aureorũ 36000.) potiusq; patriæ suæ donavit, abundans opibus. Quorum unum multâ pecuniâ oblatâ non vendidit.

Fecit & grandes picturas, in quibus Calypso (in ursam;) & Jo, (in vaccam mutata:) & Andromeda. Alexander quoq; in Pompeji porticibus præcellens, & Calypso sedens. Huic etiam adscribuntur quadrupedes; prosperrimè enim canes expresſit. Hic est Nicias, de quo dicebat Praxiteles interrogatus, quæ maximè opera sua probaret in marmoribus? quibus Nicias manum admovisset: tantum circumlitioni ejus tribuebat. Non satis discernitur, alium eodem nomine, an hunc eundem quidam faciant Olympiade centesima duodecima. Hæc Plinius lib. 35. c. 11. Eundem autem fuisse probabiliùs est, cum Præceptoris ejus Antidoti præceptor Euphranor, Olympiade centesima quarta floruerit. Opera ejus magna. Vixit & temporibus Alexandri M.

XXX. ATHENION, Maronites.

XXX. ATHENION Maronites.

DE hoc Athenione (cujus icon in tabulâ æneâ lit. D. extat:) hæc habet Plinius lib. 35. cap. 11. Niciæ comparatur & aliquantò præfertur Athenion Maronites, Glaucionis Corinthii discipulus, & austerior colore & in austeritate jucundior, ut in ipsâ picturâ eruditio eluceat. Pinxit in templo Eleusinæ Phylarchum, (seu tribunum quendam:) item Athenis frequentiam, quam vocavére polygynæcon. Item Achillem virginis habitu occultatum Ulixe deprehendente: Et in unâ tabulâ, quâ maximè inclaruit, agasonem cum equo: quod nisi in juventa obiisset, nemo ei compararetur. Præceptor ejus Glaucion. Vitia ejus. Opera ejus. In juventa obiit.



CAPUT IV.
De PHILOCHARE, MELANTHIO, & APELLE, Pictoribus.

Argumentum.

XXXI. PHILOCHARES pictor. Opera ejus. XXXII. MELANTHIUS pictor. Quo tempore vixerit. Opera ejus. Artis Pictoriæ magna existimatio. XXXIII. APELLES pictorum princeps. Poëtarum & pictorum fautores. Quo tempore vixerit. Quo præceptore usus sit. Omnium celeberrimus est. Opera ejus modernis haud cedunt. Illius in arte venustas. Candor. Certamen cum Protogene. Quidnam intelligendum per lineam Apellis. Festinationem carpit. Aliorum judicia de labore suo libenter admittit. Ansam dat proverbio: Ne sutor ultra crepidam. Illius comitas. Ab Alexandro Magno amatur. Historia de Campaspe. Opera ejus: magni erant pretii. Inimicos habet & æmulos. Artifices sui generis promovet. Similitudine indiscretâ pingit. Opera ejus alia. Venus Anadyomene: Coa. E magno salvatur periculo. Pictura ejus de Calumnia Romam venit, & multa ibidem pingit. Equus ejus admirandæ similitudinis. Alia ejus opera. Vernicem invenit pro conservandis picturis: nec non atramentum eburneum.

XXXI. PHILOCHARES, pictor.

XXXI. PHILOCHARES pictor.



NEc Philochari sua deest inter antiquos ob insignem pingendi peritiam laus, quamvis de vitâ ejus, atque patriâ nihil referat historia. Hæc autem de eo tradit Plinius lib. 35. c. 4. Divus Augustus in curiâ, quam in Comitio consecrabat, duas tabulas impressit parieti: Nemeam, de qua supra, Niciæ: Alterius tabulæ admiratio est, puberem filium seni patri similem esse, salvâ ætatis differentiâ, supervolante aquilâ draconem complexâ. Philochares hoc suum opus esse testatus est. Immensa, vel unam si quis tantùm hanc tabulam æstimet, potentia artis, cum propter Philocharē, ignobilissimos alioquin Glaucionem, filiumque ejus Aristippum Senatus populusque Romanus tot seculis spectet.

Opera ejus.

XXXII. MELANTHIUS pictor.

XXXII. MELANTHIUS pictor.

Quo tempore vixerit.


HAud inter postremos etiam suâ ætate erat Melanthius, vel Melanthus: cujus iconem in tabula, quam E. notat, exhibemus. Sicyonium fuisse conjicii potest, quia cum Apelle apud Pamphilum Sicyone hanc artem didicit: prout supra in vita Pamphili. Unde etiam colligere licet, quâ vixerit ætate. Plinius lib. 35. cap. 7. eundem clarissimis annumerat pictoribus, Apelli, Echioni, & Nicomacho; quorum tabulæ singulæ oppidorum vænissent opibus. Coævus fuit Aristrato tyranno Sicyoniorum, qui à Melanthio depingi voluit in curru triumphali quadrijugo, adstante in curru victoriâ, quæ Aristrato lauream imponeret. Ubi quamvis opus hoc admodùm esset magnum, tantoperè tamen festinabat tyrannus, ut ad evitandam illius iracundiam in auxilium socios suos advocare cogeretur Melanthius. Quantocunque autem elaboratum esset artificio, paulòpost suo tamen non carebat fato. Aratus enim Achæorum Dux, cum ex odio tyrannorum, libertatis amore incensus, post Aristrati obitum patriam Sicyona à tyrannide liberaret, destructis undiquaque tyrannorum imaginibus in hanc quoque incidit tabulam, quam cum, hæsitabundus primùm ob artis meritum, vincente tamen erga tyrannos odio, interitui tandem destinaret, ne lachrymis quidem commotus amici Neulcis, qui debellandos quidem, at non post obitum, tyrannos, inculcabat; mitior postremò concessit, ut Nealces, & ipse pictor, Aristrati effigiem è tabulâ expungeret, palmâ substitutâ, ubi, narrante Polemone Periegatano, ima pars currus, cum pedibus quidem & equis remanebant, tabula tamen ipsa, tantæ artis, & in quâ & Apelles collaboraverat, haud parum indè passa est vitii.

Opera ejus.

Artis pictoriæ magna existimatio.


Per hunc ipsum tamen Aratum, ad insigne fastigium ascendit ars nostra: quippè qui multa Sicyone reperta, præsertim à Pamphilo & Melantho elaborata, coëmeret opera, Ptolemæo Ægypti Regi eadem mittens, ut qui non amaret saltem, sed & intelligeret istius artis mysteria: solet enim quarumvis rerum intellectus amorem earundem incendere, pro quibus, in grati sui animi testimonium, Ptolemæus viginti

MELANTHIUS CYCIONIUS APEL LES. E





PROTOGENES CAUNIUS. QVINTVS PEDIVS





PRAXITELIS GRÆCUS. MECE NAS.





J.V. Sandrart. del. P. Kilian sculp.

quinque talenta dono mittebat Arato: & ita quidem, ut cum post aliquod tempus in Ægyptum ipse veniret, contractâ arctiore cum ipso familiaritate, adhuc centum & quinquaginta prioribus superadderet, quæ est summa centies & quinquies mille coronatorum. Unde satis manifestum est, in quanto hæc ars apud antiquos fuerit pretio. Testaturque Plutarchus in Arato, hunc istius pecuniæ beneficio non tyrannidem saltem & otia simultatesque civium sustulisse, sed & pacem in patriâ, totaque Achæorum republicâ introduxisse, interque pauperes atque divites concordiam. Unde in meritum quoque ipsius honorem Statua à civibus suis ipsi erecta sit ænea, cum debito virtutum ejus encomio, his versibus addito:

Consilia & vires, pro Grajis haustaq; bella,
Herculis & summâ celebrantur laude columnæ.
At tibi nos Arate, pro libertate receptâ,
Erigimq; statuam virtutis justitiæq;:
Namq; olim patriam, divinis legibus ornans,
Sublimem cœlo potuisti æquare supremo.

Quæ omnia satis ostendunt, Melanthi non tantùm & præceptoris sui opera in magno fuisse pretio; sed nobilem quoque hanc artem insigniter ab illis fuisse promotam. Et quamvis propriè specialia operum illorum argumenta ignorentur; ex tanta tamen illorum æstimatione, & remuneratione tam liberali sat colligi potest, illa nec ingenio caruisse, nec industriâ.

XXXIII. APELLES, pictorum sui temporis Princeps.

XXXIII. APELLES, pictorum antiquiorum princeps.

Nunquam ingeniosis pictoribus, argutioribusque poëtis sui defuére fautores Magnates, qui artificiosa illorum opera admirati eorundem autores singulari amplecterentur benevolentia. Unde factum quoque, ut artes istæ non honorum saltem assecutæ sint culmina, sed munerum etiam atque prœmiorum cumulos. Notissimum enim, quanti semper æstimata fuerint Homeri poëmata, & quanto amore Virgilium prosecuti sint Augustus & Mecœnas. Notum etiam, quàm benevolum Ariosto sese exhibuerit Carolus Quintus Imperator: & quàm accepti Raphaël, & Michaël Angelus, pictorum excellentissimi, diversis fuerint Romanis Pontificibus, & in specie Leoni. Eodem itaque modo Generosissimus ille Monarcha Alexander, factis & cognomine Magnus, pictorum sui temporis principem adamabat Apellem, de quo lib. 35. cap. 10. testatur Plinius; quod omnes priùs genitos futurosque posteà superaverit; eousque in pictura provectus, ut plura solus propè, quàm cœteri omnes contulerit. Vixit autem Olympiade centesima duodecima, circa annum Urbis conditæ quadringentesimum vigesimum primum; à mundo condito, ter millesimum sexcentesimum vigesimum octavum, & ante Christum annis trecentis & triginta quatuor. Oriundus autem erat (referente Strabone lib. 14.) ex urbe Ephesina; vel, juxta alios, ex Insulâ Co, quæ una est Cycladum, & hodie Lango dicitur, in mari Ægeo vel Icario sita; Pythio patre: ejusque icon in tabula E. expressa habetur.

Poëtarum & Pictorũ fautores.

Quo tempore vixerit.

Illius tempore præ cœteris urbibus ob pictoriam celebris erat Sicyon, quare & Apelles, (egregii jam in arte profectûs,) eò se contulit: Pamphiloque tum temporis clarissimo per aliquod tempus (unius fortè anni) usus est præceptore, talento, (sive sexcentorum coronatorum aureorum pretio) in mercedem numerato. Plutarchus in vita Arati, nomen quidem præceptoris ejus non exprimit, quod facit Plinius lib. 35. cap. 10. sed id tantùm refert, illum Sicyone didicisse; non tàm artis gratia, quàm gloriæ loci; cum nemo tum temporis æstimaretur, nisi qui Sicyona frequentasset. Ibidem igitur Apelles noster in elaborandâ Aristrati effigie condiscipulo suo Melantho auxiliares manus præstitit, inque hac arte tantoperè inclaruit, ut pare caruerit: Voluminibus etiam ad Perseum discipulum editis, quæ doctrinam eam continerent.

Quo Præceptore usus sit.

Omnium clarissimus est.

Hîc meritò dubitare quis posset, an opera etiam ipsius, si adhuc extarent, cum perfectioribus istorum temporum collata, id prærogativæ habitura sint, quæ olim ipsis tribuebatur. Ubi ego, quod ad ipsam picturæ delineationem attinet, id quidem nullatenus negarem: commotus exemplis quibusdam statuarum primò sive marmorearum sive ænearum ab antiquis elaboratarum, & Romæ adhuc contra edaces temporis injurias asservatarum; è quarum rotunditate omnes artis gnari fateri coguntur, ne præstantissima quidem modernorum opera illis præferenda; ita ut vel meliora Michaëlis Angeli simulacra vix ad illarum accedant fastigium. Pictoria autem & statuaria plerumque eâdem floruerunt gloriâ, ita ut rariùs una citra alteram vel elevata vel suppressa fuerit: Unde id colligo, quod rotundæ Apellis effigies (colorum enim alia est ratio:) quippè quæ illius tempore, pro præstantissimis

Opera ejus modernis haud cedunt.

habebantur, in opere diagraphico modernis nostris nullatenus cessissent: quod hoc tamen loco ulteriùs non diducens, exempli saltem loco ad antiquam illam noviter demùm repertam Novæ nuptæ repræsentationem provoco, quam infra sub literis H. & I. historiæ pictorum veterum subnecto.

Illius in arte venustas.

Ut autem ad ipsa illius descendamus opera: præcipua ejus in arte venustas fuit, cum eâdem ætate maximi pictores essent. (verba sunt Plinii lib. 35. cap. 10.) quorum opera cum admiraretur, collaudatis omnibus, deesse iis unam illam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant: cœtera omnia contigisse, sed hac soli sibi neminem parem. (Quod jactantiæ quidem & arrogantiæ tribuere nollem, cum talia quandoque extorqueat rarioris experientiæ veritas: quod & clarissimis quibusdam Poëtarum sinistrè non retorquetur.) Ipse autem & aliam adhuc usurpavit gloriam, cum Protogenis opus immensi laboris ac curæ supra modum anxiæ miraretur: dixit enim, omnia sibi cum illo paria esse, aut illi meliora; sed uno se præstare, quod manum ille de tabulâ nesciret tollere: memorabili præcepto, nocere sæpè nimiam diligentiam. (Quo ipso tamen festinabunda illa acceleratio, qua indignissimi sæpè vel excellētissimos anteeunt, neutiquam comendatur, sed quod nimiū est, saltem rejicitur: eò quòd quæ nimia cura ad extremos extersa sunt apices, plerumque & spectatori, quasi violentum quid objiciunt, cui, quæ spiritus est & anima picturarum, venustas deficit & suavitas: quod multis modernorum artificum exemplis demonstrari posset.) Fuit autem non minoris simplicitatis, quàm artis: nam cedebat Amphioni de dispositione, & Asclepiodoro de mensuris, hoc est, quanto quid à quo distare deberet.

Candor.

[*De hac pictorum differentiâ ita Quintilianus. Floruit circa Philippum & usque ad successores Alexandri pictura præcipuè, sed ex diversis virtutibus. Nam cura Protogenes, ratione Pamphilus atque Melanthius, facilitate Antifilus, concipiendis visionibus, quas φαντασίας vocant, Theon Samius; Ingenio & gratiâ, quam ipse in se maximè jactat, Apelles est præstantissimus. Euphranorem admirandum facit: Quod & cœteris optimis studiis inter præcipuos, & pingendi fingendiq; idem mirus artifex.*]

Scitum est autem, inter Protogenem & eum, quod accidit. Ille Rhodi vivebat; quo cum Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera ejus, fama tantùm sibi cogniti, continuò officinam ejus petiit. Aberat ipse, sed tabulam magnæ amplitudinis in machinâ aptatam picturæ, anus una custodiebat: Hæc Protogenem foris esse respondit; interrogavitque, à quo quæsitum diceret? Ab hoc, inquit Apelles; arreptoque penicillo lineam ex colore duxit summæ tenuitatis per tabulam. Reverso Protogeni, quæ gesta erant anus indicavit: Feruntque artificem protinus contemplatum subtilitatem; dixisse: Apellem venisse: non enim cadere in alium tàm absolutum opus. Ipsumque alio colore tenuiorem lineam in illâ ipsâ duxisse: præcepisseque abeuntem, si re disset ille, ostenderet; adjiceretque, hunc esse, quem quæreret: atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore lineas secuit, nullum relinquens ampliùs subtilitati locum. At Protogenes victum se confessus, in portum devolavit, hospitem quærens. Placuitque, sic eam tabulam posteris tradi, omnium quidem, sed artificum præcipuo miraculo. Consumtam eam constat priore incendio domus Cæsaris in palatio avidè ante (verba sunt Plinii loc. cit.) à nobis spectatam, spatiosiore amplitudine nihil aliud continentem, quàm lineas visum effugientes, inter egregia multorum opera inani similem, & eo ipso allicientem, omnique opere nobiliorem.

Quidnam intelligendum per lineam Apellis.

Ubi quidem, nisi ocularem Plinius sese profiteretur testem, nudas has fuisse rectasque lineas, vix præsumerem, sed perfectam potius aliquam delineationem, sive faciei, sive brachii, sive pedis obliqui, sive alius cujusdam rei, suspicarer, triplici colore artificiosè dissectam: imò vix me cohibeo, quin Plinii phrasin, quum voce secandi utitur, ita interpreter; cum non sit inusitatum, eruditos in aliis, de nostris tamen operibus locuturos, terminis quandoque uti minùs propriis. Et forte, id ipsum innuit Plinius, dum & artifices præcipuè tabulam hanc miratos refert; qui tamen lineas puras atque simplices pro miraculo vix habuissent; cùm mirum potius sit, quod tanti artifices recti lineare saltem instituissent certamen, in quo amussi adhibita vel scriba quidam existeret victor. Delineatio autem, qualiscunque illa fuerit, promtâ manu, subtilique ductu instituta, tribusque coloribus in uno tractu constans, mirum non est, quod miraculo fuerit, cum in eo totus cardo universæ artis diagraphices consistat.

Idem-

Idemque fortè statuendum de eo, quod Apelli alioquin perpetua fuerit consuetudo, nunquam tam occupatam diem agendi, ut non lineam ducendo exerceret artem: ut ab eo hoc in proverbium venerit: Nulla dies sine linea; quod pariter vix de lineis simplicibus atque rectis, sed de delineationibus potius, perfectioribusque picturis intelligendum erit.

Festinationem carpit.

Cum (referente Plutarcho) aliquando pictor quidam simplicioris ingenii opus suum Apelli ostenderet, id potissimum deprædicans, quod quàm citissimè illud absolvisset: Ipsa tabula, inquit Apelles, etiam tacente te, id loquitur: mirumque est, te pluribus similibus non abundare.

Aliorum judicia de labore suo libenter admittit.

Anſam dat Proverbio: Ne sutor ultra crepidam.

Idem perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus, atque post ipsam tabulam latens, vitia, quæ notarentur, auscultabat, vulgum diligentiorem judicem, quàm se præferens: feruntque à sutore reprehensum, quod in crepidis unâ intus pauciores fecisset ansas. Eodem postero die, superbo emendatione pristinæ admonitionis, cavillante circa crus, indignatum prospexisse, denunciantem, ne supra crepidam sutor judicaret: quod & ipsum in proverbium venit.

Illius comitas.

Fuit & comitas illi, propter quam gratior Alexandro Magno erat, frequenter in officinam ventitanti: nam ab alio pingi se vetuerat edicto. Sed & in officina imperitè multa disserenti, silentium comiter suadebat; rideri eum dicens à pueris, qui colores tererent. Tantum erat autoritati Juris in Regem, alioquin iracundum. Quod ipsum Plutarchus paulo aliter de Megabyzo Persa enarrat, cui multa inconditè garrienti responderit Apelles: Tacentem te, ob purpuram, gemmasque mirabantur colorum tritores pueri; loquentem rident.

Ab Alexandro M. amatur.

Historia de Campaspe.

Cœterum Alexander & honorem ei clarissimo præbuit exemplo. Namque cum dilectam sibi ex pallacis suis præcipuè nomine Campaspen nudam pingi ob admirationem formæ ab Apelle jussisset, eumque, dum paret, captum amore sensisset, dono eam dedit: magnus animo, major imperio sui; nec minor hoc facto, quàm victoria aliqua: quippè se vicit, nec torum tantùm suum, sed etiam affectum donavit artifici: ne dilectæ quidem respectu motus, ut quæ modò Regis fuisset, modò pictoris esset. Suntque qui Venerem Anadyomenem illo pictam exemplari putant.

Opera ejus.

magni extant pretii.

Quemadmodum autem multi istius artis fautores in historiis commemorantur, qui ingeniosa pictorum opera pluribus coëmerunt talentis vel auro contra æstimarunt; ita non minùs ex istorum numero fuit Alexander ille nomine & omine magnus, quem & Philippum quoties pinxerit, enumerari vix potest. Ut autem quorundam saltem fiat mentio, pinxit Alexandrum fulmen tenentem in templo Ephesiæ Dianæ viginti talentis auri: Ubi digiti eminere videbantur, & fulmen extra tabulam esse. Sed legentes meminerint, omnia ea quatuor coloribus facta. Manipretium autem ejus tabulæ in nummo aureo mensurâ accepit, non numero: (verba sunt Plinii loco cit.) Eundem in duabus quoque aliis exhibuit tabulis quàm artificiosissimis, postea Romam delatis: quamvis Carolus de Mandern illas Romæ ab ipso pictas esse asserat.

Inimicos habuit & æmulos.

Non fuerat ei gratia in comitatu Alexandri cum Ptolemæo (non illo, de quo supra numero 32. cum Arato mentionem fecimus, sed priore:) quo regnante, Alexandriam vi tempestatis expulsus, subornato fraude æmulorum Plano regio invitatus, ad Regis cœnam venit: indignantique Ptolemæo, & vocatores suos ostendenti, ut diceret, à quo eorum invitat9 esset, arrepto carbone extincto è foculo imaginem in pariete delineavit; agnoscente vultum Plani Rege ex inchoato protinus, iramque in benevolentiam commutante; magnâ cum Antiphili pictoris regii æmulatione.

E magno salvatur periculo.

Quæ eundem ad tantas permovit calumnias, ut falsò Apellem penes Regem insimularet proditionis Tyriæ per Theodotam institutæ, cum quo, non literis tantùm, sed & colloquio familiaris, consilia, sub cœna clam in aurem insusurrata, in id inierit, ut urbem illam à Rege averteret. Cumque præterea consilii quoque de occupando Pelusio autor sit, non unius illum mortis reum exindè factum. Hic dictis, magnorum more, Rex fidem habens, non inquisitâ causâ, acerba erga Apellem multa meditabatur, nisi è captivo quodam, proditionis conscio, patuisset Apellis innocentia, quodque nec Tyri unquam fuisset, nec Theodotam noverit. Quibus cognitis pœnæ loco Rex centum Apelli talenta dono dedit, & Antiphilum delatorem in perpetuam eidem addixit servitutem.

Pictura ejus de Calumnia.

Totum hoc factum argutissimâ vindicta symbolicâ hac exprimebat picturâ. Regem enim pingebat sedentem, sed asininis auribus Mydæ similem, brachio ad accipiendam calumniam protenso: ex utroque ejus latere mulier adstabat, ut hinc suspicio, illinc ignorantia significaretur. Calumnia accedēs mulier ipsi erat specie decora & ornatissimo habitu, vultu tamē conceptū animo furorem non dissimulans. Sinistra hæc facem tenebat, dextrâ crinibus trahēs

juvenem præ dolore, erectis ad cœlum oculis & manibus justitiam implorantem. Ex latere eandem vir quidam pallore macieq; deformis comitabatur, qui vultu tamen astuto & callido invidiæ speciem præ se ferebat. A tergo servarum more eam Astus sequebantur atque Fraus, quasi officii commoniturae Dominam. Ex altero latere sub forma mœstissimæ faciemque avertentis fœminæ præstò erat pœnitentia, atrato, laceroque habitu obvoluta, & quasi pudore suffusa lachrymas profundens: cui è longinquo mulier occurrebat honesta, augustaque facie, sed nuda, veritatis symbolum. Quibus omnibus totum infortunii sui casum ingeniosè descripserat, ut magni proptereà deinceps æstimata fuerit ista tabula.

Artifices sui generis promovet.

Erat autem aliàs & in æmulos benignus Apelles; Protogenique dignationem primus Rhodi constituit. Sordebat quippè ille suis, ut plerumque domestica: percontantique, quanti licitaretur opera effecta, parvum nescio quid dixerat: at ille quinquagenis talentis poposcit; famamque dispersit, se emere, ut pro suis venderet. Ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem, nec nisi augentibus precium cessit imaginem. Quod ipsum exemplo sit omnibus bonarum artium cultoribus, ut favore potius atque auxilio sese invicem prosequantur, quàm invidiâ: cum nulla candore præstet virtus, undè nec exiguum caperet emolumentum ars pictoria, si frequentiùs inter mortales excoleretur.

Similitudine indiscretâ pingit.

Adeò autem similitudinis indiscretæ pinxit Apelles, ut incredibile dictu Apion Grammaticus scriptum reliquerit, quendam ex facie hominum addivinantem (quos Metoposcopos vocant:) ex iis dixisse aut futuræ mortis annos, aut præteritæ.

Opera ejus alia.

Pinxit & Antigoni Regis imaginem altero lumine orbam, primus excogitatâ ratione vitia condendi: obliquam namque fecit, ut quod corpori deerat, picturæ potius deesse videretur: tantumque eam partem è facie ostendit, quam totam poterat ostendere. Sunt inter opera ejus & expirantium imagines: quæ autem nobilissima fuerint, non est facilè dictu.

Venus Anadyomene.

Venerem exeuntem è mari dicavit in delubro patris Cæsaris D. Augustus, versibus Græcis tali opere, dum laudaretur, victo, sed illustrato. Hujus inferiorem partem corruptam qui reficeret, non potuit reperiri. Verùm ipsa injuria cessit in gloriam artificis: & consenuit hæc tabula carie: aliamque pro eâ Nero principatu substituit suo, Dorothei manu. [*Hæc tabula intelligitur à Propertio, dum lib. 3. inquit:*

In veneris tabulâ summam sibi ponit Apelles;
Pyreicus parva vindicat arte locum.

Et ab Ausonio epigramm. 104. dum inquit è Græco Antipatri Sidonii:

Emersam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin Apellæi cerne laboris opus.
Ut complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.

Et Ovidius lib. 1. amorum eleg. 14. de coma Amicæ:

Illis contulerim, quas quondam nuda Dione
Pingitur humenti sustinuisse manu.

Et de statua: Idem lib. 3. de Arte amandi:

Cum fieret, lapis asper erat, nunc nobile signum,
Nuda Venus madidas exprimit imbre comas.]

Coa.

Inchoaverat autem & aliam Venerem Cois, superaturus etiam suam illam priorem: sed invidit mors peracta parte; nec qui succederet operi ad præscripta lineamenta inventus est. (Quin & meo quidem judicio, nulli eidem id cessisset laudi, qui humilem manum suam ad opus tàm sublime ausus esset extendere: quod & hodienum aliquibus accidit, qui celebrioris cujusdam artificis opus supplere audent. De Coa hac Venere hos versus composuit Ovidius:

Si nunquam Venerem Cois pinxisset Apelles,
Mersa sub æquoreis illa lateret aquis.

Pinxit & Megabyzi sacerdotis Dianę Ephesiæ pompam. Item Clytum equo ad bellum festinantem, & ei galeam poscenti armigerum porrigentem. Mirabantur ejus Abronem Samii: & Menandrum Regem Cariæ Rhodii: Item Ancæum: (qui Neptuni filius, patriâ Samius, & inter Argonautas fuerat,) nec non Alexandriæ Gorgosthenem tragœdum.

Romam venit, & multa ibidem pingit.

Romæ autem pingebat Castorem & Pollucem; cum victoria & Alexandro Magno: item belli imaginem, restrictis ad terga manibus, Alexandro in curru triumphante. Quas utrasque tabulas D. Augustus in fori sui partibus celeberrimis dicaverat simplicitate moderata: Divus Claudius pluris existimavit in utrisque excisa facie Alexandri, D. Augusti imaginem subdere. Ejusdem arbitrabantur (Plinio referente) manu esse & in Antoniæ templo

Her-





SIC LINEA PRO
DIT APELLEM.

HAVD VLTRA CRE
PIDAM SVTOR.



CAMPASPE PRÆ
MIVM APELLIS.

HINNITV PICTV
RA PROBATVR.





Herculem aversum, ut, (quod est difficillimum:) faciem ejus ostenderet veriùs pictura, quàm promitteret. Et hæc quidem opera indubitatò Romæ extiterunt; quamvis Carolus à Mandern etiam, quod Romam ipse venerit, eademque ibidem pinxerit, è Plinio colligat. Pinxit & Heroa nudum: eaque picturâ naturam ipsam provocavit.

Equus ejus admirandæ similitudinis.

Fuit & equus ejus pictus in certamine, super quo judicium ad mutas quadrupedes provocavit ab hominibus: namque ambitu æmulos prævalere sentiens, singulorum picturas inductis equis ostendit: ubi Apellis tantùm equo adhinnivere: idque postea semper illius experimentum artis ostentatum est.

Alia ejus opera.

Fecit & Neoptolemum ex equo adversus Persas; (id est, novitium militem,) Archelaum cum uxore & filia; Antigonum thoracatum cum equo incedentem. Peritiores artis præferunt omnibus ejus operibus eundem Regem sedentem in equo. Dianam sacrificantium virginum choro mistam; quibus vicisse Homeri versus videbatur idipsum describentis. Pinxit tandem, & quæ pingi non possunt, tonitrua, fulgetra, fulguraque: Bronten, Astrapen, Ceraunobolon appellant. Inventaque ejus & cœteris profuére in arte.

Vernicem invenit pro conservandis picturis

Unum imitari nemo potuit, quod absoluta opera atramento illinebat ita tenui, ut id ipsum repercussu claritates colorum excitaret, custodiretque à pulvere & sordibus, & ad manum intuenti demùm appareret. Sed & tùm ratione magna, ne colorum claritas oculorum aciem offenderet, veluti per lapidem specularem intuentibus è longinquo: & eadem res nimis floridis coloribus austeritatem occultè daret. Idem quoque (tradente eodem Plinio eod. lib. c. 6.) commentus est ex ebore combusto atramentum facere, quod elephantinum vocant.

Nec non atramentum eburneum.

Quo tempore mortuus sit, equidem non invenio; præter hoc unum, quod dum Venerem Cois pingeret alteram, è vivis excesserit, quod imperfectum tamen opus majori admiratione fuit, quàm perfecta: siquidem in eo lineamenta reliqua, ipsæque cogitationes artificis spectabantur: atque ob id lenocinio commendationis dolor erat, & manus, cum id agerent, extinctæ, à nemine non desiderabantur.

Antequam autem vitæ & encomio maximi hujus artificis finem omninò imponam, hoc unicum adhuc monendum fuit; aliam nimirum adhuc iconem Apellis nostri Romam allatam, quæ in Academia S. Lucæ asservatur; procul dubio è Græciâ in Italiam transportata: quam, cum mirè extollatur, pro majori Curiositate nostra, in apographo simillimo sub litera E. * hic apponere volui. Nec enim à priore multum discordat: modò quod provectiore videatur ætate depicta. Ex utriusque autem physiognomiâ magnum elucet ingenium, vivaxque spiritus & promtitudo ad labores; è quibus sanè ritè excultis quid mirum, si artifex exurgat argutæ inventionis, magnæq; in opere peritiæ? Prout & quatuor istæ iconi huic adjunctæ picturæ historicæ, admirandorum ejus operum abunda præbent indicia, quodque haud abs re obtineat Principis antiquorum pictorum encomium.

CAPUT V.

De PROTOGENE,

Et adhuc quadraginta tribus Pictoribus aliis.

Argumentum.

XXXIV. PROTOGENES Rhodius pictor. Quando vixerit. Opera ejus. Jalysus ejus; perdixq; & canis. Modus quidam pingendi spumam. Opus ejus magni est pretii. Artis intuitu periculo belli non subest. Animositas ejus. Temperantia. Usus artis pictoriæ. Opera ejus alia. Quater illa induxisse coloribus fertur. XXXV. ASCLEPIODORUS Pictor & Statuarius. Opus ejus maximi est pretii. XXXVI. NICOPHANES, vetustorum operum studiosus. XXXVII. PERSEUS discipulus Apellis. XXXVIII. NEALCES: Opera ejus. Ars discernendi res alioqui similes. XXXIX. PYREICUS humilium pictor. XL. SERAPION magnarum tabularum pictor. XLI. DIONYSIUS Anthropographus. XLII. CALLICLES Parva fecit. XLIII. CALACES tabellas comicas. XLIV. ANTIPHILUS Ægyptius pictor Opera ejus. XLV. CTESIDEMUS. XLVI. CTESILOCHUS. XLVII. CLEON pictor & Statuarius. XLVIII. ARISTOLAUS Atheniensis pictor. XLIX. MECOPHANES. L. SOCRATES. LI. HERACLIDES Macedo pictor. LII. METRODORUS Philosophus & pictor, patriâ Atheniensis. LIII. ARISTOPHON pictor. LIV. ANDROBIUS pictor.

LV. ARTEMON. LVI. ALCIMACHUS. LVII. COENUS. ſtemmatographus. LVIII. CLESIDES. Ob contemtum amores detegit clandeſtinos. LIX. CRATERUS. LX. EUTYCHIDES. LXI. EUDORUS: pictor & fictor. LXII. IPHIS. LXIII. ABRON. LXIV. LEONTISCUS. LXV. LEON. LXVI. NICEARCHUS. LXVII. OENIAS. LXVIII. PHILISCUS. LXIX. PHALERION. LXX. SIMONIDES. LXXI. SIMUS. LXXII. THEODORUS. LXXIII. THEON. LXXIV. TAURISCUS. LXXV. ERIGONUS. LXXVI. TIMOMACHUS, Byzantius. LXXVII. ELOTAS. Ætolus.

XXXIV. PROTOGENES, Caunius.

XXXIV. PROTOGENES Caunius. Quando vixerit.



PRotogenes patriam habuit Caunum, quod eſt Cariæ oppidum, Rhodiis ſubjectum, Apellisque, ut dictum, ætate floruit, quin & ſub Demetrio Rege adhuc vixit, adeoque circa annum mundi ter milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimum tertium; ducentisq; & nonaginta novem annis ante Chriſtum natum; & triginta quinque poſt Alexandrum Magnum. Summa ejus paupertas initio, artisque ſumma intentio, & ideò minor fertilitas. Quis eum docuerit, non putant conſtare.

Opera ejus Jalyſus ejus; Strabo lib. 14. Geogr. refert, Protogenem pinxiſſe Satyrum Jalyſum nomine, [*quid Jalyſus fuerit, ſunt qui dubitant. Moſellanus venatorem fuiſſe ſuſpicatur, à quo nomen acceperit Jalyſos Rhodi inſulæ urbs, eiq; id indicio eſſe, quod cum cane pingatur Jalyſus. Sunt qui putent Satyrum hoc cognomine fuiſſe; alii Bacchum, qui à Rhodiis ita vocaretur; Strabo lib. 14. dicit, Cercaphi filium fuiſſe, qui urbem in Rhodo conditam ſuo nomine appellavit.*] columnæ adſtantem, & ſuper iſtâ perdicem: perdixque populum autem perdicem quidem tantâ admiratione inſpectaſſe, ut Satyrum, quamvis omni diligentiâ elaboratum, non curaret; adde, quod vivi quoque eodem delati perdices concuſſis alis & clamore ſolito pictam illam ſui eſſe generis agnoſcerent, Ubi Protogenes, indignatus omnem ſuam ſuper Satyro curam propter parergon non attendi, ſacerdotem illius templi exoraverit, ut perdicem expungere liceret. Paulò aliter de his Plinius l. 35. c. 10. dum inquit: Palmam habet tabularum ejus Jalyſus, qui eſt Romæ, dicatus in templo Pacis. & canis. Eſt in ea canis mirè factus, ut quem pariter caſus & ars pinxerint. Non judicabat ſe exprimere in eo ſpumam anhelantis poſſe, cum in reliquâ omni parte (quod difficillimum erat) ſibi ipſe ſatisfeciſſet: diſplicebat autem ars ipſa, nec minui poterat, & videbatur nimia, ac longius à veritate diſcedere, ſpumaque illa pingi, non ex ore naſci, anxio animi cruciatu, cum in pictura verum eſſe, non veriſimile vellet. Abſterſerat ſæpiùs mutaveratque penicillum, nullo modo ſibi approbans: poſtremò iratus arti, quod intelligeretur, ſpongiam eam impegit inviſo loco tabulæ, ex illâque repoſuit ablatos colores, qualiter cura optabat: fecitque in pictura fortuna naturam. Hoc exemplo ſimilis & Nealcem ſucceſſus in ſpuma equi ſimiliter ſpongia impacta ſecutus dicitur, cum pingeret poppyzonta retinentem equum. modus quidam pingendi ſpumam. Canem ita Protogenes monſtravit & fortuna. Utrum hæc de unâ eademque intelligenda ſint Jalyſi tabulâ, an verò pluries eundem pinxerit; quis dijudicet? Certum autem, Jalyſum Protogenis in maximo fuiſſe pretio, teſtante inter alios & Plutarcho. Idemq; teſtatur Plinius, ita pergens: Opus ejus magni eſt pretii.

Propter hunc Jalyſum, ne cremaret tabulas Demetrius Rex, cum ab eâ parte ſolâ poſſet Rhodum capere, non incendit; parcentemque picturæ fugit occaſio victoriæ. Artis intuitu periculo belli non ſubeſt. Erat tunc Protogenes in ſuburbano hortulo ſuo, hoc eſt, Demetrii caſtris: neque interpellatus præliis inchoata opera intermiſit omninò: ſed accitus à Rege interrogatusque, quâ fiduciâ extra muros ageret? reſpondit: ſcire ſe, illi cum Rhodiis bellum eſſe, non cum artibus. Animoſitas ejus. Diſpoſuit ergò Rex in tutelam ejus ſtationes, gaudens, quod poſſet manus ſervare, quibus jam pepercerat: & ne ſœpiùs avocaret, ultrò ad eum venit hoſtis: relictisque victoriæ ſuæ votis, inter arma & murorum ictus ſpectavit artificem: ſequiturque tabulam ejus temporis hæc fama, quod eam Protogenes ſub gladio pinxerit. Satyrus hic erat, quem Anapavomenon vocabant, i. e. ſecurum: ne quid deſit temporis ejus ſecuritati, tibias tenens.

Iſtius belli autem Plutarchus in vita Demetrii tres recenſet cauſas; primò ſc. quod fœdus cum hoſte Demetrii Ptolemæo pepigiſſent Rhodii: ſecundò, cædes Alcimi propè theatrum Rhodium facta: & tertiò, quod navem ab uxore Phyla ad ſe deſtinatam, veſtibusque & lectis onuſtam, cum literis ejusdem interceptam Ptolemæo miſiſſent. Captâ autem urbe, cum Legatos ad Demetrium mitterent Rhodii, orantes, Uſus artis pictoriæ. ne Protogenis perderet tabulam: ille reſpondit: ſe patrias potiùs imagines deſtructurum: jamque prohibuiſſe, ne platea illa, ubi artificis domus, accenderetur.

Temperancia ejus. Integro autem ſeptennio Jalyſo hoc occupatus fuiſſe dicitur, dumque eum pingeret, madidis lupinis vixiſſe; quoniam ſimul famem ſuſtinerent & ſitim, ne ſenſus nimiâ dulcedine obſtrueret. Apellesque, viſâ hâc tabulâ, tantâ raptus fuiſſe dicitur admiratione, ut cum præ ſtupore aliquandiu

tacuiſſet

tacuisset, tandem eruperit: dignum esse hoc opus, quod in cœlum extollerent Charites. Romam autem deportatum, injuriâ temporum tandem interiit. Id autem hinc patescit minimum, nobilem hãc picturæ artem multum profuisse Rhodiis; prout de Sicyone commemoravimus supra.

Opera ejus alia.

Fecit & Cydippen: [*Puella hæc fuit in Delo Insulâ generis nobilitate & formæ præstantia insignis, cujus amore captus Acontius adolescens ex Coa insula, cum repulsam metueret, quod neque genere, neque opibus illi par esset, ad dolum confugit, pomumq; ad pedes ejus devolvit, versibus hisce inscriptum:*

Juro tibi sanctæ per mystica sacra Dianæ;
Me tibi venturam comitem, sponsamq; futuram.

Hos itaque versus legens Cydippe, fidem suam amanti imprudens obstrinxit. Quo factum est, ut quoties alteri nubere conaretur, toties in gravem inciderit morbum, ab irratâ Dianâ (ut Acontius credi volebat) immissum. Tandem re omni à puellæ parentibus intellectâ, ne Dianæ numen graviùs irritarent, puellam Acontio spondent. Unde Virgil.

Quale fuit malum, quod litera pinxit Aconti:
Quâ lectâ cupido pacta puella viro est.]

Et Tlepolemum: [*Iste Herculis & Astioches dicitur filius, quam ex Ephyra urbe Pelòponnesi rapuerat, clarus rebus bellicis, corporisq; proceritate insignis. Hic cum adolevisset, Lycimnium avunculum suum Marte progenitum, & patre suo clarissimum, jam senem interfecit. Propter quod fabricatis navibus, contractaq; juvenum manu patriam reliquit, Rhodumq; tenuit, in qua trium urbium regnum obtinuit. Belli verò Trojani tempore novem navium classe Græcis suppetias tulit, quo in bello à Sarpedone Jovis filio fuit interfectus.*] Et Philiscum tragœdiarum scriptorem meditantem: & Athletam: & Antigonum Regem: & imaginem matris Aristotelis Philosophi, qui ei etiam suadebat, ut Alexandri Magni opera pingeret, propter æternitatem rerum; sed impetus animi, & quædam artis libido in hæc potiùs eum tulére.

Quidam & naves eum pinxisse dicunt usque ad annum quinquagesimum; hujusque argumentum esse, quod cum Athenis celeberrimo loco Minervæ delubri propylæon seu vestibulum pingeret, ubi fecit nobilem Paralum (inventorem longarum navium:) & Hemionida, quam quidam Nausicaam vocant [*Alcinoi, Phæacum regis filiam, à navibus cognominatam, quæ Ulyssem in littore reperit naufragium passum, vestitumq; ad patrem perduxit.*] adjecerit parvulas naves longas in iis, quæ pictores parerga appellant, à quibus initiis ad arcem ostentationis opera sua pervenissent. Novissimè pinxit Alexandrum ac Pana.

Jalyso quater colorem induxisse refert Plinius loc. cit. subsidio injuriæ & vetustatis, ut decedente superiore inferior succederet. Quamvis id paradoxum sit auribus peritorum artis, capique vix possit, quomodo id ope albuminis, vel glutinis cujuslibet factum fuerit, cum olei mixtura, quâ faciliùs successisset, nondum fuerit inventa. Quater illa coloribus induxisse fertur.

Eundem & inter Statuarios refert Plinius lib. 34. cap. 8. cum inquit: Nunc percensebo eos, qui ejusdem generis opera fecerunt, &c. Athletas, & armatos, & venatores sacrificantesque Batton, Euchir, Glaucides, &c. Pythocritus, Protogenes (idem pictura clarissimus, ut dicemus:) Patrocles &c De certamine autem ejusdem cum Apelle jam dictum est supra cap. 4. num. 33.

XXXV. ASCLEPIODORUS, Pictor & Statuarius.

XXXV. ASCLEPIODORUS. Pictor & Statuarius.

QUænam Asclepiodori fuerit patria, scripta antiquorum non tradunt: sed id tantùm refert Plinius lib. 35. cap. 10. quod ætate Protogenis & Apellis vixerit: quodque eundem in symmetria miratus fuerit Apelles: eique Mnason tyrannus pro duodecim Diis dederit in singulos minas trecenas: quæ singulæ ad $17\frac{1}{2}$. florenorum Rhenanorum summam computatæ in universum efficiunt 5250. florenos; ut omnes Dii 63000. florenis venditi sint. Idemque Mnason Theomnesto in singulos Heroas dedit minas centenas. [*Erant autem Heroës antiquis viri nobiles & illustres, qui mortales cum essent, rerum tamen à se gestarum magnitudine, quàm proximè ad Deos immortales accesserunt, eamq; apud vulgus opinionem emeruerunt, ut post mortem in Deorum numerum crederentur relati; quales fuerunt Semidei illi, de quibus fabulatur antiquitas, quod altero parente DEO, altero mortali prognati fuerint.*] Opus ejus maximi pretii.

Plinius lib. 34. cap. 8. hunc Asclepiodorum etiam numerat inter statuarios, eosque præcipuè, qui philosophos facere soliti essent, quorum nomina sunt: Apollodorus; Androbulus; Asclepiodorus; Alevas.

XXXVI. NICOPHANES pictor.

XXXVI. NICOPHANES.

DE Nicophane hæc tantùm habet Plinius lib. 35. cap. 10. Annumeratur his (qui scilicet Apellis & Protogenis tempore vixerunt,) & Nicophanes: elegans & concinnus, ita ut vetusta opera pingeret pro- vetustorũ operum studiosus.

pter æternitatem rerum: impetuosi animi, & cui pauci comparentur. Cothurnus ei & gravitas artis.

XXXVII. PERSEUS.

XXXVII. PERSEUS discipulus Apellis.

PErseus unico Magistro Apelle nobilis; aliàs vix aliquid laudis habet apud Plinium, loco jam citato; ubi post Nicophanem sic inquit: Multum à Zeuxide & Apelle abest Apellis discipulus Perseus, ad quem de hac arte scripsit.

XXXVIII. NEALCES Pictor.

XXXVIII. NEALCES

NEalces vixit temporibus Arati Sicyonii cujꝰ amicis annumeratur, prout in vita Melanthi diximus. De eo Plinius lib. 35. cap. 11. quod Venerem pinxerit. *[At Valerius Maximus lib. 8. cap. 11. uberius paulò historiam de spumâ equi, supra commemoratam, inter effectus artium rariores ita recenset. Præcipuæ artis pictor, inquit: (qui in argumento Nealces dicitur,) equum ab exercitatione venientem, modò non vivum, labore industriæ suæ comprehenderat: cujus naribus spumas adjicere cupiens, tantus artifex in tàm parvula materia multum ac diù frustrà tenebatur. Indignatione deindè accensus, spongiam omnibus imbutam coloribus fortè juxta se positam apprehendit, & veluti corrupturus opus suum, tabulæ illisit. Quam fortuna ad ipsas equi nares directam, desiderium pictoris coëgit explere. Itaq; quod adumbrare non valuit, casus imitatus est.]*

Opera ejus.

Pergit autem de eo Plinius, quod ingeniosus fuerit & solers in arte. Siquidem cum prælium navale Ægyptiorum & Persarum pinxisset, quod in Nilo, cujus aqua est mari similis, factum volebat intelligi, argumento declaraverit, quod arte non poterat. Asellum enim in littore bibentem pinxit & crocodilum insidiantem ei.

Ars discernendi res alioqui similes.

XXXIX. PYREICUS humilium Pictor.

XXXIX. PYREICUS humilium Pictor.

DE hoc ita Plinius lib. 35. cap. 10. Nunc subtexi par est minoris picturæ celebres in penicillo; è quibus fuit Pyreicus arte paucis postferendus: proposito nescio an destruxerit se, quoniam humilia quidem secutus, humilitatis tamen summam adeptus est gloriam. Tonstrinas, sutrinasque pinxit, & asellos & obsonia, ac similia, ob hoc cognominatus Rhyparographos, i. e. sordidorum pictor in iis consummatæ voluptatis: quippè eæ pluris væniére, quàm maximæ multorum.



XL. SERAPION.

XL. SERAPION magnarum tabularum pictor.

E diverso meniana, inquit Varro, omnia operiebat Serapionis tabula Romæ sub Veteribus: (sc. Rostris apud curiam in Comitio: ubi ferebantur leges, agebantur causæ, & conciones habebantur) Hic scenas optimè pinxit, sed hominem pingere non potuit. Plin. ibid.

XLI. DIONYSIUS.

XLI. DIONYSIUS Anthropographus.

COntrà Dionysius nihil aliud, quàm homines pinxit, ob id Anthropographus cognominatus, i. e. hominum pictor. Sic pergit Plin. ibid.

XLII. CALLICLES.

XLII. CALLICLES. Parva fecit.

SEquentes nec patria nec arte nimis clari, nomine tamen cum innotuerint, nec illo à nobis defraudandi sunt. Pergitque Plinius de Callicle quodam, quod & ipse parva fecerit. Eundem tamen lib. 34. cap. 8. & inter Statuarios numerat, quodque ut Colothas, qui cum Phidiâ Jovem Olympium fecerat, philosophos optimè fecerit, sicut & Cleon & Cenchramis & Cephis.

XLIII. CALACES.

XLIII. CALACES tabellas Comicas.

NIl de hoc habet Pliniꝰ, quàm quod parvorum pictoribus eundem annumeret, dum inquit, lib. 35. cap. 10. Parva & Callicles fecit; item Calaces comicis tabellis.

XLIV. ANTIPHILUS Ægyptius.

XLIV. ANTIPHILUS Ægyptius pictor.

ANtiphilus, tradente Plinio lib. 35. c. 10. in Ægypto natus, artem didicit à Ctesidemo. Vixit autem sub Ptolemæo primo, Apellis ætate, ejusque æmulus. Utraque autem, tam parva scilicet, quàm magna pinxit: nam & Hesionam nobilem pinxit: *[quæ fuit Laomedontis Trojæ Regis filia, quam Hercules ceto expositam liberavit. Verùm cum Laomedon, accepti beneficii immemor, pactam ei mercedem denegaret, Hercules hominis perfidiam ægrè ferens, Trojam diripuit, Hesionemq; Telamoni, qui primus murum conscenderat, uxorem dedit. Ovid. lib. 11. fab. 6. Virg. lib. 8.]* Et Alexandrum ac Philippum, cum Minerva, qui Plinii tempore erant Romæ in Schola in Octaviæ porticibus: & in Philippi, Liberum patrem; Alexandrum puerum; Hippolytum tauro emisso expavescentem: *[hic fuit Thesei & Hippolytæ Amazonis filius, qui cum cœlibem ducens vitam venatu sese exerceret, à Phœdra noverca absente patre amatus est: cujus turpi desiderio cnm obtemperare voluisset, illa filium apud Patrem detulit, tanquam de stupro eam solicitasset. Quamobrem*

Opera ejus.

cum

cum videret Hippolytus patrem novercæ dolo persuasum de nece suâ cogitare, conscenso curru fugam arripuit. Sed dum ad mare Corinthiacum littus carperet:

Corniger hinc taurus ruptis expellitur undis,
Pectoribusq; tenus molles erectus in auras
Naribus & patulo partem maris evomit ore,
Corda pavent comitum &c. Sic Ovid. Metamor l. 15. fab. 45.

ubi exterriti equi, frustrà obluctante Hippolyto, currum per scopulos & saxa traxerunt, juvenemq; loris implicitum varias in partes discerpserunt.] In Porticu verò Pompeja Cadmum & Europen. [*Agenoris Phœnicii filium & filiam, quorum ille sororem à Jove raptam quæsiturus, non rediit, in serpentem tandem mutatus: hæc verò à Jove in bovis speciē transformato in Cretam transvecta est.*] Idem jocoso nomine Gryllum ridiculi habitus pinxit: unde hoc genus picturæ grylli vocantur. [*videtur, cum Ægyptius fuerit, hieroglyphici aliquid subfuisse, & animalculum illud de locustarum genere intelligi.*]

Primis ergò proximum eum dicit Plinius lib. 35. cap. 11. laudatumq; puero ignem conflante, ac pulchra alias domo splendescente, ipsiusque pueri ore: item lanificio, in quo properaverint omnium mulierum pensa: porrò & Ptolemæo venante: & nobilissimo Satyro cum pelle Pantherina, quem Aposcoponta vocabant, quasi è longinquo aliquid perspicientem.

XLV. CTESIDEMUS.

XLV. CTESIDEMUS.

DE Ctesidemo Plinius lib. 35. cap. 11. hæc tantùm refert, quod inter eos numerandus sit, qui primis inter pictores proximi fuerunt; cumque eosdem ordine Alphabetico recenseat, hunc Ctesidemum Antiphilo postposuit; quamvis ejusdem fuerit præceptor. Dicitque quod innotuerit Oechaliæ expugnatione [*quæ fuit urbs Bœotiæ Eurytiregia, quam Hercules funditus evertit, cum Eurytus ipsi pactam certaminis lege filiam Jölen tradere recusasset. Virg. 8. Æn.*] & Laodamia, [*fuit hæc Bellerophontis filia ex Achemene conjuge: cujus amore correptus Jupiter cum eâ concubuit, suscepitq; Sarpedonem. Sed Diana Laodamiæ infensa suis eam telis confixit. Hom. 6. Iliad.*]

XLVII. CTESILOCHUS.

XLVI. CTESILOCHUS.

DE Ctesilocho ibidem Plinius refert, quod Apellis fuerit discipulus & petulanti picturâ innotuerit: Jove Liberum parturiente depicto, mitrato, & muliebriter ingemiscente, inter obstetricia Dearum.

XLVII. CLEON.

XLVII. CLEON. pictor & Statuarius.

CLeon à Plinio inter Statuarios numeratur l. 34. cap. 8. eosque præcipuè, qui statuis Philosophorum inclaruerunt. Idem autem, lib. 35. cap. 11. etiam inter pictores numeratur primis proximos; ubi Admeto innotuisse dicitur. [*fuit a. Admetus Rex Thessaliæ ex antiquissimis, cujus armenta Apollo pavisse dicitur; amore ejus accensus, quod Deo similis esset pulchritudine, canente Callimacho.*]

XLVIII. ARISTOLAUS Atheniensis.

XL VIII. ARISTOLAUS.

ARistolaus inter pictorum proceres numeratur à Plinio l. 35. cap. 11. Fuit autem Pausiæ filius & discipulus, & è severissimis pictoribus. Cujus opera erant: Epaminondas [*Thebanorum Dux in prælio apud Mantineā sparo percussus relatusq; in castra semianimis, requisivit, salvusne esset clypeus; cumq; salvum esse sui flentes respondissent, allatum velut socium laborum gloriæq; osculatus est: perceptaq; hostium fuga evelli tum deniq; spiculum jussit, ita multo sanguine profuso in lætitia & victoria mortuus est.*] Pericles [*vir clarissimus Atheniensis, qui rempublicam ibidem quadraginta annis gubernavit.*] Medea [*Jasonis expeditione clara:*] Virtus; Theseus: Imago Atticæ plebis: boum immolatio.

XLIX. MECOPHANES.

XLIX. MECOPHANES.

DE isto paucula hæc Plinius lib. 35. c. 11. Sunt quibus & Mecophanes ejusdem Pausiæ discipulus placeat diligentia, quam intelligant soli artifices: aliàs durus in coloribus, sed & multus.

L. SOCRATES.

L. SOCRATES.

SOcrates à Plinio inter pictorum primos recensetur ultimo loco l. 35. c. 11. cumque præcedentem quibusdam placere dixisset; hunc jure omnibus placere addit. Et inter picturas ejus refert Æsculapium cum filiabus quatuor, quarum nomina sunt: Hygia; Ægle; Panacea, & Jaso. Præterea ipsi tribuit picturam Pigri, qui appellatus fuerit Ocnos, spartum torquens, quod asellus arroderet. Quamvis Pausanias dicat, hunc à Polygnoto pictum.

LI. HERACLIDES.

LI. HERACLIDES Macedo Pictor.

INter primarios à Plinio refertur lib. 35. c. 11. his verbis: Est nomen & Heraclidi Macedoni. Initio naves pinxit; captoque Rege Perseo Athenas commigravit, ubi eodem tempore erat Metrodorus pictor, ubi procul dubio artem absolvit.

LII. METRODORUS.

LII. METRODORUS Philosophus & pictor, patriâ Atheniensis.

IBidem de hoc ita loquitur Plinius in Catalogo primariorum pictorum l. 35. c. 11. Capto Rege Perseo (quod factum est Anno mundi 3782. ante Christum 166. Ab urbe condita 585.) Athenis erat Metrodorus pictor, idemque Philosophus, magnæ in utrâque scientiâ autoritatis. Itaque cum L. Paulus devictoPerseo petiisset ab Atheniensibus, ut sibi quàm probatissimum philosophum mitterent ad erudiendos liberos; itemque pictorem ad triumphum excolendum, Athenienses Metrodorum elegerunt, professi, eundem in utroque desiderio præstantissimum: quod ita quoque Paulus judicavit. Istius quoque meminit Cicero lib. 1. de Oratore, quod auditor fuerit CarneadisPhilosophi.

LIII. ARISTOPHON.

LIII. ARISTOPHON Pictor.


ARistophon à Plinio inter catalogum proximorum à primis refertur lib. 35. cap. 11. quodque laudatus fuerit Ancæo vulnerato ab apro, cum socia doloris Astypale. [*Fuit is Neptuni filius Rex Sami, Agriculturæ & vinearum studiosus, cumq; propterea gravi nimium labore servos premeret, unusq; istorum dixisset: Dominum ex illâ vineâ fructum nunquam percepturum; Ancæus autem deindè ex illâ vineâ vinum bibiturus, exprobrans vaticinium servo, poculum ori admovisset, quidam accurrit, nuncians, quàm maximum aprum vineam vastare, Ancæus abjecto poculo ad aprum festinavit:*

Ancipitemq; manu tollens utrâque securim
Institerat digitis primos suspensus in artus.
Occupat audentem, quaque est via proxima leto,
Summa ferus geminos direxit ad inguina dentes.
Concidit Ancæus; glomerataq; sanguine multo
Viscera lapsa fluunt; madefactaq; terra cruore est.

Sic. Ovid. Metam. lib. 8. fab. 4.]

numerosaque tabula, in quâ sunt Priamus; Helena; Credulitas; Ulyxes; Deiphobus; Dolon. [*quasi duo exempla credulitatis exhibiturus: Deiphobus enim Priami filius cum interemto Paride Helenam duxisset uxorem, istius dolo & proditione interfectus est à Græcis, quos illa in cubiculum dormientis intromisit. Virg. lib. 6. Dolon a. vir Trojanus in castra Græcorum missus speculator, à Diomede & Ulysse deprehensus, consilia Trojanorum spe conservandæ vitæ illis aperuit: quem tamen ut proditorem falsâ spe delusum occiderunt.*

Virg. l. 2. Æneid.]



LIV. ANDROBIUS.

LIV. ANDROBIUS Pictor.

DE Androbio paucula hæc inter proximos primis Plinius tradit lib. 35. c. 11. Androbius pinxit Scyllin ancoras Persicæ classis præcidentem, (urinando scilicet.)

LV. ARTEMON.

LV. ARTEMON.

HIc etiam inter pictores secundæ classis à Plinio loco cit. numeratus, pinxit Danaën, mirantibus eam prædonibus. [*Hæc enim à Jove sub specie imbris aurei compressa, & à patre Acrisio propterea arcæ inclusa & in mare projecta, reperta, & ad Pilumnum Dauniæ Regem deducta est, qui eam duxit uxorem.*] Reginam Stratonicen [*Antiochi uxorem:*] Herculem & Dejaniram. Nobilissima a. illius opera in porticibus Octaviæ erant Romæ; Hercules scilicet, ab Oetâ monte Doridos, exutâ mortalitate consensu Deorum in cœlum abiens. Et Laomedontis circa Herculem & Neptunum historia. [*Ille enim cum de ædificandis Trojæ mœnibus cogitaret, Apollini & Neptuno id negotii dedit, pactus mercedem, quam mox extructis mœnibus se illis soluturum juravit. Verùm cum postea juramenti immemor, mercede eos fraudaret, illi indignati duplici novam urbem affecerunt calamitate. Neptuno inundationem, Apolline pestem immittente. Qua de re cum Laomedon oraculum consuleret, responsum est, aliâ ratione Deos placari non posse, quàm si quotannis virgo Trojana, quam sors declarâsset, ceto dilaceranda exponeretur. Verùm cum sors post aliquot annos Hesionem ejus filiam prodidisset, & jam scopulo alligata monstrum expectaret, Hercules illàc fortè iter faciens liberandam Hesionem eâ conditione recipit, si equos divino semine procreatos, quos habere constabat, in præmium sibi traderet. Hunc igitur in modum pactione facta, Hercules interfectâ belluâ virginem liberavit. Sed cum Laomedon promissis non staret, Hercules, collecto undiquaque exercitu, Ilium expugnavit: ut suprà jam commemoratum est.*]

LVI. ALCIMACHUS.

LVI. ALCIMACHUS.

ALcimachus ejusdem classis apud Plinium loc. cit. Dioxippum, qui pancratio Olympiæ citra pulveris jactum vel tactum (quod vocant aconiti,) vicit pinxit; [*Cũ enim nudi certarent & luctarentur Pancratiastæ, oleo inuncti; quidam ut arctiùs tenerent ad versarium, pulvere conspergebant, vel manus pulvere imbuebant; quo beneficio iste non est usus, & victor tamen extitit, unde adagium,* ἀκονιτὶ, *sine pulvere, i. e. facilè, & citra negotium.*]

LVII. CŒNUS.

LVII. COENUS, stemmatographus.

IN eadem classe pergens Plinius, ad Cœnum devenit; deq; eo tradit, quod stemata pinxe-

pinxerit. [*De stemmatibus autem sic habet idem Plinius lib. 35. cap. 2. Apud majores in atriis erant imagines. Et expressi cerâ vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarētur gentilitia funera, semperq; defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus: stemmata verò lineis discurrebant ad imagines pictas. Tales ergò imagines ad genealogias spectantes, sive icones pingere solebat Cœnus. Nisi fortè prævalet altera lectio Cl. Salmasii, qui legit, Scammata: id est, caveas, in quibus includi solebant bestiæ.*]

LVIII. CLESIDES.

LVIII. CLESIDES. Ob cōtemtum amores detegit clandestinos.

CLEsides ejusdem classis juxta Plinium, Reginæ Stratonices injuria innotuit. Nullo enim honore exceptus ab ea, pinxit volutantem cum piscatore, quem reginam amare sermo erat: eamque tabulam in portu Ephesi proposuit: ipse velis raptus est. Regina tolli vetuit (sive melius sibi conscia: sive ad commonstrandam populo innocentiam:) utriusque similitudine mirè expressa.

LIX. CRATERUS.

LIX. CRATERUS.

CLesidæ subjungit Craterum Plinius l. 35. cap. 11. refertque, quod Comœdos Athenis in Pompejo pinxerit; qui locus Athenis fuit celeberrimus, & à Laërtii interprete l. 6. in Diogene vertitur palatium.

[*Idem tamen Plinius lib. 36. c. 5. de Cratero etiam hæc notat: Similiter Palatinas domos Cæsarum replevére probatissimis signis Craterus cum Pythodoro &c. unde patet, quod statuarius etiam fuerit, sculpendo marmore nobilis.*]

LX. EUTYCHIDES.

LX. EUTYCHIDES.

PErgit idem loco citato; de Eutychide, quod bigam pinxerit, regente victoriâ.

LXI. EUDORUS.

LXI. EUDORUS.

ET de Eudoro; quod scenâ spectetur; idemque & ex ære signa fecerit.

LXII. IPHIS.

LXII. IPHIS.

SEquitur Iphis eodem loco: quod clarus fuerit Neptuno; & Victoria.

LXIII. ABRON.

LXIII. ABRON.

ET Abron ibidem; quod Amicitiam pinxerit, & Concordiam; & Deorum simulachra; quamvis præter ordinem huc irrepsisse videatur.

LXIV. LEONTISCUS.

LXIV. LEONTISCUS.

PErgit autem literarum ordine Plinius; quod Leontiscus Aratum victorem pinxerit cum trophæo; & psaltriam.

LXV. LEON.

ET, quod Leon Sappho pinxerit, celebrem illam Poëtriam. LXV. LEON.

LXVI. NICEARCHUS

NIcearchus ab eodem Venerem pinxisse dicitur inter Gratias & Cupidines: & Herculem tristem insaniæ pœnitentia. LXVI. NICEARCHUS.

LXVII. OENIAS.

ET Oenias Syngenicon; sive par congenitum vel gemellos: i. e. Castorem atque Pollucem. LXVII. OENIAS.

LXVIII. PHILISCUS.

PHiliscus, ibidem, officinam pictoris, ignem conflante puero. LXVIII. PHILISCUS.

LXIX. PHALERION.

PHalerion autem Scyllam: [*à Circe, infecto fonte, in quo lavari hæc solebat, in monstrum commutatam; cujus inferior pars caninos rictus referret.*] LXIX. PHALERION.

LXX. SIMONIDES.

SImonides, in eodem Catalogo sequens, Agatharchum quendam pinxisse fertur LXX. SIMONIDES. [*utrum ille fuerit, qui stadium vicit Olympiade sexagesima prima; an alius, qui præfectus fuit classi Syracusanorum, referente Thucydide lib. 3. an alius quidam; ignoratur.*] & Mnemosynem, s. memoriæ Deam. [*An fortè hic poëta ille fuit; pingendi quoque peritus, qui primus artem memorandi invenisse fertur?*]

LXXI. SIMUS.

MOx Simus ab eodem Autore juvenem requiescentem in officina fullonis, LXXI. SIMUS. Qvinquatrus celebrantem: [*quo in festo scilicet, servis cœnæ apponebantur,*] idemque Nemesin egregiam pinxisse dicitur.

LXXII. THEODORUS.

ET Theodorus ibidem emungentem. Idemque ab Oreste matrem & Ægisthum interfici LXXII. THEODORUS. [*Orestes enim Agamemnonis & Clytemnestræ filius, cui soror Electra necem parari ab Ægistho, qui patrem Agamemnona interfecerat, matremq; constupraverat, prævidens, ipsum per pædagogum in Phocidem clam ablegat. Ubi duodecim annos moratus, cum pædagogo Argos rediit, ubi sub specie hospitum Phocensium missorum, ut Orestis obitum nunciarent, intromissus ad Clytemnestram, eam cum Ægistho adultero conscia Electra in ultionem patris occidit.*] Bellumq; Iliacum pluribus tabulis, quod erat, Romæ in Philippi porticib', Et Cassandram [*Priami filiam, quæ ab Apolline vaticinandi donum nacta, cui tamen nemo crederet; in prædæ Trojanæ divisione Agamemnoni cessit, qui cum monenti, ut uxoris caveret insidias, & ipse non crederet, ab Ægistho tandem*]

unà cum Cassandra in convivio obtruncabatur] quæ Plinii tempore erat in Concordiæ delubro. Item Leontium Epicuri discipulum cogitantem: Demetriumq; Regem pinxisse narratur.

LXXIII. THEON.

LXXIII. THEON.

PORrò Theō Orestis insaniam (furiis enim agitabatur ob cædem Matris & Pyrrhi in Apollinis templo interfecti) & Thamyra citharœdum.

LXXIV. TAURISCUS.

LXIV. TAURISCUS.

ET Tauriscus Discobolum, id est, lapidem rotundum ac pertusum exercendi corporis causâ in auras projicientem: & Clytēnestram, Agamemnonis uxorē, de quâ paulò ante: item Paniscum, sive Panis asseclam nec non Polynicem regnum repetentem. *[Fuit is Oedipi filius Thebanorum Regis, cui cum fratre Eteocle regnum eâ lege reliquerat pater, ut alternis annis regnarent. Verùm cum Eteocles fratri cedere recusaret, bellum hic Thebanis intulit, in quo ambo fratres singulari certamine congressi mutuis vulneribus cadebant.]* Et Capanea *[Nobilis hic erat Argivus, qui unà cum Polynice ad bellum Thebanum profectus, cum scalas muris admovere vellet, à Jove fulmine percussus (cum potius à Thebanis lapidibus obrutus esset) narratur.]*

LXXV. ERIGONUS.

LXXV. ERIGONUS.

ITerum extra ordinem labitur Plinius, cum ita pergit: Non omittetur inter hos insigne exemplum: namq; Erigonus, tritor colorum Nealcę pictoris, in tantum ipse profecit, ut celebrem etiam discipulum reliquerit Pasiam, fratrem Æginetæ fictoris.

LXXVI. TIMOMACHUS.

LXXVI. TIMOMACHUS Byzantius.

TImomachus in prima adhuc classe à Plinio collocatus l. 35. c. 11. sic ab eodem describitur; quod Byzantius fuerit natione, (quæ hodie est Constantinopolis:) & Cæsaris Dictatoris ætate Ajacem ei pinxerit; *[Fortissimum Græcorum in bello Trojano post Achillem, quo mortuo, cum ejusdem arma cum Ulysse petens, à judicibus illa non acciperet, præ ira insaniens se transfodit.]* Et Medeam; ab eo in Veneris Genetricis æde positas, octoginta talentis venundatas. Talentum Atticum sedecim sestertiis taxat M. Varro. *[hæc sunt pondo quadraginta: alii autem sexaginta libras seu minas valuisse volunt, hoc est sex millia denariū vel drachmarum, quæ sexagies denos coronatos valent, sive sexcentos aureos.]*

Timomachi (sic pergit Plinius) æquè laudandus Orestes; Iphigenia in Tauris. *[Hanc immolandam Diana in Tauricam regionem, supposita cerva, transtulit, ubi à Thoante rege, ejus Deæ sacris præfecta est, quæ humano sanguine fieri solebant. Quo cum postea Orestes furiis agitatus venisset, jamq; esset immolandus, à sorore agnitus & liberatus est: cum quâ non multò post, occiso Thoante, aufugit.]* Lecythion agilitatis exercitator; & cognatio nobilium. Item palliati, quos dicturos pinxit; alterum stantem, alterum sedentem. Præcipuè tamen ars ei favisse in Gorgone visa est. *[sive Medusa; quæ, cum præter alias formæ insignis dotes, capillos haberet proximè ad auri colorem accedentes, ob concubitum cum Neptuno in Minervæ templo, ab hac sic immutata est, ut capilli ejus angues, & omnes aspicientes eam lapides fierent.]* Ab hoc Timomacho imperfecta quoque relicta est Medea; prout ab Aristide Iris; (Junonis nuncia,) à Nicomacho Tyndoridæ; & ab Apelle Venus, quas tabulas insigniter extollit Plinius circa istius cap. 11. lib. 35. finem.

LXXVII. ELOTAS Ætolus.

LXXVII. ELOTAS Ætolus.

DEcet non silere & Ardeatis templi pictorem, presertim civitate donatum ibi (sunt verba Plinii l. 35. c. 10.) & carmine, quod est in ipsa pictura his versibus:

Dignis digna loco picturis condecoravit,
Reginæ Junonis supremæ conjugis templum,
Marcus Ludius Elotas Ætolia oriundus,
Quem nunc & post semper ob artem hanc Ardea laudat.

Ea erant scripta antiquis literis Latinis. Hæc ibi. Et l. 35. c. 3. Extant certè hodieq; (inquit idem) antiquiores Urbe picturæ Ardeæ in ædibus sacris, quibus equidem nullas æque demiror tam longo ævo durantes in orbitate tecti veluti recentes. *[Cumq; Plinius temporibus Vespasiani hæc scriberet, qui anno Urbis conditæ 821. factus est Imperator; hinc satis colligere licet, quanta tum fuerit picturarum suarum ætas.]*

Ultimò tandem nomina quoq; saltem adhuc aliorum quorundam Pictorum recenset Plinius, quos non ignobiles appellat, suntq;: Aristonides: Anaxander, Aristobulus Syrus; Arcesilas Tisicratis filius; Corybas Nicomachi discipulus; Carmanides Euphranoris; Dionysidorus Colophonius; qui & inter statuarios est; Diogenes, qui cum Demetrio Rege vixit; Euthymedes; Heraclides Macedo; Mydon Soleus, Pyromachi Statuarii discipulus; Mnasitheus Sicyonius; Mnasitimus Aristonidis filius & discipulus; Nessus Abronis filius; Polemon Alexandrinus; Theodorus Samius; & Stadius Nicosthenis discipuli; Xenon Neoclis discipulus Sicyonius. Traditq; Plutarchus non plebejos tantum, sed & Philosophos, imò Ægyptiorum quoque Reges & Romanorum Imperatores artem pictoriam exercuisse, quales erant Lucius Manilius; Fabius; & è Græcis, Socrates, Plato; Metrodorus; & Pyrrhus, cum commemorandis aliis.

CAPUT

CAPUT VI.

De Pictoribus antiquis Romanis, & Picturarum fautoribus.

Argumentum.

Ars Pictoria primis temporibus Romæ parùm viget: mox tamen inclarescit. LXXVIII. FABIUS Pictor, primus inter pictores Romanos. LXXIX. MARCUS PACUVIUS Brundusinus, Pictor, & Poëta. Marcus Valerius Messala, magnus pictoriæ fautor; ut & L. Scipio, qui acta propria picta proposuit: Ut & L. Hostilius Mancinus. Brevis enarratio variorum apud antiquos instrumentorum bellicorum. Urna. Ara memoriæ. Galea. Thorax. Calcei. Instrumenta bellorum terrestrium. Signa. Tubæ; Litui; Cornua; Vexilla, Aquilæ. Arma natu minimorum: ætate sequentium, seniorum & tertiariorum. Arietes. Onagri, & alia genera tormentorum. Instrumenta præliorum navalium. Naves. Armatura navalis. Historiæ duæ lepidæ. Incrementum pictoriæ sub Cajo Julio Cæsare. LXXX. ARELLIUS Pictor. Ars hæc sub Augusto magis inclarescit. LXXXI. Q. Pedius; Pictor mutus. LXXXII. LUDIUS ROMANUS Pictor, primò topiariorum in muris. Tiberius Imperator picturis favet. LXXXIII. DOMITIUS NERO Imperator & Pictor. LXXXIV. AMULIUS. LXXXV. CORNELIUS PINUS. LXXXVI. ACTIUS PRISCUS. LXXXVII. TURPILIUS primus Pictor Venetus. LXXXVIII. ATERIUS LABEO, Prætor, Præses & Pictor. LXXXIX. ÆLIUS HADRIANUS; Imperator, pictor & Statuarius. Alexander Severus & Valentinianus Imperatores, etiam pinxerunt. De modis pingendi encausto apud antiquos.



Actenus antiquos Græcorum pictores recensuimus: ad Romanos jam deveniendum, ut &, qui apud istos floruére, innotescant. Sciendum autem, antequam subigeretur Asia, tàm statuas, quàm picturas Romæ tanti non fuisse: quamvis enim imagines ipsis haud deessent in sacris, idolorumque suorum cultu, minor tamen erat artis quàm religionis cura. Undè conjici potest, circa prima jam initia picturas quoque Romæ fuisse, eò quod pictoria & Sculptura artes semper fuerint cognatæ, imò sororiæ, quamvis majorē illa requirat sciētiam, diligentiamq; & attentionem atq; curam, majori quoq; honore propterea digna.

Ars pictoria primis temporibus Romæ parùm viget.

Devictâ autem Græciâ, varias Romam statuas apportârunt atque tabulas, quibus Urbis suæ fora, templa, theatra, porticus, & palatia exornarunt. Et tabulis quidem externis autoritatem Romæ publicè fecit primus omnium L. Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit. Namque cum excisa Corintho in prædâ vendendâ Regis Attali occasione agnoscere didicisset Aristidis tabulam, Liberum patrem continentem, revocatam in Cereris delubro Romæ posuit: quam primam picturam externam Romæ publicatam arbitratur Plinius lib. 35. c. 4.

Mox tamen inclarescit.

Cæterùm de antiquitate picturarum extra urbem in Italia idem Autor ejusdem lib. cap. 3. tradit, jam absolutam ibi fuisse picturam, cùm Cleophantus Corinthius Pictor Demaratum Tarquinii Prisci Romani Regis patrem à Corintho fugientem sequeretur in Italiam. Cùm & antiquiores Urbe picturæ Ardeæ in ædibus sacris extiterint, & similiter Lanuvii; ubi Atalanta & Helena cominus pictæ erant nudæ ab eodem artifice, utraque excellentissima forma, sed altera ut virgo; ne ruinis quidem templi concussæ. Quas & Pontius legatus Caji principis tollere conatus erat, libidine accensus, si tectorii natura permisisset. Durabant autem similes & in Urbe Cære, quę olim totius Hetruriæ caput erat, antiquiores & ipsæ. Ut fateri cogatur, quisquis eas diligenter æstimaverit, nullam artium celerius consummatam; cum Italicis temporibus non fuisse eam appareat.

[*Ita quidem Plinius loc. c. sed contra Iliacis temporibus fuisse apparet ex clypeo Achillis apud Homerum lib. 6. ubi inquit:*

ἐν αὐτῷ
ποιεῖ δαίδαλα πολλὰ ἰδίῃσιν πραπίδεσσι,
ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξε, ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν.

In ipso clypeo Vulcanus fecit scienter artificiosa multa, terram, cœlum, mare, solem indefessum, lunam orbiculatam, &c. Idem apud Hesiodum ex clypeo Herculis apparet. Excipies, Homerum æqualem non fuisse Iliaco excidio. Vel cælaturam fuisse, non picturam. Si enim erat cælatura, erat & pictura, quæ utræque pedetentim & per gradus non uno tempore absolutionem consecutæ sunt. Excipies, picturam fuisse ætate Hesiodi, non Herculis. Sed ante Herculem pictura fuit sub Mose, & ante Mosen sub Abrahamo.]

LXXVIII

LXXVIII. FABIUS, pictor primus inter pictores Romanos.

LXXVIII. FABIUS Pictor.

SAt autem maturè & apud Romanos honor huic arti contigit: siquidem cognomina ex ea Pictorum traxerunt Fabii, clarissimæ gentis, princepsque ejus cognominis ipse ædem Salutis pinxit anno Urbis conditæ quadringentesimo quinquagesimo: quæ pictura duravit usque ad ætatem Plinii, qui videatur libr. 35. cap. 4. æde Claudii principatu exustâ. Fabium hunc pictorem Cicero in Bruto hominem vocat nobilissimum, juris & literarum antiquitatis benè peritum.

LXXIX. MARC. PACUVIUS Brundusinus, Pictor & Poeta.

LXXIX. MARCUS, PACUVIUS Brundusinus.

PRoximè celebrata est in foro boario Romę, æde Herculis Pacuvii poëtæ pictura, qui Brundusii Ennii sorore genitus erat. Tragœdiarum aliàs scriptor, qui cum Romæ per aliquot tempus picturam exercuisset ac fabulas venditasset, inde Tarentum transgressus, propè nonagenarius diem obiit. Ejus epitaphium extat apud Gellium lib. 1. c. 24. in hæc verba:

Adolescens tametsi properas, hoc te saxum rogat,
Ut aspicias, deinde quod scriptum est legas.
Hîc sunt Poëtæ Pacuvii sita Marci
Ossa: hoc volebam nescius nosset. Vale.

[De hoc aliàs Quintilianus ait, quod gravitate sententiarum, pondere verborum, & authoritate personarum fuerit clarissimus; citra tamen nitorem.] Clariorem autem eam artem Romæ fecit gloria scenæ. Postea a. non est tractata honestis manibus, ad Plinii usque ætatem. Dignatio tamen præcipua eidem Romæ increvit, ut idem existimat, loc. cit. à. M. Valerio Max. Messala, qui princeps tabulam picturæ prœlii, quo Carthaginenses & Hieronem in Sicilia devicerat, proposuit in latere Curiæ Hostiliæ anno ab Urbe condita quadringentesimo nonagesimo. Fecitque hoc quidem & L. Scipio, tabulamque victoriæ suę Asiaticę in Capitolio posuit: idque ægrè tulisse fratrem Africanum tradunt, iratum haud immeritò, quoniam filius ejus in illo prelio captus fuerat. Non dissimilem offensionem & Æmiliani subiit L. Hostilius Mancinus, qui primus Carthaginem irruperat, situm ejus expugnationesque depictas proponendo in foro, & ipse assistens populo spectanti singula enarrando: quâ comitate proximis comitiis Consulatum adeptus est.

Marcus Valer. Messala magnus picturæ fautor.

Ut & L. Scipio; qui acta propria picta proposuit.

Ut & L. Hostilius Mancinus.

Brevis enarratio variorum apud antiquos instrumentorum bellicorũ.

Istius L. Scipionis Statuam Romæ adhuc extantem, ego quàm diligentissimè depinxi unà cum primariis instrumentis bellicis tunc usitatis in prœliis tàm terrestribus quàm navalibus, quę omnia in supradicti Scipionis memoriam, quodque non belli saltem peritiâ, sed & picturæ amore claruerit, cultoribus Antiquitatis in speciali hîc exhibeo tabulâ, quam litera F. designat: cujus brevissimam hîc subnecto explicationem. Præter historiarum ergò monumenta ipsa quoque Romæ adhuc existens ex albo marmore sculpta docet statua, L. Scipionem magna claruisse belligerendi arte, summoque Imperatoris eminuisse gradu; tantæque artis in opere hoc supersunt vestigia, ut ab omnibus Antiquarum rerum studiosis inter perfectissimas earum quæ Romæ sunt, connumeretur. Effigies ipsa pectoretenus in arcula quadam supereminet, aræ imposita. Urna nimirum est eadem, in quâ cineres asservari solebant defunctorum, quarum formæ, quandoque è marmore factæ, aliàs & ex ære fusæ, variæ erant; unamque ex illis & penes aram hujus tabulæ depictam spectare licet. Ara autem veram habet illarum figuram, in quibus in memoriam defunctorum aliquando fiebant sacrificia. Urna. Ara memoriæ.

Effigies ipsa cassidem in capite habet, super quâ inter alas utrinque affixas & cristam ex apice prominulam prospectat sphinx. Thorax autem perfecta est illius generis icon, quo usi sunt summi bellorum Duces. Juxta aram truncus quidam spectatur alicujus corporis, è marmore quodam depictus cujus paludamentum propriè Imperatorum tantùm fuit, & eorum, qui exercitus educebant. Crediturque hæc statua ipsius Alexandri Magni fuisse. Cum autem ad genua saltem usque descendat, crurum quidem pedumque ocreas, amenta & soleas duabus tabulis peculiaribus exhibui, quæ Libro de Sculptura sub literis rr. ss. exhibentur, in quibus aliorum quoque magni nominis, Deorumque atq; Dearum, antiqui calcei, corrigiæ, soleæq; & alia curiosa ex optimis clarissimorum artificum statuis adjuncta spectari possunt. Cassis. Thorax. Calcei.

Signa, quibus aliquid militibus significaretur, vel vocalia erant; vel semivocalia; vel muta. Vocalia erant tessera, ut cum in vigiliis vel in prælio pro signo dicebatur Victoria, Palma, Virtus, Triumphus &c. Semivocalia per tubam, cornua, buccinam dabantur. Litui erant buccinæ curvæ in semetipsam æreo circulo flexæ genera, unde vox gracilior exiret: Tubæ figuræ erant rectæ, sonum torviorem excitantes, ex ære communiter fusæ omnes. Cornua urorum agrestium erant, argento vel alio metallo vel osse ad inflandum parata. Et Tubicines quidem ad bellum vocabant, & receptui canentes, revocabant. Cornicines canebant, cum vel signa moverentur, vel figenda essent. Classicum canebant bucina

Instrumenta bellorum: Signa. Tubæ. Litui.


LUCII SCIPIONIS STATUA.
F

cinatores præsente Imperatore, vel cum in militem capitaliter animadverteretur; tradente Vegetio lib. 2. cap. 22. de re milit. Horumque instrumentorum figuras aliquas eadem hæc exhibet tabula. Signa tandem muta erant Aquilæ, Dracones, vexilla, flammulæ rufæ, pinnæ. Quorum aliqua in eâdem tabulâ reperiuntur exempla. Vexillis, quæ vela erant, plerumque inscriptæ erant literæ S. P. Q. R. id est: Senatus Populusque Romanus. Et in singulis centuriis singula erant vexilla, numero, quota esset, inscripto. Aquiliferi erant, qui Aquilam, quod præcipuum signum erat in Romano exercitu; Imaginiferi, qui Imperatorum, aliasve imagines, quas ut divina & præsentia signa venerabantur, portabant. Signiferi, qui signa portabant, vocabantur & Draconarii. Apud Veteres Romanos signa militaria multa erant, ut Plin. lib. 10. c. 4. refert. Aquilæ, lupi vel equi, quod horum pugnacitas imitanda militibus; interdum Minotaurus, quod Imperatorum secreta tàm sint animo eorum intima, quàm Labyrintho Minotaurus; interdum Aper ferocitatem, & Porcus victimam finito bello pro fœdere feriendam designans. Multis etiam Imperatorum nomina, vel coronæ inserebantur triumphales. Factum autem postеà, ut sola aquila in aëre portaretur, reliqua signa in castris relinquerentur. Donec tandem C. Marius, is qui septies Consulatum gessit, in secundo Consulatu, reliquis signis omninò abolitis, Aquilam propriè Romanis legionibus dicaverat. Ab eo tempore notatum est, non ferè apud legiones unquam hybernatum esse in castris, ubi non fuerit Aquilarum jugum. Erat a. Aquila, aureum aquilæ simulacrum hastæ præpilatæ suffixum, quod à milite ferebatur. Posterioribus temporibus Dracones per singulas cohortes ad prœlium à draconariis ferebantur. Vexilla etiam singula singulis centuriis constituta erant, ita ut ex quâ cohorte, vel quotâ esset centuriâ in illo vexillo literis esset adscriptum, quod intuentes vel legentes milites in quovis tumultu à contubernalibus suis aberrare non possent.

Vexilla & Aquilæ.

Arma natu minimorũ:

De diversis militum armis sic loquitur Polybius lib. 6. Natu minimi, inquit: quos Velites & Pilanos appellârunt, jubentur gestare gladium, pila, parmamque. Parma tum firmitatem habet ob structuram, tum magnitudinem, quæ tutando sit corpori satis. Nam rotunda cùm sit, tripedalem habet diametron. Adornatur præterea miles & simplici cassìde, cui lupi pellem imponunt, aut ejusmodi aliquid, quod integumentum pariter, insigneque sit, ut in prælio suos, quique Principes strenuè aut ignaviter se gerentes, latere non possint. Pili telum lignum habet longitudine plerumque bicubitali, seu pedum quinq; & semis, crassitudine digitali: & ferrum trigonali figura novem unciarum. Spiculum unius spithamæ sive palmi majoris, eo usq; attenuatum & acutum, ut mox primum post jactum necessariò flectatur, sitque inhabile ad remittendum: alioqui commune fieret telum.

ætate sequentium: seniorum & tertiariorum.

Eosdem, qui deinceps hos ætate excedunt, hastatique appellantur, armaturam ferre jubent. Est autem Romana armatura primum sanè scutum θυρεὸν, cujus latitudo curvæ superficiei pedum duorum semis, longitudo pedum quatuor: majori additi amplius quatuor digiti, duplici tabulato; glutino taurino linteolo infuso compactum. Ejus exterior superficies vituli corio integitur hinnulive, aut ejusmodi animalis. Habet circumferentia ferreum munimen à summis imisque partibus, quo ensium ictus vehementiores tutò excipit, terræque adnitendo non corroditur. Impactus est ejusmodi scuto etiam ferreus umbo, qui ingentes sustinet ictus ac lapidum impetum, sarissarumve, telique quantumlibet violenti. Unà cum scuto ensis pendet ad dextrum femur, Hispaniensem vocant, anceps est mucrone eximio: defertur violenter, eò quod obeliscus ejus firmus, stabilisque existit. Ad hæc veruta duo, galeaq; ænea, & crurum tegmen ocrea. Veruta hæc partim crassiora sunt, partim tenuiora. Ex firmioribus, quæ teretia sunt, trientalem habent diametron: quæ quadrata, trientale latus: tenuiora hastilibus modicis assimilantur, quæ gerunt cum cœteris, quæ prædicta sunt. Horum omnium longitudo ligni tria cubita non facilè excedit. Impactum est singulis telis ferrum utrinq; hamatum, eâdem, quâ lignum, longitudine: cujus nexum structuramq; tàm firmiter muniunt ad medium usq; lignum inserentes, crebrisq; fibulis, clavisq; transfigentes, ut non priùs utendo relaxetur, quàm ferrum frangatur: licet sit crassitudinis in imo, ubi adhæret ligno, digiti unius ac semis. Præter hæc omnia adornantur corolla plumea, pennisq; tribus puniceis, aut nigris erectis, longitudinis fermè cubitalis, quæ cum in summo vertice cœteris armis addiderint, vir quidem apparet duplo major quàm sit: ejus verò aspectus pulcher hostibusq; terribilis, atq; pleriq; accepto ære unius spithamæ, quoquo versus, quod adhibent pectori, vocantque cordituum, perfectam habent armaturam.

Qui verò censum excedunt drachmarũ decem millium, pro cordituo, cum cœteris armis, hamis confertos induunt thoraces. Idem armandi modus est etiam circa Prin-

cipes Triariosq; : præterquam quod pro verutis Triarii haſtas gerunt. Hæc Polybius. In primâ acie pugnantes vocabātur Principes; in secūdâ haſtati, in tertiâ Triarii. Pedites levis armaturæ, funditores & ferentarii in cornibus locabantur. Gravis armatura erat eorum, qui habebant caſſides; (Galea enim de corio erat, caſſis de lamina:) gladios majores, quos ſpathas vocabant, & minores, ſemiſpathas; item pilum; quod & ſpiculum. Et pilatæ legiones præter ſcuta etiam cataphractis galeisq; fulgebant. Sagittariis ſiniſtra brachia manicis muniebantur. Pedites ſcutati etiam ferreas ocreas in dextris cruribus accipiebant. Triangularii, vel tragularii meliùs ad manuballiſtas, vel arcuballiſtas ſive ſcorpiones dirigebant ſagittas. Centuriones ſignum habebant in galeâ, criſtas argentatas, ut facilius cognoſcerentur à ſuis. Miſſilibus eminùs, gladiis cominus dimicabatur. In ſcutis habebant digmata, diverſa ſcilicet ſigna, & in adverſo ſcuto nomen erat militis, quâq; ex Cohorte eſſet & centuriâ. Machinæ legionis erant Carroballiſtæ, quibus ſpicula mittebant: onagri, qui ſaxorum pondera fulminis more jaculabantur; Scorpiones, qui parvis ſubtilibusq; ſpiculis mortem inferebant. Scaphæ de trabibus excavatæ, catenis aut funibus inſtructæ, ut ſuperjectis tabulatis flumina tranſire poſſent. Ferrei harpagones, quos Lupos vocabant, & falces ferreæ longiſſimis contis confixæ. Ad expugnandas civitates faciebant teſtudines, muſculos, arietes, vineas, turres ambulatorias, pluteos &c. De aliis videantur Autores, qui de re militari ex profeſſo tractarunt; cum mei non ſit inſtituti Antiquitates hîc de militiâ Romanâ tradere, ſed figuras ſaltem tabulæ meæ obiter explicare.

Arietes, Onagri & alia genera tormentorum.

Ad prœlia navalia variâ pariter utebantur armaturâ, variisq; navibus, ad varios uſus neceſſariis. Ubi prora plerumq; imaginem beſtiæ cujusdam pugnacioris præ ſe ferebat, veluti lupi, tauri, canis &c. Quædam etiam cygnorum colla, aliarumve avium rapacium capita oſtentabant; roſtrisq; inſtructæ erant à Piſeo inventis. Puppis quoq; peculiari gaudebat ornatu, ad concharum ſæpè formam. Inſtrumenta autem nautica erant ancoræ, ſcalæ, rudentes, remi, harpagones, manus ferreæ, cataractæ, corvi, falces, pontes, & quæ ſunt ſimilia, præter machinas ad deſtruendas hoſtium naves excogitatas. De quibus omnibus aliqua etiam figura tabulæ noſtræ exhibet, ex antiquis partim ſtatuis, partim picturis, quàm accuratiſſimè excerpta atq; depicta.

Inſtrumenta prœliorum navalium.

Ut autem ad picturas Romanorum redeam, poſt introductas à Mummio externas; Deinde & in foro ponebantur vulgò; (ita pergente Plinio l. 35. cap. 4.) Hinc enim ille Craſſi Oratoris lepos, agentis ſub Veteribus, cum teſtis compellatus inſtaret: dic ergò Craſſe, qualem me reris? Talem, inquit, oſtendens in tabulâ pictum inficetiſſimè Gallum exerentem linguam. Inque foro fuit & illa paſtoris ſenis cum baculo, de qua Teutonorum Legatus, interrogatus, quanti eum exiſtimaret? reſpondit: ſibi donari nolle talem vivum verumq;. [*Marcus Varro vir Romanorum eruditiſſimus, qui plurimos libros & doctiſſimos compoſuit ſeculo ante Chriſtum natum proximo, peritiſſimus Linguæ latinæ & omnis antiquitatis & rerum Græcarum, ſeptingentorum virorum illuſtrium imagines ſuis voluminibus inſeruit, non paſſus intercidere figuras aut vetuſtatem ævi contra homines valere; inventione muneris etiam Diis invidioſus, quando immortalitatem non ſolùm dedit, verùm etiam in omnes terras miſit, ut præſentes eſſe ubiq; & claudi poſſent, ita Plin. l. 35. c. 2. Ita imaginum amorem flagraſſe quondam teſtis eſt & Atticus ille Ciceronis, edito de his Volumine. ibid.*]

Hiſtoriæ duæ lepidæ.

Sed præcipuam autoritatem arti noſtræ conciliavit Cæſar Dictator, poſitis publicè tabulis, Ajace nimirum & Medea ante Veneris Genitricis ædem dicatis. Poſt eum M. Agrippa vir ruſticitati propior, quàm deliciis; cujus extabat oratio magnifica, & maximo civium digna, de tabulis omnibus, ſignisq; publicandis. Verùm eadem illa torvitas tabulas duas Ajacis & Veneris mercata eſt â Cyzicenis Seſtertiis duodecim millibus. In thermarum quoq; calidiſſima parte marmoribus incluſerat parvas tabellas, paulò antè, cum reficerentur, ſublatas.

Incrementum picturiæ ſub Cajo Julio Cæſare.

LXXX. ARELLIUS.

Paulo ante D. Auguſtum autem Romæ celeber fuit Arellius, niſi flagitio inſigni corrupiſſet artem, ſemper alicujus fœminæ amore flagrans, & ob id Deas pingens, ſed dilectarum imagine. Itaq; in picturâ ejus ſcorta numerabantur. Plin. libr. 35. c. 10.

LXXX. ARELLIUS pictor.

Super omnes Divus Auguſtus in foro ſuo, celeberrima in parte poſuit tabulas duas, quæ belli pictam faciem habebant & triumphum. Idem Caſtores ac victoriam poſuit, & Venerem Apellis Anadyomenem, aliasq; in templo Cæſaris patris. Idem in Curia quoq;, quam in Comitio conſecrabat, duas tabulas impreſſit parieti, quas ſupra fuiſſe diximus Niciæ & Philocharis.

Ars hæc ſub Auguſto magis inclareſcit.




LALA VIRGO VESTALIS
G
G.C. Eimart sculpsit

LXXXI. QUINTUS PEDIUS.

Lxxxi. Q. PEDIUS pictor mutus.

Eodem autem Augusti tempore ad picturam Romæ applicabatur Quintus Pedius; de quo ita Plinius eod. cap. 4. lib. 35. Fuit & principum virorum non omittendum de picturâ celebre consilium. Quintus Pedius, nepos Q. Pedii Consularis, triumphalisque à Cæsare Dictatore cohæredis Augusto dati, cum naturâ mutus esset, eum Messala Orator, ex cujus familiâ pueri avia erat, picturam docendum censuit, idq; etiam Divus Augustus comprobavit: puer magni profectûs in eâ arte obiit.

LXXXII. LUDIUS Romanus pictor.

Lxxxii. LUDIUS Romanus pictor, primus topiariorum in muris.

De hoc ita post Elotam Plinius lib. 35. cap. 10. Non fraudandus est & Ludius Divi Augusti ætate, qui primus instituit amœnissimam parietum picturam, villas & porticus, ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piscinas, Euripos, amnes, littora, qualia quis optarat, varias ibi obambulationũ species, aut navigantium, terraque villas adeuntium asellis aut vehiculis. Jam piscãtes aucupantesq;, aut venantes, aut etiam vindemiantes. Suntq; in ejus exemplaribus nobiles palustri accessu villæ: succollantium specie mulieres labentes, trepidæq;; plurimæque præterea tales argutiæ & facetissimi sales. Idemq; subdialibus maritimas urbes pingere instituit, blandissimo aspectu minimoque impendio. Sed nulla gloria artificum est, nisi eorum, qui tabulas pinxére: eóq; venerabilior apparet antiquitas. Non enim parietes excolebant dominis tantùm, nec domos uno in loco mansuras, quæ ex incendiis rapi non possent. Casulâ Protogenes contentus erat in hortulo suo: nulla in Apellis tectoriis pictura erat: nondum libebat parietes totos pingere: omnis eorum ars urbibus excubabat: pictorque res communis terrarum erat. Hæc Plinius.

Tiberius Imperator picturis favet.

Favit autem arti huic & Tiberius Cæsar, minimè comis alias Imperator. Non enim tantùm amavit Archigallum, quem Demon pinxerat (qui est sacerdotum Cybeles magnæ matris Deorum antistes,) adeò ut sexaginta sestertiis æstimatum cubiculo suo incluserit; prout suprà retulimus: sed & in templo Augusti posuit Hyacinthum, quem Cæsar Augustus, delectatus eo, secum deportaverat Alexandriâ captâ à Niciâ pictum.

De Divo Claudio etiam Plinius refert sub Apelle, quod istius tabulas, Alexandrum nempè cum victoria; eundemque cum Bello ligato referentes immutaverit, Alexandri facie excisâ, Augusti imaginem subdens.

LXXXIII. NERO Imperator.

Quin & de Nerone Claudio Cæsare Suetonius refert; quod pingendi fingendique maximè, non mediocre habuerit studium. Lxxxiii. DOM NERO Imperator; & pictor.

LXXXIV. AMULIUS.

Illius ætate & Amulius floruit; de quo Plinius circa finem cap. 10. libr. 35. Fuit & nuper gravis ac severus, idemque floridus, humilis rei pictor Amulius: Hujus erat Minerva, spectantem aspectans, quacunque aspiceretur: paucis diei horis pingebat, id quoque cum gravitate; quod semper togatus, quanquam in machinis. Carcer ejus artis, (Neronis) domus aurea fuit: & ideò non extant exempla alia magnoperè. Lxxxiv. AMULIUS.

LXXXV. LXXXVI. CORNELIUS PINUS & ACTIUS PRISCUS.

Post eum, (subnectit ibidem Plinius:) fuêre in autoritate Cornelius Pinus, & Actius Priscus, qui Honoris & Virtutis ædes Imperatori Vespasiano Augusto restituenti pinxerunt: sed Priscus antiquis similior. Lxxxv. CORNEL. PINUS Lxxxvi ACTIUS PRISCUS.

LXXXVII. TURPILIUS.

De hoc ita Plinius lib. 35. cap. 4. Post Pacuvium non est tractata ars ista honestis manibus; sed ea res in risu & jam contumeliâ erat. Nisi fortè quis Turpilium, equitem Romanum è Venetia, nostræ ætatis, huc velit referre, hodieq; pulchris ejus operibus Veronæ extantibus. Lævâ is manu pinxit, quod de nullo ante memoratur. Lxxxvii. TURPILIUS primus pictor Venetus.

LXXXVIII. ATERIUS LABEO.

Pergitque idem ibidem: Parvis gloriabatur tabellis, extinctus nuper in longâ senectâ Aterius Labeo Prætorius, etiam Proconsulatu provinciæ Narbonensis functus. Lxxxviii. ATERIUS LABEO, Prætor, Præses, pictor.

LXXXIX. ÆLIUS HADRIANUS.

Lxxxix. ÆLIUS HADRIANUS Imperator

ÆLius Hadrianus Anno Christi centesimo decimo nono ad imperii fastigium elevatus, princeps fuit omnivario eruditionis genere politus, Græcæque & Latinæ eloquentiæ gnarus, nec non omnium quasi artium peritus. Præsertim Mathematicus erat, & Geometra atque Astrologus & Musicus insignis, & in arte medicâ haud parùm versatus. Poëseos testimonia edidit Comœdiis quibusdam argutè compositis. Præterea autem insignis erat pictor, multasq; tabulas haud inelegantes propriâ manu multaq; patientiâ elaborasse dicitur, quarum tamen argumenta ignorantur. Insuper & statuarius fuit, statuasq; aliquot tàm marmoreas, quàm æneas ipse confecit, ita ut ab ingenioso hoc bonarum artium fautore, collapsæ, juxta Plinium, quadantenus artes iterum emerserint. In honorem enim Antecessoris sui Trajani Imperatoris Columnam erigi curavit, centum & quadraginta pedes altam, in qua omnes illius res gestæ, devictisque Parthis, Dacis, Germanis, aliisque nationibus, partæ victoriæ, insculptæ reperiuntur, quæ columna insignis artificii adhuc hodiè Romæ spectari potest, ut cuilibet exindè pateat, quanti in arte sculptoriâ Magistri illo tempore Romæ floruerint. Hic Imperator autem laudatus aliàs satis, sed Christianorum tamen persecutor, anno ætatis 62. & imperii 21. in febrim tandem incidit lethalem, hydropeque mox vitam finiit; postquam paulò ante obitum dixisset: Medicorum turbam perdidisse Imperatorem.

pictor & statuarius.

Exemplum hujus etiam secuti sunt Alexander Severus & Valentinianus Romanorum Imperatores, qui & ipsi hanc artem non tantùm singulari prosecuti sunt benevolentiâ, sed aliquot etiam tabulas sat celebres propriâ manu pinxisse dicuntur.

Alexander Severus & Valerianus Imperatores etiam pinxerunt.

Finiam autem iisdem verbis, quibus & Plinius historiam suam de pictoribus finit, cum libr. 35. cap. 11. sic inquit: Encausto pingendi duo fuisse antiquitùs genera constat, cerâ, *[Quo pertinet illud Statii lib. 1. Sylvar. Apelleæ cuperent te scribere ceræ.]* Et in ebore cestro, id est, verunculo; donec classes pingi cœpere: hoc tertium accessit, resolutis igni ceris penicillo utendi; quæ pictura in navibus nec sole, nec sale, ventisque corrumpitur. Pingunt & vestes in Ægypto inter pauca mirabili genere. Candida vela postquam attrivere illinentes non coloribus, sed colorem sorbentibus medicamentis: hoc cum fecêre, non apparet in velis: sed in cortinam pigmenti ferventis mersa, post momentum extrahuntur picta. Mirumque, cum sit unus in cortina color, ex illo alius atque alius fit in veste accipientis medicamenti qualitate mutatus: nec postea ablui potest: Ita cortina non dubiè confusura colores ni pictos acciperet, digerit eos ex uno, pingitque dum coquit: & adustæ vestes firmiores fiunt, quàm si non urerentur.

De modis pingendi encausto apud antiquos.

Hæc ibid.

CAPUT VII.

De Mulieribus quibusdam inter antiquas picturæ cultricibus.

Argumentum.


Fœmininum sexum non amore saltem hanc artem prosecutum, sed mulieres etiam ipsas pinxisse. Quales TIMARETE: IRENE: CALYPSO: ALCISTHENE: ARISTARETE: LALA Vestalis. Vasa antiquorum immolatoria. Aspergillum. Ara. Candelabrum. Lucerna. Coronæ victimarum, cultri, secures, pateræ: Sympula, & acerræ. Vestales, illarumque habitus.


Ante-

H













Sandrart del. *B. Kilian sculp.*

Fœmininũ sexum non amore saltem hanc artem prosecutum,



Ntequam ultimam historiæ suæ de pictoribus & picturis Plinius imponat manum, exempla quoq; muliebria recenset ad hanc artem spectantia; lib. 35. cap. 11. Quamvis enim sexus iste è nativâ aliàs indole culturam scientiarum atque artium virilium haud ambiat; picturam tamen quædam, non saltem singulari affectu amplexæ sunt, sed suâ quoq; manu excoluerunt: quas ultimo hoc capite perlustrare benevolus Lector haud gravetur. Fuerunt autem

sed & ipsas fœminas pinxisse.

Quales

TIMARETE. TIMARETE Niconis filia, quæ Dianam in tabula expressit; eademque Ephesi fuit antiquissimæ picturæ.

IRENE. IRENE Cratini pictoris filia & discipula, puellam, quæ esset Eleusine.

CALYPSO. CALYPSO, senem & præstigiatorem Theodorum.

ALCISTHENE. ALCISTHENE, saltatorem.

ARISTARETE. ARISTARETE Nearchi filia & discipula Æsculapium.

OLYMPIAS. Pinxit & quædam Olympias; de qua hoc solùm memoratur, discipulum ejus fuisse Autobulum. [*Quin & pinxisse dicitur Fabii pictoris filia, sed pudicitiæ studio virum nunquam, cœteris graphicè expressis. Bulenger. lib. I. c. 10.*]

LALA vestalis. Præ cœteris autem LALA Cyzicena perpetua virgo Marci Varronis juventa Romæ & penicillo pinxit & cestro in ebore, imagines mulierum maximè & Neapolitanum in grandi tabula: suam quoq; imaginem ad speculum. Nec ullius velocior in pictura manus fuit: artis verò tantum, ut multum immanitate precii antecederet celeberrimos eâdem ætate imaginum pictores Sopylon & Dionysium, quorum tabulæ pinacothecas implent.

Occasione autem Virginis istius studioso antiquitatum Lectori, Lalæ exhibebo statuam, prout illa in Palatio Principis Justiniani, bonarum artium amantissimi Patroni mei maximi, Romæ asservatur: & cum illâ præcipua antiquorum in sacrificiis adhibita instrumenta, prout ob oculos ponit tabula nostra lit. G. designata: ut ille, qui fortè in Italiam ipse peregrinationem instituere non potest, nec alibi similia videndi occasionem nanciscitur, ideam tamen quandam illorum habeat, quâ datâ occasione fortè uti liceat.

Vasa antiquorum immolatoria.

Ante sacrificia autem aquâ conspergendi adeoq; purificandi erant immolaturi; quæ propterea variis in vasis partim domi, partim ad templorum portas, tanquam in lustralibus asservabatur urnis, sive oleæ vel lauri deinde ramo, sive peculiari aspergillo aspersa; quo etiam ignem conspergere & lustrare solebant, qualia ad dextram atque sinistram statuæ spectare licet. (Aspersorium.) Propè altaria, (quorum unum è marmore quodam accuratissimè depictum, inq; eo Vestalis hæc in tabula nostra repræsentata est:) (Ara.) candelabra & lucernæ variis locabantur formis, quarum aliquæ penès majus istud candelabrum (quod & ipsum è marmoreo quodam archetypo depinxi) effiguratæ extant. (Candelabrum. Lucerna.) Ipsius victimæ caput variis exornabatur sertis, vittis atq; fasciis è frondibus suo modo contextis, ut pariter exhibet figura. (Coronæ victimarum.)

Ad mactandam victimam variæ adhibebantur secures, mallei, secespitæ, cultri, clunacla, partim ad cædendam, partim ad jugulandam bestiam: & victimarius quidem sive sanguinarius culter, secespita dictus, anceps plerumq; erat, sufficienti longitudine, manubrio rotundo eburneo solidò, & capulo aureo vel argenteo ornatus, fixo clavis æneis, & ad usum suum debitè coaptatus. Exta autem peculiaribus imponebantur patinis, seu potiùs catinis plerumque sacrifici cujusdam figura exornatis, donec illa cum reliqua carne suis in ollis atque cacabis coquerentur, vel assarentur. (Pateræ. Disci.) Deinde sua & simpula, sive simpuvia, habebant, vel Capedunculas, quæ erant vasa parva à sumendo dicta, cyatho similia, fictilia plerumque, quod eis vinum prolibabatur minutatim; in quorum locum deindè adhibebatur epichysis. (Simpula.) Pro suffitu acerras habebant, sive vascula thuraria, in quib' thus reponi solebat, quo Diis sacrificabant: & thuribula s. arculas, ad usũ ordinarium: ubi vas quidem majus infra ponè aram; arcula autem supra illud, & juxta eandem simpula, patinæ; cùm lecytho sive gutto; & paulò superiùs mallei, clunacla, vittæ; cum pileo quodam flaminum; eorumq; vestitu linteo, aliisq; quæ diligenter Romæ ipse delineavi. (Acerræ.)

Statua autem verum refert Vestalium habitum: in capite enim carbasum habentes, candidâ utebantur stolâ, (cum prætextâ purpureâ,) comam autem circa totum caput depexam gestabant, cincinnis sub carbaso per tergum demissis. (Vestales, & illarum habitus.) Vestæ autem sacræ erant, quæ cum perpetua mansisset virgo, à virginibus etiam coli volebat. Inter sextum autem & decimum annum à Regibus primò, deindè à Pontifice maximo excipiebantur, è vicenis, ad selectum collectis, correptæ, & quasi in bello caperentur, patri suo abductæ. Quatuor autem primùm erant, deinde sex, rariùs septem, & ut septima, ut ferunt, novitia

ſaltem eſſet. Triginta autem annis abſtinentia earum à conjugio terminabatur; ita ut decem primis annis ſacra diſcerent; totidem miniſtrarent; & reliquis docerent: poſt triginta autem annos nubendi illis fiebat poteſtas: quamvis paucæ reperiuntur, quæ matrimonium poſteà inierint; tranquillum vitæ prioris ſtatum cum variis conjugii caſibus haud permutaturæ. Officium autem illarum aliud non erat, quàm ſacrum illum ignem, quem Æneas cum penatibus è Troja in Latium apportaſſe credebatur, ceu arcanum totius regni pignus, inextinctum aſſervare & ſacra facere. Apud omnes autem in magno erant honore, ut & Conſules illis viâ cederent & magiſtratus aſſurgerent; & teſtamenta, patre vivo, conderent, quod nulli fœminæ conceſſum erat. Carpento autem vehebantur, faſcibus prælatis, in honoris ſignum; ſiq; ad mortem condemnatis occurrerent, vitâ illi mox donabantur: carpentũ autem præter illas conſcendens, capitis reus erat. Talis igitur Veſtalis Lala noſtra fuit; quare in tabula ejusdem inſtrumenta quoq; pictoria adjungere volui.

❋

Caput VIII.

Effigies duodecim Philoſophorum, Poëtarum, aliorumque Virorum illuſtrium.

Argumentum.

HOMERUS. HERACLITUS. HIPPOCRATES. SOCRATES. SOPHOCLES. DEMOSTHENES. PLATO. ARISTOTELES. THEOPHRASTUS. SENECA. DEMOCRITUS. DIOGENES.



Ntequam finem imponamus antiquitatibus noſtris pictoriis, pro majori operis noſtri ornamento, duas adhuc ſubnectemus tabulas iconibus virorum quorundam apud antiquos clariſſimorum refertas è nummis gemmiſque fideliſſimè exceptis atq; transſumtis. Inq; tabula noſtra H.

I. HOMERUS.

I. HOMERUS. Conſpicitur, Poëta quondam inter Græcos excellentiſſimus, qui ante Romam conditam annis circiter 160. vixit. Hic fuit cœcus, & ob id Homeri nomen ſortitus eſt, quum prius Meleſigenes diceretur, quod ad Meletum fluvium natus eſſet: Quamvis de patria ejus nihil tradatur certi. Id enim effecit nominis ejus claritas, ut quem vivum, rebusq; omnibus egentem nemo agnoverit, deindè multæ Græciæ urbes certatim ſibi vindicarent; adeò ut quibus potiſſimùm credere debeamus, non facilè fuerit diſcernere. Eundem enim Colophonii civem dicebant ſuum; ſuum vendicabant & Chii; atq; Salaminii: Smyrnæi verò ſuum eſſe usque adeò confirmabant, ut etiam delubrum ipſi in oppido ſuo dedicarent: multique alii prætereà de eo inter ſeſe pugnabant atque contendebant. Undè Græcum illud eâ de re Diſtichon apud Gellium lib. 3. cap. 11.

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν Ὁμήρου:
Σμύρνα, Ῥόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Χίος, Ἄργος, Ἀθῆναι.

Septem ſunt Urbes quibus exoptatur Homerus.
Smyrna; Rhodus; Colophon; Salamin; Chios; Argos; Athenæ.

Reliquam ejus vitam prolixiùs tradunt Herodotus atque Plutarchus.

II. HERACLITUS.

Philoſophus Epheſius, qui juxta Suidam nullum invenitur habuiſſe Præceptorem, ſed naturâ profeciſſe ſolâ atq; diligentiâ ſuâ. Quidam tamen audiſſe Xenocratem & Hippaſum Pythagoricum volunt. Floruit autem temporibus ultimi Darii. Scripſitque Poëticè multa; quæ ab Ariſtotele ſæpè pro teſtimoniis citantur. Hunc, ajunt, cum hydropicus eſſet, ſpretis medicis oblitum bubulo ſevo ſoli ſiccandũ ſe præbuiſſe; dormientemq; à canibus II. HERACLITUS.


dilace-

I

PLATO



THEOPHRASTVS



ARISTOTELES




SENECA



DEMOCRITVS



DIOGENES



Sandrart del — B Kilian sculp

dilaceratum esse, ut Suidas tradit. Hic quoties domo egrediebatur, flebat; sicut Democritus ridebat, quod alteri omnia, quæ agimus, miseriæ, alteri ineptiæ viderentur. Cognominatus autem est σκοτεινὸς, quasi tenebricosus: de industriâ enim adeò obscurabat stylum, ut ejus volumina Philosophi sudantes vix intelligerent.

III. HIPPOCRATES.

III. HIPPOCRATES. Medicus excellentissimus, patriâ Cous. Cui tanta fuit artis peritia, ut vulgò crederetur Æsculapio prognatus. Extat enim apud Valerium Artaxerxis Persarum Regis honorificentissima de eo epistola in hæc verba: Rex Regum, magnus Artaxerxes, Hystani, Hellesponti præfecto, salutem. Hippocratis Medici Æsculapio prognati ad me artis fama pervenit. Da igitur operam, ut aurum illi tribuas, quantum cupit, aliaq; item, quorum indiget, & eum ad me mitte. Erit enim par honore summis in Perside viris &c. Ejus libri, tanquam divino emanaverint ore, ubiq; celebrantur. Excessit è vitâ annos natus centum & quatuor. Suscepitq; filios Thessalum & Draconem. Videatur Suidas.

IV. SOCRATES.

IV. SOCRATES. Philosophus Atheniensis Sophronisci ex Panarista, aliàs Phænareta, filius. Præceptores habuit Anaxagoram & Damonem, postea ad Archelaum Physicum se contulit: ubi cum animadverteret, naturalis speculationis nullum esse fructum, primus Ethicen invenit, id est, moralem Philosophiam, ad quam transiens fertur dixisse: Quæ supra nos, nihil ad nos. Hic unus omnium sapientissimus judicatus: qui æquabilitatem in omni vitâ adeò servavit, ut idem semper vultus eademq; frons, sive prosperis, sive adversis rebus ipsi extiterit usq; ad extremũ. Habuit duas uxores, Xanthippen & Myrrhonem uno tempore: quæ cum crebrò inter se jurgia haberent, & ille eas solitus esset deridere, quod propter se fœdissimum hominem, simis naribus, recalvâ fronte, pilosis humeris, repandis cruribus disceptarent; novissimè verterunt in eum impetum, & malè multatum fugientemq; diu persecutæ sunt. Interrogavit Alcibiades, cur mulierem tàm acerbam domo non exigeret? Quoniam, inquit Socrates, cum illam domi talem perpetior, insuesco & exerceor, quo foris petulantiũ injuriam faciliùs feram. Iterum dicenti Alcibiadi, intolerandam esse Xanthippes maledicentiam: Tu, inquit, nonne toleres anseres clamore perstrepentes? illo annuente, quoniam ova & pullos pariunt. Et mihi, ait, Xanthippe filios gignit. Ferendæ paupertatis beatissimus fuit. Cum enim aliquando inter amicos haud splendidè indutus versaretur, emerem pallium, inquiebat, si nummos haberem. Quâ oratione eos sublatenter admonuit, ambiguus tamen, à quo accepturus esset, ut egestati suæ succurrerent. Cum uxorem Xanthippen contumaciùs ac clamosiùs in se agentem diu tolerasset, postremò, aquâ ab eâ perfusus, cœpit ridens dicere: Sciebam Xanthippen tonantem aliquando pluituram. Castitatis illud ab Æliano memoratur, quod cùm Zophyrus Physiognomus eum diceret libidinosissimum, civibus tanquam falsa locutum ridentibus ipse dixerit, minimè eum mentitum, sed naturæ vim se animi virtute oppressisse. Mortuus est propinatâ ob impugnatam Polytheian, supplicii loco, cicutâ, mirâ animi constantiâ, postquam de immortalitate animæ gravissimè perorasset.

V. SOPHOCLES.

Atheniensis poëta Tragicus, Sophili filius, Socrate 17. annos senior: Euripidi contemporaneus: propter suavitatem vocatus fuit Apis: atq; ipse primus fuit, qui tragicas contentiones ac compositiones instituit. Exhibuit fabulas centum viginti tres & plures: victorias autem viginti tres reportavit. Filios habuit Josophontem, Leosthenem, Aristonem, Stephanum, Meneclidem. Cumq; ad summam usq; senectutem tragœdias faceret, & propter id studium rem familiarem negligere videretur, à filiis in judicium vocatus est, ut illum, quasi desipientem, à re familiari moverent judices. Tum senex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proximè scripserat, Oedipum sc. Colonæũ, recitasse judicibus, quæsisseq;; num illud carmen desipientis videretur? quo recitato sententiis judicum est liberatus. Repentè autem obiit ex insperato gaudio ob victoriam ex tragœdiâ quadam, ut Valerius autor est. V. SOPHOCLES.

VI. DEMOSTHENES.

Orator apud Athenienses clarissimus, & Græcorum omnium Oratorum princeps. Patre natus est, qui cultellarius vocabatur, quod domi haberet officinam & operarios cultellorum. Relictus puer in hæreditate locupleti, tutorum fraude & negligentia direptis bonis vix habuit, unde præceptoribus mercedem solveret. Verùm cum multo studio in oratorem evasisset longè præcellentissimum, libertatis Græciæ defensor, publicè gravibus Philippum concionibus insectatus est, utpote publicæ VI. DEMOSTHENES.

libertatis insidiatorem. Post cujus mortem patriâ pulsus, tandem revocatus est. Sed jam mortuo Alexandro & Antipatro rebus Græcis præposito, cum manifestam sibi necem imminentem videret, relictis Athenis in Calauriam Insulam, ubi asylum erat Neptuno sacrum, concessit; Quo cùm venisset Archias, actor tragœdiarum, qui ab Antipatro missus erat, ut Demosthenem comprehenderet, primùm ei persuadere conatus est, ut unà secum ad Antipatrum se conferret, nihil molestiæ ab eo perpessurus. Demosthenes intellectâ fraude, renuit: quum autem Archias se per vim detracturum minaretur; age, inquit, parumper expecta, dum pauca domesticis scribo. Hæc locutus, tanquam scribere vellet, calamum, in quo venenum occultaverat, ori admovit: deindè, absorpto veneno, caput veste tegens, se inclinavit: cumq; ab arâ retraheretur, cecidit, suspiransq; animam emisit. Hic eloquentiæ studio flagrans jugiter lucubrabat, adeò ut duos vel tres menses continuos domi inclusus, sine intermissione studeret, abrasâ parte capitis, ut exeundi facultatem sibi præriperet. Unde de eo Hieronymus: Eum plus olei, quàm vini expendisse, & omnes opifices nocturnis vigiliis prævenisse. In tabula autem nostra I. porrò in effigie à nobis exhibetur.

VII. PLATO

VII. PLATO. Philosophus, ab humerorum latitudine ita cognominatus, cum anteà Aristocles ex avi paterni nomine vocaretur. Fuit egregio corporis habitu, & in palæstra se exercuit apud Aristonem palæstritam. Studuit picturæ, & tragœdias poëmataque edidit. Adeò autem in omni disciplinarum genere, & præsertim in Philosophia, excelluit, ut divinus & Philosophorum Homerus vocaretur: & defuncto Magi, ut Deo, immolaverint. Tantæ autem fuit eloquentiæ, ut Jovem, si Græcè loqui voluisset, Platonicè locuturum Philosophi dicerent. Athenis primùm Socrati dedit operam. Deinde, dum licuit per ætatem, in Italiam profectus est, ut Pythagoreos audiret, ubi Philolai Crotoniatæ libros de secta Pythagoræa centum minis etiam in difficultate rei familiaris mercatus est, ex quibus multa in suum Timæum transtulit. In Ægyptum deindè properans, ut audiret Gymnosophistas, oleum secum mercaturæ gratiâ vexit, ut viaticū sibi indè suppeditaret, ubi & libros Moseos legisse creditur. Dialogum primus illustravit, licet à Zenone, vel Alexamene priùs inventum. Decessit annos natus LXXXI. morbo, ut fertur, pediculari. Vitâ fuit cœlebs, ac castus, ut scribit Augustinus. Plura de eo videantur apud Plutarchum.

VIII. ARISTOTELES

VIII. ARISTOTELES. Philosophus Stagirita, Peripateticorum princeps. Patrem habuit Nicomachum medicum, matrem verò Phæsiadem. Fuit parvus, gibbosus, & deformis, balbutiens, sed dives, ut qui socius, & præceptor, & secretarius Alexandri esset. Septendecim annos natus Athenas profectus est, ubi viginti annis Platonis se auditorem præbuit. Deindè à Philippo in Macedoniam evocatus, decem annis Alexandrum instituit: cui quàm fuerit charus, vel illud unum abundè magno est argumento, quod Stagiram patriam ejus, quam diruerat, in gratiam ejus restauraret. Deindè in Asiam profectus, Athenas rediit, & in Lyceo tredecim annis Philosophiam professus est. Postea accusatus, quod de Diis non rectè sentiret, cedens invidiæ, abiit in Chalcidem, ibique reliquum vitæ transegit. Decessit ætatis anno 63. sub idem ferè tempus, quo Demosthenes.

IX. THEOPHRASTUS

IX. THEOPHRASTUS. Philosophus fuit ex Eresso Lesbi oppido, prius Tyrtam⁹, deinde Euphrastus, postremò Theophrastus ob oris & eloquentiæ suavitatem quasi divinam appellatus. Peripateticorū eloquentissimus doctissimusq; fuit. Aristotelis nempè discipulus & in schola successor. Dicere solebat, doctum hominem ex hominibus solum neq; alienis locis peregrinum esse, neque inopem amicorum. Habuit discipulos ad duo millia. Excessit admodùm senex.

X. SENECA.

X. SENECA. Natione Hispanus fuit, patriâ Cordubensis, Academicus, & Philosophus, & Neronis præceptor: à quo divitiis ingentibus auctus, cum in Pisonianæ conjurationis suspicionem venisset, ejusdem jussu incisis venis mortem obiit. Eloquentiâ inter Latinos morumq; studiis longè celeberrimus.

XI. DEMOCRITUS.

XI. DEMOCRITUS. Abderita Philosoph⁹, qui accepta à fratribus natu majoribus paternæ hæreditatis portione, cognoscendarum rerum cupiditate accensus, bonam orbis partem peragravit. Postea in patriam reversus cum summa inopia in hortulo juxta urbis suæ muros se ad solas rerum naturas contemplandas contulit. De hoc memoriæ proditum est, quod quocunque fortunæ casu & mutabilium rerum fato audito in risum solutus fuerit, sicut Heraclitus in fletum; unde Gelasinus nominatus est. Tandem se

occœ-



Cum Privil: S. C. M.

NOVA NUPTA IN GENIALI THALAMO.

Susanna Maria Sandrartin fecit

occœcavit, ut naturæ secreta subtiliùs rimaretur. Agebat annum centesimum nonum, quum mortuus est. Fertur Theologiam ac Astrologiam didicisse à Magis & Chaldæis: cum Gymnosophistis quoque congressus est. In omni deniq; Philosophiæ genere adeò profecit, ut Pentathlos dici posset: namq; naturalia, moralia, mathematica, liberales disciplinas, artiumq; omnium peritiam callebat. Constat, eum patre locupletissimo natum fuisse, ut qui totis Xerxis copiis epulum dederit.

XII. DIOGENES.

XII. DIOGENES. Philosophus Cynicus celeberrimus, Antisthenis discipulus, cui adeò adhæsit, ut vel clavâ minitanti, caput subjiceret, dicens, nullum tàm durum fore baculum, qui ab ipsius eum separaret obsequio. Utebatur autẽ pallio duplici propter frigus, peram pro cellario habebat, secumq; portabat clavam, ob corpusculi fragilitatem: Hemerobius & in diem vivens dictus est, quod omni abjectâ sollicitudine cibum suum in singulos dies emendicaret. Habitabat autem in portarum vestibulis & porticibus civitatum, dolio inclusus, cumque se contorqueret dolio, volubilem habere se domum jocabatur & cum temporibus se immutantem, quod os ad solem semper converteret. Obiit ferè nonagenarius. Plura de eo vulgata sunt ab aliis.

CAPUT IX.

Exemplum antiquissimæ picturæ, Novam Nuptam in thalamo geniali exhibentis.

Argumentum.

Picturæ istius inventio. Erectio. Sponsa. Pronuba. Sponsus. Balneatrices. Psaltria. Regina Sacrorum.



Picturæ istius inventio. Postquam Pictores Europæi, non arte minùs quàm famâ clari, omnes, præsertim qui Romæ degunt, jam à pluribus seculis vel unicum genuinæ & melioris picturæ antiquæ exemplum oculis usurpare desiderâssent, eò quòd conjicerent, cùm statuaria illis temporibus tantoperè exculta fuerit, testantibus illud in magnâ adhuc copiâ extantium artificiosissimarum statuarum exemplis, nec pictoriam minùs, cùm eodem quasi lacte sit nutrita, tum insigniter floruisse: cujus tamen exempla tantorum annorum injuriâ omnia ita periissent, ut nihil certi, quod visu dignum esset, jam restet amplius: istudque desiderium jam semper magis magisque excresceret: factum tandem, cum Romæ in monte Quirinali pro novo ad certum aliquod Palatium jaciendo fundamento profundiùs effoderetur terra, ut fossores aperta per aliquot orgyias fossâ, vetustum tandem deprehenderent ædificium, quo perfracto, conclave repertum est egregiâ testudine munitum, in cujus tectorio ab antiquo quodam pictore depictus esset actus quidam nuptialis, de novâ nuptâ ad sponsum in thalamum genialem deducendâ; salvo adhuc & illibato undiquaque colore. Quod cum statim renunciatum esset Pontifici illius temporis maximo ClemẽtiVIII. exercitatissimos hic in re antiquariâ & eruditissimos illuc misit viros, ut rem ipsam accuratiùs cognoscerent; Quâ profundius perspectâ, omni, quâ fieri potuit, diligẽtiâ præstantissima hæc, visuq; dignissima ante bis mille quasi annos elaborata pictura exindè sublata est, muris undiquaque tàm subter, quàm circa parietem illũ serra resectis: ubi tanta moles quernis innixa trabibus in ædem quandam singulariter ob id constructam in horto Cardinalis Aldobrandini, qui nepos erat istius Pontificis, delata, magnoq; cum jubilo in perpetuam sui memoriam, omniumq; picturæ cultorum solamen muro iterum inserta est: Erectio. Cùm præsertim ex isto opere satis pateat, illis temporibus picturæ artem ad idem annixam fuisse fastigium, quo properabat statuaria, eandemq; utriusq; fuisse peritiam, & in opere diagraphico perfectionem: qui certè scopus etiam omnium studiorum nostrorum esse debet primarius.

Picturam igitur ipsam duab⁹ tabulis sub I* & I** hîc exhibebo magna diligentia, à prototypo exceptam, quod quãvis in recẽti saltem albario, muroq; scilicet exornando, fuerit depictum, [*Oleo enim subigere colores tum temporis nondum solebant, quod demum circà annum 1410. ab Huberto & Johanne ab Eyk Brugis in Flandria inventum est:*] tantâ tamen elaboratum est in designando diligentiâ, & symmetriæ ubivis curâ, ut nova quasi pro nostratium exercitio, hinc erecta dici queat pingendi Academia.

Sponsa. Ut autem Novæ hujus Nuptæ in geniali thalamo picturam, quæ in Viridario Quirinali Celsissimæ Olympiæ Aldobrādinæ Principissæ Pamphiliæ Romæ adhuc asservatur, paulò examinemus accuratiùs, sub numero (1) ipsa sedet nova nupta in thalamo suo, flammeo à facie quidem sublato, sed pallâ tamen muliebri candida, præ pudore, penitus obvoluta. Lugere autem & deplorare demisso videtur vultu mox perituram virginitatem suam. Sub pedibus autē, Romano more, scabellum habet deauratum, & fulcra lecti elevatiora mero nitent auro.

Pronuba. (2) Pronuba, sive paranympha, amplexu suo eidem blanditur, quasi solamine adhibito, ut nimirum siccatis lachrymis & pudore suppresso ad sponsum suum venire non erubescat. Eademq; mulier, ceu amoris conciliatrix, serto coronata est myrteo, quæ arbor Veneri quondam dicata erat.

Sponsus. (3) Sponsus coronâ cinctus hederaceâ conjugii symbolo ad ingressum quasi thalami residet, summo cum desiderio sponsam expectans: quod Catullus, in nuptiis Juliæ & Manlii innuere videtur his versibus:

Nupta, tu quoq;, quæ tuus
Vir petet, cave ne neges &c.
Aspice intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi. &c.

(4) Balneatrix unâ manu strigilem tenens, alterâ in pelvim argenteam demissâ aquam probat, utrum calida nimis, an satis tepida sit. Balneo serviens.

(5) Alia quædam aquam affundit frigidam è patera, calidam temperatura ad teporem usque debitum. Aquâ enim priùs conspergenda erat nova nupta, antequam lectum genialem subintraret, in castitatis atq; puritatis testimonium.

(6) Alia quædam serva tabellam manu tenet, quasi pro dote consignanda.

(7) Paranympha quædam alia mensæ quasi vel columnæ innixa dextrâ guttum tenet & sinistrâ pateram conchæ similem, lavandam nunc sponsam mox unguento quodam vel oleo, Junonis unxiæ auspicio inunctura. Paranympha.

(8) Adhuc alia lotrix manu patinam tenet, vel aquam temperatura, vel examinatura colorem: cœterùm stola, duplicique sed breviori pallâ induta.

(9) Tripus est aureus in balneis usitatus, cum ansis utrisq; demissis, ad varias adhiberi solitus loturas. Tripus.

(10) Circa finem picturæ fidicina quædam citharâ ludit, quasi chorum ducens, caput tintinnabulis redimita, stolaq; induta prætextatâ. Fidicina.

(11) Tandem Poëtria coronam gestans radiatam ad citharam epithalamium, pro more, accinit, ab aliis Regina Sacrorum dicta. Poëtria.





Cum Privil. S. C. M.

NOVA NUPTA IN GENIALI THALAMO.

Susanna Maria Sandrartin fecit.



PARTIS SECUNDÆ

ACADEMIÆ PICTORIÆ

LIBER SECUNDUS

De

Vita & Encomiis

Celeberrimorum ex Italis Pictorum, qui Moderni vocantur.



Præfatio.



Uod *Sapientissimus Regum Salomon de propriis suis scribit operibus Ecclesiastæ cap. 2.* Se nempè conversum ad universa opera, quæ fecerant manus suæ, & ad labores, in quibus frustrà sudaverat, vidisse in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole; *id, prout in rebus generaliter omnibus, sic & speciatim in Pictoriâ, artibusq; iconopoëticis verum esse deprehenditur. Istæ enim cum apud Græcos, Romanos, aliasq; gentium nationes, variorum industriâ Artificum, quorum vitæ & opera libro præcedente à me descripta sunt, ad summum usq; perfectionis fastigium ascendissent, in imum deindè contemtûs præcipitatæ barathrum quàm turpissimè & ignominiosissimè neglectæ sunt, ut non immeritò hic cum eodem exclamare liceat Salomone:* Omnia cum tempus habeant; destruendi quoque, ut ædificandi tempus est. *Exemplum nobis offert Arcûs ille triumphalis, à Populo Romano, in Constantini honorem erectus, qui solus pleno quasi exclamat ore, Statuariam cum affinibus tum temporis jam ut plurimum intercidisse. Ubi Artificés quidem ad illum conficiendum destinati, ut propriam suam imperitiam aliquali antecessorum arte palliarent, fragmenta quædam haud contemnenda circa Trajani fortè ætatem elaborata, de statuis undiquaque corrasa per Arcum istum hinc inde disseminârunt, hoc ipso tamen propriam saltem propalârunt turpitudinem, eò quòd factâ utriusq; generis collatione eò magis elucescat, quàm levi brachio ab ipsis tractata fuerit diagraphice: prout nec ipsa noctis obscuritas melius, quàm cum die collata, nec tenebræ accuratiùs, quàm adhibita Luce cognosci queunt.*

Quam autem ob causam pulcherrimæ hæ Artes tàm misero eversæ fuerint lapsu, in præfatione quidem præcedente aliquatenùs declaratum fuit; ut autem id ipsum aliquantò planiùs exponatur, non quidem Barbaricas nunc repeto Italiæ inva-

siones; sed mutationem saltem sedis imperii ex Urbe Romana Constantinopolin vel Byzantium primò allego, quâ Artes hæ nostræ magno descenderunt saltu; eò quòd Constantinus Imperator omne, quod rarum esset, tàm è picturis, quàm è statuis, quin imò ipsos etiam ingeniosiores Artifices Constantinopolin secum abduxerit; totam scilicet Italiam, harum artium antea inutricem, istâ nunc gloriâ, istoq; decore penitus privando. Et quamvis ipsæ hæ tàm Picturæ, quàm Statuariæ Artes sortem hanc in sese parùm curarent, cum perindè ipsis esset, quod aliis in locis non minùs ad idem aspirarent celebritatis culmen; mæstaq; nunc Italiæ vel spem saltem relinquerent, revolutâ aliquando Fortunæ rotâ ad idem redeundi gloriæ prioris momentum: longè tamen intolerabilius easdem tunc videbatur fatum tangere, cum Constantinus iste abjuratis circa annum Christi 318. gentilium idolis, sacerrimo tandem baptismatis lavacro ad Christianam renasceretur fidem: Ubi nimirum, puriori nunc cultui addictus Imperator iste, Deorum gentilium icones, adorationis religione huc usq; cultas, damnabat omnes; destruendo, dilacerando, comburendo, evertens cuncta, quæ pristinam saperent idolomaniam; undè extrema simulacrorum artibus imminebat ruina.

Et quamvis, cùm altiores jam radices egisset Christiana religio, nec metui posset amplius formidatus hactenus ad priorem idolorum cultum relapsus; benigniore has artes vultu respectura videretur occasio; ob adversantes tamen præcipuorum Ecclesiæ Patrum sententias, in imis adhuc hærere cogebantur: reproducto scilicet à quibusdam trigesimo sexto Synodi Elvirensis Canone, quo circa annum Christi 305. à novendecim Hispaniæ Episcopis decretum fuerat: ne ullæ imagines vel picturæ in templis tolerarentur, ne quod coli posset effingeretur pariete: qui variis primorum Ecclesiæ Patrum egregiè corroborabatur dictis. Cum tamen intereà nec minùs statuerent alii, imagines citra idololatriæ maculam omninò tolerari posse; quin etiam ob historiarum recordationem, ædiumq; decorem, in templis haud immeritò retinendas esse; tum demùm in privatis primùm ædibus picturas iterum adhibebant Christiani: in templis autem circa Theodosii Junioris ætatem, annumq; Christi 431. iterum spectabantur, pro ornatu nimirum vacuorum aliàs parietum, & instructione imperitorum, & ut per illas ad Christianam fidem aliquatenùs allicerentur pagani. Cum autem & ab hoc iterum scopo aberrarent Christiani, ad priscam gentilium superstitionem hac imaginum occasione nimium quantum reducti; contra illas acerba quidem satis edebat scripta B. Augustinus; sed nec ipsius, nec Epiphanii aliorumq; conatus id poterant efficere, ut penitùs iterum abolerentur icones; sed post quartum à Christo seculum magis potiùs magisq; exardescebat illarum amor, ut primarii illorum temporum Patres id saltem curarent, ne illarum increbesceret cultus, si ipsæ, ut rerum præteritarum repræsentatio, quadantenus tolerarentur. Quo ipso tamen in tantum rursus per imagines reviviscebat idololatria, ut Massiliensium Episcopus Serenus illos omnes in diœcesi suâ destruere cogeretur atque abolere.

Huic tamen quàm acerrimè adversabatur Gregorius Magnus Pontifex Romanus, Variis Serenum literis ab opinione suâ avertere conatus; occasionem saltem idololatriæ, quãvis non idololatriam ipsam fovens. Et ille quidem Laicorum Biblia vocabat imagines; non quod ejusdem cum illis essent authoritatis, sed quod, eadem quæ legendi gnarus è Scripturâ, imperitus ex imagine discere posset. Unde hoc ipso quidem tempore omnia iterum imaginibus adimplebantur templa, quod publico etiam decreto, cujus tenor in Jure Canonico Decret. can. 27. de consecr. dist. 3. confirmabatur. Istius tempore Phocæ Imperatoris & Leontiæ uxoris imagines Romam afferebantur, & ambo à Gregorio proclamabantur Augusti. Unde patet, paulatim has artes iterum emersisse.

Prout autem stabile in mundo nihil, sic & sequenti seculo ab imaginibus iterum alienati animi id efficiebant Constantinopoli, ut Philippicus circa annum Christi 711. arrepto imperio omnes à prioribus Patriarchis concessas imagines è templis iterum ejiceret atque combureret: quo facto exacerbatus Romanorum Pontifex Constantinus omnes illos Patres, qui Synodis imaginum usum admittentibus interfuissent, in pronao D. Petri effigurari curavit, honori illorum, cui detrahere niteretur Imperator hæreticus, eo ipso iterum consulturus. Ex quo tempore Romani Pontifices cum toto Clero summo zelo imagines defendere cœperunt, quicquid interim contradicerent nationes aliæ. Sic enim Leo tertius Imperator Constantinopolitanus, Isaurus à patria, Iconomachus à zelo contra imagines dictus, postquam anno Christi 717. Augusti titulo inclaruisset, deinde anno 730. edicto publico sub capitis pœnâ omnes Mariæ, Christi, Sanctorumve imagines 7. Idus Januar. in forum deferri, ibidemq; comburi jussit; Episcopis, contrariam sententiam foventibus, variè afflictis, Germanoq; Patriarchâ ejecto, cui Anastasium substituit.

Istius a. filius Constantinus Copronymus, anno 741, patrem ut in imperio secutus, sic & in imaginum odio; convocato anno Christi 754. trecentorum triginta octo Episcoporum Concilio, quod Oecumenicum septimum dicitur, totam controversiam ab ovo indagari jussit: Ubi præviâ sex mensium consultatione unanimiter tandem decretum est: Omnes illos, qui Christi imaginem formarent, Nestorianismi vel Eutichianismi sese reddere participes. Cæteras imagines dedecori potiùs esse Sanctis, fabricamq; illarum rem merè paganam esse & idololatricam; anathematisatis omnibus contrariæ sententiæ addictis. Qui canon per totum Orientem usq; ad annum Christi 784. religiosè observatus est.

Adversam opinionem autem propugnabant Occidentales, imaginibus omni modo possibili defensis. Nam Gregorius II. Pontifex non tantùm prolixâ Epistolâ Leonem Imperatorem dehortabatur ab imaginum demolitione, affirmans, Imperatoris non esse, pronunciare de fide, & novitate aliquâ violare antiqua dogmata Ecclesiæ: sed & Edictum Imperatoris postea damnabat; & hâc oc-

casione

casione cum Leo vi agere conaretur, ab Imperatoris obedientia resiliebat, Longobardorum amicitiam ambibat, & tributa Imperatoris in Italia & Romæ inhibebat. Eodemq; modo Gregorius III. Papa celebrato etiam Romæ concilio causam imaginum defendebat, damnatis Oecumenici septimi Patribus. Cui & alii postmodum Pontifices pariter insistentes, nihil non tentabant, pro tuendo Imaginum honore. Donec tandem post mortem Leonis IV. uxor ejusdem Irene Augusta, pro filio Constantino, qui septimus dein dicebatur, minorenne, imperium administrans, quod imagines hactenus clàm fovisset, quapropter & ab illa se abstinuerat Imperator; illas non saltem restituebat, sed & Tarasium, imaginibus pariter faventem, quamvis Laicum, ad Patriarchatum promovebat, qui statim cum Imperatrice ad Papam scribebat, Hadrianum tum temporis, editâq; confessione, eundem hortabatur, ut Constantinopolin veniat, ad generale Concilium agendum de Imaginibus: quibus etiam respondens Hadrianus inter cætera monebat, ut ubiq; imagines restituantur. Convocata ergo anno 785. Constantinopoli Synodo, Episcopi quidem sive legati illorum conveniebant in templo Apostolorum, decretum facturi de restitutione imaginum & cultu ipsarum. Cum verò ii, qui adorationem imaginum improbabant, minus audirentur, seditione plebis & militum Synodus disturbatur, Episcopis domum redeuntibus. Irene autem Imperatrix irata plebi & militibus, ut otiosum vulgus Constantinopoli ejiceret, expeditionem indicebat, quasi versùs Saracenos profectura: sed cùm in Thraciam venisset, seditiosum quemque relegabat, & in varios imperii fines dispergebat. Concilium autem generale Niceæ celebrandum indixerat, ubi tandem, qui ibidem convenerant Episcopi trecenti quinquaginta, pro imaginibus iterum pronunciant, damnatis Canonibus adversantibus, juxta sensum istorum versiculorum:

Nam DEUS est, quod imago docet; sed non Deus ipse:
Hanc videas: sed mente colas, quod cernis in ipsâ.

Carolus interea Francorum Rex, postea Imperator, & Magni nomine clarus, & ipse omnes regni sui Episcopos & Abbates, Francofurtum ad Mœnum convocabat anno 794. ubi cum inter alia & de Concilio hoc Nicæno secundo ageretur, quod Hadrianus Papa per suos vicarios rexerat & approbaverat, quod imagines essent adorandæ; statutum fuit ab Episcopis istis, trecentis ferè, contra Hadriani & legatorum ejus sententiam, cultum quidem & adorationem imaginum esse impium, & Synodum Nicænam secundam esse abolendam: sed imagines tamen non demoliendas. Quo ipso Iconopoëticæ artes florere iterum inceperunt; sed fructu primùm valdè exiguo; prout communiter testari solet experientia, artes omnes longo saltem usu & diuturnâ exercitatione ad aliquem gloriæ apicem anniti, nec melius emergere, quàm si præmiis & honoribus allecti artifices, omnes ingenii sui nervos ad summam illarum culturam intendant.

Et quamvis, per varios armorum strepitus, pacificum hoc artium genus interim variè rursus quandoq; supprimeretur, præsertim cum, subortis inter Pontifices & Imperatores controversiis, cruenta exindè emergerent bella, Italiam præcipuè haud parvis cladibus hinc indè exagitantia: attamen Pictores intereà vix unquam defuerunt, qui juxta antiquam Græcorum methodum facies nigricantes, planasq; & neutiquam elevatas cum tiaris rotundis aureis, sed rudi Minervâ, & decore antiquorum penitus neglecto, pinxêre; quales adhuc hodie in veteribus Italiæ templis reperiuntur affatim. Tandem autem sub majori pacis flore temporumq; subsecuta tranquillitate Artes istæ sic iterum nitorem suum extulere, ut ex imo paulatim scandentes, caput nunc quasi inter nubila condant. Quo autem id factum sit successu, ut ex ultimis oblivionis ruderibus suo sese iterum restituerint decori, id hoc in libro uberiùs declarare instituì, ut pateat, quibus Artificibus hæ Artes iterum & primò quidem in Italia, inceperint, & exindè ulteriùs fuerint propagatæ. Ubi Lectori benevolo Pictores primò Italos eo ordine, quo sese invicem sunt secuti, historicè exhibebo; & ab illis ad Gallos deindè, Germanosq; & Belgas descendam; ut ex vita illorum & encomiis appareat, quo gradu his studiis rursus alluxerit dies, donec ad splendorem, in quo nunc versantur, hunc meridianum paulatim appulerint.



CAPUT I.
De Quinque primis Pictoribus Italis, ex iis, qui moderni dicuntur.
Argumentum.

Palingenesia Artis Pictoriæ in Italia Anno 1240. I. JOHANNES CIMABUE, pictor Florentinus. Græci in pingendo parùm periti, hanc Artem in Italiam deferunt. Cimabue istos Præceptores suos superat. Operam dat picturis iconicis. Opera ejus, Florentiæ; nec non Pisis facta. Epitaphium ejusdem. Giotto discipulus ejus, gloriam illius haud parum offuscat. II. ANDREAS TAFFI Florentinus. Opus Musaicum Græci in Italiam deferunt. III. GADDO GADDI, Pictor Florentinus: artificiosus est in opere musaico, Florentiæ; Romæ; & aliis in locis. IV. MARGARITON, Pictor, Sculptor & Architectus invenit methodum linteo obducendi tabulas; & auro foltato deaurandi. Epitaphium ejus. V. GIOTTO, Pictor, Sculptor & Architectus filius rustici cujusdam propè Florentiam, in primâ adolescentiâ suâ opilio erat. A Cimabue Florentiam ducitur & informatur: amatus etiam à Dante Poëta. Opus ejus pulcherrimum quod Assisii est; Obedientia videlicet & taciturnitas, prout & temperantia, aliæq; virtutes, unà cum paupertate. Assumtio S. Francisci. Et porrò Pisis, historia Jobi. Circulum ducit loco delineationis cujusdam. A Papa Benedicto IX. Romam vocatur & honoratur. Navem facit Musaici operis in pronao D. Petri. Et alia opera elegantissima Avenione aliisq; in locis. Neapolim venit, magniq; ibidem æstimatur à Roberto Rege. Comitas illius atq; urbanitas. Pingit Regnum Neapolitanum. Florentia honoribus ipsum cumulat & stipendio. Magistro suo illudit per muscam pictam. Epitaphium ejus.

Palingenesia Artis Pictoriæ in Italia anno 1240.



POstquam Italia ob cruentissima bella, & crudelissimas armorum injurias non flore saltem salutis publicæ, sed & omnibus bonis artibus, & inter eas quoque pictoriâ, diù satis caruisset, hæc tandem quasi è sepulchro rediviva circa annum Christi 1240. iterum prodibat, regenerante ipsam, ut ita dicam, Florentino quodam, cui nomen GIOANNI, CIMABUE cognomen erat, & prosapia illo tempore nobilis.

I. GIOANNI CIMABUE
Pictor Florentinus.

I. GIOANNI CIMABUE pictor Florentinus.

Illius pueritia.

CUmque jam in puero præcox eluceret ingenium, & ipse proptereà Scholam frequentare sedulò juberetur; ille ibidem potiùs, naturâ ad alia inclinante, virunculos, equos, ædiculas & similia in chartis suis depingebat, multo his nugis consumto tempore.

Græci in pingendo parum periti hanc artem in Italiam deferunt.

Commodùm autem à Magistratu Florentino Pictores quidam Græci advocati fuerant, qui Artem istam quasi omninò deperditam iterum reducerent. Hos, cum in templo quodam operi suo incumberent, Cimabue, neglectâ Scholâ, sæpius visitabat, per integros dies spectaculo huic intentus: quo commotus Pater ejus, his ipsis Pictoribus eundem in disciplinam tradebat, certâ spe ductus, quæ nec fallebat, eum hac in Arte quandoq; cum laude prævaliturum. Ab his exiguo temporis spatio informatus Cimabue, jam ipsos post se relinquebat Præceptores, antiquum scilicet obtinentes, nec ulteriorum studio ductos: ut non tantùm in Diagraphica præcelleret, sed in labore suo totam illam pingendi, sat crassam scilicet, Græcisque omnibus tunc usitatam, & antiquâ Græcorum perfectione procul dissitam methodum emendaret.

Cimabue istos Præceptores suos superat.

Operam dat picturis iconicis.

Cumque sic nomine & operibus, variis quidem in locis, in templis tamen potissimùm elaboratis, magno patriam decoraret splendore; facies quoque aliquas, quod tum temporis inusitatum erat, ad vivum delineabat. Labor autem illius non coactus erat atque rigidus; sed discussus magis & venustate decorus tàm quoad vestes, quàm quoad corpora nuda. Multæq; illius manu confectæ non historiæ minùs, quàm imagines in tabulis ligneis, colore ovis vel glutine temperato; quin & in recenti albario ad parietes depictæ Florentiæ adhuc hodie spectantur, quamvis multa quoque illius opera, per totam deinde Italiam dispersa, successu temporis deperdita sint. Ubi citra admirationem considerari non potest, conspectis nunc operibus ejus, quomodo in tanta Artis caligine ad tantum ipse emergere potuerit splendorem.

Opera ejus.

Florentina

Una autem tabularum ejus Florentiæ è domo ipsius insigni processione, magnoq; variorum instrumentorum Musicorum plausu ad Ædem D. Virginis deferebatur. Pisis autem subactu ovario in tabula depinxerat Christum crucifixũ, cum Angelis quibusdam plorantibus, schedulas verborum

Pisana.

ad Ma

ad Matrem lacrymis diffluentē & Johañem ex ore Domini prodeuntiū tenentibus: ubi in prima, ad dextram hæc extant: *Mulier! ecce filius tuus!* in altera ad sinistram: *Ecce Mater tua!* & in alia: *Ex illa hora accepit eam discipulus in suam.* Sic viam & inventionibus pandebat & sententiam quandam verbis exprimere instituebàt, quod illo tempore rarum quid erat, & cum admiratione spectabatur. Architecturæ præterea fuit quàm peritissimus. Et Effigies ejus in tabula literæ K. expressa habetur. Mortuus autem est Anno Christi 1300. ætatis sexagesimo; hoc honoratus Epitaphio:

Epitaphiū ejusdem.

Credidit ut Cimabos picturæ castra tenere;
Sic tenuit: Verùm nunc tenet astra poli.

Giotto discipulus ejus, gloriam illius haud parū offuscat.

Multos autem post se relinquebat discipulos, & inter alios Giottonem, qui hac arte insigniter inclaruit, & in domo Præceptoris sui permansit: certumq; est, multò majorem futuram fuisse Cimabui gloriam, hoc si discipulo caruisset: quod & Dantes Poëta in Carmine suo, quod Purgatorium appellat, in hunc sensum confirmat:

Jure suum Lumen Cimabon Pictura vocaret;
Umbram ni nimio Lumine Gotto daret.

Ubi Commentator in Dantem, qui circa annum 1334. claruit, hoc loco annotat, Cimabuen Pictorem Florentium nobilissimis & artificiosissimis operibus innotuisse, cujus tanta fuerit in arte pertinacia, ut errore quodam in operibus, vel à se, vel ab aliis deprehenso, quales interdum ob materiæ vel instrumentorum defectum surrepunt, statim eadem, quantumcunq; aliàs perfecta, diffregerit.

II. ANDREA TAFFI.

II. ANDREAS TAFFI Florentinus.

Quemadmodùm industria Cimabuæ picturæ majorem longè conciliaverat venustatem, admirantibus universis, quàm Græci hactenus observassent: ita & Musiva Andreæ Taffi opera illis temporibus magni æstimabantur.

Annotatio.

Ars Musivaria.

[*Liceat hîc paululum excurrere, & artem hanc Musivariam ex antiquitate aliquantulum illustrare. Josephus Scaliger ad libr. 5. Manilii, & Casaubonus ad lib. 1. Suetonii cap. 46. Musivum opus de pavimento sectili & tessellato exaudiunt. Alii de pictura, quâ fornices, apsides, cameræ, tholi, trulli, testudines templorum, porticuum & Basilicarum exornabantur. Scribit tamen & Pollio in Tetrico juniore; Tetricos obtulisse Aureliano civicam coronam de Musæo picturatam, & Codinus in Constantinopoli, calceorum Imperatorum de musivo pictorum meminit. Sæpiùs tamen musiva dicuntur de pavimento tessellato, & de crustis marmoreis, quibus parietes & apsides opere vermiculato ad imagines rerū & animalium ornabantur. Et de Pavimentis quidem hæc habet Plinius lib. 36. c. 25. Pavimenta originem apud Græcos habent, elaborata arte, ratione picturæ; donec lithostrota expulêre ea. Vult lateres coctiles variè pictos fuisse ante lithostrota. Ita dixit Apulejus: Pavimenta ipsa lapide pretioso cæsim diminuto in varia picturæ genera discriminantur. Suetonius lib. 1. cap. 46. Julium Cæsarem pavimenta sectilia tessellata secum in castris semper circumtulisse prodit. Latini vocarunt emblemata & scutulas.*

Græci recentiores tessellam musen vocârunt: Unde & Codinus in Constantinopoli museoma dixit. Plinius lib. 35. cap. 1. abacos vocat, ut & Vitruvius lib. 7. c. 3. Athenæus abacia & abaciscos. Alii Psephos & Psephides. Nicetas Choniates placas: Anastasius tessellas vocat platinas & laminas: Palladius in Majo, tabellas & paginas. Pavimenti hujus genus aliquod dicebatur asaroton; sive scopis non purgatum: de quo Plinius lib. 36. cap. 25. Celeberrimus in hoc genere fuit Sosus, qui Pergami stravit, quem vocant asaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento, quæq; everri solent, veluti relicta fecerat parvis è testulis, tinctisq; in varios colores. Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuscans: apricantur aliæ scabentes se in canthari labro. Sidonius asaroticos lapillos nuncupat: de quibus Statius in Tiburtino Manlii:

Calcabam nec opinus opes, quum splendor ab alto
Defluus, & nitidum referentes arëa testæ,
Monstravere solum, varias ubi picta per artes
Gaudet humus, superantq; novis asarota figuris.

Anastasius Biblioth. Platonias vocat in Leone III. & in Sixto III. à platinis s. tessellis. Pavimenta autem imaginibus de musivo ornari ostendit Galenus in exhortatione ad artes; ubi inquit: Pavimentum ex lapidibus pretiosis stratum, in quo ex iisdem vultus Deorum expressi. Artifices propriè dicebantur Tessellatores. Sed & parietes ex tessellis de musivo pingebantur. Unde Nicetas in Joanne Comneno: qui in parietibus per tesseras & calores exprimuntur. Et Plinius lib. 35. cap. 1. Auro ut parietes toti operiantur; verùm & intercæso marmore vermiculatis ad effigies rerum & animantium crustis. Philo de Cain: Albarium opus, & picturæ, & tabulæ, & pretiosorum lapidum di-

sposi

spositiones, quibus non tantum parietes, verùm & pavimenta, variè distinguunt. Picta marmora testulis ac crustis Anastasius Bibliothec. vocat marmora imaginata, & marmora in exemplis. In Leone III. dicens: Ponens in eo fundamenta firmissima in circuitu laminis marmoreis ornavit, & marmoribus in exemplis stravit. Epist. 67. Quod palatii Ravennatis civitatis musiva atq; marmora, cæteraq; exempla, tàm in strato, quàm in parietibus sita, vobis tribueremus. Musivarii ergò erant, qui solum, seu stratum, parietes & apsides tesseris ac scutulis marmoreis ad effigies rerum & animantium vermicularent, vel figlino opere & encausto pingerent. Quare Vitruvius lib. 1. c. 7. dixit: Pulsa deindè ex humo pavimenta in cameras transiére ex vitro. Sed disertè Procopius lib. 1. de ædific. Justiniani: Omne fastigium excultum est picturis, non cera infusa, & diffusa eo loci fixum; sed tessellis minutis in omne genus coloris tinctis aptatum; quæ & res alias & homines imitantur. Pugna est & bellum; diripiuntur multæ urbes, hinc Italiæ, indè Libyæ. Vincit Justinianus: Accedit ad Regem dux, integrum habens exercitum; tradit spolia, Reges & Regna: Stant in medio Rex & Regina lætis similes, & ob victoriam ferias agentibus. Vandalorum & Gothorum Reges adveniunt victi & captivi; circumstat Romanorum Senatus omnes ferias agentes. Hoc lapilli hilari planè & floridâ facie ostentant. Id genus Musivi describitur & à Manilio lib. 5.

Artifices auri faciet, qui mille figuris,
Vertere opus possint, caræque acquirere dotem,
Materiæ, & varios lapidum miscere colores.
Sculpentem faciet sanctis laquearia templis,
Condentemque novum cœlum per tecta Tonantis.

Eodem argumento Julius Firmicus l. 4. c. 15. musivarios & pictores distinguit. Et Symmachus lib. 8. epist. 41. Novum, inquit, musivi genus reperisti, quod etiam nostra ruditas ornandis cameris tentabit affigere, si vel in tabulis, vel in tegulis exemplū de te præmeditati operis sumserimus. Sic & lib. X. tit. 64. Cod. mentio fit muscariorum. Anastasius in Leone IV. Oraculum, ait, pulcris marmoribus circundans apsidam ejus ex musivo decoravit &c. Idem in Leone III. ædificavit Ecclesiam cum apsida amplissima & cacumina magnifica de musivo. Ibidē: Fecit in triclinio majori miræ pulchritudinis decoratam apsidam, de musivo ornatam. In Hilario, dixit, ornare ex musivo; depingere musivo. In Benedicto III. Pictura musivi decorare. In Zachariâ: musivo & picturâ ornare. Sic Spartianus ait: In Commodianis hortis in porticu curva, Pescenninū de musivo pictum inter Commodi amicissimos, Isidis sacra ferentem. Gregorius quoq; Turonensis & Æmoinus monachus musivi mentionem sæpè faciunt. Græcum igitur μουσιοῦν est variegare: μουσίωμα opus varium; & musivum; μουσεῖον, μουσαικόν. Vermiculatum autem dicebatur, à vermiculo, quod erat scalpellum, seu veruculum sculptorum; unde vermiculatus id est sculptus. Apud Athenæum lib. 5. In pavimento Hieronis descriptæ erant omnes Iliadis fabulæ; ex omni scilicet lapidum genere. Apud Sidonium lib. 2. ep. 10. Musivum ita describitur:

Distinctum vario nitore marmor
Percurrit cameram, solum, fenestras,
Ac sub versicoloribus figuris,
Vernans herbida crusta saphyratos
Flectit per prasinum vitrum lapillos &c.
Et campum medium procul locatas
Vestit saxea sylva per columnas.

Sic Jacobus Pintus lib. 3. tit. 4. de Christo crucifixo scribit: In Sardinia, in Turriano templo nuper effosso repertum pavimentum musivi operis vermiculati pulcherrimum, & quatuor monumenta, Gaudentii, Luxorii, Justini atq; Florentii Episcoporum, cum suis epitaphiis ex ipso eodem musivo opere tessellato, appictis floribus, vasis & avibus ejusdem operis speciosissimè intertextis. Sub altari confessionis subterraneo arcus insignis repertus est, operis musivi, longus decem palmos & quatuor latus, semicircularis, omnigenis floribus, rosis, avibus intertextus, cujus pavimentū lithostroton musivi operis tessellatum. Erant & picturæ crucis, agnorum, columbarum, iconicæ, operis musivi vermiculati. In ipso conditorii medio elegans juvenis species ad vivum effícta, ejusdem musivi operis, cum agno humeris imposito. Nihil autem magnificentius in opere musivo cerni potest, quàm quod visitur hodieq; Constantinopoli in templo Sophiæ; Romæ in æde S. Pauli; S. Agnetis; S. Cæciliæ, & in æde S. Mariæ majoris in sacellis, quæ Sixtus V. & Paulus V. Pontifices exstruxerunt. Sed nihil admirabilius, quàm quod hodiè visitur Florentiæ in æde S. Laurentii in sacello subterraneo gentis Mediceæ. Vide Jul. Cæs. Bulengerum de picturâ &c. lib. 1. cap. 8.]

Hic Florentiâ Venetias profectus, ubi Græci quidam in Æde D. Marci talia opera musiva elaborabant, factâ cum illis familiaritate, id efficiebat, ut unus illorum Artificum, Apollonius nomine, cum ipso Florentiam abiret, artemq; hanc vitrariam musaciam, methodumque ejus encausticam, nec non cœmenti illius componendi, in quo segmenta ipsa componūtur, edoceret. Hi duo ergò simùl multa conficiebant opera, illis temporib' multâ laude celebrata: quamvis hæc tùm Andream sequeretur fortuna, quòd circa diagraphicē exiguo tùm homines pollerent judicio. Ex-

Opus Musaicū Græci in Italiam deferunt.

K



Giovanni Cimabue.



Gaddo Gaddi.



Stefano



Giotto Pittore, Scult: et Architetto.



Simone Sanese.



Agnolo Gaddi.

G C Eimart sculpsit

actis autem annis ætatis suæ 81. ante Cimabuen moriebatur, Anno 1294. Ejusque gloria, Musaicis his operibus parta, quod scilicet in Toscanam primus eadem introduxisset, Gaddum, Giottonem & alios ita stimulabat, ut multis illum hâc in arte præcellerent parasangis.

III. GADDO GADDI
Pictor Florentinus.

III. GADDO GADDI Pictor Florentinus.

MEliori delineationis venustate coætaneus ejusdem Gaddo Gaddi usus est; prout & Græcum opus perfectiùs elaborabat idem: quod procul dubio à familiaritate illâ profectum, quam iste cum Cimabue excoluit, variisque amborum Colloquiis de difficillimis quibusque in Arte pictoriâ casibus; quamvis fortè nec parùm contulerit ipsius quoque aëris Florentini subtilitas. Effigiem ejus tabula literæ K. repræsentat. Florentiæ opera Musaica effecit quàm plurima, & meliori quidem designatione majorique judicio, quàm ullibi conspicere liceat per totam Italiam. Hac famâ inclarescens anno 1308. Romam evocabatur, ubi pariter multa musivo pingebat opere, ab antiquâ Græcorum ruditate magnoperè diversa. Perfectis autem & in aliis Tusciæ urbibus operibus quibusdam, Florentiam revertebatur, ad majorem vitæ tranquillitatem sese compositurus: ubi opera quædam etiam parva elaborabat, verbi gratia Musaica quædam, ex ovorum putaminibus, in quibus magnâ utebatur animi moderati patientiâ. Fecit autem & picturas quasdam; & in utrâque Arte haud postremus artificum præter honores & opes cumulabat: mortuus tandem anno 1312. Christi, ætatis 73.

Artificiosus est in opere Musaico Florentiæ:

... Romæ

... & aliis in ... locis.

IV. MARGARITON Pictor, Sculptor & Architectus.

... MARGARITON Pictor, Sculptor & Architectus.

INter antiquiores illos pictores, quos magnâ famæ, artisq; celebritate antecellebant Cimabue, Giotto, aliique horum discipuli, numerandus est & Margariton iste. Græcorum enim more Aretii laborabat, subactuque ovario varias pingebat tabulas. Adde quod & in recenti albario multa depingeret, industria ubique usus & labore quàm plurimo. Hic primus tabulas pingendas, ne dehiscerent, linteo obducens forti istud initio firmabat glutine; superaddito deinde glutine cocto, & tandem coloribus. Ipse quoque modum invenit auro foliato bolum inducendi, nec non auro bruno pingendi, quod antehac in usu nondum erat. Tumulum etiam extruxit marmoreum, effigiem Papæ è marmore effingens cum coloribus; quod præcipuum existimatur illius operum. Idem quoque Aspectum elaboravit anno 1270. Palatii Gubernatoris Anconæ, Græcâ methodo, variis historiis Sculpturæ simæ eundem exornans. Mortuusque tandem anno ætatis 77. hoc honorabatur Epitaphio;

Invenit methodum linteo obducendi tabulas.

Epitaphium:

> Hic jacet ille bonus picturâ Margaritonus:
> Cui requiem Dominus tradat ubique pius.

V. GIOTTO Pictor, Sculptor & Statuarius Florentinus.

V. GIOTTO.

GIOTTO iste natus est anno 1276. Vespigniani, qui pagus est, quatuordecim milliaribus Italicis Florentiâ distans. Pater ejus rusticus erat, Bondon nomine: & effigiem ejus tabula K. exhibet. Puer adhuc, decem vix annorum, vivax jam prodebat ingenium, quo amorem non Patris tantùm, sed & omnium vicinorum sibi alliciebat; interim, cum, quo natura eum ductura esset, nondum appareret, ad oves pascendas à Patre adhibitus. Ubi, quoniam ad diagraphicen inclinaret, datâ occasione, in muris semper ad vivum, vel ad arbitrium quædam delineare solebat.

Opilio fuit.

Casu autem Cimabue, ad gerenda negotia quædam in pagum illum veniens, repertum Giottonem, qui unam suarum ovium dexterrimè delineaverat, admiratus interrogabat, annon secum Florentiam abire cuperet? Qui annuens, si Pater id permittat; eodem consentiente, hoc modo Florentiam pervenit: ubi favente natura & informante Cimabue eousque proficiebat, ut non tantùm Præceptori æqualis evaderet, sed & ab antiquâ Græcorum grossitie penitùs descicens, meliorem modernorum Artem, quin & picturam ad viva exemplaria, per duo hactenus secula parùm curatam, in lucem reproduceret. Inter alia autem Iconem Dantis amici sui, picturæ non minùs felicitate, quàm Poëseos facilitate præstantissimi, effecit; cum aliis operibus plurimis in templis & monasteriis, quorum admiratione, ob juventutem ejus ducebantur spectatores. Florentiâ a. relictâ artem suam, in aliis quoque Italiæ Civitatibus excolebat, magnam ubique præstantiæ famam affecutus. Affectuum autem in imaginibus suis potissimùm erat studiosus, & in novis inventis assiduus, ita ut naturæ ubivis sese præberet discipulum. Assisii in Umbria in monasterio S. Francisci, in quo sepulcrum Sancti istius visitur, historias multas in recenti depinxit gypso ad muros, cum insigni figurarum vivacitate & discriminatione. Inter alia autem eleganti inventione Obedientiam depinxit, ju-

Cimabues discipulus fit.

Amicum habet Dantem.

Opera ejus Assisii.

gum monacho cuidam in genua proſtrato circa collum aptanti, quod manibus è cœlo demiſſis attollitur. Ubi ſilentium quoque expreſſum eſt, ſive Taciturnitas, digito labellum compeſcens, oculis ad Chriſtum directis lateriſluum: cui comites adſunt Sapientia & Humilitas: ut oſtenderet obedientiam harum virtutum eſſe matrem, easdem autem omnium bonorum operum autores. Ex altero latere Pictura eſt Temperantiæ in arduâ rupe conſiſtentis, nec coronis, nec palmis, à quibusdam oblatis, victæ: ad cujus pedes Puritas eſt, hominem nudum lavans; & conſtantia animi, plures ad ſimilem loturam adducens. Puritati Pœnitentia adeſt, Cupidinem alatum diſciplinâ abigens & impuritatem expellens. Pictura tertia Paupertatem exhibet, nudis pedibus in ſpinis incedentem, perſequente eam retrò cane latrante; & lapidibus petente è latere puero, unà cum alio ſimili, ſpinas baculo pedibus ejus apprimente. Hæc Paupertas à Chriſto, connubio jungitur Franciſco, adſtantibus Spe & Caſtitate. Figura quarta eſt S. Franciſci aſſumti, candidâ amicti ſtolâ, & magno angelorum choro undiquaque circundati: ubi ipſe vexillum gerit cruce & ſeptem ſtellis inſignitum, volitante ſuper eo Spiritu Sancto. Angeli autem Schedulas manibus tenent cum inſcriptionibus latinis pro cujusvis picturæ explicatione. In eodem templo adhuc alium pinxit Franciſcum in calce recente, in quo tàm intima apparet devotio, ut citra admirationem ſpectari nequeat.

Piſis. Florentiam deindè reverſus, Piſis in albario recente ſex pinxit hiſtorias de patientia Jobi, in quibus multæ figuræ elegantiſſimæ. Et inter alias ruſtici quidam triſte Jobo nuncium referentes, tàm quiritabundi & lamentantes, ut emendationi nullus ſuſperſit locus. Servus quoque ibidem viſitur, ulceribus cumulato & quaſi deſerto ab omnibus Domino ſuo, unâ manu muſcas abigens, & ob fœtorem alterâ naſum obturans. In omnibus autem geſtus ubique ſpectatur decorus, facies vividæ, & veſtes nec implicatæ nec rigidæ.

Fama operis hujus Benedictum IX. Pontificem Romanum commovebat, ut, cum picturis quibusdam ornare vellet D. Petri Templum, quendam in Tuſciam mitteret, ſpectatum Giottonis artem. Qui cum in itinere ab artificib' quibusdam Sienenſibus delineationes aliquas poſtulâſſet Papæ offerendas, ut a tis ſuæ ſpecimina, Florentiam ingreſſus idem & à Giottone Pontificis nomine expoſcebat. Ubi hic jocoſior cœteris, accepto chartæ folio, brachioque loco circini ad latus firmato, manus gyro penicilli ductum deſcribebat exactè circularem; quem ſpeciminis loco Pon- *ſpecimen edit.* tificis tradebat nuncio: hoc addens, indignabundo quaſi ob illuſionem; ſufficere hoc, nec aliud petiturum Pontificem. Qui etiam, factâ relatione, ex hinc Giottonem omnes ſui ævi pictores ſuperare judicavit.

Romam vocatur. Romam igitur ab eodem vocatus, multa ibidem elaborabat elegantiſſima, magnis propterea affectus, præter honores, muneribus. Inter cœtera autem Imago erat D. Virginis in muro depicta; quæ, diruto deindè muro, propter artificium, multo labore exſecta, & in alium locum traslata eſt. Idem quoque muſaico opere Navem illam, quæ in pronao D. Petri ſuprà introitum adhuc viſitur, depinxit, in quâ varii Apoſtolorum geſtus, exorta in mari tempeſtas, elatio vento diſtenſi veli, inſignis teſſellarum vitreatarum ſimilitudo; affectus etiam piſcatoris cujusdam hamo intenti, citra admirationem ſpectari nequeunt. *Navem templi Petrini facit.* Quin & Avenione (quò ſecutus erat Clementem V.) aliisque in Galliæ locis multa poſt ſe reliquit opera celebratiſſima, reverſus indè anno 1316. muneribus & famâ clarûs. *Opera ejus Avenionenſia.*

Neapolitana. Deindè à Roberto Siciliarum Rege & Neapolin vocabatur, cui in templo cœnobii S. Claræ multas è Veteri & novo Teſtamento hiſtorias; aliasque ex Apocalypſi Johanniticâ figuras pinxit. Ubi, prout & antè Aſſiſii, multas à Dante amico ſuppeditatas inventiones hinc indè adhibuiſſe dicitur. Regi autem præter picturam, artificis quoque comitas & argutia admodùm placebat: ut haud infrequenter eidem ſpectator adeſſet. Ubi cum aliquando pingentem ſic alloqueretur Rex: ſi tuo loco forem, in tanto calore non pingerem: Ipſe argutè; profectò, reſpondit; ſi Regis loco eſſem, non pingerem. Alio tempore cum joco Rex cuperet, ut Regnum ſuum ſibi depingeret; Giotto aſinum pinxiſſe dicitur ſellâ quidem jam ſtratum, ſed odoris tamen novæ cujusdam ante pedes jacentis ſellæ cupidum, naribusq; hanc p atentem; appictis utrique ſellæ coronis cum ſceptris. Ubi quid hoc ſibi velit, interroganti Regi, reſpondiſſe dicitur: Aſinum ſubditos denotare; coronas regem: novos enim illos cupere indies.

Florentina. Florentiam reverſus, inter plurima alia, imagines quoque aliquas crucifixi pingebat in plano deaurato; cum multis etiam Architecturæ & Sculpturæ operibus ſimilibus variis inventionibus fabrefactis. *Honores ejus.* Inter honores autem illius & hic numeratur, quod in civem aſſumeretur Florentinum, & ex ærario publico quotannis centum aureorum muneraretur ſtipendio; quæ ſumma illis temporibus haud erat contemnenda. Tandem anno 1336. extremum obibat diem ſexagenarius, multos poſt ſe relinquens diſcipulos.

Inter

Jocus.

Inter jocos tandem illius, quorum multi circumferuntur, & hic refertur, quod in ætate suâ juvenili in figuræ cujusdam à Præceptore Cimabue pictæ naso muscam depinxerit tàm vividam, ut Præceptor ad machinam rediens, aliquoties eandem manu abigere tentaret, nec pictam agnosceret, nisi quatenus immotam.

Angelus Politanus hoc ipsi condidit Epitaphium:

Epitaphium.

Ille ego sum, per quem pictura extincta revixit:
Cui quàm recta manus, tàm fuit & facilis.
Naturæ deerat, nostræ quod defuit arti.
Plus licuit nulli pingere nec meliùs.
Miraris turrim egregiam, sacro ære sonantem:
Hæc quoque de modulo crevit ad astra meo.
Denique sum Gottus: quid opus fuit illa referre?
Hoc nomen longi carminis instar erit.

CAPUT II.

De

STEPHANO; LAVRATO, aliisque sex artificibus.

Argumentum.

VI. STEPHANUS Pictor Florentinus. Opera ejus Pisæ; Florentiæ transfiguratio Christi: ædificium opticè pictum: historia de navicula Christi. Simia naturæ dicitur. Assisii gloriam cœlestem pingit. Architectus erat. Epitaphium ejus. VII. PETRUS LAURATUS Pictor Senensis. Opera ejus Senæ, Aretii. VIII. BONAMICUS BUFFALMACCUS pictor Florentinus. Opera ejus: Vita Christi; Patriarchæ & Evangelistæ. A Simia decipitur. Historia de rustico. Imagines quomodo vocales reddantur. De usu antiquarum vestium. IX. AMBROSIUS LORENZETTUS pictor Senensis, primus meteora depinxit. X. PETRUS CABALLINUS pictor Romanus. Opus ejus Crucifixus Assisii: pro Sancto habetur. Epitaphium ejus. XI. SIMON SENENSIS Lauram pingit Petrarchæ amasiam. Epitaphium ejus. XII. ANGELUS GADDI pictor Florentinus, Affectus egregiè pingit: item Tempestatem marinam; Veritatem & Mendacium: Grammaticam; crucifixionem Christi Aretii. Architectus est, pontemq; Florentiæ super Arnum struxit. Epitaphium ejus. XIII. ANDREAS ORGAGNA pictor Florentinus, sculptor, Architectus & Poëta. Delicias mundi pingit & miseriam humanam: amicos suos in cœlum, inimicos in infernum collocat.

VI. STEPHANUS Pictor Florentinus.

VI. STEPHANO, Pictor Florentinus.



STEPHANUS Gotti discipulus non omnibus saltem coætaneis, sed & Præceptore ipso clarior, Pisis imaginem D. Virginis pinxit in templo, quod Campi Sancti dicitur, jam tum Præceptoris operibus celebriorem. Florentiæ in monasterio S. Spiritus tres arcus pinxit in recente albario: inque primo transfigurationem Christi, in quâ circa vestes Apostolorum nova invenit plicaturarum genera, sub quibus nuda quoque promicarent membra, quod nemo adhuc observaverat. In altero historiam exhibebat sanati Lunatici, inque eâ domum quandam columnatam scenographicè juxta regulas delineatam, quod illo tempore parùm adhuc innotuerat; præcipuè autem admirationem in eâ meretur scala quædam optico prospectu notabilis.

Opera ejus. Pisana. Florentina.

In arcu tertio historiam periclitantium naufragio discipulorum depinxerat, in quâ præter affectum terroris è facie discipulorum elucescentem, qui variis quoque monstris marinis tentari finguntur, vestium quoque tantum est artificium, ut opus hoc inter optima ejusdem reputetur. Prætereà in sacello quodam Luciferi effiguravit lapsum, cum variis corporum, brachiorum & pedum catagraphis, ut propterea Naturæ dictus fuerit simia.

Et quamvis plura quoque Florentiæ, Mediolani, Romæ & alibi de ipso extent: præ cœteris tamen summam meretur laudem Gloria quædam cœlestis Assisii picta, quamvis haud absoluto opere: ubi tanta est vultuum varietas, tanta spirituum cœlestium jucunditas, tàm varii obvolitantium angelorum situs, ut illorum temporum circumstantia fidem vix admittat. In

Assisiana.

Zophoro quodam ibidem pariter Angelos quosdam effiguravit, qui septem Ecclesias Apocalypticas manibus tenent admirandæ venustatis. Sed & Architecturæ laude claruisse fertur, mortuusque esse anno, qui Jubilæus erat, 1350. ætatis 49. Iconem ejus tabula K. repræsentat: & Epitaphium ita habet:

Epitaphium:

STEPHANO. FLORENTINO. PICTORI. FACUNDIS. IMAGINIBUS. AC. COLORANDIS. FIGURIS. NULLI. UNQUAM. INFERIORI.
AFFINES. MOESTISS. POS.
VIXIT. ANN. XLIX.

VII. PETRUS LAURATI, Pictor Senensis.

VII. PIETRO LAURATI Pictor Senensis

HUjus non fama tantùm per totam Tusciam, sed opera quoque, præsertim Senensia, testantur, quod Cimabon & Gottum longè superaverit. Inter picturas ejus Senenses est oblatio D. Vi ginis à parentibus in templum deductæ, & Scalam ibidem ascendentis, àque Sacerdote receptæ. Ubi simul apparet ritus quidam nuptialis: vestibus ubique pulcherrimis & faciebus seriis, cum situ figurarum verè decoro. (Opera ejus Senensia.)

Aretina.

Aretii Assumtionem D. Deiparæ in albario recente pinxit, in quâ Apostoli infrà quatuor cubitorum altitudine; Angeli suprà in fornice chorum circa D. Virginem ducentes cantantibus similes, cum circumstantiis aliis, venustate admirandâ. Maximam operum suorum partem circa annum Christi 1350. pinxisse dicitur.

VIII. BONAMICUS BUFFALMACCUS Pictor Florentinus,

VIII. BONAMICO BUFFALMACCO.

JOcis variis cum Brunone & Calandrino sociis, pictoribus etiam è Boccatio notus. Inter prima ejus celebria pictura erat vitæ Christi in cœnobio quodam monialium, jam destructo; ubi in infanticidio Herodis ferocitas laudabatur tàm militum, quàm matrum & nutricum quarundam, unguibus æquè ac dentibus defensionem meditantium. Ad hunc laborem cum accederet viliore habitu, nec à monalibus agnitus, interrogaretur, cur non ipse Magister ad picturam advenisset? spectrum finxisse dicitur è scabellis, ollâ caput repræsentante, mitrâ & pallio celatum; quod magistri loco sedens pingere videretur: donec joco agnito benigniùs exceptus esset. In albario quoque recente quatuor Patriarchas & quatuor Evangelistas pinxit, sed optimè Lucam, quasi flatu calamum sollicitantem. (Opera ejus.)

Aretina.

Aretii tamen à simiâ Episcopi insigniter delusus dicitur: quæ laborem ejus, pro more animalis hujus, imitatura, totam ipsius picturam coloribus offuscârit: irato primùm Artifice, donec ex insidiis observaretur novitii Pictoris sagacitas.

Historia de rustico.

Rustico cuidam, cum in muro ejus humente depinxisset D. Virginem, mercedem neganti; ursum loco puelli intra ulnas sanctissimæ matris substituisse dicitur; donec ille deprecatus pictorem placaret.

Imagines vocales.

Brunonem amicum, querentem, quod non satis vividæ sibi viderentur imagines suæ; remisisse fertur ad picturas Cimabues, Schedulas ore tenentes; quâ ratione non vividæ saltem, sed & vocales futuræ sint illius figuræ.

De usu antiquarum vestium.

In hujus aliorumque artificum antiquiorum picturis, varia illa observari possunt vestium genera tum temporis usitata, quæ & hodiè in depingendis historiis veteribus loco debito quandoque usui esse possunt. Mortuus est anno 1340.

IX. AMBROSIUS LORENZETTUS, Pictor Senensis,

IX. AMBROSIO LORENZETTO.

ERuditione claruisse dicitur ut picturâ; nobili, vel philosopho, similior quàm pictori; ita ut & ad munia publica adhibitus sit. In Operibus tamen devotus fuit & venustus. Primus meteora pinxisse fertur, ut pluvias: tempestates & similia: subactu ovario potissimum usus & picturis in albario humido celebris. Mortuus est anno ætatis 83. (meteora pingit.)

X. PETRUS CABALLINUS Pictor Romanus:

X. PIETRO CAVALLINO.

GIottonis discipulus, & in effigurandâ Musaici operis nave in Æde D. Petri adjutor; quamvis cum hoc partim, partim solus plurima fecerit alia, nullo tamen ita emicuit, ac picturâ quadam crucifixi in recenti albario Assisii factâ, in quâ tanta est omnium partium similitudo, ut unius diei labor videatur. Mirari ibidem liceat variarum vestium, armorumque equites; angelorum in aëre volitantium mœrorem, lacrymas, planctus, & similia. Idem & Sculptor fuisse perhibetur; & crucifixi illa imago, quæ extra Romam in æde D. Pauli extat, & anno 1370. cum S. Brigitta locuta esse dicitur, eidem tribuitur. Ob humilitatem autem & pietatem pro Sancto habebatur; mortuus anno ætatis 85. Ischiaticâ Magnam laborum partem circa annum 1364. perfecit; & extra Romam in eodem D. Pauli templo sepultus est, ubi hoc ejus Epitaphium: (Opera ejus Assisianum)

Epitaphium ejus.

Quantum Romanæ Petrus decus addidit Urbi
Picturâ; tantum dat decus ipse polo.

XI. SIMON Senensis.

XI. SIMON DE SIENA

Diagraphices probè gnarus, & inventionibus dives, viva exemplaria dexterrimè exprimebat: cumque Petrarchæ amicus esset, amicam hujus Lauram iconicè pinxit; cujus ut & Petrarchæ veras effigies tabula L. & pictoris nostri tabula K. exprimit. Mortuus est sexagenarius anno Christi 1345. hoc Epitaphio honoratus:

Lauram pingit.

Epitaphium ejus.

SIMONI. MEMMIO. PICTORUM. OMNIUM. OMNIS. ÆTATIS.
CELEBERRIMO. VIXIT. ANN. LX. MENS. II. DIES. III.

XII. ANGELUS GADDI Pictor Florentinus.

XII. ANGELO GADDI

Gaddonis Gaddi filius, cujus iconem habes tabula K. Patris primùm, deinde Gotti per annos 24. Discipulus: perturbationum animi præcipuè studiosus. Inter opera ejus celebratur naufragio periclitatus D. Nicolaus. Item in curia quadam veritas nuda, mendacio, atro habitu vestito, linguam eruens, spectantibus sex senatoribus. Porrò in muri cujusdam albario septem artes liberales, inter quas Grammatica puerum informans, Donato pedibus ejus assidente. Item septem virtutes, quatuor nimirum cardinales, & tres Theologicæ. Præ cœteris autem crucifixio Domini, Aretii facta, cum latronibus, & ministris variis, inprimis verò militibus sorte vestem Domini divisuris, quorum gestus mimici satis laudari nequeunt. Quo in opere socium habuit sub finem Simonem Memmium condiscipulum olim. Idem Architectus erat insignis, turrisque ad S. Mariam floridam (al S. Maria del Fiore) structor, quod est opus variis Sculpturis insigne. Quin & pontis Florentiæ suprà Arnum, in quo 44. tabernæ mercatorum, undè octingentis annuatim coronatis augetur ærarium, ipse est autor: quod opus admodùm durabile est, cum alius ejusdem pons inundatione anni 1557. die 13. Septembr. jam sit dirutus. Mortuus est anno Christi 1350. ætatis 50 Febri acutâ; ipsiusque hoc est Epitaphium:

Opera ejus.

Architectus est.

Hoc uno poterat dici Florentia felix
Vigente: at certa est non potuisse mori.

Epitaphium.

XIII. ANDREAS ORGAGNA Florentinus, Pictor, Sculptor, Architectus & Poëta:

XIII. ANDREAS ORGAGNA.

In juvenili ætate Sculpturam didicit, à qua ad diagraphicen remittebatur, undè cum inventionibus sese dederet, & Poësin excolebat, & Architecturam. Pisis picturâ quadam omnes mundi delicias exhibiturus, varias pingebat diversarum dignitatum, & quasdam ad vivum, personas inter florum arborumque odores, supra circumvolitantibus amoribus coram choreas ducentibus pulcherrimis, ad viva plerumque exemplaria depictis virginibus; ponè adstantibus musicis; haud procul instructis ciborumque vinique varietate mensis, ut cuivis sensui ne sua deforet voluptas. Ex altero autem latere in rupe quâdam asperrimâ non nisi tales repræsentabat, qui, relicto mundo, rigidiore vitâ DEO servirent, ut anachoretas, alium legentem; orantem alium; cum pauperibus quibusdam durissimo labore vitam sustentantibus; inter quos præ cœteris unus capram mulgens. Infra autem S. Macarius tribus unà cum conjugibus, equis splendidè vectis Regibus miseriam vitæ humanæ commonstrat, aperto trium putrescentium jam Regum sepulchro, quorum fœtorem viventium unus manu à naribus arcet. In mediâ autem picturâ atrâ veste obvolitat mors, falce occisos à se ostendens plurimos, tàm divites quàm pauperes, tàm sanos, quàm ægros, tàm juvenes quàm senes. Tales inventiones cùm inscriptionibus pinxit plures; & inter alia extremum judicium, in quo pulcherrimè expressi sunt cruciatus damnatorum; & hîc quidem inter istos locavit inimicos suos, iconicè repræsentatos, quorum unus Notarius erat; & magus alter, quem cœcum Asculitanum dicebant: Amicos autem & fautores ad vivum etiam inter electos reposuerat. Mortuus est anno ætatis 60. Christi, 1389.

Delicias mundi pingit.

& miseriam vitæ humanæ.



CAPUT III.

THOMAS GIOTTINUS, LIPPUS,

& adhuc quinque alii pictores & artifices.

Argumentum.

XIV. THOMAS GIOTTINUS, pictor Florentinus. Opera ejus. Christus mortuus, cum eleganti affectuum expressione. Methodus ejus pingendi peculiaris. XV. LIPPUS, Pictor Florentinus. Rixosus est. Dellus pingendorum musculorum inventor. XVI. MASACCIUS, pictor. Quanto artificio pinxerit: Opera & Epitaphium ejus XVII. LEO BAPTISTA ALBERTI, Florentinus, pictor & Architectus: multos edit libros. XVIII. PETRUS FRANCISCÆ è CATSRO S. SEPULCHRI, prœlium pinxit. XIX JOHANNES FIESULANUS pictor & monachus ordinis prædicatorum. Pietas ejus & humilitas. Opera ejus miniata; majora; D. Virgo. Alia. Discipuli ejus & Epitaphium. XX. PHILIPPUS LIPPUS Florentinus, Pictor & monachus ordinis Carmelitarum: deserto cœnobio, arte suâ pictoriâ è Servitute sese liberat. Opera ejus. Affectus congruè exprimit. Lascivus est. Monialem seducit; & veneno necatur. Epitaphium ejus.

XIV. THOMAS GIOTTINUS, Florentinus, Pictor;

XIV. THOMA GIOTTINO.



Florentiæ natus Anno 1324. Patre Stephano, de quo suprà paragrapho sexto, quo etiam præceptore usus est in fundamentalibus; in cœteris Giottonis discipulus, eodemque felicior, â quo & cognomen retinuit. Opera ejus. Inter opera ejus pictura erat in se laudabilis quidem; sed quod Principem quendam contineret, cujus capiti, in opprobrium ejus, vultures, aliæque aves rapaces imminebant, famosa potiùs; cum Artis nostræ gloria quærenda non sit ex aliorum, nedum Magnatum ignominiâ. Deinde Christum pinxit mortuum ovario subactu, circa quem Maria plorans, Nicodemus mœrens; cum aliis tristitiæ exemplis variis, venustate tamen vultuum servatâ incorruptè, quod mirandum maximè. Methodus ejus. Tanta autem erat ipsius industria & elegantia, utè paucis illis, quæ de ipso re stant, vel capilli, barbæ & vestes testentur, omnem perfectionis venustatem in ipso coacervatam fuisse. In hoc autem gloriæ zelo sanitatis minùs studiosus anno ætatis 32. tabe consumtus moriebatur.

XV. LIPPUS Florentinus Pictor.

XV. LIPPO. Cujus faciem tabula L. spectandam exhibet, natus est anno 1354. & quamvis tardiùs ad Artem accessisset, suâ tamen celebritate non caruit: non ob inventiones tantùm, & historiarum combinationes, sed & ob colorum amœnitatem, ita ut, relictâ veteri methodo, è tristi suo picturam lethargo excitâsse dici queat. Maxima autem operum parte circa annum 1410. perfecta, cum rixosior esset, & litium studiosus, vespere quodam ab adversario, quem anteà in foro acerbius notaverat, in pectore vulneratus suum obiit diem.

Plures alios hîc transeo, Dello excepto, qui, quamvis delineandi aliàs non adeò esset gnarus, primus tamen musculos nudorum corporum discrevit, à Rege Hispaniarum propterea in ordinem equestrem elevatus. DELLUS musculorum pingendorum Inventor.

XVI. MASACCIUS aliàs THOMAS è castello S. Joannis Valdarnensi oriundus

Misanthropos ob Artis studium & rerum suarum negligentissimus, unde Masaccio, sive incurius dicebatur; tantos in arte progressus fecit, ut novus quasi ejusdem inventor dici posset, eò quod relictâ veteri duritie & confusione, antiquissimam decororum gestuū methodum cum venustâ ad vitæ exemplar elevatione reproduxerit; catagraphorum & elegantiæ ubique studiosus, vestium ob evitatas plicas nimias, & colorum in his cum carne concordantiam, artifex; in dispositione figurarum Philippi & Donati statuariorum imitator, ut imago elevatior etiam imi quid ostenderet: undè adhuc magni æstimantur illius opera, & plures eundem sunt imitati tàm pictores quàm statuarii, inter quos Johannes Fesulanus, & Philippus monachi; Philippinus; Alexius Baldovinettus; Andreas Castaneus; Andreas Verrocchianus; Dominicus Grillandæus; Alexander Botticellus; Leonardus Vincensis; Petrus Perusinus; Bartholomæus de S. Marco monachus; Mariottus Albertinellus; ut & Michaël Angelus Bonarotus; Raphël Urbinâs; Andreas Sartorius; Rossus, & plures alii.

XVI. MASACCIO. Artificium ejus.


Maxi-



GIOVANN DA FIESOLI DOMINICANUS MONAC.


LIPPO FLO- RENTINUS


FRANCESCO PE- TRARCHA POETA


LAV RA


THEOPHRASTVS PARACELSVS


GIOVANN BATTISTA AL BERTI FLORENTIN

Opera ejus. Maxima pars operum ejus Florentiæ in Sacello Brancatti, ubi vitam Petri depinxit; & maximâ cum laude historiam didrachmi ex ore piscis desumti. Item alibi Petrum currentem & alium simùl nudum; qui præ frigore tremere videtur. Sed mortuus est in juventâ anno nempè ætatis 26. Christi 1446. veneni suspicione; Inter alia encomia & hoc honoratur Epitaphio:

Epitaphium:

Invida cur Lachesis primo sub flore juventæ
Pollice discindis stamine funereo?
Hôc uno occisô innumeros occidis Apelles;
Picturæ omnis obit hoc obeunte lepos.
Hôc sole extinctô extinguuntur sidera cuncta;
Heu decus omne perit hôc pereunte simùl.

XVII. LEO BAPTISTA ALBERTI Florentinus; Pictor & Architectus.

XVII. LEON BAPTISTA ALBERTI.


Cujus iconem spectare licet tabulâ L. Geometriæ, Arithmeticæ & Architecturæ laude clarus, Anno 1481. de Architecturâ latino sermone scripsit Libros decem; unà cum Tractatu de Altimetria, aliisque de vita civili & similibus. De pictura etiam edidit Libros tres, qui satis edocent, quantum in illa profecerit. Cum autem genere nobilis esset, statuspotius & studiorum ratione habitâ, in picturâ nihil edidit illustre; Familiaris autem Papæ Nicolao V. structuras adornavit complures, quarum aliquæ cum laude ejus adhuc spectantur.

Libros edit

XVIII. PETRUS Franciscæ de castello S. Sepulchri.

XVIII. PIETRO DELLA FRANCESCA de Borgo à S. Sepolcro.

Operibus nocturnis celebris erat & Scenographicis: nec non prœlii cujusdam picturâ, in quâ metum, fortitudinem, celeritatem, aliosque belli casus cum mortuis & vulneratis hominibus equisque plurimis, fugientium confusione, pugnantium ardore, armorum fulgore &c. egregiè expressit. De Arithmeticâ & Geometriâ plures edidit libros: imagines autem iconicas ad vivum dextrè repræsentavit; cum operibus pluribus aliis, quibus haud parvam assecutus est famæ gloriam.



XIX. JOANNES FESOLANUS, aliàs GUIDO dictus.

XIX. GIOANNI DA FIESOLE, monachus

Pictor nec arte nec opibus egens, relicto tamen seculo, ordini S. Dominici, qui prædicatorum dicitur, sese addicebat, ubi deindè ob picturarum præstantiam Johannes Angelicus dicebatur. Pietatis autem tot edebat specimina, ut & cùm à Nicolao V. Pontifice ad Archiepiscopatum Florentinum evehi posset, eundem humiliter recusaret: & ab eodem Papâ ad prandium aliquando admissus, ne carnem quidem contra regulam, citra Prioris licentiam, vel Pontifice dispensante, comedere vellet; nec iratum eum quisquam viderit.

Opera ejus. monochromatica.

Inter opera ejus commendantur Florentiæ ad D. Marci & Fesulis in patriâ ejus ad S. Dominici, libri aliquot opere miniato elaborati; quo in labore monochromatico adjutorem habuit fratrem suum. Inter primas illius picturas imago erat D. Virginis in Certosa Florentiæ, quæ deindè in Sacellum Cardinalis Acciajolitani translata est, ad cujus pedes angeli quidam musici; ad latera Sancti, Laurentius; Maria Magdalena; Zenobius, & Benedictus cum vitis illorum.

Majora.

Alia ejusdem opera in eodem Sacello sunt, Coronatio Deiparæ; Eadem D. Virgo inter duos Sanctos, colore cœrulo Ægyptio (ultramarino) eleganter pictos; Ad S. Mariam Novellam propè januam è regione chori in recenti albario S. Dominicus, S. Catharina Senensis; D. Petrus cum sanctis quibusdam aliis. Item in linteo valvis organi affigendo, Annunciatio Mariæ, quæ adhuc hodiè in cœnobio è regione dormitorii imo loco consistit. A Cosmo Medicæo artis causâ tantoperè amabatur, ut in illius gratiam idem novum templum & cœnobium ad D. Marci huic ordini extrui curaret: Ubi noster in uno latere Aspectus passionem Christi, autoribus omnium Ordinum religiosorum mœstissimis adstantibus; & pari tristitiâ in altero latere D. Marcum Evangelistam, D. Virginem; nec non tres alias Marias, unà cum Cosmo & Damiano; & Cosmum quidem juxtà exemplar amici sui Antonii Banci pingebat. Inter alia sui ordinis Arborem quandam pinxit, inq; trunco ejus S. Dominicum, facie Innocentii VI. è Farnesiorū familiâ; in ramis verò omnes Pontifices, Cardinales, Episcopos, Prælatos, Sanctos & Doctores Theologiæ

ordinis

ordinis S. Dominici, (multosque ad vivum effiguravit: inter quos, Hugo, primus istius ordinis Cardinalis; Paulus Patriarcha Florentinus; Boninsegnius Martyr Florentinus; S. Antonius Archiepiscopus Florentinus; Benedictus II. Trevisanus: Dominicus Cardinalis Florentinus; Petrus de Palude; Albertus Magnus; Raymundus Catalaunus, &c. Majori artificio spectabilis erat summi Altaris tabula, in quâ præter admirandam D. Matris imaginem, martyrium SS. Cosmi & Damiani.

In æde S. Dominici, quæ Fesolis est, tabulam summi altaris pariter pinxit, quam cum ob vetustatem alius renovare vellet, corrupisse potiùs videtur. In alio hujus templi Sacello spectatur illius Annunciatio, ubi miraculi loco Gabriel Angelus; adstantibus & Protoplastis. Porrò & à Nicolao V. Romam vocatus, in palatio ejusdem Sacellum Sacramenti pinxit, à Paulo III. deindè iterum destructum.

Opera sua nunquam correxisse dicitur, quod Deo sic volente confecta crederet nec penicillum applicuisse ante dictas preces; nec crucifixum pinxisse citra fusas lachrymas; nec alia, quàm Sacra, tetigisse. Discipuli ejus erant Benotius Florentinus, insignis præceptoris imitator; Zenobius Strozzius, qui plurimas civium Florentinorum domos picturis exornavit; Gentilius de Fabriano; & Dominicus de Michelino, qui ad S. Apollinarem Florentiæ Altare S. Zenobii & alia pinxit. Mortus est anno Christi 1455. ætatis 68. & sepultus ad D. Mariam Minervalem propè Sacrarium in Sarcophago marmoreo, cum effigie ad vivum expressâ (quam tabula L. ita pariter exhibet:) addito sequenti Epitaphio:

Discipuli ejus.

Epitaphium.

Non mihi sit laudi, quòd eram velut alter Apelles;
Sed quòd lucra tuis omnia, Christe, dabam.
Altera nam terris opera extant, altera cœlo:
Urbs me Johannem Flos tulit Hetruriæ.

XX. PHILIPPUS LIPPUS
Pictor Florentinus, monachus Carmelita.

XX. PHILIPPO LIPPI:

Florentiæ natus, sed orphanus à bimatu, & in cœnobio Carmelitarum post octavum ætatis annum educatus, cum ad studia non inclinaret, in Sacello quodam à Masaccio paulò ante picto, ad diagraphicen se applicuit, ubi in albario recente aliquas jam historias cum tanta Masaccii imitatione pingebat, ut cœnobium hoc, in quo ipse novitius vivebat, haud parva inde emergeret gloria. Relicta autem anno ætatis 17 vitâ monasticâ in Marcam Anconitanam abiit: ubi cùm animi causâ cum amicis aliquando navi vectus esset, à Barbaris raptus, in servitium abducebatur, per sesquiannum multa passus incommoda: donec Dominum suum, optimè jam animo conceptum, aliquando carbone in muro albo ad vivum depingeret; qui rei miraculo perculsus, catenis exemtum Philippum, postquam aliquot picturas coloribus ipsi pinxisset, libertate donavit, salvumque Neapolim deduci jussit: ubi & Alphonso Regi ovario subactu tabulam aliquam pingebat; patriæ tamen amore ductus eodem redibat.

arte sua è servitute liberatur.

Opera ejus.

Hìc inter opera ejus laudabatur tabula cujusdam altaris, ob quam Magnus Florentinorum Dux Cosmus Medicæus multo illum favore prosequebatur; cumque eidem & alia quædam pingeret, Eugenio IV. Papæ dono missa, hoc medio & istius gratiam merebatur. Pratolini propè Florentiam funus S. Bernhardi pingebat, sanatis tacto feretro ægris variis, & adstantibus summô cum mœrore fratribus, arte mirabili. Alio in loco castelli hujus S. Stephani historiam pingebat, disputantem primò cum Judæis, sed lapidatum deindè; ubi tædium, quod in Judæis pars prior exhibet, parte alterâ in furorem versum diceres; & in sepulturâ Martyris mœstitiâ sepelientium ipse tangereris. Ex altero latere historiam Johannis Baptistæ exhibuit; nativitatem sc. prædicationem, baptismum, & decollationem illius: ubi in prædicante Zelum; in auditoribus varios affectus; in baptizatis nudorum corporum varietatem in convivio Herodiano, pompam verè regiam; in saltatrice agilitatem; & ob allatum decollati caput accumbentium horrorem mirari licet. Nimirum & icones inseruit, non suam tantùm & discipuli sui Damiani, sed & aliorum: affectus ubique studiosissimè exprimens: idque non in magnis tantùm, sed & parvis, in quibus melior, operibus.

Lascivus est.

Lasciviæ tamen ita deditus erat, ut à Cosmo, ad labores quosdam conductus, ne ab opere cessaret, cubiculo inclusus, dissectis lodicibus è fenestra post biduum se demitteret amoribus litaturus. Ubi Cosmus, Rariora ingenia, inquit, rariore gaudere motu; nec asinorum pati sarcinas. Sic cum mulierculis non bona tantùm sua consumsit; sed Pratolini etiam, cum pro monialibus ad S. Margaretham altare pingeret, Francisci Buti civis Florentini filiam pulcherrimam in cœnobio educatam, sic deperibat, ut postquam ad illius exemplar D. Virginis imaginem, monialibus concedentibus, pinxisset, seductam alloquiis, in peregrinatione quadam ad Deiparæ cingulum, volentem cœnobio raperet: ex quâ & filium genuit Philippum, patris in arte hæredem ex asse.

veneno necatur.

Tandem cum Spoleti in templo quodam iterum opus aliquod incepisset, pro more rursus fœminæ cuidam insidiatus, ab istius cognatis veneno tollebatur anno ætatis 57. Christi 1438. à Magno Hetruriæ Duce sepulchro marmoreo, & ab Angelo Politiano hoc epitaphio honoratus:

Epitaphiū.

Conditus hîc ego sum picturæ fama Philippus,
Nulli ignota meæ est gratia mira manûs.
Artifices potui digitis animare colores;
Speratâque animos fallere voce diu.
Ipsa meis stupuit natura expressa figuris,
Meque suis fassa est artibus esse parem.
Marmoreo tumulo Medices Laurentius hîc me.
Condidit: ante humili pulvere tectus eram.

Caput IV.

ANTONELLUS, GIRLANDÆUS,

& adhuc quatuor Artifices alii.

Argumentum.

XXI. ANTONELLUS, pictor Messanensis, à Johanne de Eyk artem discit subactu oleario pingēdi, eamq́, in Italiam defert. Epitaphium ejus. Discipulum habet Dominicum; ex invidiâ deinde occisum. XXII. DOMINICUS GIRLANDÆUS, pictor Florentinus. Opera ejus Florentiæ ad S. Mariam Novellam. Joachimus & Anna. Historia magorum. Infanticidium Herodis. Vita Johannis Baptistæ. XXIII. ANTONIUS & PETRUS POLLAIVOLI fratres, pictores Florentini. Antonius martyrium S. Sebastiani; magnum Christophorum; tres historias Herculis; pugnam Michaëlis & Draconis Aretii pingit: naturalem musculos pingendi methodum ostendit. Utriusq; fratris Epitaphium. XXIV. ALEXANDER BOTICELLIUS Florentinus pictor, Augustinum pingit: duas Veneres; historiam trium Magorum: otio & lasciviâ ad paupertatem adigitur. XXV. ANDREAS VEROCCHIUS Artifex Florentinus in variis; Diagraphices callentissimus: artem gypso ad vivum plasmandi invenit. Venetias vocatur. Responsum ejus iram Venetorum mitigat. XXVI. ANDREAS MANTINEA pictor Mantuanus. Opera ejus Patavina. Matrimonio in odium Præceptoris incidit, qui opera ejus contemnit: sed in emolumentum contemti. Utrum melius sit, ad imaginum; an ad viventium exemplar pingere? Defectus ejus. Alia ejus opera Mantuæ facta. Triumphus Julii Cæsaris. Romæ sacellum in Belvedere. Modestia ejus in poscendâ pecuniâ. Æri etiam incidit. Epitaphium ejus.

XXI. ANTONELLUS Messanensis pictor.

XXI. ANTONELLO.



Rimus colores oleo subactos in Italiam transtulit, quorū inventio tum nondū innotuerat. Cum enim Siciliarū Regi Alphonso à mercatoribus Flandris tabula quædam subactu oleario picta mitteretur, quam, quod aqua purgari posset, coloribus non deletis, omnes admirarentur; inter alios hic quoque Antonellus rei novitatem inspecturus accedebat; qui delectatus tam blandâ colorū commissurâ cum artificem in Flandria degere intelligeret; omissis omnibus negotiis aliis Burgas Flandricas se contulit ad Johannem de Eyk: cui multa Italicæ methodi specimina, designationes varias, & alia communicabat, tantâ modestiâ eidem sese insinuans, ut tandem familiaritate contractâ, artem hanc oleo utendi ab eo ediscere, nec ante mortem ejus ab eo discederet. In Italiam igitur reversus novâ hac arte haud parum lucrabatur: Venetiisq; pro habitaculo electis multa oleo pingebat opera, ut hoc tandem nancisceretur Epitaphium:

Picturam oleariam discit.

D. M. S.

Epitaphium ejus.

ANTONIVS. PICTOR. PRÆCIPVVM. MESSANÆ. ET. SICILIÆ. TOTIVS. ORNAMENTVM. HAC. HVMO. CONTEGITVR. NON. SOLVM. SVIS. PICTVRIS. IN. QVIBVS. SINGVLARE. ARTIFICIVM. ET. VENVSTAS. FVIT. SED. ET. QVOD. COLORIBVS. OLEO. MISCENDIS. SPLENDOREM. ET. PERPETVITATEM. PRIMVS. ITALICÆ. PICTVRÆ. CONTVLIT. SVMMO. SEMPER. ARTIFICVM. STVDIO. CELEBRATVS.

Discipulũ habet Dominicum; Inter alios Venetiarum Artifices, Dominico, quod beneficiis ab eo vinci nollet, artem hanc, oleo miscendi colores, manifestabat: qui ob novum hoc inventi genus Florentiam vocatus, Andream de Castagno, qui è rustico pictor factus erat, nec arte alias, nec animo laudabilem, clam ibi habebat æmulum: cui tamen, quod blandissimâ simulationis larvâ invidiam tegere posset, omnibusque Dominicum prosequeretur officiis, eandem hanc artem quasi ex gratitudine communicabat, electo simul in contubernium. deinde occisum. Ubi è contrario amicum hunc suum aliquando sub vesperam cum testudine deambulantem ex insidiis occidebat Andreas, confestim in cubiculum regressus, labori, ut prius, invigilans, repertumque à vigilibus Dominicum accepto nuncio multis lamentis prosecutus, donec inter brachia ejus expiraret. Quæ cædes etiam nunquam innotuisset, nisi in agone rem omnem confessario narrasset ipse reus: idque factum anno ætatis Antonelli 49.

XXII. DOMINICUS GIRLANDÆUS, Florentinus pictor.

XXII. DOMINICO GIRLANDAIO. Hic aurifex primùm in diagraphica eousque se exercuerat, ut tabernam suam prætereuntes statim ita delinearet, quò cognosci possent ab omnibus. Undè & pictoriam deinde professus, iconicas operibus suis semper immiscebat figuras.

Opera ejus Florentina. Primus laborum ejus Sacellum erat gentis Vesputiæ, in quo Americi Vesputii, Novi orbis detectoris, effigiem dextrè expresserat. Cœtera opera ejus Florentiæ spectantur ad S. Mariam, quæ Novella dicitur. Nimirum historia Joachimi ob improlitatem è templo ejecti: deindè puerperium Annæ, in quo cubiculum ipsum scenographicè delineatum cum fenestrâ quadam magnum produnt artificium; unà cum mulieribus quibusdam, quarum una Mariam modò genitam lavat, altera aquam affert; tertia cunas sternit &c. tertiò Maria scalam ascendens, ubi magnum optices artificium; cum imagine quadam nudâ, illis temporibus quàm laudatissima.

Porrò ibidem ab ipso depicta est Magorum historia; multis jumentis spectabilis.

Item infanticidium Herodis, ubi è vulnere lactentis cujusdam infantuli cum sanguine & lac effluit: alius per militem à matre vindice crinibus retractum ad pectus appressus necatur, cum similibus affectibus aliis. Deinde & Johannis depinxit historiam, in cujus tàm nativitate quàm præconio & baptismo atq; decollatione tot apparent affectus, quot personæ. Mortuus autem est anno Christi 1493. ætatis 44.


XXIII. ANTONIUS & PETRUS PULLARII, pictores Florentini;

XXIII. ANTONIO & PIETRO POLLAIVOLI. Fratres egenis parentibus nati; è quibus ille aurificis, hic pictoris professione usus est, ita tamen, ut & ille tandem à fratre pictoriam didicerit. Ubi non tantùm simùl multa elaborarunt: sed & Antonius in Sacello quodam S. Sebastianum depinxit; quæ tabula multis equis, nudisq; & abbreviatis imaginibus laudatissimis repleta est: & inter alia sagittarium exhibet balistam è terra ad pectus reclinatam tendentem; inflatis scilicet musculis & retento spiritu maximè spectabilem; quod operum ejus judicatur optimum, ita ut & trecentos coronatos pro eo acceperit; elaborato an. 1465. Antonii opera

Alio in loco magnum pinxit Christophorum, decem nimirum cubitorum altitudine, sed proportione hactenus incomparabili. Tres item de Hercule ab illo depictæ extant fabulæ: Antæi scilicet, Leonis & Hydræ; cum maximo judicii testimonio.

Aretii autem mixturâ olearia (quam artem à fratre, & hic ab Andrea de Castagno didicerat:) pugnam Michaëlis cum Dracone pinxit; ubi miro artificio catagrapha labentium angelorum spectantur; in quo pingendi genere omnes superavit antecessores, ad exprimendos musculos insigniter adjutus spectaculis anatomicis. Præterea & chalcographus fuisse dicitur insignis: undè ob artificium non tantùm duobus Papis gratissimus fuit, sed cum fratre opes etiam cumulavit haud exiguas: ambo autem Romæ mortui, & ad D. Petri in vinculis sepulti sunt, ubi hoc ipsorum visitur Epitaphium: naturalem musculos pingendi methodum ostendit. Epitaphium utriusque.

ANTONIVS. PVLLARIVS. PATRIA. FLORENTINUS. PICTOR. INSIGNIS. XISTI. ET. INNOCENTII. ÆREA. MONIMENTA. MIRO. OPIF. EXPRESSIT. RE. FAMIL. COMPOSITA. EX. TEST. HIC. SVVM. PETRUM. FRATREM. CONDERE. VOLVIT. VIXIT. ANNIS. LXXII. OBIIT. ANNO. SALVTIS. MIID.



XXIV. ALEXANDER BOTICELLUS pictor Florentinus

XXIV. SANDRO BOTICELLO.

EX aurificum arte ad pictoriam digressus præceptore Philippo Lippo. In juventute autem jam pulcherrima quædam opera in recenti albario & ovario subactu elaborabat; Girlandæi præcipuè æmulus: cujus Hieronymo, ipse Augustinum opponebat multâ laude spectabilem. Sed duas quoq; ejus Veneres, nascentem scilicet; & à Gratiis coronatam in Lusorio magni Ducis spectare licet. Supra omnia tamen laudabatur illius historia Magorum, quorum unus iconem primi Magni Ducis Cosmi sc. Medicæi perfectissimè referebat, pedes Jesuli exosculatus: quamvis & reliqui duo viventium essent effigies. Præ cœteris hîc admiratione dignum est triplex servorum genus, quasi internoscere queas, cui quilibet serviat: cùm aliis calligraphiæ speciminibus variis. Quare & à Sixto IV. Pontifice Romam vocatus, quædam in Sacello ejus cum laude pingebat. (Opera ejus)

Florentiam autẽ reversus otio porrò diffluebat, comentarium in Dantem conscribens, & figuras inferni ejus consarcinans, quod opus typis editurus erat. Consumtis igitur his, quæ lucratus fuerat, senex tandem ad fulcra incedens & pauper moriebatur anno ætatis 78. Christi 1515. (Otio ad paupertatem redigitur.)

XXV. ANDREAS VEROCCHIUS Florentinus

XXV. ANDREA VEROCCHIO.

AUrifex simùl erat, & Geometra; nec non Opticus; Sculptor; Chalcographus, Pictor & Musicus: quamvis in pictoriâ & sculptoriâ durior esset. In diagraphicâ autem insigniter excellebat, ita ut prœlium nudorum calamo projecerit elegantissimum, cum multis, quæ picturus fuerat, sed intacta reliquit. Prætereà varias fœminarum facies delineaverat pulcherrimas, quas discipulus ejus Leonhardus Vincensis in operibus suis semper imitari conabatur. Quin & equos projecerat, qui certâ proportione majores reddi poterant; methodo adjectâ. Picturâ autem expresserat Baptismûm Christi, quâ in tabula Angelum elaboraverat Leonhardus. (Diagraphices callentissimus.)

Hic primus plasticen ad vivum è gypso excoluit; undè tum temporis Florentiæ multæ tàm mortuorum quàm vivorum facies hoc modo fingebantur, quæ loco iconum pictarum adhuc hodie supra januas, fenestras, arcus & caminos hinc inde spectantur. Est autem gypsus lapis mollior, qualis alabastrites, qui Volterni propè Sienam aliisq; in locis Italiæ repertus uritur, inq; pulverem comminutus, & aqua calida temperatus, rebus ipsis pro modulo affunditur; ubi deindè lapide indur.to ex aliâ materiâ integræ figuræ in eo fundi queunt. (Artem gypso plasmandi invenit.)

Hic igitur Verocchius Venetias aliquandò vocatus, ut ibidem in honorem Bartholomæi de Bergamo, recenti tunc victoria clari, equum funderet metallicum, in foro S. Johannis & Pauli locandum; modulum quidem formabat; sed quod Velanus quidam Paduanus effigiem primariam formare deberet, indignatus, caput moduli sui & pedes confringebat, fugâ sibi consulens. Ubi cum nunciari eidem juberet Magistratus; eum, si deprehenderetur, id capite luiturum: ipse respondens, caput suum, ajebat, tanti esse, ut truncatum semel illi restituere non possent; cum contrà equo suo ipse vel simile affigere posset, vel melius. Hoc responso delectati, humaniter ipsum revocabant Veneti; duplicato salario: Ubi in fundendi opere calefactus nimium, nimioq; rursus frigore correptus, morbum sibi contraxit, quo mortuus est anno ætatis 56. Christi 1488. (Venetias vocatur.) (Venetos placat.)

XXVI. ANDREAS MANTINEA, Mantuanus pictor;

XXVI. ANDREA MANTEGNA.

RUstico genere satus in pago quodam propè Mantuam, ubi pecudis primò pastor fuit. Adultus autem Mantuam venit ad Jacobum Squarzionem pictorem, qui amatum ob ingenium Andream in filium adoptavit hæredemq; instituit. Cumq; in arte pictoriâ ipse haud magnâ uteretur felicitate, exemplaria Andreæ proponebat Antiquas statuas, figuras plasticas è gypso, & aliorum artificum opera præstantissima; quibus in exercitiis hic, magnâ æmulos vincebat velocitate, inter quos Nicolaus Pizzolus Patavinus, cum quo multa elaboravit; quemq;, cum eleganti quoq; esset manu, superare omnibus annitebatur viribus.

Anno ætatis decimo septimo Patavii in templo Sophiæ altare pingebat, quod cum antiquis comparari potuisset. Deinde quatuor Evangelistarum picturâ ita inclaruit, ut Jacobus Bellinus pictor Venetus (Pater Gentilis & Joannis Bellinorum) simultates cum Squarzione à teneris alens, filiam eidem elocaret: cum tanto tamen Squarzionis odio, & indignatione, ut hic, qui antea Mantegnæ opera ad Cœlum laudibus evexerat, jam nullo nõ vituperii genere eadẽ deprimeret, lapidea illa dicens, ad exemplariũ modũ; nullâq; vivacitate pollere: itẽ (Opera ejus Patavina) (In odium Præceptoris incidit.)

eadem,

eadem si monochromata essent, statuis saltem similiora fore; jam verò colorata, nullam mereri laudem. Andreas intereà, veritatem in dictis adversarii agnoscens; ad vivum deinceps pingebat: inque sacello quodam, quod antea pinxerat, jam & horum profectuum edebat, & in utroque quidem genere elimatissima specimina: Statuas tamen semper preferens, quod antiquos plus artis è variis exemplis in uno cumulâsse diceret opere, quàm natura uni largiretur pulchritudinis. Adde quod nervorum, venarumque & musculorum expressio in statuâ sit melior, quàm caro viva exhibeat: undè quandoque duriore usus tractu, corpora quasi emaciata pingebat ex proæresi, quod vitandum aliis. Multas tamen semper operibus suis immiscebat viventium effigies. Et quamvis vestimenta ejus duriora viderentur & minutis plerumque plicaturis & fracturis constarent, & ficciore ipse uteretur penicillo, magna tamen, cum ingenio, è manu illius elucet industria.

Statuas præfert.

defectus ejus.

Opera ejus Mantuana.

Ludovico Gonzagæ Marchioni, Mantuæ in Oeco quodam triumphum pingebat Julii Cæsaris, quem in curru sedentem introducit, & penes eum quendam dicteria effutientem; nec non amicos, hostesque captivos, militum item turmas, cum thuris incensi fumo, victimis coronatis, militum prædâ; armis scilicet, elephantis, victoriarum captarumque urbium picturis, singulis curribus vectis, trophæis, vasisque antiquis variis. Ubi inter spectantes mulier spectari meretur, puerum manu ducens, qui spinam pedi infixam plorans matri ostendit. Cumque pedes effigierum spectantis oculo altiores fore observaret pictor, anteriores saltem illarum partes totas in lineâ horizontali expressit, reliquis magis magisque subtractis & retroductis; quod & in vasis observavit & aliis. Et paucis; opus hoc emendationem superat omnem; operumque ejus pulcherrimum est; tantamque illi promerebat Marchionis gratiam, ut Romam jam ad Innocentium VIII. Pontificem abiturum, equitem priùs crearet, munificentissimè simùl donatum.

Romana.

Romæ Sacellum Pontifici pingebat in Belvedere in muris & fornicibus tantâ felicitate, ut colore gummato nemo id præstaret meliùs. In Altari Baptismum Johannis repræsentavit, ubi quidam tibiale suum invertens, ob conatum cum admiratione spectatur. Suppeditante autem parciùs salarium Pontifice, hic, monochromate virtutibus quibusdam delineatis, quærenti Pontifici illarum nomina, inter alias & Discretionem nominabat: qui argutè; non meliorem huic fore sociam, ait, quàm Patientiam: & pictorem finito opere insigniter muneratum Mantuam remisit.

Diagraphica quædam magnâ efficiebat industriâ, succo quodam umbras, chartæque candore lumen exprimens; obvolitantibus subtilibus quibusdam quasi per incuriam crinibus, summâ cum spectantium laude. Porrò & æri incidit quædam, inter quæ Cæsaris ille triumphus; unà cum festo Bacchi; item pugna quædam Cetorum; Sublatio Christi è cruce ejusque sepultura, cum laude dignis aliis. Abbreviandi quoque imagines methodo usus est omnium felicissimâ: mortuusque tandem Mantuæ anno ætatis 66. non viso Alberto Dürero, quem in Italiam venientem ad sese invitaverat, sed Mantuam ingressum ipsâ morientis amici die an. 1517.

Æri incidit quædam.

Inter laudatissimos eum pictores jam Ariostus Poëta collocat initio carminis sui 33. his verbis:

> Leonardo; Andrea Mantegna; Gioann
> Bellino: &c.

In sepulchro ejus effigies ipsius spectatur ænea (quam & tabula nostra M. repræsentat;) cum hoc Epitaphio:

Epitaphium ejus.

> Esse parem hunc nôris, si non præponis, Apelli,
> Ænea Mantegnæ qui simulacra vides.

Caput V.

PHILIPPUS LIPPI, FRANCISCUS FRANCIA,

cum aliis pictoribus & artificibus adhuc tribus.

Argumentum.

XXVII. PHILIPPUS LIPPI Florentinus pictor. Modos quosdam antiquorum reproducit. Opera ejus Romæ. S. Johannes ferventi oleo impositus. Historia S. Philippi.

Ejusdem

Ejusdem crucifixio. Laudabilis ejus conversatio. XXVIII. FRANCISCUS FRANCIA, pictor Bononiensis, mœrore extinguitur, quod Raphaëlem pingendo se superare cerneret. In mortem istam Epigramma. XXIX. PETRUS PERUSINUS pictor, paupertate ad industriam compellitur. Florentiam venit. Opera ejus. Hieronymus: Christus mortuus: Priorem quendam confundit. Opera ejus, quæ Romæ sunt: ob avaritiam vilescit. Modus ejus asservandi pecuniam. Religione tepidus est. Discipulus ejus Raphaël Urbinas. XXX. LUCAS SIGNORELLUS, Cortonensis pictor. Opera ejus, Orvieti, extremum judicium; Laureti, Cortonæ & Romæ. XXXI. LEONARDUS VINCIUS, Florentinus, pictor & sculptor, in variis sese exercet artibus; præceptorem suum superat; velum pingit. Modus pingendi Scuta & terriculamenta. Genius ejus. Neptunum pingit. Opera ejus imperfecta. Cœna domini. Quendam, qui nimium laborem ab ipso requireret, confundit. Statuam metallicam, ob magnitudinem, relinquit imperfectam. Anatomiæ gnarus est. Libros scribit de pictoriâ. Rarum quid pingit. Tabulam quoq; summi cujusdam altaris. Picturis iconicis operam dat. Prælium pingit. Jocosus est. Varia tentat olea & vernices. Æmulus ejus est Michaël Angelus. Epitaphium ejus, item Robur.

XXVII. PHILIPPUS LIPPI Florentinus pictor,

XXVII. PHILIPPO LIPPI.



Filius scilicet patris ejusdem nominis, de quo suprà paragrapho 20. locuti sumus: artem, quam hæreditario quasi jure à Patre obtinuerat, ab Alexandro Botticello didicit. Ingenii tàm vividi, ut primus novâ methodo vestes pingeret, figurasque antiquorum modo pulcherrimè exornaret; nec non picturas Alabandæas novo lumine illustraret, iisdem monochromaticè projectis, & cum coloribus in Zophoris melius depictis, quàm ullus hactenus fecerat.

Modos quosdam antiquorũ reproducit.

Opera ejus Romana.

Matthiæ Regi Hungariæ duas pingebat tabulas: Romamque postea, vocante Cardinali Caraffa, profectus, in æde Marię Minervensis sacellum aliquod pingebat variis inventionibus: Fide nimirum exhibitâ, quæ atheismum & hæreses alias captivaret; & Spe, quæ desperationem; aliisque virtutibus, quæ vitia sibi opposita coërcerent. Deindè & elegantissimè pingebat Thomam Aquinatem, disputando hæreticos quosdam convincentem. Item Johannem Apostolum, ferventi oleo impositum; ubi præter gestus alios juxta naturæ cursum dexterrimè expressos, iram inprimis in vultu Judicis agnoscunt, ob ignem exiguo saltem lumine inflantem quendam militem collustrantem.

Alibi historiam S. Philippi pinxit, serpentem sub arâ producentis, qui Regis interfecerat filium: Ubi summam merentur admirationem foramen, unde serpens prodiit; & serpens ipse: illud enim in gradu quodam aræ illius, fissuræ instar, tantâ arte patescit, ut & quidam discipulorum ejus festinanter aliquid occultaturus, aliquando per illud deceptus sit: serpentis autem anhelitus naturalis potiùs, quàm pictus censetur. Neç minore admiratione digna est ejusdem Apostoli Crucifixio, ob varios crucem erigentium actus.

Cœterùm moribus optimis, comitate alloquii, & conversatione inculpabili paterna undiquaque offuscans tandem mortuus est Anno ætatis 45. post Christum 1505. à liberis suis tanto splendore sepultus, ut in plateâ, quæ servi dicitur, omnes tabernæ & officinæ clauderentur, quod in Optimatum saltem funeribus fieri solet. Conversatio ejus.

XXVIII. FRANCISCUS FRANCIA, Bononiensis, pictor,

IN juventute suâ eleganti corporis formâ, morumque insigni comitate præditus, ut à pluribus magnatum amaretur. Aurifex primùm, variorum fusione numismatum delectabatur, imaginibus ubique ad vivum expressis: majori autem laudis cupiditate exardescens, pictoriæ incubuit, junioribus quibusdam pictoribus ad se receptis, à quibus colorum usum addisceret. Cumque in diagraphica jam excelleret, ingenio adjutus, icones statim, cum parvis aliis pingere cœpit, donec varia majora partim Urbinatum Duci, partim Principibus aliis cum laude elaboraret. XXVIII. FRANCISCO FRANCIA.

Bononiæ autem re familiari institutâ, cum Raphaëlis Urbinatis, qui Romæ degebat, tantoperè ab omnibus laudati, picturas cernere desideraret, nec ob ætatem domo abire posset, amicitiâ tandem contractâ, factum est postmodùm, ut ille tabulam quandam mixturâ oleariâ pictam pro Cardinali Puccio Sancti Quadri, in æde D. Johannis in monte, Bononiæ in altari quodam erigendam, in cistâ mitteret ad Fran-

Mœrore extingitur.

ciscum, per literas rogans, ut emendatis, si qui essent, erroribus, debito illam ornatu, destinato in loco erigeret. Ubi Francia acceptis cum gaudio literis tabulam è cistâ exemtam, quæ S. Cœciliæ imaginem referebat, ad condecens lumen intuitus, tanto obruebatur stupore, se victum arte confessus; ut tabulâ vix locatâ præ dolore moreretur anno 1518. ætatis 68. Quam in tabulam deinde hoc compositum est Epigramma:

Epigramma.

Me veram pictor Divinus mente recepit:
Admota est operi deinde perita manus.
Dumq; opere in facto defigit lumina pictor,
Intentus nimiùm, palluit & moritur.
Viva igitur sum mors; non mortua mortis imago,
Si fungor, quo mors fungitur officio.

XXIX. PETRUS PERUSINUS pictor,

XXIX. PIETRO PERUGINO. Paupertate stimulatur.

Patre paupere natus, pictori cuidam Perusino in disciplinam tradebatur, qui verbis potiùs quàm arte Petrum stimulans, tantam in ipso excitabat sedulitatem, ut multis mensibus cista saltem aliqua pro lecto usus, tàm noctu quàm interdiu, sperati quondam lucri dulcedine ductus in arte se exerceret. Donec Florentiam, quam his studiis florere didicerat, perveniens, ab Andrea Verocchio usque adeò perficeretur, ut picto primùm Hieronymo quodam, macilento admodùm juxta anatomiæ regulas, & devoto, oculis in crucifixum directis, innotesceret: superaddito pro monialibus S. Claræ & Christo mortuo pro altari, cum circumstantibus mœstis quidem, sed quod in opere potissimùm, in campo quodam collocatis, ad methodum subdialium, pro illo quidem tempore sat artificiosè elaborato. Quam tabulam, quamvis triplo repensam, vendere nolebant moniales, quod similem se nunquam facturum Petrus diceret. Exhinc paucis annis tantoperè inclarescebat illius gloria, ut opera ejus in varia Italiæ, Galliæ, aliarumque provinciarum mitterentur loca.

Opera ejus Florentina.

Multa autem cum perficeret in monasterio ante portam Pindanam, ubi Prior quidam cœruleum illud Nestorianum sive Ægyptium ipse conficere poterat, magnamq; illius copiam habens, Artifici nostro ad picturas albarii recentis suppeditabat, ita tamen, ut præ avaritia ipse semper præsens præcavere vellet, ne Petrus aliquid pro se decerperet, hic in aqua quadam munda penicillos illos dilutorios, quibus ultramarinum applicuerat, sæpè expurgasse dicitur, quamvis colore adhuc abundantes, ut Prior ille miraretur, à calce tantam absorberi asurei copiam: Postmodùm autem effusâ aquâ siccatum cœruleum Priori reddidisse, monendo, ne viris honestis, qui, si vellent, simplicitati ejus satis imponere possent, in posterum ita diffideret.

In picturis autem murorum humentium & subactu oleario cum excelleret, Florentinus quidam Bernardinus Rossius Sebastianum quendam ab illo expetebat centum coronatis aureis promissis, quem tanta felicitate elaborasse fertur, ut ille Galliarum Regi eandem tabulam centum ducatis aureis iterum vendiderit.


A Sixto deindè IV. Papâ Romam vocatus, in Sacello quodam historiam pingebat de clavibus Petro traditis; item nativitatem & baptismum Christi: nec non Mosen ex undis extractum; & assumtionem D. Virginis: tandemque multa undique lucratus Perusium redibat, quàm plurima adhuc alia etiam ibidem elaborans. Romana.

Sed & Florentiam iterum perveniens, & ex avaritiâ figuras quasdam antehac à se jam pictas, in operibus suis iterum repetens, nec non cum Michaële Angelo tum temporis inclarescente, quod eum lucri sui sufflamen fore metueret, non rixatus tantùm, sed ob injurias & judicii aleam expertus; quamvis in adversantium confusionem magnum adhuc opus pingeret, à junioribus tamen pictoribus & in hoc labore prioris vitii insimulabatur, avaritiam ejus & negligentiam etiam carminibus ignominiosè rodentibus, ita ut in senio tandem Perusiam reverteretur, ibidem in cœnobio quodam labores aliquos suscipiens, sed auxiliante discipulo Raphaële Urbinate, tum temporis adhuc juvene.

Quum autem non Perusiæ tantùm multas domos, sed & fundos ibidem & Pievæ obtineret varios, & istorum causâ quandoque huc illuc ire cogeretur, paratam tamen pecuniam suam, cum nemini fideret, secum semper deportabat: quo cognito, quidam in viâ eidem insidiati, demtis nummis molestiâ illâ eum sublevabant, relictâ, deprecanti nimiùm, vix animâ. Et quamvis mediantibus amicis magnam raptorum partem reciperet, præ dolore tamen brevi posteà moriebatur, non avaritiâ saltem, sed & atheismo infamis, quod animæ imortalitatem non crederet. Avarus est.


Uxorem

GIOVANNI BELLINO VENET.




ANDREAS MANTEGNA MANTUAN

M



PETRUS DA PERVSIA.



LIONARDO DA VINCI FLORENT.



GIORGIONE DA CASTEL FRANCO.



BRAMANTE DA VRBINO



atheismi vitio laborat.

Uxorem autem duxerat virginem pulcherrimam, cujus ornatu & vestibus maximè delectatus esse perhibetur, ita ut defectus propria sæpè manu emendarit. Ex disciplina ejus multi prodiére artifices, & præcipuè celeberrimus ille Raphaël Urbinas, qui cum Patre suo Johanne Sandio diu cum ipso laboraverunt. Mortuus autem est anno ætatis 78. post Christum natum 1524. sepultus Pievæ.

XXX. LUCAS SIGNORELLUS Pictor Cortonensis,

XXX. LUCA SIGNORELLI.

IN juventute elegantiæ studiosus, in senio comitatis, conversatione candidus, erga omnes officiosus, accept' ubiq; & honoratus: discipulus erat Petri de S. Sepulchro, eundē tàm exactè imitatus, ut ovum ovo nō esset similius; undè & opera ejus non ab aliis tantùm magni æstimata, sed ab ipso quoque Michaele Angelo insigniter laudata sunt. Corporibus autem nudis potissimùm clarus erat, quæ vivis ferè reddebat similia, multis egregiè usus catagraphis & abbreviationibus.

Opera ejus Orvietana.

Inter alia, quæ in Sacello quodam magni templi Orvietani pinxit, mundi interitus est, in quo præter angelos bonos & malos, nec non terræmotus cum ruinis variis, & signa Antichristi; terror præcipuè viventium adhuc spectatur, tam mira dispositione digestis figuris ad vivum expressis, tamque artificiosa corporum nudorum scenographiâ adhibitâ, ut non sit mirum, quod ipse Michael Angelus, in judicio suo extremo Romæ picto, quædam exindè sit mutuatus. Ipsius quoque manu visuntur ad S. Mariam Lauretanam quatuor Evangelistæ, quatuor Ecclesiæ Patres, & alia pulcherrima.

Lauretana.

Filium suum Cortonæ occisum, juvenem pulcherrimum, nudum depingebat iconicè magno quidem cum dolore animi, sed constanter tamen & sine lachrymis, ut quod casus abstulerat, ars tamen restitueret. Deindè à Sixto Papâ Romam vocatus ad certamen cum pictoribus aliis; Mosen pingebat, testamentô conditô, Israelitis valedicentem, visâque è monte terrâ promissâ mortuum. Tandem non laude saltem, sed & opibus clarus in patriâ animi saltem gratiâ quædam pingebat; mortuus tandem anno ætatis 82. post Christum 1521.

Cortonensia.

Romana.



XXXI. LEONARDUS VINCIUS Florentinus, pictor & statuarius.

XXXI. LEONARDO DA VINCE.

NObilitas opinio est, nisi virtutem habeat comitem; quâ junctâ cœterorum sortem meritò transcendit. Ex utrâque autem laudabilis Vincius noster in Arithmeticâ, Geometriâ, aliisque artibus primò omnes suos superabat præceptores; deindè & musicam excolebat, plectrique setacei artem, nec non diagraphicam, figuras rotundâ elevatâque mole exprimens: quare & Andreæ Verrocchio in disciplinam tradebatur, ubi quicquid est Delineatoriæ exercebat; in tyrociniis etiam capita quædam ridentium mulierum & infantium fingens, quæ gypso plasmata inter artifices adhuc circumferuntur, magnorum artificum laborem exæquantia.

Juxta Architecturæ regulas ichnographicè & orthographicè ædificia varia designabat; primusque modum ostendebat, Arni alveum canale Pisis Florentiam derivandi: ut nihil nunc de hydraulicis ejus referam. Sed & modos inveniebat montes transfodiendi, ut de valle in vallem iter esset, quin & montes complanandi: item mechanica quædam de molibus elevandis, mathematicè demonstrans, se totam D. Johannis ædem, quæ Florentiæ est, incolumem elevare, gradusque supponere posse.

Pictoriam autem præ cœteris diligebat, ad vivum varia exprimere solitus. In tyrociniis igitur cum Præceptor ejus Andreas Baptismum Johannis pingeret, in eodem opere Leonardus ab eo angelum pingere jubebatur, qui vestem servaret: quem tanta effigurabat felicitate, ut ipse præceptor penicillo & coloribus abjectis à tyrone vinci erubesceret, eundem omnibus imaginibus suis præstare fassus. Cumque Rex Portugalliæ in Flandria ex auro & serico tapetem texi vellet, archetypumque pingendi munus Leonardo commissum esset, ipse campum effigurabat, floribus, plantisque & animalibus refertum tanto artificio, ut artificis patientiam in tantâ curiositate spectator satis admirari nequeat.

Præceptorem superat.

Tapetem pingit.

Aliquando à patre suo rustico cuidam, qui ipsi ab avium pisciumque capturâ esset, scutum pingere jussus ficulnum, ipse igne & torno complanata superficie, ut terriculamento quodam ac veluti Medusæ capite illud insigniret, varia cubiculo suo inferebat insecta, ut lacertas, bufones, cicadas,

Terriculamentum.

cervos volantes, serpentes, vespertiliones & similia, & combinando cujuslibet speciei partem horribilissimam tàm rarum tamq; terribile componebat monstrum, ut pater, exhibito opere, exterritus, fugam meditaretur, à filio monitus, sic assequendum fuisse scopum. Videbatur autem bestia ex antro rupis cujusdam erumpens, venenum faucibus, oculis ignem, fumum naribus expirare: inq; eâ concinnandâ ipse tàm erat intentus, ut ne putrescentium quidem animalculorum fœtorem persentisceret. Pater autem rustico aliter satisfaciens, hoc scutum deinde centum vendebat ducatis; pro quo mox iterum Mediolanensium Dux trecentos numerabat. Paulo pòst D. Virginis imaginem pingebat, inq; vitro flores quosdam aquæ impositos, guttulisq; aqueis tam eleganter irroratos, ut naturalibus essent simillimi.

Genius ejus.

Meditando semper profundis occupabatur, partim circa rem botanicam, partim circa Astronomicam distentus, cum aliis humanæ arti impossibilibus, undè multa quoq; reliquit imperfecta. Conversatione autem jucundus erat, à quolibet amatus, & quamvis opibus haud abundaret, nec labore nimis assiduus esset, servos tamen equosq; semper alebat, his insigniter delectatus; Quin & varia patienter sustentabat animalia, aves autem sæpè coëmtas iterum dimittebat liberas. Deindè & vultus libenter spectabat deformitate quadam notabiles mirisq; capillis & barbis instructos, quales sæpe diutiùs sectabatur, donec optimè impressos phantasiæ domi eos tam dextrè depingeret, ac si præsentes ipsi assedissent.

Opera ejus:

Inter alia Neptunum pinxerat curru per fluctus vectum cum marinis variis, pulcherrimâ facie spectandis; de quo hoc compositum fuit Epigramma:

Pinxit Virgilius Neptunum, pinxit Homerus,
Dum maris undisoni per vada flectit equos.
Mente quidem vates illum conspexit uterq;;
Vincius ast oculis, jureque vincit eos.

imperfecta.

Caput Medusæ coloribus oleo mixtis, serpentibus tàm mirè intricare intenderat, ut simile nunquam pictum fuisset; sed quod laboriosius esset, imperfectum cum multis aliis reliquit, in palatium deindè Magni Ducis Cosmi delatum, unà cum Angelo quodam ejus, manum elevante, brachio ab humero ad cubitum usq; abbreviato, ubi pro umbra colore aterrimo; & pro lumine candidissimo usus est, rotunditatis & rerum elevandarum summè studiosus, quamvis duritie aliàs noctis plus haberent, quàm diei.

Anno 1434. ad Ludovicum Sforziam Mediolani Ducem sese applicabat, ut musicus fidibus canens, voce interdum junctâ: ubi Violam, quam dicunt, sibi argenteam confici curaverat, equini capitis forma, soni claritate cœteras omnes superantem, cum magna Ducis delectatione. Ibidem picturæ quoq; specimen editurus pulcherrimo opere Noctem nati Christi elaborabat; quæ tabula deinde Imperatori dono missa fuit. Pro Dominicanis Mediolani cœnam Domini pingens etiam mappæ texturam decorè exprimebat: perfectisq; jam omnibus, exceptis Christi Judæq; capitibus, cum sæpè per dimidium diem spectando tabulam feriari videretur, à Priore monitus aliquoties, tandem coràm Duce otii accusabatur. Ubi Leonardus, cum duo sibi adhuc deessent extrema, meditandum esse ait, quomodo in uno divinam bonitatem, in altero diabolicam avaritiæ malitiam exprimeret: quamvis ad alterum hoc inservire posset ipsius Prioris tàm importûi facies. Ubi cum risu Dux pro Leonardo pronuncians confusum dimittebat Monachum, gnarum jam, quod pictorum & mercenariorum non par sit conditio. Judam tamen cum deniq; perfecisset magno cum judicio, Christum saltem relinquebat imperfectum. Quod opus Galliarum Rex, nisi in muro depictum fuisset, in Galliam deportari jussisset.

Pictis deindè Ducis, uxorisq;, necnon duorum ejus filiorum iconibus, cum Ducis imaginem in equo fingere cœpisset admirandæ molis; de fusione uno actu absolvendâ desperans, manum retraxit: prototypo deinde pulcherrimo capto Mediolano, à Gallis diruto, ubi & quidem illius liber de anatomiâ equorum perditus est. — Inter quæ & statua metallica:

Cum porrò Marcus de Turri, Philosoph' & Medicus, Galenũ editurus esset illustratum, Leonardus figuras addere instituerat anatomicas: sectionibus propriâ manu institutis, ubi rubricâ designans, manu dextra calamo umbras decussatas adjiciendo, sinistrâ figuram describebat, scripturâ in speculo legendâ, quem librum deindè possedit Franciscus Melzus nobilis Mediolanensis. — Anatomicus est.

Nec minùs & de Diagraphicâ, Chromaticâ & Pictoriâ librum scripsit, quem, referente Vasario, Possessor editurus fuerat, quod tamen an factum sit, me latet. Alium tamen de eâdem materiâ ab ipso conscriptum Librum Ego Romæ à Nicolao Pascia amico meo & familiari accepi; profundum, meo quidem judicio, admodùm, & prolixum. — Libros de Pictoria scribit.

Rarum quid.

Cum Ludovicus Galliarum Rex Mediolanum caperet, Leonardo tùm ibi degente, cuperetq;, ut rarum aliquod pro se opus pingeret, hic Leonem pingebat aliquot gradibus ascendentem, aperto, liliisq; repleto pectore. Deindè Florentiam reversus,

cum Philippinus susceptam pro monachis Servitis summi altaris picturam desideranti eidem concederet, sustentatus à cœnobiô cum totâ familiâ, post moram diutinam D. Virginem, S. Johannem, S. Annam, & Jesulum pingebat matris gremio insidentem, eâdem hunc quidem intuente, sed humili suâ devotione haud imminutâ: Johannem autem cum agno ludentem; Annamq; blando risu ad filiam respicientem. Quod opus magnam omnibus artificibus excitabat admirationem, accurrente etiam per biduum populo quasi processione institutâ.

Iconibus pingendis incumbit.

Factis deindè quibusdam nobilium fœminarum iconibus, magnâ præcipuè diligentiâ elaborabat Monæ Lisæ, uxoris Francisci jucundi, effigiem, quatuor in eâ annis insumtis, & opere tamen nondum absoluto. Tanta autem picturæ jam factæ est cura, ut in oculis splendor ipse aqueus, venularumque in cœrulo oberrantium cursus, minuti etiam in palpebrarum cute pronati pili; foveolæ gutturalis arteria quasi pulsans, imò caro appareant omnia & vita. Ubi simùl, quoties manum huic operi admoveret, musicum quendam secum habebat, vel instrumento, vel voce canentem, aliisve jocis eum à tædio laboris sedentarii sublevantem; ut modò ne deesset effigiei amœnitas.

Prælium pingit.

Tandem ob tot in arte specimina ad pingendum curiæ œcum conductus prælium Nicolai Picinini, qui campi ductor fuerat Philippi Mediolanensium Ducis, pingere instituebat: ubi in certamine quodam plurium de uno vexillo equitum, duo equi calcitrantibus ungulis morsurisque dentibus pari cum sessoribus decertant rabie, signi hastâ ab alio jam arreptâ, impedientibus aliis ense jam feriente, & seniore potissimùm quodam sese omnibus opponente, furore frendentibus variè dentibus expresso. Ante pedes equorum dictorum duo milites abbreviati jacebant, feriente altero, altero vitam defendente. Quo in opere peculiari utebatur machinâ, quam pro lubitu elevare & demittere, extendere & contrahere poterat. Cùm autem subactu oleario opus non successurum videret, in muro colores tandem exesuro, opus & hoc manebat imperfectum. Hic, cum salarium aliquando menstruum petenti Quæstor Quadrinos porrigeret (qui obolorum sunt genus) in cululis chartaceis, eosdem accipere renuit, quod Quadrinorum se pictorem negaret.

Postmodùm cum Juliano Mediceo ad electionem Leonis X. Romam profectus, varia ibidem instituebat ludicra: aviculis quibusdam & animalculis è massa quâdam tenui confectis, ventoque inflatis, & volatu in aërem dimissis, ubi tàm diu, quàm ventus duraret, oberrarent. Intestina etiam ovilla à pinguedine purgata sic compingebat, ut è vicinis conclavibus inflata totum repentè implerent cubiculum; quod simile esse volebat artis è parvis initiis immensum adauctæ.

Vernices parat.


Oleorum etiam ad picturæ usum varia tentabat genera; pluribus insimùl vernicibus inventis ad conservandum colorum nitorem: & tamen, non attentâ omni hac curâ, imago quædam D. Virginis illius manu picta adhuc hodiè visitur, corrupta turpissimè, cum anteà pulcherrima fuisset: quod an intempestivis illius mixturis, an verò fundatoris incuriâ factum sit, ignoratur.

Inter ipsũ & Michaëlem Angelum æmulatio.

Cùm aliquando à Pontifice ad picturas quasdam conductus, olea statim & alia quædam pro vernice distillaret; nihil hic efficiet, inquit Papa; quia nondum facto initio, finem jam meditatur. Postquam autem inter ipsum, & Michaëlem Angelum perpetua esset æmulatio, & hic propterea Romam eò libentius veniret, ut Pontificis jussu Aspectum ad D. Laurentii in Leonardi tædium pingeret, quamvis Julium Mediceum interea prætexeret: Leonardus cognitâ re ipsâ, Romam deserens in Galliam abibat; ubi Regi, qui multas jam illius possidebat picturas, gratissimus quidem erat; sed in morbum incidens, quem lethalem videbat, ad devotionis exercitia conversus, & quod arte suâ, offenso sæpè DEO, proximo sat debitè haud inserviisset pœnitens, debilitate prævalente, ipso Rege tùm præsente in istius brachiis expirabat anno ætatis 75. Effigies illius autem spectari potest tabulâ M. Inque eum Johannes Baptista Strozzius hoc composuit Epigramma:

Vince costui pur solo
Tutti altri, & vince Fidia, & vince Apelle,
Et tutto il Lor vittorioso stuolo.

Tanto dicitur fuisse robore, ut ferrum satis validum manibus suis plumbi instar contorquere & inflectere posset.



CAPUT VI.

PETRUS COSMUS, ANTONIUS CORREGIUS, BRAMANTES cum ſeptem artificibus adhuc aliis.

Argumentum.

XXXII. PETRUS COSMUS pictor Florentinus. Opera ejus. Opus Amorum. Genius ejus: & diſcipuli XXXIII. JULIANUS & ANTONIUS de S.GALLO, Statuarii & Architecti tàm civiles quàm militares Florentiæ. Ædificia illorum Florentina & Piſana. Quid pro Architecturâ invenerint. Epitaphium illorum. XXXIV. DOMINICUS PULIGUS pictor Florentinus. Opera ejus. Defectus ejus. Colorum artem optimè callet. XXXV. ANDREAS FESULANUS, Statuarius & Architectus: ex merâ praxi artem profitetur. Opera, defectus, & encomium ejus. XXXVI. SYLVIUS COSINUS FESULANUS Statuarius. Opera ejus. Superſtitioni nimium indulget. XXXVII. JOHANNES BELLINUS pictor Venetus. Opera ejus & encomium. XXXVIII. DOSSUS pictor Ferrarienſis. Opera ejus Ferrarienſia & Urbinatica. XXXIX. BRAMANTES Urbinas Architectus. Opera ejus Neapolitana & Romana. Hieroglyphica ejus & ædes Sacræ. Genius illius. XL. GEORGIUS de CASTELLO FRANCO, pictor Venetus. Opera ejus; Domus Germanorum emporetica Venetiis. Utrum Statuaria picturb præferenda. Quomodo imago pingi queat omnibus quatuor lateribus ſpectabilis. XLI. ANTONIUS CORREGGIUS pictor. Opera ejus. Pictura Ledæ & Veneris. Artem eleganter pingendi exactè callet. Noctem nati Chriſti pingit. Item Chriſtum in oliveto. S. Catharinam. Genius ejus & Epitaphium.

XXXII. PETRUS COSMUS Pictor Florentinus.

XXXII PIETRO COSIMO



Aurentio quidem Oraſonatus, ſed ab altore Coſmo Roſellio, à quo ad artem applicatus eſſet, cognominatus. In primo jam ætatis flore magni ingenii ſigna edebat, ſolitudinem amans, ut meditationibus eò meliùs vacare poſſet: Undè & ad ardua illum adhibebat Coſmus, quod & judicio ſe quandoque ab illo ſuperari cerneret. Coſmus igitur ille à ſixto Papâ Romam vocatus ut ſacellum aliquod pingeret, Petrum hunc ſibi aſſumebat ſocium: ubi plurium pingebat effigies de primoribus, ut Verginii, Orſini, Roberti Sanſeverini, filiique Papæ, Valentini Principis.

Opera ejus.

Librum deindè magnâ compoſuit induſtriâ, picturis animalium aviumque repletum. In quadro autem marmoreo Venerem pinxit & Martem in campo quodam floridiſſimo ponè ſe invicem dormientes, ludentibus circum circa Amoribus variis, Martiſq; arma huc illuc portantibus: Cupidine autem ad myrti fruticem à cuniculo territo; & columbis aliquot Veneſis per aëra circumvolantibus. Deindè & Silenum pinxit in aſino multis circundatum pueris, potum eidem cibumq; miniſtrantibus, magnâ cum ingenii laude.

Genius ejus.

Victûs delicias non curabat, ſed ova, dum aliàs aquâ pro glutine fervefaceret, ſibi coquebat, circiter quinquaginta; eademque ſucceſſu temporis comedebat. Muſcas à diluculo usque ad veſperam inſectabatur: & tonitru fulmenque tanto metuebat horrore, ut pallio involutus, quamdiu tempeſtas duraret, in angulo quodam latibulum quæreret. Nihil magis ipſum turbabat, quàm ploratus infantum, ſtrepitus tuſſientium, clangor campanarum, & cantus monachorum: cùm è contrario pluviis delectaretur. In ſenio ad delirium ita reductus erat, ut ſæpè, quamvis paralyſi ſolutis membris, ad laborem tamen accedere vellet; monitus autem urgeret, ut manus ſibi præſecarentur. Multos habuit diſcipulos, & inter alios Andream Sartenſem, & Franciſcum Sangallenſem. Diſcipuli.


XXXIII. JULIANUS & ANTONIUS SANGALLENSES Statuarii, & Architecti tàm civiles quàm militares Florentini,

XXXIII. GIULIAN & ANTONIO DI S.GALLO

Pauli Jamberti Architecti Florentini celeberrimi filii; quos cum Amico ſuo Francioni Statuario clariſſimo maturè in diſciplinam tradidiſſet Pater, hi tantoperè in arte profecerunt, ut Julianus præcipuè haud multò poſt, ipſe pro ſe laboraret in domo Piſana; ubi multa adhuc ſuperſunt opera illius manu facta. Cumque & Architecturæ inſigniter peritus eſſet tàm civilis quàm militaris, à Laurentio Medicæo propterea Architecti & tormentarii munere donatus, factâ à Duce Calabriæ in Tuſciam invaſione, prudentiâ ſuâ id efficiebat, ut ille re infectâ mox retrogredi cogeretur. Juſſu deindè ejusdem Laurentii cœ- Ædificia illorum Florentina.


nobium











Joachime de Sandrart delin. *Jacob Sandrart sculp.*

saltem occupabatur marmoreis, tranquillitatem nunc extremæ ætatis quærens: cumque ab Antonia Vespucia ad fabricandum sepulcrum Antonio Strozzio marito suo conductus esset, maximam laboris partem à Thoma Boscolo & Sylvio Cosino, de quo mox, confieri curabat, ipse autem circà annum 1522. moriebatur, ex effigie tabulæ N. cognoscendus.

Defectus & encomium ejus. Quamvis autem ex omnibus ejus operibus appareret, non regulis ipsum ullis, sed solâ praxi niti; venustas tamen ipsi neutiquam deerat, ita, ut si huic & diagraphice juncta fuisset, palmam ne maximis quidem concessisset, felicioribus nimirum designando quàm scalpri usu.

XXXVI. SYLVIUS COSINUS Statuarius Fesulanus

XXXIV. SILVIO COSINI. Andreæ Ferrucii discipulus, sculpturis præcipuè Alabandensibus [bizarria delle grotesche] insignis fuit, prout apparet in Sacrario Michaëlis Angeli Bonarotii ex capitulis, tumbis, trabeationibusque quibusdam, quæ chimæricis suis larvaturis tantâ rident amœnitate, ut meliùs fieri haud potuissent: quare idem Michaël etiam trophæa adhuc aliqua eidem elaboranda committebat. Opera ejus. In templo S. Mariæ Novellæ familiæ Minerbetticæ structuram Sepulchralem, scutis, galeis, aliisque armis exornatam summâ paravit industriâ: Pisisque Angelum penes altare summum, alteri cuidam, qui Tribolis est, tàm similem, ut unâ manu factos jures. Deindè in templo montis Nigri haud procul à portu Liburno tabulam anaglyphicam cum duabus figuris; nec non Volaterris Sepulchrum celeberrimi illius Raphaëlis Volaterrani, quem viventi similem in Sarcophago sculpsit: caput itidem marmoreum Nicolai Coponii in Castello novo Garfaniensi.

superstitiosus est. Institutâ autem Pisis re familiari & in societatem fratrum misericordium receptus, aliquando noctu malefico cuidam è patibulo sublato, cutem detrahens, eandem ex superstitione, quasi ad varia utilem, indusio suo superinduebat, donec confessario urgente illam rursus sepeliret. Cum autem uno in loco haud diu morari esset solitus, Pisis Carraram, iterumque Genuam migrabat, ubi Doriam Principem cum insignibus suis aliisque ornamentis marmore expressit, in portâ palatii ejus locatum. Abhinc in Galliam abiturus, cum ad montem, qui Sanese dicitur, pervenisset, Mediolanum retrogressus, multa & hic elaboravit. Magno enim pollebat judicio, inque labore sedulus erat & constans propositi: musicalibus etiam compositionibus delectatus, incomparabilis, si soli vacasset sculpturæ; tandem anno ætatis 45. moriebatur.

XXXVII. JOHANNES BELLINUS, Pictor Venetus

Æmulatione fratris ad nova inventa tantoperè stimulatus est, ut veterem illum morem colorum emicantium cum venustâ naturæ imitatione iterum introduxerit, quo ipso Sanctorum imaginibus singularem devotionem, sibi ipsi autem magnam peperit gloriam. XXXVII. JOANN BELLINI. Adprimas picturas suas subactu utebatur ovario, quod in Flandriâ à Johanne Brugēse didicerat: mixturam tamen etiam oleariam adhibere assuescebat, per Antonellum Messanensem jam Venetiis innotescentem. Opera ejus. Picturæ ejus primæ erant Imago D. Virginis ad S. Juliani; & S. Catharina ad S. Geminiani fanum; reliqua opera ejus variè Antverpiæ, Vicentiæ, Bergomi, Viennæ, Veronæ, in Flandria & Anglia dispersa sunt. Venetiis ipsius manu facta visuntur in domo Grimanensi ad S. Hermagoram, duæ Tabulæ Geographicæ, cum effigiebus Ptolomæi, Strabonis, Plinii & Pomponii Melæ: in domo autem Lauretanâ imago Leonhardi Lauretani mensæ in sella assidentis, circumstantibus duobus filiis ejus cœterâque familiâ, viventium quantitate omnes: ut alias nunc icones, quales sunt, Bartholomæi Lieriani, Petri Bembi & similes, sicco prætere
am pede.

Deindè Ferrariæ Duci opus magnum inchoavit, multarum sc. mulierum larvatarum, circa dolium aliquod vinarium choreas agentium, unà cum Sileno pariter ebrio, multis circumvagantibus pueris stipato in asino, quod mortis interventu imperfectum reliquit; sed Titianus postmodùm adjecto campo amœnissimo ad finem perduxit, à Cardinali deindè Aldobrandino possessum, nunc verò in Pinacothecâ Regis Hispaniarum honorificè asservatum; sub quo pro notâ, hæc adstant verba: Johanes Bellinus: M. CCCCC. XIV. Encomium. Imago ejus in tabulâ nostrâ M. spectari potest. Mortuus autem est anno ætatis suæ 90. unà cum fratre in Templo Divorum Johannis & Pauli sepultus: inter alia & hoc honore clarus, quod magni Titiani fuerit Præceptor. Amicus ejus Ariostus Poëta in furioso suo his ipsum honorat verbis:

E quei, che furo à nostri dì, e son hora
Leonardo, Andrea Mantegna è Gian Bellino.

XXXVIII. DOSSUS Pictor Ferrariensis.

XXXVIII. DOSSO. Ariosti ætate clarus, & ab Alphonso Ferrariæ Duce valdè amatus: nomen hoc in ditionibus Longobardicis assumsit. Subdialia melius pingebat, quàm alii, sive in al-

Opera ejus. Ferrariensia. bario recente, sive oleariâ mixturâ, præsertim observatâ Germanorum methodo. Specimina hujus extant in æde Dominica Ferrariensi, multisque conclavibus Palatii Ducalis, auxiliante ipsi Baptistâ fratre. In palatio Ducis minore Herculis facta pingebat cum variis imaginibus nudis in albario recente: aliisque operibus in aliis Urbis locis & palatio Tridentino Cardinalis.

Urbinatica. Cum autem celebris ille pictor & Architectus Hieronymus Genga pro Duce Urbinate Francisco Maria multa pingeret opera, ad illorum accelerationem Dossus cum fratre Baptista in auxilium vocati, omni adhibitâ in peculiari cubiculo industriâ, nihil tamen decori efficiebant, ut nunquam minore cum laude pinxisse dicantur; (prout quædam magnâ etiam sedulitate elaborata, ob defatigatum ingenium, omnium tamen minimè succedunt:) ut abolito omni illorum labore, juxta Gengæ designationem aliter illa pingi Dux curaret. Tandem Dossus in domo Falenciana, pro Johanne Baptista Bosio Equite disputationem quandam Christi cum Pharisæis pinxit, ob artificium diagraphices, perfectionem applicitorum colorum, pulchrâque elevationē maximâ laude dignam, anno 1536. erectam. In senio suo ab omni labore cessans à Duce Alphonso sustentabatur, fratre ejus post mortem illius artem ulteriùs cum lucro excolente.

XXXIX. BRAMANTES URBINAS Architectus,

XXXIX. BRAMANTE d' URBINO. IN Castello Durante natus haud procul Urbino, pauperibus quidem, sed honestis parentibus; discipulus in pictoriâ primò Bartholomæi (qui communiter Fra Carnovale dicebatur:) ad architecturam tamen magis inclinans, in patriam reversus, in Lombardiam iter instituebat, antiqua sui studii visurus opera. Ad culmen autem illius artis intentus, Mediolani ad Cæsarem Cæsarinum, celeberrimum tunc Geometram & Architectum, veniebat, commentarium tunc in Vitruvium editurum, non accepto autem sperato prœmio amentiâ mox correptum atque sic mortuum. Hic apprehensis modis quibusdam rarioribus anno 1500. qui Jubilæus erat, insignia statim Alexandri VI. in porta S. Johannis Lateranensis elaboranda ipsi offerebantur, quod tamen, tunc mediis non egens, civiliter cum declinasset, delineationes omnium antiquarum fabricarum Romanarum tàm Romæ, quàm Neapoli, Tibure, in Villâ Ariadnæâ & alibi in commodum suum privatum instituebat. Opera ejus.

Neapolitana. Neapoli tamen à Cardinali illo ad structuram cœnobii fratrum Pacificorum adhibebatur: quin & juxta ichnographiam ejus Palatium Adriani Corneti in burgo novo; nec non Additamentum Sacelli ad S. Mariam Populosam extruebatur. Clarior autem mox famâ innotescentem, Romam eundem anno 1503. vocabat Papa Julius II. ad structuram quandam, quâ per vallem è Palatio in locum, qui Belvedere dicitur, iri posset: quam magno ingenio instituit Bramantes, extructis duobus porticibus sibi invicem imminentibus, Dorico uno, cum columnis, quales ferè in Colossæo Saviliano spectantur; Jonico altero. In Aspectu autem structuræ hujus inter ornamenta Hieroglyphicis quibusdam utebatur, ad exprimendum sc. nomen Julii II. Pontificis maximi, caput Julii Cæsaris laterale, cum duobus in ponte quodam arcubus & obelisco, qui vocem Massimo sive maximi exprimeret, effigurans. Prout antehac Viterbi Architectus portæ cujusdam nomen suum Francesco Architettore designaverat imagine S. Francisci, Arcusque cum tecto & turri, vocabula italici idiomatis arco, tetto, & torre, indigitans. Quamvis autem insigniter Pontifici & inventio placeret & structura, morte tamen præventus eandem ad finem promovere non poterat. Romana. Hieroglyphica ejus.

Ad S. Petrum Montorium propè cœnobium deindè templum struebat noster, tantâ symmetriâ, ut ipsius monasterii structuram longè superet. Porrò delineationem quoque faciebat templi S. Mariæ Lauretanæ, quod deindè Andreas Sansovinus extruxit. His ad altiora excitatus, ipsum Pontificis Palatium magnum elegantiùs fabricari posse proponebat, factis quoque in hunc finem ideis. Eodemque modo exhibita delineatione pulchram aliàs Petrini templi structuram magnificentiorem fieri posse asseverans, duabus turribus ornato aspectu, Pontificem commovebat, ut dimidiam templi partem dirui curaret. Ubi Bramantes etiam, incomparabile quid meditatus, solitâ celeritate jacto fundamento vivente adhuc Pontifice usque ad fornicum finem erigebat muros, ubi arcuatione junguntur quatuor pilæ: ad sacellum quoque primarium progressus, usq; ad Sacellum Regis Galliarum, ubi an. ætatis septuagesimo præcellentissimus hic artifex è vivis excedebat, sepultus anno 1514. in templo S. Petri. Hæc autem structura deindè à Michaële Angelo Bonarotio absolvebatur. Ædesque Sacræ.

Cœterùm hilaris erat genii Bramantes, officiosus, & artificum virorumque prudentum studiosissimus, præsertim Raphaëlis Urbinatis: musicâ etiam delectatus & Poësi; magnæ deindè autoritatis & sculptorum quasi architectorumque idolum, ob reproducta antiquorum in hac arte inventa; imò superata; cujus exemplum esse potest splendidissima Palatii Farnesii, quod Caprorolæ est, structura. Imaginem au- Genius illius.

tem ipsius in tabulâ æneâ M. spectare licet.

XL. GEORGIUS DE CASTELLO FRANCO, Venetus, Pictor;

XL. GIORGIONE DA CASTELLO FRANCO.

NAtus in Marchiâ Trevisanâ, patriâ unde cognomen habet, anno 1478. & ob animositatem Giorgione dictus, quoniam, utut humili satus familiâ, nobili tamen gauderet cultu; fœminarum, testudinis & canendi studiosus. In diagraphicâ tamen insigniter exercitatus nihil operibus inserebat, nihil è vivo anteà exemplari desumtum: novorum porrò semper inventor, inque subactu oleario, nec non in albario recente vividis coloribus studens, ut carnem pingere diceretur & spiritum, superatis & Gentili & Bellino, nulloque è recentibus in Tusciâ posterior.

Opera ejus

Primis operibus multas pingebat D. Virginis imagines, pulchritudine carnaturæ & umbrarum omnibus superiores; unà cum iconibus quibusdam, inter quas & Consalvi Fernandi. In albario tamen, elegantia illius opera austeritate Hadriatici aëris plerumque iterum corrupta sunt. Domum etiam Germanorum emporeticam Venetiis anno 1504. incendio consumtam, recenterque extructam in muro humente pingens, liberâ quidem inventione, mox virum, & fœminam iterum, dein cum leone imaginem, & aliam cum capite angelico, & similiter, omnia venusta saltem & quasi viva effiguravit, ita tamen, ut sensum nemo valeat assequi; nisi quod fœmina illa gladium manu tenens, cum Gigantis capite, Germanum quendam infrà se assidentem allocuta, Germaniam repræsentare videatur.

In templo S. Rochi Venetiis picturam fecit Christi crucigeri, à Judæo tracti, quæ miraculis clara dicitur. Alia ipsius opera etiam in Castello Franco spectantur, transmissis ad exteros aliis. Cùm, Andreâ Verocchio equum æneum Venetiis fundente, controversia oriretur de prærogativâ picturæ & sculpturæ, Statuariis omnium laterũ aspectum pro se allegantibus: Georgius noster contrarium demonstraturus, utque evinceret picturâ quoque varios repræsentari posse situs haud inversâ imagine, quin imò omnia quatuor effigiei pingendo exhiberi posse latera, imaginem pingebat nudam aversam, fonte clarissimo faciem, thorace æneo politissimo latus unum & speculo alterum commonstrans, magni ab omnibus æstimatam. Mortuus est anno 1511. anno ætatis 34. relictis Sebastiano de Plumbo, & præstantissimo Titiano Cadorense discipulis, quorum hic præceptore longè evasit superior. Imaginem autem Georgii tabula M. inter icones nostras exhibet.

Imago ad quatuor latera spectabilis.

XLI. ANTONIUS CORREGIANUS Pictor

XLI. ANTONIO DA CORREGIO.

IGnobilem aliàs patriam suam magno nomine suo illustrans, brevi in arte progressus est, quodque mirum magis; nec Româ, nec aliis antiquitatibus perlustratis, nec præceptore clarus, sed nudis naturæ donis felicissimus, cumque naturali metu inhibitus è terrâ suâ non excessisset, non nisi propriô ingeniô multâque exercitatione illustris; longè autem futurus excellentior, si nec illa defuissent.

Opera ejus

In æde Dominica Parmensi aliquot pinxit imagines majores, ab infrà conspiciendas, magnâ abbreviandi felicitate. Ibidem in æde S. Johannis turrim rotundam, & Deiparæ assumtionem cum multis angelorum sanctorumque imaginibus: nec non duo altaria oleario subactu, & in uno Christi mortui imaginem celeberrimam elaboravit: Mirumque omninò est, unde gestus illos pulcherrimos, imò quomodo tàm varios volantium vestium gyros excogitare tamque eleganter exprimere potuerit. In eâdem urbe apud Capucinos ab ipso in albario depicta fuerat Annunciatio Angelica, quod opus, effractô deindè murô, summâ cum industriâ exemtum, & aliò transportatum est. Est & imago quædam D. Virginis in portâ aliquâ Civitatis, à Viatoribus cum admiratione spectata: postmodò in S. Antonii etiam templo picturâ quâdam S. Maria, & Maria Magdalena cum Angelo quopiam tantâ venustate exhibentur, ut citrà commotionem gaudii spectari nequeant: prout & Hieronymum quendam, & insignem in illo chromatismum pictores nunquam satis admirantur. Omnem enim in illum contulisse videtur Gratia ubertatem, undè non immeritò venustate, nobilitate pulchritudinis, naturalique imitatione, opera ejus præstant omnibus; ut vera hæc charitum vis omnium prudentum non oculos saltem & mentem, sed cor ipsũ abripiat, istoque laudis charactere ipse privari non possit.

Pro Friderico Duce duo pinxit opera Imperatori dono mittenda, tantoque monarchâ ob magnum Artis robur haud indigna: Ledam scilicet nudam & Venerem, tàm leni chromatismo, tamque profundâ carne; ut artus vivi potiùs, quàm picti esse videantur. Cuilibet autem picturæ tractus quidam inerat campestris; Venerique è rupe quâdam super pedes profluebat unda clarissima, tenerrimam illorum nuditatem non tantùm oculis non eripiens, sed magis exponens. Eidem duo aderant Cupidines, singuli sagittam suam, auream unus, plumbeam alter, lapide Lydio examinantes. His tabulis visis fassus est Julius Romanus; similem chromatismum se per totam vitã suã nõ spectâsse. Certumq; omninò est, neminẽ

picto-

pictorum antiquorum coloribus unquam melius usum, vel amœniori venustate, majori lævore, elevatiori carnositate, & penetrātiore elegantia, magisvè prominula citra umbram mole penicillum tractâsse: ut meritò dici queat, illum ê duobus benè pingendi characteribus alterum, qui Calligraphiæ est, gratiosus nimirum ille elevandi, vivificandi & incarnandi modus, melius exercuisse, quàm cœterorum ullus: & quamvis in altero, qui Diagraphices est, aliquando negligentior videri velit, quod rarissimè quidem factum, hoc ipsum tamen ob summum illius generis splendorem, ne minimùm quidem Gratiositatis ejus diminuit gloriam.

Deindè Mutinæ quoque celeberrima D. Virginis imago ipsius manu facta est. Item Christus in oliveto; & in horto Mariæ Magdalenæ apparens, Bononiæ: Nec non Regii, admiranda nati Christi imago, ubi è Jesulo procedens noctu splendor pastores & circumstantes omnes sic collustrat, ut mulier quædam vehementiam illius à facie aversura, manum prætendat: chorus autem angelicus in aëre obvolitans verus magis, quàm manu factus humanâ videtur istaque pictura tantoperè placuit Mutinensium Duci, ut, facto apographo, autographon in palatium suum deferri juberet; tanquam ê præclarissimis unam, quæ in toto essent universo. Eâdem ratione in hac ipsa quoque urbe adhuc unum extat opusculum nocturnum unius pedis altitudine; Christi nimirum in oliveto agonizantis; ubi angelus ipsi apparens clarum de se emittit splendorem; Apostolis infra, montano quodam tractu inumbratis, & Judâ cum militibus remotius accedente.

Parmæ cum aliquando periculoso morbo decubuisset, á muliere quadam, cui Catharinæ nomen, sollicitè curatus, in debitam animi gratitudinnm S. Catharinam eidem pingebat Jesulo in D. matris gremio sedenti, per annulum sese desponsantem, cum S. Sebastiano aliisque pectoralibus. Quod opus, cum Comitissa quædam illuc Romam detulisset, cum aliis præcipuorum artificum, ut Raphaëlis Urbinatis, Lucæ Lugdunensis, Andreæ Sartensis, aliorumque operibus collatum, arte sua omnia superabat; ut Scipio Borgesius Cardinalis carò illud emeret, ubi anno 1634. & ego illud conspexi, ne 6000. quidem coronatis pro eo oblatis ipsi venale.

Cœteroquin moribus erat modestus, humilisque, nec arte suâ elatus, qui difficultatem imitandi naturam lubens fateretur: paucis contentus, & ob magnam rem familiarem parsimoniæ deditus: undè cum pro opere quodam sexaginta coronatos aureos quadrinorum specie, qui oboli sunt ænei gravioris ponderis, accipere coactus fuisset, illosque magno in æstu pedes ipse portaret Corregium, ob frigidam in itinere copiosiùs bibitam, acutissimâ febri correptus, eâdem anno ætatis 40. mortuus est. *Mores ejus.* Operibus plerisque circa annum 1512. elaboratis; in quibus multa ab ipso discere possunt illius artis studiosi, & miram præcipuè capillorum elegantiam, quos fluxu planè naturali pingere adinvenit: unde iconem illius cum aliis tabulâ O exhibeo, hoc addito, quod Fabii Segni est, nobilis Florentini, in ipsius honorem Epigrammate:

Epitaphium.

Hujus cum regeret mortalis spiritus artus
Pictoris, Charites supplicuêre Jovi:
Non aliâ pingi dextra, Pater alme, rogamus
Hunc præter nulli pingere nos liceat.
Annuit his votis summi Regnator Olympi,
Et juvenem subitò sidera ad alta tulit:
Ut posset meliùs Charitum simulacra referre,
Præsens & nudas cerneret indè Deas.

CAPUT VII.

De RAPHELE SANZIO URBINATE, Pictore & Architecto.

Argumentum.

XLII. RAPHAEL SANZIUS URBINAS, pictor & Architectus. Nativitas ejus. Opera ejus Florētina: Imago D. Virginis. Perusina. Opus aliud Sacrum; & sepultura Christi. Romana, Prædicatio Pauli ad Athenienses: Pansophia: Poësis: Parnassus: Disputatio super Hostia & missa: historia de Jure civili & canonico: duæ tabulæ, apud S. Mariam populosam: ad S. Augustini, Jesaias: Galatea: Ad S. Mariam Pacis Sacellum: Summi altaris tabula in templo Aræ cœli: miraculum, quomodo Sacerdoti cuidam liquefacta sit hostia: S. Petrus in vinculis opus nocturnum. Sacrilegium Heliodori: Fuga Attilæ: opera ejus Neapolitana. Cæcilia ejus Bononiensis. Altare Florentinum. Alia ejus opera Romana: Incendium: Connubium Psyches: transfiguratio

Christi: Opes ejus: typis aneis picturas suas edit. Fœminarum studiosus est: ejus in arte cum Michaële Angelo æmulatio. Mors & elogia.

XLII. RAPHAEL SANZIO d'URBINO.

XLII. RAPHAEL SANZIUS URBINAS, Pictor & Architectus,



Nativitas ejus. EXemplum naturæ donis prodigæ, corpore formosus, mente pulchrior, societate comis, penicillo admirandus, industriâ indefessus, gloriâ perennis: natus est Urbini, Ducali tùm sede, anno Christi 1483. parasceve paschali, patre pictore quidem, sed communioris orbitæ; qui, cognito filii ingenio, non propriâ, sed Petri Perusini, eum informari voluit disciplinâ; cujus morem brevi ita sibi fecit proprium, ut præceptoris & discipuli non amplius internosceretur labor, testantibus id aliquot imaginibus in templo S. Francisci Perusino, ut & in Civitate Castellana ad D. Augustini & ad D. Dominici, crucifixi imagine, quæ picturæ ab omnibus artis peritis Petri Perusini esse judicarentur, nisi Raphëlis nomine subsignatæ essent.

Hunc igitur in arte magis semper magisque proficientem, præceptoreque jamjam superiorem, Amicus ejus Bernardinus Pinturriccius secum Senas sumebat, ad delineanda quædam elocata sibi opera. Opera ejus. Florentina. Cognito autem, quod Leonardus Vincius Florentiæ opus aliquod diagraphicum artificiosissimum, multis equis refertum, & in illius æmulationem Michaël Angelus aliud simile confecissent, eodem hæc visum profectus istisque cum urbe insigniter delectatus, haud parvam ibidem instituebat moram, honoratus præcipuè à pictoribus quàm plurimis, & initâ familiaritate cum quodam Taddeo Taddei & Laurentio Nasi, cui & imaginem pingebat D. Virginis puerulum gremio gestantis, â Joanne puero etiam avicula donatum, ubi in matre gratia, in pueris simplicitas, in omnibus quasi viva caro expressa est, præter tractum ipsum subdialem laude suâ non carentem.


Parentibus mortuis, Urbinum ad curandas res suas reversus, pro Duce duas Deiparæ imagines pingebat parvas artificiosissimas, ut & Christum cum tribus Apostolis in horto, tátâ curâ, ut monochromaticè nihil fingi queat curiosius. Perusina. Hinc Perusiam iterum profectus, inter alia facies quarundam Sanctarum virginum pingebat, ornatu capitum elegantissimo & venustate admiranda, hoc ipso demonstrans, se Florentiæ haud vilia spectasse. Præterea & aliam elaborabat Deiparam cum filiolo, Johannem ab Elisabethâ adductum comiter excipiente: Josepho intereà baculo utrâque manu nixo, & inclinato capite cum aliis cognatorum istorum in pueritiâ familiaritatem admirante: Ubi ductus omnes caro sunt & vita; opusque ipsum meliori dignum custodiâ.

Perspecto dein celebriores jam Vincium & Angelum, Masaccii incedere methodo, Florentiam iterum adibat, artificis hujus opera meliùs perlustraturus, ubi insigniter rursum proficiens, contractâ & cum Baccio pictore haud infimo amicitiâ, Perusiam porrò regrediebatur, Sacellum ibidem pingens in æde D. Francisci pro Atalanta Baglionio, ideâ jam antè iter Florentinum confectâ. Expresserat autem in albario recente Sepulturam Christi, opere quasi semper recente, in quo mœstitia plorantium & plangentium, lipothymiâ deficiens mater, facies demissæ omnes industriâ incomparabili.


Mox Romam vocatus â sympatriotâ & cognato Bramante Architecto Julii III. Pontificis Raphaël, ad pingenda conclavia quædam recentia, cum sciret specimen edendum sibi, quod & alii alia jam conclavia pinxissent; pulcherrimum inchoabat opus in Cubiculo Sigilli, prædicationem scilicet Pauli ad Athenienses ex c. 17. Actorum: Ubi inter Stoicos, Epicuræos, Academicos, Peripateticos, & similes divinus ille gentium Apostolus cum Silâ comite glorioso commot⁹ zelo elevatis manibus Evangelium de Christo idololatriæ opponit, auscultantib⁹ quibusdam, contradicentibus aliis: egregiè tamen ut internosci queant, ubique discriminatis Philosophorum hæresibus: Peripateticis scilicet ambulando, profitente quodam, excipentibus aliis; sedentibus Academicis ex adverso priorum: meditantibus Stoicis; ridentibus Epicuræis; spectantibus Diogenis effigiem cum patera lignea Cynicis; circulo utentibus Astronomis: adstante juvene quodam pulcherrimo sub icone Friderici Ducis Mantuani prono capite & apertis brachiis admirabundo; designante in tabula figuras quasdam, & alio, qui effigie Bramantis apparet, penes quem senior quidam spehram cœlestem tenens aversus; & cum illo Raphaël ipse, hilari vultu. Præterea in opere hoc ædificium est cum variis imaginibus scenographicè projectum: ex quibus omnibus facilè perspiciebat Pontifex, hunc palmam cœteris prærepturum; unde derasis quæcunque pinxerant alii, tam veteribus quàm recentibus de novo omnia Raphaëli committebat conclavia; qui Alabandensibus tamen Antonii Vercellensis parcens, eadem operi suo inserebat. Romana.

Quatuor autem illius conclavis circulis has inserebat picturas: In primo mulier erat sedens in sellâ Pansophia, penes quam













I. v. Sandrart d. P. Kilian s.



Cybele Polymaste, quadricolore vestitu; suprà cingulum rubeo ignem, sub eodem cœruleo aërem; suprà genua viridi terram; & circa pedes cœruleo dilutissimo aquam denotantibus. In secundo Poësin repræsentabat Polyhymnia lauro coronata, una manu chelyn, altera librum tenens, oculis in cœlum elevatis meditabunda; ludentibus penè duobus puerulis pulcherrimis. In tertio Theologus est multis libris circundatus cum duobus pueris. In quarto Justitia bilancem cum gladio tenens, cum duobus similiter puerulis: quæ singula cum historiis singulorum murorum concordant: appositis etiam in angulis istius fornicis historiis aliis, parvarum imaginum, cum infrà pictis historiis conspirantibus; ornatis variè argutarumq; inventionum.

Inferius, erga latus Callopticum Parnassus est cum fonte Heliconio, laureto circundante, aura variè per ramos ludente: volitantibus in aëre amoribus, lauri folia decerpentibus, nexisq; corollis montem insternentibus. Musarum intereà elegantia spectantium omnium fascinat oculos, cum quibus mirari liceat Poëtarum turbam, Virgilii, Ovidii, Ennii, Tibulli, Catulli, Propertii, aliorumq; antiquiorum ex antiquis numismatum iconibus depictorum; cum recentioribus Dante ingenioso, Petrarcha hilari, Boccatio erotico, Tibaldeo jocoso: quibus remotior aliquanto ob sexus verecundiam & Sappho assidet: Homerus cœcus elato capite versus suos decantat; cœteri turmatim in monte, vel scribunt, vel colloquuntur; vel meditantur: unà cum Apolline artificiosissimè repræsentato.

In eodem cubiculo depicta est Disputatio Theologorum de hostia & Missa: Prætereà cœlum, in quo Christus, cum Matre virgine, S. Johanne Baptista, Apostolis, Evangelistis; multisq; martyribus, Patre desuper Spiritum S. in scriptores demittente; & quatuor Angelis quatuor Evangelistarum libros in aëre aperientibus, unà cum variis etiam Theologis iconicè depictis; tantâ omnia præstantiâ, ut elegantiam vestium, naturalem expressionem affectuum, dispositionum ordinem, vultuum gratiam nemo satis mirari queat. Illa nimirum Raphaëlis erat singularitas, ut speciali quasi dono historias pingeret ad Antiquorum methodum dexteritate incomparabili & venustate admirandâ.

In alio conclavis latere suprà fenestram, Justinianus Imperator Jurisperitis Leges tradit revidendas; quibus imminent Temperantia, Fortitudo, & Prudentia. Ex adverso Pontifex Cardinalibus jus tradit Canonicum, Julio tum sedente, & Cardinalibus viventibus ad vivum expressis. Quæ omnia cum insigniter satisfacerent Papæ, Cubiculum & aliud pingendum ipsi erat.

Ad S. Mariam populosam ipsius manu facta visitur Icon Pontificis oleariâ mixturâ, cujus tanta dicitur fuisse similitudo, ut stuperent spectantes. Ibidemq; & D. Virgo depicta est, filiolum linteo tenui contegens, adstante Josepho baculo sustentante: quæ tabulæ tanti æstimantur, ut summis tantùm festivitatibus exponantur.

Cumq; eodem tempore Michaëlem Angelum Româ excedere oporteret, Raphaël interea opera illius inchoata intuitus, magnam penicilli ejus vim satis mirari non poterat. Deinde ad S. Augustinum Jesaiam Prophetam pingebat cum duobus puerulis. In Palatio Augustini Chisii mercatoris ditissimi Galateam pingere instituerat, à duobus Delphinibus in mari vectam, circumnatantib' Tritonibus & Nymphis marinisq; aliis. Quo opere delectatus mercator, eundem ad sacellum quoq; in æde S. Mariæ de Pace pingendum in albario recente conducebat: in quo tanto usus est artificio noster, ut apex dicatur operum ejus, summâ cum gloriâ tùm vivi tùm mortui.

Porrò pro Cubiculario etiam Pontificis sumi altaris tabulam pingebat in templo, quod Ara cœli dicitur, in quâ retrò tractus quidam campestris pulcherrimus: in aëre D. Virgo humillimo sed blandissimo vultu, filiolum gremio tenens, cum pallâ maternâ jucundè ludentem: infra Johannes Baptista, candore animi quasi è vultu radiante; & S. Franciscus, oculos ad Deiparam devotè extollens; nec non Cardinalitio habitu Hieronymus, utrâq; manu, innixum genibus, & vivum quasi cubicularium offerens. Sub Mariæ imagine puerulus quidam inscriptionem tenet, tàm eleganti gestu, ut venustius nihil concipi queat.

Pergens deindè in pingendis cubiculis Papalibus, in uno miraculum exhibebat Sacerdotis, cui ob incredulitatem colliquesceret hostia, erubescenti, consternatoq; propterea & quasi tremebundo; ubi populus interea, Missam audiens, inter quos ipsius Papæ effigies, variis gestibus conceptum præ se fert terrorem: sedente intereà cum infantulo ad collum pendente, retroconversa muliere quâdam, quasi narraturâ factum sociæ: Et quia in muro, in quo depicta erat hæc historia, fenestra esset, eodem tam argutè disposuerat scalam, ut opus ejus sine illâ imperfectum videretur.

E regione pictus erat Petrus in vinculis dormiens in carcere horrendo inter duos milites armatos, collustrante illorum arma tanta claritate Angelo, ut polita videantur non picta, ut totus etiam ex hinc resplendescat carcer. Extra hunc deindè cum

Angelo discedit Petrus, quasi adhuc somnians; custodibus interim terrorem vultu prodentibus; inter quos excubitor quidam facem tenens excitato commilitone magno etiam arma illorum splendore irradiat: tantumque in fumo hujus faculæ, lunæque fulgore est artificium, ut omnibus hîc pateat illustre operum nocturnorum, dextreque pingendarum reflexionum exemplum.

In eodem cubiculo repræsentato Heliodori sacrilegio, Julius Papa â feretrariis apportatur ad profligandam ex Ecclesiâ avaritiam, cedentibus variis tàm virorum quàm mulierũ catervis. Angelicus intereà Eques inter duos Sacrilegi castigatores pedites magno furore in Heliodorum invehitur, verberibus cæsum immanibus: raptoribus cœteris fugientibus, raptuque huc illuc projecto de vitâ sollicitis. Adstat autem Levitico habitu Onias Sacerdos maximus, manibus ad cœlum projectis atque oculis; & spectatorum alii in stylobatis, ad columnas suspensi alii cum stupore miraculum contuentur. In fornice quoque istius cameræ Biblicas quasdam pinxit historias; Dei scilicet Abrahamo seminis multiplicationem promittentis; Jsaaci, immolandi; & Moysis ad rubum; summo omnes ingenio & manu venustâ.

Mortuo autem Julio III. Papa, Successor quoque ejusdem Leo X. Raphaelem in picturis suis pergere jubebat: ubi iconicum pingebat Pontificem, benedictione suâ Attilam ad montem Marium è tractu Romano fugantem: expresso in equo melanuro tyranno, jamjam ad fugam commoto. Ubi inter alios hujus operis equos pulcherrimos, scutulatus quidam Hispanicus omniũ ad se rapit oculos, insessus à cataphractato quodam squamosâ armaturâ per totum corpus contecto, è columnâ Trojanâ eleganti apographo mutuato. Et prout excedentibus militibus sæpè incendia oriuntur; ita & hoc loco mons Marius flammis corripitur totus: multis per totum opus dispersis iconibus virorum.

Neapolitana. Circa hoc tempus Neapolim quoq; deferendam pingebat tabulam, inq; eâ D. Virginem cum S. Hieronymo Cardinalis habitu: Item Raphaëlem, Tobiæ conductorem. Eodem pro Leonello Carpio Meldolæ Domino Deiparam pingebat, compositis manibus filium adorantem, similesq; Elisabetham & Josephum, cum Johanne puello Jesulo blandiente.

Bononiense. Pro Cardinali S. Quadri Bononiam transmittendam pingebat S. Cæciliam, cujus supra jam facta est mentio in vita Francisci Franciæ: eadem irradiatur à quodam in aëre obvolitante canentium angelorum choro, cujus harmoniæ quasi ecstatica aures præbet Cæcilia: variis infrà adjacentibus instrumentis musicis, quæ picta nemo diceret, sed vera: prout & peplum ejus carbasinum & tunicam auro intertextam. Penes illam appicta Maria Magdalena cum aliis vultu gaudium præ se ferunt ob conversam Cæciliam: quæ omnia tantâ pollent vitâ & veritate, ut omnia juxta posita picta alia mortua videantur, cum hîc moveri quasi videantur omnia & agitari. Unde multa quoq; desuper composita sunt epigrammata; è quibus & hoc unum:

Pingant sola alii referantque coloribus ora:
Cæciliæ os Raphaël, atq; animum explicuit.

Florentinum. In Sacello Ducali Florentiæ ipsius arte confecta est altaris tabula, in quâ Anna vetula filiæ virgini Jesulum porrigit, tanta blanditia jucundũ, ut omnem exhilaret oculum: Deiparam autem cum pudore honesto tàm venustam, ut una facies omnium sit virtutum argumentum.

Romana alia. Romæ etiam magnam adhuc pingebat tabulam aliam variis Cardinalium, nec non Leonis Papæ effigiebus refertam: in quâ omnes figuræ naturali vivunt rotunditate, sua mole prominulæ: in vestibus autem verum gliscit holosericum, pilis horret martes, undulatur Damascena, ut vel strepitus expectetur. In sella quadam spadiceâ appictus est Globus aureus, in quo Papalis habitus ex aureâ telâ renidet splendor: fenestrarum autem lumen & cubiculi structura nullius expectare possunt emendationem. Panormum mittendum pingebat Christum cruciferum suis etiam characteribus expressum elegantissimis, quæ tabula naufragio perdita, & sola Genuæ in arca sua appulsa, Panormum deinde transferebatur in Oliveti montem, magni semper æstimata.

Cognitus autem ob artis gloriam magis semper magisque, tot porrò cumulabatur laboribus, ut manu propriâ omnes perficere non posset: undè pluribus discipulis picturas Papalis palatii à se designatas & dispositas indiesque revisas committens, ipse magnatibus aliis, quibus suam operam denegare haud poterat, quædam elaborabat. Inter alias autem Palatii picturas incendium erat Borgense, à Leone IV. benedictione suâ extinctum: ubi ex uno latere multæ aquam ferentes mulieres, vestibus vento mirè agitatis: ex altero, quidam igne extinguendo occupati, in mediis fumi globis visuntur; pater quoque aliquis senio confectus, Anchisæ instar, è flammis gestatur à filio, robore anxio spectabili: nec non mater alia ereptum igni infantem marito trans murum demittens, digitis pedum dolenter arrecto? item adhuc alia liberos, ne incendio

pereant.



Ar
an
pr
fa
et
tu
fu
te
tr
pl

do
p
ri
q
E
di
et
ri
lu
L
m
&
n
c
n
D
ti
&
n

c
&
I
l
f
r
i
r

Neapolita-
na.

Bononien-
se.

reant.

pereant, antè se propellens. Istius operis prototypon Raphaëlis manu in tabula quadam subactu oleario pictum, in Pinacothecâ meâ, cum aliis quibusdam Raphaëlis delineationibus ipse asservo, pro miraculo quodam artis potiùs, quàm pro picturâ habitum, nec multis venale, ablatis haud rarò nummis, cum præsertim pauca amplius istius artificis in Germaniâ extent opera: undè ob incomparabilem pictoris manum & perfectissimam ejus in arte diagraphicâ peritiam carminibus etiam celebrata est à Barlæo & Jodoco Vondelio ista tabula.

In eodem cubiculo opus pinxit aliquot in prœlio quodam navali captorum, inq; terram e navibus expositorum Turcarum, cum historiis adhuc aliis pluribus, parvo opere etiam stylobatis insertis, admirando artificio. Fornix isti' Cubiculi à Præceptore ejus Petro Perusino pictus, in illius honorem manebat intactus, ne imperfectionis argueret illum, à quo perfectionis hauserat initia. Post mortem Bramantis Architecti cum totum structuræ palatii onus, cum omnibus ibidem perficiendis picturis ipsi soli incumberet, tantæ prolixitati haud pari, adjutores sibi adsciscebat Johannem Vedinensem in Alabandensibus & animalibus ad viva exemplaria depingendis, qui simùl & plastica gypsata efficeret: Julium Romanum ad imagines: nec non Johannem Franciscum Pennium sive Parmensem, Petrinum Vagum, Peregrinum Mutinensem, Vincentium de S. Geminiano & Polydorum Caravagium, qui historias à se designatas coloribus inducerent.

Porrò Romæ Amico etiam suo singulari Augustino Chisio anteriorem Palatii porticum pingebat, & in fornice ejusdem Concilium Deorum, ubi ex Antiquis plurima ingeniosè inseruit. Deindè connubium etiã Psyches, quæ Jovi prandenti ministrat, conspergentibus florum imbre mensam Charitibus. Alio postmodùm istius fornicis loco sunt; Mercurius: Jupiter Ganymedem exosculatus: Venus in curru Psychen ad superos traducens, comitantibus Mercurio & Gratiis, cum pueris quibusdam elegantissimè abbreviatis Deorum instrumenta portantibus, & animalibus Diis his consecratis. Vbi à Johanne Vedinensi varios appingi curabat encarpos ad ambienda historiolarum plana. Tandem etiam ad Leonis Pontificis mandatum, œcum Constantini pingere cœpit, quem morte Raphaëlis interjectâ Julius deinde Romanus & Johannes Franciscus absolverunt, juxtà illius tamen ideas. Varias etiam picturas elaboravit pro exemplaribus tapetum: & inter alia D. Petri historiam, quæ tapetum series in Flandriâ deinde contexta est septuaginta mille coronatorum pretio summis festivitatibus adhuc hodiè Romæ exposita.

Multa quoq; illius opera ad exteros trãsmissa sunt: Galliarum nimirum Regem, multo comparatus munere, Luciferi lapsus, multis notabilissimis clarus: deindè eodem transmissa S. Michaëlis imago; ut & Imago D. Virginis filiolum tenentis; adjectis Josepho, Johanne & Elisabethâ, ab Angelis quibusdam floribus conspersis, cujus operis inexplicabilis est dignitas in Regiâ Lutetianâ cum stupore omnium spectandi. Nec minori laude evehenda, quæ Fontanis Bellaquensibus asservantur, S. Margareta, & S. Georgius eques, aliquando ab Angliæ Rege possessus. Sic Marchionissa Almontiana opus quoddam cum apographo Domino de la Noüe concedebat soluto quinquies mille librarum pretio. Eodem modo S. Simonis Dux Deiparæ quandam imaginem Autoris nostri possidebat, maximi æstimatam, & Petri Perusini præceptoris methodum præ se ferentem: præter plurimas alias Parisiis & alibi existentes, Raphaëli tributas. Extera.

Ante tempora igitur Raphaëlis Florentinorum Academia per totam Italiam celeberrima erat, à Leonardo Vincio, Michaële Angelo, Bandinello & aliis ad istud gloriæ fastigium elevata: emergentibus autem istius Romæ studiis, incomparabili inveniendi & exprimendi methodo claris, & ad extremos pingendi apices properantibus Romanis, illi sensim ita descendebant, ut hujus discipuli tàm firmo magistri optimi posito fundamento superatis tandem omnium adversitatum jugis, jam olim hâc in parte feliciorem Romam ad veterem nunc in arte hac reduxerint dignitatem.

Tanta enim in primariis pictoriæ partibus Raphaëlis erat perfectio, ut non designando tantùm & inveniendo dexterrimus esset & irreprehensibilis, sed & venustate Calligraphicâ, & coloribus tàm oleario subactu, quàm glutinario, & in albario potissimùm tãtâ uteretur promtitudine, ut quasi indefatigabilis plura solus perfecerit, quàm plures alii: in hoc potissimùm omnibus superior, quod nunquam ferè, vel rarissimè errores admiserit, contra regulas extravagando, vel informi quodam defectu admisso opera deproperando vel extremam labori cuidam manum non addendo, sed in omni parte omnia observando naturam potiùs transcenderit, quàm humano tramite decurrerit; scaturiginem omnibus adaperiens verorũ totius artis principiorum, quibus à posteritate semel imbibitis nunquam defutura est istorum studiorum satietas atq; plenitudo.

In eandem Galliam transmittenda etiam fuit illius Transfiguratio Christi, in ædem D. Petri montorianam deindè collocata: ubi in monte cum tribus discipulis duobusq; prophetis clarissimo fulgore induto Domino, infrà interim expectantibus Apostolis offertur obsessus quidam, dolorum faces ampliatis testatus oculis & gestu teterrimo, pallescente etiam & moribundâ quasi ejus facie majorem illam, cui subesset, vim satis superq; commonstrante. Ubi & pater illius, ad senii jam gradus descendens, diducto simul visu metum prodit suum, roburq; quo opus sit ad continendum afflictum: Apostolis etiam condolendo sanandi declarantibus pronitatê. Et hoc quidem opus, tanquam ultimum, omnem quoq; exhausisse videtur artificii ejus ubertatem: mihique discipulus ejus celeberrimus ille Michaël Angelus Carrosellius jam senior Romæ narrabat, cum à Julio Romano quàm diligentissimè multoq; lævore expolita fuisset obsessi facies, Raphaëlem, illâ visâ, axiculum & penicillum petendo, nimia teneritate laborare vultû dixisse, eumque spiritu propterea carere & anima; superadditis ori oculisq; juvenis tractibus quibusdam cordatioribus, quibus quasi vita ibidem foret introducta: quo docentur omnes Graphicophili, meticulosum illum & lævigatum pingendi modum multò esse exsucciorem, quàm magistralem quandam animosamq; audaciam, quæ omni picturæ, præsertim procul dissitæ, veritatem infert, & vividitatem. Quanquam ipse quoq; Raphaël primitùs pusillanimi hoc & modestiore usus sit methodo, donec ab aliis, imò discipulis quibusdam suis, præsertim ab hoc ipso Julio Romano majorem hanc audendi viam addiscens, eosdem, prout in aliis, sic & in hoc genere, longè post se relinqueret.

Tot igitur artis edendo specimina non magnâ tantùm undiquaq; gloriâ, sed multis quoq; cumulabatur opibus; ut Romæ in sui memoriam in burgo novo splendidum extrueret palatium, nec minus proprio sumtu per totam Italiam, Puteolos & in Græciam usq; varios sustentaret artifices, qui omnia ad artem quomodocunq; conferentia, sive statuæ essent antiquæ, sive simæ sculpturæ, ædificia, ruinæ, & fragmenta, aliæque reliquiæ fideliter delinearent.

Laude igitur illius per totum jam terrarum orbem exporrectâ, & in Germaniâ quoq; jam floridâ, Albertus Dürerus, pro ineundâ cum ipso familiaritate iconem suam ipsi mittebat in tela monochromaticè pictam, non addito lumine, sed ex imo sponte transparente, quæ pinacothecæ deindè Mantuanæ illata, à Raphaële autem magnâ cum admiratione conspecta est; remissis Dürero, in grati animi expressionem, multis suâ manu factis delineationibus. Edente autem typo æneo varia Dürero, quædam æri quoq; incidi jubebat Raphaël, operam suam eidem locantibus Marco Antonio Bononiensi, Augustino Veneto, & Marco Ravennate Italis; quibus cum cælo essent duriores, quàm imaginum venusta te, deinde & Bartholomæum Bohemum jungebat, & Georgium Penzium Norinbergenses, qui sub Marci Antonii nomine multa æri inciderunt. Accedebat autem deniq; & Hugo Carpius, qui à Germanis inventâ methodo tribus formis ligneis sic imprimendi imagines, ut lumine & obscuriore umbrâ abundarent, Raphaëli detectâ, ab Italis illius dicebatur inventor: quamvis hac laude non privandos Germanos alibi ostensurus sim. *Æneis quædam typis edit.*

Cum autem miro studio prosequeretur fœminas, multo cum ipsis insumto tempore, Augustinus quidem Chisius, ut palatii sui promoveret laborem, multum aliàs remorantibus eundem pictoris amoribus, amasiam ejusdem in Palatium suscipiebat proprium, ut labori simùl cum amore vacaret. Cœterùm inter Raphaëlem & Michaëlem Angelum nunquam deerat vehementior æmulatio, in simultates haud rarò minores eruptura: cumq; haud lateret nostrum, Michaëlem Angelum in nudis esse incomparabilem, propositâ sibi aliâ picturarum specie palmam eidem præripere conabatur, inventionibus scilicet, & historiarum coordinatione dexterrimâ, temporum semper locorumq; observatis circumstantiis; quas nec confusas nimis, nec nimis exhibebat egenas, adjunctis semper parergis quibusdam elegantissimis, quibus ita ditescerent opera ejus, ut iisdem plerumq; variè abriperetur spectator. Adde, quod venustarum facierum esset callentissimus in fœminis & pueris; senibusq; & juvenibus non tantùm vittaturas & ornatus capillares tribueret vestesq; decentissimas, sed & gestu figuras quasvis quasi moveret convenientissimo, ut meliores excogitari non possent. Equos in fugam correptos, milites truculentia spectabiles, subdialia jucundi raptus, tempestatum horrendas procellas, scenographica visum fallentia, ædes symmetriâ admirandas, fabulas quasi poëtâ decantante, & ante omnia sacrarum imaginum devotas expressiones tãtâ pingebat facilitate, ut brevius dici nequeat, quàm universæ, perfectioris, singularisq; picturæ peritissimus, totiusq; theoriæ ejus profundissimus excultor. *Amori indulget.*

Cœlebs, ob spem Cardinalatûs sæpiùs factam, cum viveret, amore sæpiùs prædominante, ab ardenti tandẽ febri correptus, in flore ætatis ipsâ nativitatis suæ die anno ætatis 37. Christi nati 1520. ex hoc *Mors.*

mor-

& elogia.

mortalitatis descendebat pegmate, summo cum Pontificis, totiusq; aulæ Romanæ, pictorum autem potissimùm dolore, quod multa cum ipso artis cimelia sepulchro inferri crederentur. Depositus autem primò illo in loco, ubi ultima ejus pictura posita esset, in templo tandem, cui Rotundo nomen, magnificè sepeliebatur, à Cardinali Bembo hoc honoratus epitaphio:

D. O. M.

RAPHAEL. SANZIO. JOHANN. FIL. URBINAT. PICTORI. EMINENTISS. VETERVMQVE. ÆMVLO. CVJVS. SPIRANTES. PROPE. IMAGINES. SI. CONTEMPLERE. NATVRÆ. ATQVE. ARTIS. FOEDVS. FACILE. INSPEXERIS. JVLII. II. ET. LEONIS. X. PONTIF. MAX. PICTVRÆ. ET. ARCHITECTVRÆ. OPERIBVS. GLORIAM. AVXIT. A. XXXVII. INTEGER. INTEGROS. QVO. DIE. NATVS. EST. EO. ESSE. DESIIT. VIII. DIE. APRIL. MD. XX.

Ille hic est Raphaël, timuit quo sospite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

Comes autem Balthasar Castilionæus in ipsius honorem hoc superaddebat epigramma:

Quod lacerum corpus Medicâ sanaverit arte
Hippolytum stygiis & revocârit aquis;
Ad Stygias ipse est raptus Epidaurius undas,
Sic pretium vitæ mors fuit artifici:
Tu quoq;, dum toto laniatam corpore Romam
Componis, miro, Raphaël, ingenio,
Atq; urbis laurum ferro, igni, annisq; cadaver
Ad vitam, antiquum jam revocasq; decus:
Movisti superûm invidiam, indignataq; mors est,
Te dudum extinctis reddere posse animam.
Et quod longa dies paulatim aboleverat, hoc te
Mortali spretâ lege parare iterum.
Sic miser, heu! primâ cadis interrupte juventâ,
Deberi & morti nostraq; nosq; mones.

Inq; eundem præstantissimi hujus artificis honorem, iconem quoq; ejus in tabula nostra O. collocare volui.

CAPUT VIII.

JOHANNES FRANCISCUS PENNIUS, ANDREAS SARTORIUS, & JOHANNES ANTONIUS LICINIUS PORDENONENSIS.

Argumentum.

XLIII. JOHANNES FRANCISCUS PENNIUS Florentinus, pictor. Opera ejus. In societate Julii Romani & Petrini Vagii laborat. Frater ejus Lucas Pennius. XLIV. PEREGRINUS MUTINENSIS, pictor. XLV. ANDREAS SARTORIUS Florentinus, pictor. Discipulus est Petri Cosmi. Opera ejus. Historia S. Philippi. Nativitas & puerperium D. Virginis. Prædicatio & Baptismus Johannis. Christus mortuus. Opera ejus alia. In Galliam abit. Revertitur. Florentiæ pro sustentandâ vitâ elaborat Vineam Christi, & aliquas de S Johnnne historias. Porrò Monarchiam Julii Cæsaris pingit. Opera ejus Lucana: pingendo certare recusat. Peste moritur. XLVI. JOHANNES ANTONIUS LICINIUS PORDENONENSIS, artem proprio studio discit. Opero ejus Vedinensia. Curia. Opera ejus Mantuana, Veneta, in æde S. Rochi & alibi; Genuensia. Ferrariæ moritur.

XLIII. JOHANNES FRANCISCUS PENNIUS pictor Florentinus,

XLIII. GIOANN. FRANCISCO PENNI IL FACTOR.



EX naturali inclinatione in prima juventa cum Julio Romano Raphaëlis Urbinatis discipulus, qui utrumq; ceu filios amando, hæredes quoq; eos omniũ bonorum suorum relinquebat. Ubi cum Johannes in annis pueritiæ à domesticis Raphaëlis diceretur Factor, hoc deindè nomen ipsi manebat ad mortem usq;. In delineationibus igitur præceptoris sui methodum perfectè sequebatur, diagraphicâ plus delectatus, quàm chromatica; in utrâq; tamen parte indefessus inchoatorum consummator.

Opera ejus. Prima ejus opera in Palatio Papali spectantur, ubi in societate Pierini Vagii, Johannis Vedinensis, aliorumq; pinxit, labore suo, præter elegantiam, perfectionis studium præ se ferens, unde majori semper gradu proficiens, in arte tandem partes exhausit universas. Subdialibus delectatus plurimùm; picturaq; albarii tàm oleo quàm ovis adhibitis expeditus, icones etiam faciebat viventium quàm prudentissimè, undè sub nomine Raphaëlis labores perficiebat plurimos, præsertim in palatio Augustini Chisii, testantibus id tabulis diversis & aliis. In templo S. Mariæ Animæ imaginem pingebat magni Christophori octo cubitorum altitudine; deinde & Anachoretam tanquam in antro quodam ad lucernam degentem, quo in opere magna est & designationis & picturæ præstantia.

Societas. Post mortem Præceptoris in societate Julii Romani, & cum Pierinus Vagius Pennii sororem duxisset uxorem, & cum isto laborabat; hiq; tres juxta Raphaëlis inventionem illa consummabant, quæ in Palatio Papali & in œco Constantini adhuc pingenda restabant. Cum igitur hujus opera Pontifici insigniter placerent, idemq; apographon desideraret tabulę Raphaëlis ultimæ in æde S. Petri Montoriensis locatæ, in Galliam mittendum, quô etiam destinatum fuerat protographon; super isto labore tres isti socii discordiâ scissi bona sua dividebãt, unà cum operibus Raphaëlis diagraphicis, ubi Julius Romanus Mantuam abibat, susceptis pro Marchione laboribus plurimis. Istumq; Johannes quidem sequebatur, sive amore Julii, sive labores se nacturum sperans: sed à Julio parùm curatus, Romam redibat, mox Neapolim abiens ad Marchionem Vastensem: cum autem debilioris esset complexionis, morbo ibidem tentatus citò moriebatur. Opera ejus pleraq; confecta sunt circa annum 1528. Ejusq; iconem exhibemus tabulâ O.

Frater ejus Lucas. Eidem & frater erat pictor Lucas Pennius, qui in societate affinis sui Pierini Genuæ & aliis in locis Italiæ laboravit; tandemq; itinere & in Angliam facto, pro Rege & mercatoribus plurimis varia pinxit; chalcographiæ postmodùm incumbens; ubi præter nomen & è methodo innotescunt opera ejus; & inter cœtera balneum aliquod laudatur, cum nudis multâ varietate spectandis.

XLIV. PEREGRINUS MUTINENSIS pictor,

JOhannis Pennii condiscipulus sub Raphaële, à juventute quidem suâ laude jam insignis; à Raphaële autem cum aliis in Palatio Pontificali adhibebatur. Solebant enim Raphaëli adesse, tanquã in Academiâ quâdam, juniores pictores haud pauci, ut Principis instar sæpè 40. vel 50. juvenibus stipatus incederet, è quorum numero & hic erat: quamvis idem multas etiam pro se Romæ pingeret tabulas. XLIV. PELLEGRINO de MODENA.

Mortuo Raphaële Mutinam revertebatur Peregrinus, multa ibidem elaborans: initoq; etiam matrimonio filio auctus, qui mortis tamen causâ patri deinde esset. Occiso enim per eundem in platea quodam, cum audito rumore filium servaturus accurreret pater, à cognatis occisi haud procul à domo suâ tanto vulnerabatur furore, ut confestim prolaberetur mortuus.

XLV. ANDREAS SARTORIUS Florentinus pictor,

IN tabulâ O depictus, à patre Sartore cognominatus, natusq; Florentiæ an. 1478. septennis in disciplinam aurifici datus, ubi cum diagraphicen potiùs curaret, quàm artem Chrysurgicam, à Johanne Barile, communi pictore, ad pictoriam tractus, cum admiratione omniũ proficiebat. Communiore autẽ pingendi sorte spretâ ad primarium tùm Florentiæ artificem Petrum Cosmum perveniens, tantoperè in arte pergebat, ut eam vel quinquaginta annis exercuisse crederetur: Diebus festis in ducali semper palatio juxta Leonhardi Vincii & Michaëlis Angeli opera delineationes instituens. XLV. ANDREA DEL SARTO.

Opera ejus. Contractâ autẽ cum condiscipulo quodã Francia Bigio familiaritate, obque morositatem derelicto Cosmo, contubernium instituentes multa pingebant, præsertim pro Discalceatis historiam S. Johannis monochromaticè duodecim tabulis, tanto quidem artificio, quasi è

marmore sculpta esset. Deindè & in Eremitarum templo propè Florentiam tabulam altaris pingebat, in quâ Maria Magdalena cum Christo in horto; tantâ cum laude, ut duo adhuc alia opera ibidem perficere cogeretur.

Porrò cum socio in cœnobio Munziarensi ejusq; Vestibulo varias pingebat historias de Philippo istius ordinis fundatore, gloriæ potiùs quàm lucri causâ. Primò nempè, quâ ratione Philippus nudum quendam vestiat. Secundò, quomodo blasphemos quosdam admoneat, fulmine deindè ictos; mortuis scilicet duobus, lipothymia deficientibus aliis, aliis fugientibus; ubi mulier inter alia quædam tantum in fuga præ se fert terrorem, ut vivere videatur; adjecto & equo simili consternatione perculso. Tertiò, quomodo obsessam liberet Philippus. Et quartò qua ratione mortuo eodem, tactoq; illius feretro vivificatus dicatur infans quidam, quem partim vivum, partim mortuũ esse voluit artifex. Nec non quintò, quomodo cucullum Philippi in infantes conjiciant monachi; ubi iconica quædam. Pingenti etiam in albario recente socio suas suppeditabat inventiones in duabus historiis aliis; nimirum in nativitate D. Virginis, visitantibus Annam mulieribus quibusdam; inter quas uxorem suam, pro more illius temporis vestitam, introduxit pictor: ad ignem aliis, aliis cum infantulo occupatis lavando & cunis imponendo: apposito etiam puero quodam vividissimo ad ignem se calefaciente, & sene alio in grabato decumbente: spargentibus flores puerulis aliis, & aliis puerperæ cibos subministrantibus: Deindè & magorum ibidem pinxit historiam, jamjam ex itinere descendentium, sequente comitatu cum curribus & similibus; quos visuri pueri quidam in columnas enituntur; intermixtis iconibus multis, animalibusque exoticis.

Mixtura olearia multas pingebat Deiparæ imagines, quas in urbe dicebant optimas. Discalceatis etiam Charitatem pingebat, & Justitiam, duplex opus: necnon Johannem prædicantem; & alio opere eundem baptizantem; Quo in opere inventionibus quibusdam Alberti Düreri utebatur, chalcographicè tum editis, exprobrantibus id aliis, tanquam inventione egeno: quamvis in se nec impertinens sit nec culpabile. Cum eodem tempore Baccius Bandinellus diagraphicâ jam nobilis, pingendi artem ab eodem discere vellet, propositis ab Andreâ operibus quibusdam difficilioribus, & icone propria, difficultate territus pictoriâ desertâ ad sculpturam sese applicabat.

Deindè Christum mortuum pingebat Andreas, Angelis quibusdam corpus domini tenentibus, mortemq; dolentibus: quod opus cum spectatores æri incidendũ suaderent, ipse, ob defectus quosdam typi ænei, edi nolebat. Pictura autem ipsa ad Regem Galliæ missa, tantoperè placebat eidẽ, ut plures desideraret illius manu factas: uti & in Galliam abiisset, nisi Leone Papâ in patriam Florentiam animi causâ iter instituente, à sympatriotis suis detentus, aspectus templi S. Mariæ floridæ monochromate griseo pingendus ipsi fuisset; quod tantâ faciebat arte, ut Papa diceret, ne marmore quidem ea fieri potuisse meliora.

Deindè pro Rege Galliæ Imaginem Deiparæ pingebat tãtâ pulchritudine, ut mercatores maximo illud cum lucro venderẽt. Item pro Servitis Christi faciem, adhuc hodiè in æde Annunciatæ in altari extantem tantæ elegantiæ, ut mirum sit eodem pertingere humanum ingenium. In Templo S. Galli tabulam pingebat quatuor de Trinitate disputantium; item Augustinum Africanâ facie, episcopali habitu: D. Petrum ut martyrem: S. Franciscum & S. Laurentium: infrà genibus innixâ Mariâ Magdalenâ, sub uxoris icone (prout communiter in fœminis solebat:) & S. Sebastiano averso, eleganti expressione locatis, quod ex operibus ejus oleariis optimum censetur.

Cum igitur eodem tempore Galliarum Rex Franciscus I. multas Româ, Venetiis & è ditionibus Longobardicis sibi afferri jussisset picturas, Andreæq; tabulæ præ cœteris ipsi placerent, in aulam eundem impensis suppeditatis vocabat; qui humaniter acceptus, & alterâ mox die pecuniâ plurimâ, vestibusq; donatus, Delphinum deindè pingebat fasciis adhuc involutum, tantâ cum complacentiâ Regis, ut trecẽtos illi propterea coronatos porrigi juberet: prout & pro Charitatis imagine quâdam magno illum prosequebatur munere, magnusq; procul dubio factus fuisset & honore & opibus, nisi Regis gratiâ volens excidisset; Cum enim pro Regia matre Hieronymum pinxisset pœnitentem, acceptis ab uxore literis, de reditu ipsum sollicitante, veniam à Rege petebat uxorem adducendi; quâ impetratâ in menses aliquot, nec minus & pecuniâ acceptâ haud paucâ pro coëmendis picturis quibusdam, typis æneis, & statuis artificiosissimis; domum reversus cum pulchrâ uxore & amicis genio indulgens, & suam consumebat pecuniam & regiam: appropinquante etiam reditûs tempore, lachrymis uxoris promisso antepositis domi remanebat; cum tantâ Regis indignatione, ut nullo Florentinorum se confisurum amplius juraret. *In Galliam abit.*

Andreas igitur egenus iterum pro sustentandâ labore vitâ adjutor erat Franciæ, socio suo in pingẽdis duodecim historiis de S. Johanne suprà jam commemoratis. Similiter & Assumtionem Mariæ pingebat: & in villâ quadam Servitarum duas histo- *Florentina ejus opera.*

rias

rias de Vinea Christi: ubi in unâ Paterfamiliàs operarios quosdam vocat, excusationem quasi instituente uno: in alterâ solutio fit mercedis, in albario recente monochromate griseo elegantissimo. Deinde & Christum mortuum elaborabat cum Johanne adstante & Maria genibus innixa dolore maximo, Josepho autẽ quasi ob sepeliendum in monumento suo Dominum, retrò in rupe quiescente, lætiore.

Cumq; eodem tempore jussu Pontificis in Palatio Mediceo à tribus artificib⁹ celeberrimis pingendæ essent tres historiæ de Julio Cæsare, adq; id electi essent Andreas Sartorius, Francia Bigius, & Jacobus Pantormitanus; duobus postremis, etiam magnâ oblatâ pecuniâ, renuentibus, Andreas pensum suum absolvebat: In æde nimirum quadam magnificentissimâ scenographicè depictâ Julio Cæsare exhibito in throno quodam scalâ artificiosissimâ præmunito, cui, ut monarchæ, omnes provinciæ (suo habitu & animalibus suis distinctæ,) tributa ferunt.

Interea Andreas fortunæ prioris in Galliâ memor, gratiam Regiam iterum aucupaturus Johannem Baptistam pingebat seminudum, dono eundem missurus magno Aulæ præfecto: quem tamen urgente quadam necessitate iterum vendebat. Grassante autem tum, anno Christi sc. 1523. Florentiæ, peste horrenda; Andreas Lucam in cœnobium quoddam monialium refugiens cum uxore & liberis, ob ista monialium beneficia iisdem Christum pingebat mortuum, tantâ veritatis convictione, ut melius fieri non potuisset; adjectis figuris quibusdam, affectibus etiam notanter discretis. Iisdem etiam Visitationem Mariæ pingebat; & in linteo Christi faciem, quod opus inter primaria illius numeratur, à multis pro ideâ usurpatum. Florentiamq; deindè reversus, adhuc multa alia conficiebat, tàm magna quàm parva.

Lucana

Apographis etiam tàm erat insignis, ut cum Fridericus Dux Mantuæ à Papa Clemente VII. Iconem Leonis X. & aliquot Cardinalium, Raphaëlis opera, dono accepisset, hic tabulæ illius clàm ab Andrea Sartorio fieri jubebat apographon; quod cum autographo tàm esset simile, ut à se invicem dignosci vix possent, transmisso Apographo, prototypon retinebat Papa, ne tanto artificio privaretur Roma: illudque pro originario ab omnib⁹, imò ab ipso Julio Romano in arte peritissimo habitum diu est, donec Georgius Vasarius pictor etiam celebris ex aversâ parte telæ agnosceret, Florentiæ illud factum, non autem Raphaëlis manu.

Aliquando extra Florentiam ad pingendum opus aliquod vocatus, præoccupante laborem Nicolao Saggio Sansovino, & ad certamen hunc nostrum, propositâ brabei loco magnâ pecuniæ summâ, provocante, Andreas id detrectans, vincenti, dicebat, sibi gloriam exiguam, superato ignominiam maximam expectandam: oblato ad certamen discipulo, pro quo si superetur, ipse soluturus sit. Florentiam ergò reversus, peste, quam Germani intulerant, derelictus ab omnibus, imò & ab uxore, ipse etiam moriebatur anno ætatis 42. Christi 1530.

peste moritur.

XLVI. JOHANNES ANTONIUS LICINIUS Pordenonensis

XLVI. GIOANNI ANTONIO LICINIO de Pordenone.

A Castello hujus nominis in tractu Forojuliano 25. milliaribus à Vedino dissito cognomen patriæ habens, artem proprio marte didicit nullo præeunte præceptore, Georgionem potissimùm secutus pro possibili, cujus opera aliquoties Venetiis cum voluptate viderat. Relictâ ob pestem patriâ, apud rusticos vitam sustentabat, picturis in albario recente iisdem pictis. Cognito igitur optimè tàm glutinario quàm oleario colorum usu Vedinum veniebat, inq; Conventu S. Petrum pingebat martyrem; & in altari Annunciationem D. Virginis, tantâ industriâ, ut hoc opus ab artificibus haberetur pro illius palmario. Deindè & curiam illius loci pinxit extrinsecus in recenti albario, hoc ipso testatus non egenum se inventionibus. Varios ibidem depingebat arcus historiis elegantissimis: exhibitâ inter alia columnâ quadam Corinthiâ in mari consistente, à dextris Sirene blandissimâ, à sinistris à Neptuno detentâ: cujus capitulo impositus esset pileus Cardinalitius, cum inscriptione Columnæ Pompejanæ. Præterea hâc in curiâ expressa est Gigantomachia, fulmine Jove deturbante oppugnatores, duobus ex istis baculis Dianæ imminentibus, torvo ejusdem vultu inhibitis, decumbentibus infra mortuis abbreviatisq; corporibus variis, & repleto Divis desuper olympo.

Opera ejus Vedinensia.

Multa quoq; elaboravit Spelimbergi, Vicentiæ & Mantuæ: hîc enim fornice quodam depicto in gypso humente, trabeationem latinis quibusdam literis condecoravit sesquicubitalibus, intermixtis puerulis vario gestu discursitantibus. Vicentiam deindè reversus, operibus quibusdam pulcherrimis tantum sibi conciliabat favorem, ut Nobiles urbis egregio ipsi prospicerent matrimonio, magni semper æstimato. Venetiis in canale magno aspectum quendam oleariâ exornabat mixtura: aliumq; in calce recente multis appictis historiis: nec non tabulis quibusdam in templa elaboratis. Ibidem & Curtium pingebat equitem abbreviatum: & Mercurium

Mantuana.

Vicentiana.

Veneta.


rectâ

rectâ undiquaque ad supera volantem, melius Venetis operibus suis placens, quàm antecessores.

Cumque coætaneus ipsi esset Titianus, pictor aliàs præstantissimus, facundiâ etiam & comitate singularis, istius sanè gloria tantum Pordenonio addebat calcar, ut æmulâ utrinque diligentiâ alter alteri præeminere studeret; assecutis tandem perfectionis apicem ambobus. In Titiani igitur æmulationem Sacellum aliquod picturâ condecorandum accipiebat in templo S. Rochi. In cujus fornice Deum Patrem exprimebat variis circundatum angelis, in Zophoro autem octo pingebat veteris Testamenti imagines, & in angulis quatuor Evangelistas, in summo altari Christi transfigurationem, & in circulos intermedios quatuor Ecclesiæ Doctores. Deindè & œcum pingendum accipiebat Pregaënsem, ubi expressis figuris infra conspiciendis variis, & Zophoro monstris marinis repleto tantum merebatur Senatûs applausum, ut ad dies vitæ annuo remuneraretur stipendio. In cœnobio etiam S. Stephani multas depingebat Veteris Testamenti historias, intermixtas quibusdam ex Novo aliis, & insertis alicubi Virtutibus, ubi abbreviationum & Catagraphorum sese præstitit magistrum. Quamvis fatendum sit, ex invidia Pordenonium prælatum esse Titiano, cum hujus tamen reverâ opera meliora essent.

A Doriâ Principe deindè Genuam vocatus ad accelerandum Palatii ejus laborem, à Pierino Vagio jam quidem inchoatum, sed tardiori gressu promotum: Zophorum quidem pingebat suo more puerulis plenum, è nave quadam varia monstra marina ejicientibus: nec non Jasonis Argonautæ ad petendum aureum vellus navigaturi fabulam. Collatis autem à Doria istius quidem duritie, cum Pierini venustate, dimissus illicò Venetias noster repetebat, Ferrariam deindè abiens; ubi cum nemo amplius in diagraphica præcelleret, Hieronymo Ferrariensi iconibus potiùs distento, Duci quidem acceptissimus erat, sed postquam pingere inchoasset rariores, doloribus pectoris coangustatus, veneni suspicione cum summo amicorum dolore moriebatur anno ætatis 56. promtitudine laboris albarii & magnorum operum, inventionum felicitate, & universali peritiâ perpetuam promeritus laudem.

Genuensia. Ferrariæ moritur.



Caput IX.

POLYDORUS CARAVAGIENSIS, ROSSUS,

& artifices adhuc quinque alii.

Argumentum.

XLVII. POLYDORUS CARAVAGIENSIS Pictor Longobardus, murarius primò; monochromate delectatur: fidem Romanam eleganter repræsentat. Opus ejus veruculatum. Raptus Sabinarum. Subdialibus clarus est. Opera ejus polychromatica. Amicus ejus Maturinus moritur. Neapolim abit & Messanam: Christum crucigerum pingit: à servo suo occiditur. XLVIII. ROSSUS Florentinus Pictor & Architectus: autodidascalus est, assumptionem Mariæ pingit: Alia ejus opera; Romana, Perusina, Aretina: Protoplastas pingit; arcam fœderis, & thronum Salomonis. Burgum venit: Picturæ & Architectonica ejus Fontebellaquensia. Alia ejus opera. Opes ejus & dignitates. Veneno sumto autochir evadit. XLIX. ANDREAS COSMUS Florentinus pictor: methodum invenit in calce ad fundum nigrum veruculo uti. L. MORTUUS FELTRENSIS pictor; militiam sequitur. LI. MARCUS CALABER pictor, Neapolim venit. LII. NICOLAUS CALABER Pictor. Uxor ejus aquis suffocatur maritum ereptura. Opera ejus Civitatis Castellanæ. LIII. FRANCISCUS MAZZOLIUS Parmensis Pictor. Diagraphicâ excellit. Opera ejus Parmensia; & Mantuana. Conclave artificiosum: Romam venit. Circumcisionem Christi pingit. Propter artem salvus manet inter milites. Bononiam venit. Opera ejus ibidem facta. Furto socii cujusdam graviter spoliatur. Opera ejus alia. Imperatorem Carolum V. absentem pingit nudâ adjutus memoriâ. Obitus ejus.

XLVII. POLYDORUS CARAVAGIENSIS Longobardicus, Pictor,

XLVII. POLIDOR DA CARAVAGGIO.



Octodecim annos murarii servus in structura Palatii Pontificii cœmentum magistro ministrans, quo tempore aureum quasi erat picturæ seculum: cum magnâ sæpè cum voluptate Johannis Vedinensis opera conspexisset, naturæ ductu familiaritate cum pictoribus quibusdam junioribus tumque Maturino præcipuè Florentino inita, opere diagraphico expedito; delineare cum socio hoc conabatur, quicquid in Sacello Papali esset artificiosum, cum operibus etiam antiquis aliis; ubi tantoperè proficiebat Polydorus, ut ad Picturas in Porticibus Papalibus etiam admitteretur. Maturinus ergò & Polydorus strictiori inito amicitiæ fœdere, ut communia haberent & lucra & opera, vitæque & mortis permanerent socii, Portarum præcipuè picturis monochromate griseo perficiendis incumbebant, Balthasarem potissimùm secuti Senensem: ubi tam elegantes variarum imaginum, incendiorum, bellorumque formabant scenas, verò antiquorum incedentes tramite, ut dolendum sit, tempestatis injuriâ tàm præclara plerumque periisse opera, in quibus Polydori potissimùm laudabatur inventio, promtitudo & vividitas.

Monochromate delectatur grisco.

Volumen integrum haud sufficeret, describendis omnium Portarum ab illis exornatarum picturis, Romanorum undiq; præliis, tàm terrestribus, quàm navalibus, armis clypeis, navibus, sacrificiis, triumphis, aliisque similibus refertis, ut mirum sit, unde omnia hauserint, tantoq; ordine disposuerint: Polydoro præsertim tàm luminis in planioribus quàm grisei in obscurioribus & recedentium succenturiatione celeberrimo. In Fora Capranicano fornicem ambo simùl pinxerunt variis virtutibus exhibitis, & sub fenestrâ in zophoro quodam Româ, Fidei habitu indutâ, omnes captivante Nationes, tributa ferentibus istis, quin & Turcis Prophetæ sui sepulchrum sagittis impetentibus, ad Christianam sc. religionem conversis, cum, testante scripturâ, unum tandem ovile futurum sit & pastor unus. In Burgo etiam novo Aspectum domus cujusdã exornabãt opere veruculato; qui mod⁹ est in calce recẽte veruculo quodã ferreo varia designandi & obradẽdi: quo genere multa etiã fecerunt in extantiâ illa ubi ad ædem Pacis, iterumq; Parionem itur.

Opus ejus veruculatum.

Ad Spinolæ domum appinxerunt monochromate griseo antiquorum more oblationem & mortem Tarpejæ: & in palatio Sabellico ad fornicem quendam Sabinarum raptum: ubi simùl etiam expressæ sunt historiæ de Mutio, & Horatio, & Porsennæ fuga. Porrò Polydori etiam manu factæ extant historiæ plurimæ pulcherrimæ ad fontanam Trevensem in aulâ Palatii Buffalini de fonte Heliconio: nec non fornix quidam in inferiore parte Montis Caballini ad S. Agatham, variè exornatus historiis, quarum unam Golzius æri incidit, de Brenno scilicet aurum pendente, obruente eundem Camillo: cæteræ enim perierant. Porrò de eodem & Vasarius scribit, quod Polydorus suo tempore subdialia optimè pinxerit, decerpentibus ex illius methodo quædam omnibus; prout & elegantissimè in tractu aliquo campestri depinxit thermas quasdam, arboribus & mineris variè distinctas.

Subdialibus clarus est.

Et quanquam Vasarius scribit, duos hos socios in chromatico genere longè fuisse inferiores; id tamen de Maturino, non autem de Polydoro intelligendum censeo. Ad S. Simonem enim adhuc illius manu pictus spectatur Aspectus, Gaddensis dictus, ubi citrà admirationem videri non possunt varii antiquo more vestiti galeis, ocreis, vestibus, earumque nodis: item naves, prœlia navalia, similesque apparatus; sacrificiorum ritus & alia. Et ex opposito Aspectus adhuc unus à Polydoro factus, in quo Niobes fabula pulcherrimè depicta est, à Golzio etiam in Tyronum gratiam edita: ubi quædam vasa tantâ arte exprimuntur, ut ænea videantur, prout & aurea alia; nec non galeæ quædam Hetruscæ veteres.

Cumque jam Polydorus, repletis quasi Palatiis, aulis & hortis, operibus suis & socii omnibus, opibus suis jam majori cum tranquillitate fruiturus esset, Amicus tandem ipsius Maturinus anno 1527. moriebatur. Polydorus autem Româ tunc occupatâ, Neapolin fugiebat, ubi, quod Nobiles huic arti non faverent, ferè fame mortuus esset, nisi communiori cuidam pictori ad S. Mariam gratiosam sese adjunxisset. Ubi elaboratis operibus quibusdam inclarescens, opera quędã perficienda nanciscebatur cuidam Comiti; nec non in templo aliquo; item Aspectum domus cujusdam. Cumque nobilitatem plus vivis delectari videret equis, quàm pictis, Messanam adibat, ubi plures Graphicophili & major ipsius fama. Quin & Architecturæ deditus, ad ingressum Caroli V. ob Tunetanos victoriosè reversi arcus triumphales erigebat pulcherrimos, multo cum lucro, nec laude minore. Ibidem & Christum pinxit crucigerum multis Pharisæis, militibus, equitibus, mulieribus & pueris comitantibus, & antegressis latronibus; oleariâ mixturâ tanto nitore, ut naturæ hoc dicerent specimen prudentes.

Neapolin abit.

& Messanam.

Rediturus autem Romam, sive aeris commoditate, sive amoris voluptate allect⁹, cum magnam pecuniæ summam in ærario

ibidem

à Servo occiditur. ibidem emporetico depositam recepisset; servus quidam illius his terris natus, qui pecũiæ potiùs quàm Domini amore diu eidẽ servierat, inito cũ quibusdam consilio, Dominum suum concubiâ nocte cum sociis interficiebat, ante ædes Amasiæ deindè portatum, ut ab æmulo occisus putaretur. Ubi auxiliatores quidem acceptâ prædæ parte fugâ sibi consulebant, serv⁹ autem conquestus casum Comiti cuidam Polydori amico, quasi innocens, cum de occisoribus nulla posset esse suspicio, divinâ suggerente Nemesi tandem pro conscio habitus, cum torturâ territus rem omnem spontè exponeret, condemnabatur ad forcipes ignitos per plateam longam sustinẽdos in quatuor partes ultimò dissecandus, quod & factum est. Polydori autem corpus anno 1543. Messanæ honorificè sepeliebatur. Erat multâ inventionum, gratiæ & prudentiæ laude clarus; in icone tabula nostra O spectandus.

XLVIII. ROSSUS Florentinus pictor & Architectus

XLVIII. ROSSO. Nulli in juventâ præceptori deditus, sed juxta opera Michaëlis Angeli avtodidascalus, assumto primitùs singulari aliquo pingendi genere, quod omnibus pictoribus adversum esset, prout prima ejusdem commonstrant opera, inter quæ Christus quidam mortuus in Porta S. Petri Gattolonii Florentiæ, vehementi & grosso opere fact⁹. Opera ejus. Florentina. Primo tamen ætatis flore Insignia Pucciana tantâ diligentiâ pingebat, ut omnes pictores mirarentur. Crescente igitur animo in Servitarum Vestibulo Mariæ Assumtionem pingendam suscipiebat, choream ducentibus puerulis quib⁹dã circulo facto nudis pulcherrimè abbreviatis; ut nihil ipsi deficeret, quàm major coloribus venustas, quâ tamen etiam tandem potitus est. Gestus etiam & vultus Apostolorum inculpabiles erant, sed corpora vestibus nimis obruta.

Quidam etiam, qui ad pingendum oleario subactu opus quoddam ipsum conduxerat, visis coloribus ejus demortuis & methodo meticulosâ, quod ultima demum manu figuris suis venustatem conciliaret, omnes illius Sanctos initiô Diabolo similes esse dicebat. Porrò multas etiam Civium Florentinorum pingebat icones, cum variis aliis, ut, acquisito aliquali nomine, opus etiam quoddam à Raphaële inchoatum, sed obiter ejus Romanum haud absolutum ad S. Spiritum, eidem consummandum traderetur, quod tantâ venustate, tantoq; lævore expolivit, ut in distans haud facilè opus aliud inveniatur vividius; omnibus etiam peritis testantibus de prudentissimâ & maximè decorâ illius expressione, magnoque de lumine, colore, & umbrâ judicio. Eodem modo etiam pinxit desponsationem D. Virginis in templum S. Laurentii: tantâq; in operationibus suis utebatur promtitudine, ut parem vix haberet.

Corpora nuda ex amussim intelligebat, juxta anatomiæ regulas eadem exhibendo. Fœminas magnâ pingebat venustate, ornatas etiam vestitu elegantissimo. Senum vultus dignè etiam repræsentabat. Inventionũ tantâ pollebat copiâ, ut nullum in operibus suis locum relinqueret vacuum, sed undiquaq; promtissimè aliquid adornaret. Diagraphicâ usq; adeò excellebat, ut quicunq; Romana. Romæ aliquid delineationum ejus videret, statim & picturam ejus desideraret. Romam ergò profectus, in templo Pacificæ opus aliquod pingebat è regione illius, quod Raphaël pinxerat. Ibidem etiam pro Episcopo quodam Christum pingebat mortuum: & pro Bacciero mercatore omnes pingebat Deos, raptumq; Proserpinæ & similia; quæ deindè Jacobus Caraglius æri incidit. Ibidem porrò pingebat Decollationem Johannis, quæ in templo S. Salviati adhuc visitur. Perusina.

Postquam autem in depopulatione Urbis Romanæ à militibus omnibus spoliatus esset bonis, & Perusiam veniret pauperrimus, ubi à Pictore quodam excipiebatur noto antea, vestibus iterum honestè indutus, pro isto historiam delineabat trium Magorum magna arte atq; laude. Deindè postquam in Civitate Castellana tabula quædam ipsi parata esset, quam pingeret; nondum autem inchoatâ picturâ collapso tecto, eadẽ tabula rursus esset comminuta, ipse febri quartana correptus Borgum se portari curabat mutandi aëris causa, & Pievam.

Aretina. Abhinc Aretium veniens, ad fornicem quendam in albario recente depingendum conductus in templo S. Mariæ lachrymantis, statuto trecentorum coronatorum aureorum pretio: delineationes quidem pro illo conficiebat plurimas; cum autem albarii opus nunquam antehac tractâsset, quatuor tantùm absolvebat. In primâ autem Protoplastas exhibebat ad arborem qvandam alligatos, quibus D. Virgo peccatum sub pomi formâ ex ore extraheret, serpentem pedibus calcans, sole vestita & lunâ ad instar Phœbi & Dianæ. In secundâ arcam fœderis pingebat, quinque virtutibus cinctam, quam Moses portabat. In tertiâ Salomonis thronum, ubi multas imagines nudas inseruerat; idq; opus procul dubio absolvisset, si coloribus oleo mixtis id desideratum fuisset. Ibi tamen plures adhuc elaborabat picturas alias. Deinde veniens in Castellum S. Sepulchri, Christum pingebat in aëre splendore plenum, à quatuor supplicibus adoratum: infra quem Æthiopes, Ægyptii, gentiles varii, & exotica alia. In hoc Episcopatu plures effodiebat mortuos, haud

ullâ prætermissâ die, quâ non nudum aliquem ad vivum delinearet.

Galliam autem videre semper desiderabat, quod ibi à paupertatis onere liberari posse speraret, quo Florentiæ per omnem vitam se premendum dicebat: unde Venetias profectus, ibidem pro Petro Aretino Martem pingebat & Venerem à Gratiis vestibus exutos, cum Cupidine: quod opus deindè typis vulgabatur. In Galliam autem pergens, varia ibi pingebat opera, in porticu deindè Regia Fontis bellaquensi locata, quod Francisco Regi mirum in modum placerent: qui propterea Rosso stipendium annuum constituebat quadringentorum coronatorum aureorum, domo Parisiis propriâ proviso, & Fonte bellaqueo aliâ, omnibus simùl ædificiis, picturisque & ornamentis præfecto.

In Galliam abit.

Opera ejus Gallica.

Porticum ergò ibidem extrui curabat lacunari vario in plura tabulata distinctum, in quibus plurima plastica gypsata, imagines nimirum encarpi & ornamenta alia: deindè viginti quatuor historiæ de Alexandro Magno, quarum designationes omnes monochromate griseo præmiserat, in humido umbra distinctas. In fine hujus porticus duæ tabellæ mixtura oleariâ illius manu pictæ visuntur: Harum unâ repræsentantur Venus & Bacchus, qui juvenis nudi figura, tenerrimâ arte, carnosaque veritate depictus est; vario poculorum elegantissimorum, aureorum scilicet, argenteorum, crystallinorum, & similium genere scyphos, urceos, pateras referente stipatus Ibidem Satyrus quidam telam panni cujusdam integram sibi integens, ridente hinc prospicit facie, quasi summo ornatu decorus: puer item urso quodam vehitur. Venus etiam & Cupido cum figuris aliis, alio modo elegantissimè pariter exhibentur; ubi multâ curâ pictus videtur Cupido, qui pueri quidem duodecennis statura esse debuit, sed longè major depictus est. Hæc omnia tantoperè Regi placebant, ut Canonicatum ipsi ad D. Virginem daret: ubi magnifico satis statu utebatur Rossus, equorum, pilentorum & ministrantium nullo laborans defectu: comis tamen & liberalis erga notos, Italos præsertim. Interim varia ulterius adornare cubicula, balnea, & alia loca, eademque picturis, plasmate gypsato, statuis, puerulis, encarpis, variisque animalibus, Diis quoque Deabusque Poëtarum & gentilium exornare haud cessabat. Enumerari autem nequeunt omnia ab ipso inventa & delineata, salinorum, poculorum, scutorum, cornuum, candelabrorum, paterarum, & integrorum supellectilium escariorum genera, quæ Rex deindè ex auro atque argento confieri curabat: prout etiam vix describi queunt omnes phalerarum, larvaturarum, ornamentorum triumphalium ab ipso inventæ species. Præ cæteris autem anno 1540. cum Imperator Carolus V. in Galliam veniret, Franciscum Regem visitaturus, omnibus ingenii nervis in id incumbebat, ut duodecim adhuc aliorum artificum ope, tales arcus, colossos & ornatus similes inveniret, quales in Galliâ nondum visi essent. Ubi maximo ipsi adjumento erat Franciscus Bononiensis, qui post Rossi etiam mortem, in structurâ supra dictâ, adhuc aliqua cubicula paravit.

Porrò & Michaelem Archangelum pingebat arte maximâ: item pro Comite stabuli Christum mortuum, in aream deindè Cevenensem translatum: cum variis adhuc imaginibus monochromate miniato pictis. Duos etiam scribebat libros de Anatomiâ: & post mortem ejus duo adhuc opera diagraphica ab ipso facta reperiebantur, Leda sc. & Sibylla Tiburtina; Octavio Imperatori Mariam cum infantulo ostendens. Hîc iconicè inserti erant Franciscus Rex; Regina; prætoriani vigiles, & magna hominum multitudo, multis iconibus insertis, quod opus inter primarios ejus labores numerabatur. Tantâ igitur diligētiâ Regis gratiâ acquisitâ, magno prẹter salariū ordinariū quotannis donatus auctario, Principis instar vivebat, repletâ domo suâ vasis argenteis, tapetibus, & pretiosis variis. Tandem autem visitatus aliquando ab amico suo Francisco Peregrino, cum furto ipsi ablata esset magna pecuniæ summa, suspicione amicum hunc suum prægravans, ad torturæ usque examina eundem urgebat: qui tamen repertus innocens, actionem injuriarum contra Rossum instituebat. Ubi hic periculo partis suæ perspecto; quodque falsò amicum accusasset, tantamque honori suo inussisset maculam dolens, non expectatâ sententiâ sumto veneno per rusticum Parisiis apportato tam vehementi, ut vel pollicem portatoris, orificium vitri eodem contegentis, exederet; è medio se ipsum tollebat anno Christi 1541. Rufus aliàs crine, ut nomen ipsi; Musices etiam studiosus, & Philosophorum amator, picturasque suas more poetico elegantissimo instituens. Iconem autem illius tabulâ nostrâ O. spectare licet.

Veneno se perimit.

XLIX. ANDREAS COSMUS Florentinus, Pictor.

XLIX. ANDREA COSIMO

Ita dictus à præceptore Cosmo Roseglio, apud quem figurarum elegantia haud parvam promeritus erat laudem. Deindè novum ipse inveniebat modum facies palatiorum & domuum exornandi, quem Itali sgraffiti, sive opus veruculatum vocant, ubi murus quidam recenti tectorio imbutus carbonibus contusis vel stramine usto denigratus mox calce dealbatus, factis juxta prototypon aliquod in muro puncturis,

Opus veruculatum ≀ Sgraffito.

tan-

tandem veruculo ferreo variè obraditur, ut figurarum non tantùm designatio, sed & umbræ eleganter detegantur; quamvis & atro in calcem recentem immisso succo umbræ fieri queant: quâ methodo Cosmus multas domuum facies Florentiæ exornavit; quamvis & aliàs ad nuptialia & sepulchralia ornamenta undique adhiberetur. Cœterùm beneficus erat & in labore sedulus, sed meticulosus admodùm & melancholicus, ut violentas sibi intulisset manus, nisi sociorum quidam semper eum observâsset: undè usque ad annum 64. protensâ ætate, mortuus tandem est, hâc laude non privandus, quod talis fuerit ornamentorum artifex, à quo multa alii didicerunt.

L. MORTUUS FELTRENSIS,

L. MORTUO DA FELTRO.

Andreæ jam dicti Præceptor, ornamentis & ipse clarus, sed melancholicus pariter & solitarius, qui cum juvenis adhuc sub Alexandro VI. Pontifice Romam venisset, in antiquis structuris & ruderibus indefinenter designationes suas instituebat, Alabandensibus & chimæricis potissimum delectatus, undè in hoc studio tantoperè etiam profecit, ut in gyris suis folia peculiari quadam elegantia quasi naturalia exprimeret. Tibure etiam in villâ Adrianâ multis mensibus erat, omnibus ibi cryptis supra & subterraneis delineatis: quin & deindè Puteolis apographa faciebat elegantium veterum murorum operumque è gypso plasmatorum; nec non monumenta omnia memorabilia; & in Campaniâ viâ veterem, & quod Trulli est propè mare; inque omnibus templis & cryptis Bajanis & Mercatensibus similia, ut in cryptographico hoc labore perfectus evaderet artifex.

Reversus Romam, figurarum picturis operam dabat; cognitâ etiam Leonhardi Vincii & Michaëlis Angeli famâ, Florentiam abibat, illorum opera visurus: ubi spe omni talismodi perfectionis abjectâ, ad picturas suas Alabandeas redibat; cum Andreâ Cosmo aliquandiu degens. Tædio autem & Florentiæ motus, Venetias abibat ad Georgionem, ejusdemque fiebat in ornamentis domus Germanorum emporeticæ pingendis adjutor. Tandem & terram Forojuliensem visurus, cum ibidem eodem tempore militem conscriberent Veneti, militiæ & ipse nomen dabat, ducentis præfectus peditibus, cum iisdem Zaram missus in Sclavoniam: ubi in certamine quodam cum Turcis generoso quodam ausu inter primos pugnans occidebatur, anno ætatis 45. nomen omine comprobans. Primus hic fuit, qui picturas has chimæricas antiquorum more pinxit, quæ grotesche, quasi cryptenses, Italis dicuntur, quod Antiqui præsertim Romæ talia ornamenta in cryptis subterraneis pingere solent, quæ ab Italis grotte dicuntur.

militiam sequitur.

LI. MARCUS Calaber Pictor,

LI. MARCO.

Relictâ patriâ Neapolim abiens, ad majorem picturæ culturam Romam abiturus, nisi deliciis illius urbis, & quia testudine suaviter luderet, à pluribus musicophilis ibidem detentus fuisset. Hic igitur opera pingebat varia, mixturâ oleariâ & in albario recente; inter quæ egregia illa Altaris tabula Aversæ, decimo milliari à Neapoli in templo S. Augustini, ubi hunc patrem disputantem exhibuit cum hæreticis: supernè & ad latera appictis historiis variis de Christo, sanctisque quibusdam, cum ornamentis pluribus: è quibus magnum elucet pictoris ingenium cum insigni colorandi dexteritate. Jucundi aliàs erat genii; cumque adversarium haberet pictorem quendam, citò eundem in imum contemtûs demergebat barathrum Nobilium favore. Opera sua caro pretio elaborabat, facta inter annum 1508. & 1542. Annum autem ortus & mortis haud invenio; hoc unico excepto, quod anno ætatis 55. mortuus sit.

Opera ejus.

LII. NICOLAUS Calaber Pictor.

LII. NICOLAO sive COLA de Matric.

Marci socius & sympatriota, quem vulgò Colam Matriensem dicebant, Asculi in Calabria & Noceriæ varia pingebat opera elegantissima, ut optimi illarum terrarum artificis fama celebraretur, præsertim quod Architecturæ esset peritus, & omnia ædificia tàm Asculi, quàm in circumjacentibus locis, tum temporis structa, curaret. Asculi autem ipse semper degebat, cum uxore nobilitate & virtute clarâ vitam vivens suâ hilaritate non carentem, Romæ videndæ, quamvis illa omnium tunc pictorum esset Academia, desiderio non exardescens. Illius tempore autem Paulus III. Asculum veniebat, ubi artifex noster litibus quibusdam cum ministris aliquibus Papalibus intricatus, fugâ sibi consulere cogebatur, uxore ejus fidelissimâ ipsum quidem secutâ, sed quod ipsa esset horum malorum causa, hoc ipso non extinguebatur mariti persequentium odium, & erga ipsam amor, sed tantoperè exardescebat pulcherrimæ hujus prædæ potiundæ cupiditas,

Uxor ejus amore pudicitiæ undis se submergit.

 ut ho-

ut hostiliter ipsum insequeretur. Perpendens igitur uxor ejus, quod de suo honore, & de vitâ mariti luderetur, sumto, ceu altera Lucretia, animo, ut vitam marito, suamque servaret pudicitiam, morte suâ sibi cōsulendum statuens, è littore præcipitem in fluvium se demittebat, undis suffocata; magno cum dolore mariti & hostium ejus, visô spectaculô hoc miserabili Asculum reversis.

Opera ejus. Cùm illius tempore Alexander Vitellius Matriensium fieret Dominus, Artifex noster ab eodem in Civitatem Castellanam vocatus in Palatio ejus varia in albario recente elaborabat opera: hinc Matrias reversus ad finem usque vitæ suæ. Ingenio celebris erat, studioque superandi in arte æmulos, & magnâ exhinc enata perfectione.

LIII. FRANCISCUS MAZZOLIUS Parmensis Pictor,

LIII. FRANCISCO MAZZOLI. Opera ejus Parmensia.

NAtus Parmæ anno 1504. Mortuo patre orphanus à duobus cognatis pictoribus educatus, cum naturali hujus artis studio duceretur, in eâ sic brevi profecit, ut anno jam ætatis decimo sexto in Diagraphicâ ad miraculum usque excelleret, picto tum è propriâ inventione Johannis Baptismo tantâ arte, ut omnes juvenis istius eustochiam mirarentur, quæ tabula Parmæ in templo Annunciatæ posita est. Porrò in albario etiam recente Parmæ pingebat sacellum: pluribusq; hanc Urbem operibus exornasset, nisi Papæ Leonis tempore bello lacessita Urbe, cum patrueli suo juvene etiam pictore Viandanam, quæ est urbs in Ducatu Mantuano, missus esset. Duas hic Franciscus noster pingebat tabulas ovariâ mixturâ; ubi in unâ S. Franciscum Vulneribus insignitum, cum S. Clarâ: in alterâ imaginem S. Catharinæ cum parergis pluribus pingebat, tantâ perfectione, ut nemo à juvene elaboratum diceret opus hoc, sed artificis multis annis exercitatissimi. Finito bello, Parmam reversus, tabulas alias pingebat oleario subactu; ut & icones optimas.

in Ducatu Mantuano.

Parmensia alia.

Anno ætatis 19. ardore excitatus Romæ videndæ, cum tanta de Raphaële & Michaële Angelo exaudiisset, studio etiam in arte proficiendi flagrans, acceptâ à patruis suis licentiâ, tria prius perficiebat opera: imaginem nempè D. Virginis cum filiolo è gremio Angeli fructus quosdam petente: item senis cujusdam figuram, ambabus ulnis plura ova portantis: & ut rarius quid in medium afferret, imaginem propriam in ligno quodam convexo è speculo sphærico convexo depictam cum omnibus in istud simul projectis speciebus, fornicis nimirum, cubiculi, fenestrarum & similium, artificiosissimâ abbreviatione omnia: expresso etiam nitore vitri tam naturaliter, ut fidem superaret. Cumque omnia viciniora speculo objecta, majora cœteris appareant, isto in loco manum quandam pinxerat majorem, qualis in speculo apparuerat: quod opus tanti æstimabatur à Peritissimis etiam, ut unus patruorum ejus illud cum cœteris convasatum Romam secum deportaret, eidem in hoc itinere socius.

Quo cum pervenisset, visis picturis & juventute ejus, insigniter mirabatur Pontifex cum aulicis universis, magno ipsum prosecutus honore. Sumto igitur apographo œci Pontificii, in quo Johannes Vedinensis fornicem & plasmata gypsata fecerat, dono Pontifici offerebat picturas suas multis propterea donatus muneribus. Tridui etiam spatio circumcisionem Christi pingebat, pulcherrimâ inventione, triplici inibi adhibito lumine, è Christi facie uno; è templo variis lucernis illuminato, altero; multis etiam per scalas ascendendo hostias offerentibus: tertio autem ab aurorâ è finibus Horizontis promicante, adjecto topiario opere pulcherrimo, pluribus ædificiis: Cujus operis gratia majori adhuc illum honore dignum æstimabat Pontifex; ut jam satis ipsi suppeteret occasionis ad summam perfectionem adspirandi, omnibus scilicet perlustratis, quæcunque picturis insignia essent, inter quæ maximi æstimabat Michaëlis Angeli & Raphaëlis Urbinatis opera. Quasdam etiam tabulas Romæ pingebat, nec non icones: & inter alias centurionis cujusdam è Prætorianis, non pulchritudine quidem insignem, sed vividitate tantâ, ut verè ibi adstare videatur. Romam venit.

Ad S. Salvatorem Lauri tabulam pingebat, cum imagine D. Virginis in aëre versantis, cum puerulo intra gremium: in terrâ autem S. Johannem, extraordinariâ devotionis expressione uno genu nixum, ad Christum conversâ faciè: juxtà autem S. Hieronymum pœnitentem, abbreviato positu decumbentem atque dormientem; quod opus, ob Romam captam, absolvi non potuit. Et quamvis illo tempore pictoria non insigniter tantùm interrumperetur, sed multi etiam artifices occiderentur, noster tamen Franciscus Romæ in arte suâ meliori gaudebat forte, quàm Archimedes olim Syracusis, in opere circulorum suorum occisus. Cum enim & ipse tantoperè intentus esset operi cuidam, ut à tabula manū minime tollaret, quamvis jam cœpisset cædes & depopulatio, tumultuantibus variè Inter milites salvus.

per

per domus militibus, quin & in cubiculum ejus irrumpentibus quibusdam, pingentemque deprehendentibus, hi tamen admirati artis ejus elegantiam, ulterius neutiquam ipsum lædebant, sed, ut Demetrius olim Protogenem, ab aliis potiùs crudelioribus custodiebant. Cum fama ejus ad Chiliarcham quendam perveniret, artis istius fautorem, eidem opusculum diagraphicum calamo depingebat, umbrarum deindè colore penicillo adjecto. Quia autem turmis his ulteriùs progrediendum erat, Franciscus tamen cum quodam amicorum suorum ab aliis militibus succedaneis captus aliquot coronatos in lytrum persolvere cogebatur.

Cum igitur videret Patruus ejus, omnem plura discendi occasionem nunc præcisam, Romam totam destructam, ipsumque Papam ab Hispanis captum esse, cum Francisco Parmam redire meditatus Bononiam veniebat, ubi cum apud amicos quosdam per menses aliquot commoraretur Franciscus, aliqua opera sua diagraphica ligno incidi curabat; & inter alia Martyrium Petri & Pauli; magnamque Diogenis effigiem: quin & æri quædam incidenda Antonio cuidam Frentano committebat; quæ tamen, quod hic Nobilitati Bononiensi multa haberet elaboranda, abeo perfici non poterant.

Bononiam veit.

Primum operum ejus Bononiensium in sacello erat Cardinalitio S. Rochus majori effigie, eleganti ad cœlum converso vultu, Deo gratias agens; in quo dolor quasi pestiferus in latere connotabatur. Penes ipsum orans quidam alius dimidio saltem corpore, iconicè pictus, unà cum cane in tractu quodam campestri, naturâ in omnibus quàm proximè exhibitâ. Cum autem Antonius suprà memoratus, qui ipsius hospitio utebatur, quosdam tamen ipsi confecisset labores, die quadam summo mane cum Franciscus adhuc lecto detineretur, ille omnes tabulas ligneas & bracteas æneas figuratas, huic auferebat, easdem Bononiæ apud amicum quendam occultans, quin & delineationes ejusdem omnes, quascunq; habuerat, cum his clam abiens, ut nemo sciret, quid de ipso factum esset. Ubi incisa quidem Bononiæ relicta recipiebat noster, de cœteris ad desperationem usque sollicitus.

Deindè iconem pingebat Comitis cujusdam: item D. Virginem cum Jesulo orbis globum manu tenente: illamque tanta venustate, hunc autem quasi verum puellum, prout puerulis naturalem quasi tribuere poterat ætatem, ut vel annos dignoscere quis posset, ipsam autem matrem veste rariore quidem sed elegantissimâ induerat, quamvis & in nudis corporibus tantâ uteretur dexteritate, ut meliùs exprimi nequeant. Et hæc quidem pictura Papæ deindè Clementi Bononiæ dono dabatur, variato toties possessore, ut vel quinquaginta apographa illius facta fuerint. Inter alia deindè opera tàm picta quàm diagraphica Bononiæ facta inventionibus & spiritu plena, Carolum V. etiam Imperatorem Bononiæ à Clemente VII. Pontifice coronatum, cum prandentem aliquoties oculis conspexisset, domi oleariâ mixturâ viventis magnitudine iconicè pingebat, quem Fama lauro coronaret, unà cum puero quodam sub Herculis junioris specie, cui ille regendum Orbem traderet. Quod opus Pontifici cum perplaceret, hic per Episcopum quendam, comite Francisco, Imperatori dono mittebat, qui magnoperè etiam eodem delectatus illud retinuisset, nisi Franciscus, consulente imprudente quodam, id nondum perfectum esse prodidisset, adeoque illud iterum secum tulisset, aliàs magnis propterea munerandus prœmiis: idemque jam in Esthophylacio Ducis Mantuani cum pretiosis aliis asservatur. Cum igitur Franciscus diu jam extra patriam varia in arte perquisivisset, paucis quidem opibus, sed amicis tamen dives, ad familiares tandem Parmam reversus ad S. Mariam vallatam magnum pingebat fornicem in albario recente, inter cujus ornamenta lamina erat ænea, in quam multam impendebat diligentiam. Item pro Bajardo Equite Parmensi amico suo Cupidinem, qui arcum sibi pararet, sedentibus ad pedes ejus duobus puerulis, se invicem amplexis, amœnoque vultu contuentibus. Deindè & Divam Virginem pingebat cum puero dormiente, quod opus cum aliis valdè placeret, ipsi tamen autori neutiquam placebat; adeò ut & imperfectum illud relinqueret.

Carolum V. pingit memoriter.

Pergebat autem in supradicto quidem opere fornicis, sed tardiùs, quod sepositâ aliquandiù picturâ, Alchimiæ dedisset operam, per hanc compendiosiore viâ ditescere sperans; cum tamen unâ die plus perderet, quàm integrâ hebdomade pingendo lucraretur. Cumque illius operis Domini ob tantem in opera locata negligentiam eundem judicialiter convenirent, ipse noctu cum amico quodam fugâ sibi prospiciens Casalium veniebat, quod majus dicitur.

Ibidem in templo S. Stephani D. Virginem pingebat in aëre, sub illa S. Stephano & S. Johanne consistentibus. Et ultimò tandem Lucretiæ Romanæ imaginem, omnium operum ejus apicem. Inter laudes ejus hæc est potissimùm, quod inveniendo fuerit promtus & topiaria pinxerit elegantissimè: quod imaginibus tribuerit venustatem eximiam, & faciebus pulchritudinem singularem. Quamvis & in aliis ingeniosus esset, & chely potissimùm dulcissimè luderet, cui & sæpè diutiùs quàm picturæ vacaret. Cumq;

in hoc excusationem mereri queat, quod & remissio labori quandoque interponenda sit: in illo tamen culpa non vacat, quod parergis fuerit nimius, & Alchymiæ tantum tribueret, ut relictis omnibus se ipsum negligeret, semifero potiùs capillis & barbâ similis, quàm pictori tantâ arte claro. Quo in statu miserrimo febri tandem & diarrhœa afflictus 24. Augusti anno 1540. magno cum artis, ob singularem penicilli gratiam, dispendio moriebatur: icone in tabulâ nostrâ P. spectandus. Mors ejus.



Caput X.

FRANCISCUS MONSIGNORIUS; JULIUS ROMANUS, ET SEBASTIANUS De PLUMBO.

Argumentum.

LIV. FRANCISCUS MONSIGNORIUS Veronensis Pictor. Mantuæ artem discit ab Andreâ Mantegnâ. Magnam acquirit apud Marchionem istius loci gratiam. Christum pingit & duodecim Apostolos. Pulchra inventio S. Sebastianum pingendi. Canem pingit, quo canem alium; & puerum, cujus manu aviculam decipit. LV. JULIUS ROMANUS Pictor artificiosus; Præceptorem suum Raphaëlem Urbinatem in variis operibus adjuvat. Architecturâ quoque insignis est. Opera ejus pictoria. Diagraphicâ quàm chromaticâ præstat. Lapidationem Stephani pingit. Defectus ejus. Architectonica ejus Mantuana, & pictoria. Sileni fabula: lapsus Icari: duodecim menses: Gigantomachia: Multitudo operum ejus. Stipendium ejus, & Epitaphium. LVI. SEBASTIANUS de PLUMBO, Venetus pictor, Raphaëlis Urbinatis & Michaëlis Angeli æmulatio. Hic Sebastiano format prototypa. Opus ejus ad S. Petrum Montorium. Medium invenit oleariâ mixturâ in muris pingendi. Raphaël hujus operi tabulam suam ultimam opponit. Tardus est in labore. Ad servitia Pontificis adhibetur, & ob picturam oleariam Michaëlis gratiâ excidit.

LIV. FRANCISCUS MONSIGNORIUS Veronensis Pictor,

LIV. FRANCISCO MONSIGNORI.



Natus Anno 1455. Patre Alberto Graphicophilo, qui filium hunc suum, quem in diagraphicâ ipse initiaverat, Mantuam missum in disciplinam tradebat Andreæ Mantineæ; ubi brevi tantos faciebat progressus, ut à Francisco II. Marchione Mantuano, insigni hujus artis fautore anno 1487. propriâ donaretur domo, stipendio etiam annuo provisus & tantoperè à Principe amatus, ut nunquam vel ex urbe excederet, nisi Francisco comite, quippè quem æquè carum sibi diceret ac totum Ducatum suum. Favore Ducis Mantuani gaudet.

Multa autem pingebat in palatio S. Sebastiani Mantuæ; & extra urbem in Castello Gonzagensi; prout & in pulcherrimo Palatio Marmitolensi. Cumque anno 1499. triumphum aliquem pinxisset, insertis multis aulicorum iconibus, Marchio prædio ipsum donabat in Mantuano territorio sito, cui Marzotta nomen, cum centum agri jugeribus, domo nobili, villâque & pratis atque similibus aliis. Multas etiam icones eorum, qui de familia Gonzaga, fieri curabat Marchio, partim in Galliam, partim in Germaniam missas, partim adhuc Mantuæ extantes, quia picturâ iconicâ multum præstabat noster. Mantuæ etiam in templo S. Francisci duas pingebat imagines, S. Ludovici scilicet, & S. Bernhardi, simul tenentium nomen Jesu, nec non in telâ mixturâ oleariâ majori formâ Christum cum duodecim Apostolis, multis abbreviaturis, magnaque devotione spectandis: inter quos Judas proditor facie monstrosiore, quæ à cœteris omnibus dignosci queat, distortis scilicet oculis malitiosè Dominum intuitus, cum reliqui amoris indicia aspectu præ se ferant. Ad dextram S. Franciscus, qui ipsa Sanctitas diceretur, Christo Marchionem offert iconicè pictum in tunicâ Antiquorum more: juxtà quem & filius ejus natu maximus, Fridericus, pueri formâ pulcherrimi. Ad sinistram S. Bernhardus est sub icone Sigismundi Cardinalis Gonzagensis, fratris Marchionis; ante quem istius filia Principissa Leonora, Duci Christum & Apostolos pingit.

deindè Urbinati nupta : quod opus ab omnibus pictoribus magnis laudibus extollebatur.

Methodus pingendi Sebastiani.

Magnâ quoq; diligentiâ pingebat S. Sebastianum, deindè extra Mantuam ad S. Mariam Gratiæ collocatum, in quo multa ad vivum exemplar exprimebat, inspectante sæpiùs Marchione. Ubi interroganti huic, quo pulchro corpore pro ideâ istius Sancti uteretur ? cum responderet, se in hunc finem uti operario quodam præstantioris formæ ad id conducto, ut ligatus pro formulari ad arbitrium pingentis adstaret: Marchio replicans, gestu hunc cariturum moribundi, consiliumq; sibi suppetere, ut & hic ne desit: advocatus alterâ die ex composito, ligato pro more homini arcu tenso accurrisse dicitur minatus iratâ facie, voceq; horribili mortem; ubi exterritus miser, qui rem seriò agi crederet, variè distortis artubus quasi è vinculis erupturus, & pallescente vultu vivum pictori pro scopo suo exhibebat exemplar, juxtà quod Sebastianum tanta arte pingebat, quâ fieri unquam posset.

Canem.

Peracto hoc & pluribus aliis, Marchioni canem pingebat Turcicum, à magno Sultano cum muneribus aliis Marchioni missum, tantâ quidem veritatis imitatione, ut canis alius Turcico vivo aliàs infestus, visâ picturâ diruptis loris accurreret, vulnerato ad murum, in quo pictus alter, capite. Pictâ deindè D. Virgine cum puero circa matris collum brachium exponente; cum opus hoc Veronam ad Ludovicũ Comitem Sestanũ delatũ esset, spectantibusq; id Alonso Castigliano, & Alarcone Capitaneo, vespera quadam ad candelæ lumen & Catharina accessisset Comitissa cum filiolo, aviculam manui insidentem gestante, quod genus Veronæ Terranzi dicitur, quod in terrâ nidificent, & assuefiant, ut falconum instar manibus insideant: avicula ad pictũ Jesuli brachium advolasse dicitur, quasi insessura, repetitis aliquoties volatibus, postquã repercussæ ad terrã locus non daretur: mirantibus omnibus. Post plura alia elaborata opera Franciscus tandem ob calculi morbũ cum familiâ ex medicorum consilio in Thermas Calderanas in territorio Veronensium sitas profectus, bibitisque undis sopore (connivente commiserando conjuge) obrutus febri acutâ correptus 2. Julii 1519. obiit, deducto invitis Veronensibus à Marchione Mantuam corpore, inibique honestâ sepulturâ terræ mandato.

& avem decipit.

LV. JULIUS ROMANUS pictor.

LV. GIULIO ROMANO.

Raphaëlis Urbinatis discipulus; inventione, diagraphicâ, & chromaticâ solus præceptorem proximè imitatus, & ob morum elegantiam ab eodem in filium adoptatus, ejusdemq; in omnibus præclaris operibus ejus adjutor, ut in porticibus Leonis X. In pingendis protoplastis; in picturâ Arcæ Noæ; in Mose extracto, cum tractu campestri pulcherrimo; quin & in cubiculo turris Borgiæ, ubi incendium Borgianum depictum est: nec non in trabeationibus æneo colore pictis; in iconibus Pipini, Caroli Magni, Godofredi Bullionæi cum aliis; item in plerisq; palatii Augustini Chisii historiis; operibusq; nonnullis colore oleario pictis Regiq; Galliæ missis, & in Sacello Regio Fontisbellaquensi collocatis: in omnibus nimirum etiam difficillimis artis nostræ partibus fideliter ab eodem informatus: ut & Architecturæ non minùs laude excelleret. Post Raphaëlis mortem cum Johanne Francisco illius hæres, hoc socio rara opera haud pauca in lucem protulit.

Raphaëlis adjutor est.

Architectura quoq; insignis.

Opera ejus pictoria.

Extructo scilicet pro Cardinali Medicæo, posteà Clemente VII. Pontifice, sub monte Mario, palatio amœnissimo, quod jam Vigna de Madama dicitur; picturis illud replebat variis. Ubi in porticu quâdam Polyphemum pingebat in albario recente, insigni magnitudine, cum satyris & pueris plurimis circum illum saltantibus; undè multâ laude inclarescebat Julius. Quamvis enim mortuo Leone Papa, & electo Adriano Ultrajectino artes quasi omnes contemtu vilescerent, fameq; ferè pereundum esset artificibus; electo tamen post mortem illius Clemente VII. reductisq; in florem artibus, jubente Pontifice Julius & Franciscus Oecum Constantini consummabant, prævalente tamen Julio: licet designationibus melior esset quàm picturis, quod vivacitas spiritus ejus in opere diagraphico, quod celerius perficitur, promtissima, chromaticis, plus temporis requirentibus, nimium defatigaretur. In œco hoc multa illius spectantur præclara opera, & prœlium potissimùm Constantini & Maxentii ad pontem Milvium tàm pedestre quàm equestre ad montem Marium in campo pulcherrimo, victo Maxentio, ubi varii pugnantium, vulneratorum & mortuorum positus, cum iconibus plurimis; undè multa hauserunt alii prœlia similiter picturi: prout & in hoc multa ex columnis Trajani & Adriani desumta sunt, ut militum habitus, arma, signa, arietes, & armaturæ similes.

Inter alia, quæ Julius porrò pingebat subactu oleario, præ cœteris præstantissima est S. Stephani lapidatio, Genuam missa: in quâ præter notabiles lapidantium gestus inprimis patientia elucet martyris ad cœlum apertum oculos elevantis. In sacello quodam S. Mariæ Animæ pulcherrimam etiam pinxerat tabulam; in quâ imagines D. Virginis, S. Annæ, Josephi, Jacobi & Johannis adhuc pueri, nec non

Marci Evangelistæ cum Leone alato & libro: adjecto in distans quasi theatro cum imaginibus quibusdam; inter quas mulier quædam fila ducens oculis in colum conjectis. Supra D. Virginem autem puelli quidam velum elevantes magnâ venustate expressi sunt. Ubi hoc tamen notandum, quod atramento sit usus nimio, quo maximam laboris sui partem caligini quasi immersit.

Confectis operibus adhuc pluribus, à Francisco tandem separatus, in servitia cedebat Friderici Gonzagæ Marchionis Mantuani, ubi benignè acceptus, salarioque & domo egregiâ, nec non equis & ministris sufficienter instructus, Architecturâ Marchioni inserviebat extructis palatiis, & ædificiis magnificis pluribus; quæ lateribus, columnis gypsatis, Capitulis aliisque ornamentis mirum in modum expoliebat. Psyches etiam fabulam in summitate fornicis cujusdam pingebat, Cupidini scilicet præsentibus Divis omnibus desponsatam: ubi imagines quædam abbreviatæ ab infra conspiciendæ, unius tantùm cubiti altitudine, quæ vel trium cubitorum magnitudine apparent. Juxta hanc depictæ sunt & cœteræ hujus fabulę partes, quarum deindè omnium apographa à Baptista Francisco Veneto facta, nec non typis æneis postmodùm edita sunt, in Belgio pro Raphaëlicis habita: quamvis quædam ibidem omissa sint; Silenus nimirum in caprâ à Satyris sustentatus, quam duo lactent pueri: item Bacchus cum duabus tigribus, brachio initens abaco encarpis variè & triplici serie poculorum aureorum, paterarumque & vasorum similium instructo, adjectis & hinc camelo & illinc elephanto. Ubi pocula verè aurea videntur & argentea, magnumque undiquaque pictoris elucet ingenium.

Architectonica Mantuana.

& pictoria.


In alio porrò fornice depicta est Icari fabula, ubi currus solaris picturâ infernè conspiciendâ cum quadrigis abbreviatis, cui nimis appropinquans Icarus, liquescentibus alis, semimortuus in mare delabitur, ardentibus alis & fumantibus; Dædalo autem summâ mæstitiâ spectabili. In eâdem porticu ab ipso etiam depicti sunt duodecim menses cum omnibus actionibus suis solitis. In alio œco fornicato pariter in medio fornice Jovem pingebat in throno abbreviatum & infernè conspiciendum, Gigantes cœlum impetentes fulmine ferientem: cui Juno adstans ventos iisdem immittit: Ope interea, cum Leonibus suis aliisque Diis atque Deabus fulminis tono territis, inter quos Mars præcipuè & Venus eleganter exprimuntur; Momus autem, extensis brachiis, contremiscens, metuere videtur, ne cœlum ruat; adstantibus & Gratiis cum horrore, & Horis; fugientibusque curru suo aliis, Lunâ cum Saturno & Jano ad clariorem cœli plagam abreptis, ut eò magis ab hac tempestate distarent; Neptuno Tritoni & Delphinibus innixo; Pallade cum Musis timore extra se quasi raptis: Pane nympham sustentante tremulam; Apolline currum, inhibentibus equos quibusdam, proripiente: Baccho, Sileno, Nymphisq; pluribus metu nimium quãtum perculsis; Vulcano Herculem contuente, qui Mercurium alloqui videtur: exterritis & Pomonâ & Vertumno: omnibusque pulcherrimâ inventione propositis. Juxta fornicem hunc muro appicti sunt Gigantes montibus onusti ascendentes, Briareus autem in antro, jam deturbatus montibusque quasi obrutus, decumbens; cum fugientibus aliis, à fulmine jam tactis. Gigantum alii templis, columnis, muris, saxisque aliis cooperti sunt, inter quæ & fumarium illius ædificii, quod Pluto macilentis suis prætervehitur equis, cum Furiis ad centrum confugiturus. Monstrosâ magnâ que mole quasi tempestatis vi concussi variè procumbunt alii, vulneratus unus, mortuus alius, gestu miro inter mortes & ruinas dispersi, horrendâ omnes specie, inter quos per confractam quidam prospiciens fenestram, cognitâ clade fugam parare videtur: quasi ruinis opprimendus. Quæ omnia Mantuæ in Palatio, quod Del T. dicitur conspicere licet. Ibidemque multas etiam picturas juxta Julii Prototypa elaboravit quidam discipulorum ejus Rinaldus nomine, Mantuanus patriâ, qui, nisi in juventâ mortuus, clarissimus evasisset artifex.

Prolixum autem nimis foret, omnia illa enarrare opera, quæ Julius designavit, extruxit, emendavit & pinxit: quod vel ex hoc patescit ipsius elogio, eum nempè territorium Mantuanum tantoperè exornasse, innovasse atque restituisse, ut meritò illius dici potuisset Pater. Nemo enim tam fuit delineando abundans tamque rarus unquam, testantibus id & editis typo ejus operibus plurimis. Mantuæ domum sibi extruebat cum fornice pulcherrimo gypsato intusque & extus picturis elegantissimè exornatam, donatus & à Duce pro eâdem multis statuis antiquis; quippè qui tanto eum prosequebatur amore, ut sine eo quasi vivere non posset: unde plus quàm mille ducatorum summam efficiebant annui illius reditus. Iconem ejus tabulâ nostrâ P. expressimus; mortuus autem est anno Christi 1546. ætatis 54. hoc honoratus Epitaphio:

Salarium ejus.

Romanus moriens secum tres Julius artes
Abstulit (haud mirum,) quatuor unus erat.

Epitaphium.



LVI. SEBASTIANUS de PLUMBO Venetus pictor.

LVI. SEBASTIANO DEL PIOMBO.

MUsicus primùm chely canens, tyrociniis pingendi apud Johannem Bellinum positis, ob senium hujus â Georgione dehinc edoctus, cujus & morem egregiè sequebatur, præsertim iconibus viventium præstans, deindè ab Augustino Chisio Romam delatus, arte utrâq; & conversatione jucundâ multorum sibi conciliabat favorem. Ubi inter alia opusculum quoddam pingebat oleariâ mixturâ, Romæ multâ laude elatum. Vigente autem tum inter Raphaëlem Urbinatem & Michaëlem Angelum æmulatione, laudantibus Raphaëlis gratiam aliis, aliis Michaëlis judicium; cum Sebastianus Michaëlem semper præferret, tantum hoc ipso illius promeruit favorem, ut mirum in modum, eodem in protectionem suscepto, illius opera promoveret, factisq; eidem delineationibus in Raphaëlis odium hunc extollere conaretur. Cum igitur ab Episcopo quodam Pontifici caro, ad D. Virginem plorantem in campo quodam elegante pingendam conduceretur, præeunte Michaële, tanta id efficiebat arte, ut & sacellum ipsi à Petro Francisco Borgerio, in æde S. Petri Montorini, ad dextram introitûs pingendum committeretur.

Auxiliatorem habuit Michaëlem Angelum.

Opera ejus

Hoc in labore singularem invenit præparandi muros methodum, ut omni humiditate sublatâ, oleario subactu pingi possent: factâ scilicet è calce, mastiche & pice græcâ mixturâ quadam, eademq; muro illitâ, ut colores dehinc, præsertim in figurâ Christi, manerent immutati. Ubi iterum Michaël non ideam tantùm ipsi dabat minori forma, sed ipsam quoq; Christi imaginem totam projiciebat: undè propter hunc Christum Sebastianus præstantissimis annumerari meritus est artificibus; quamvis & vultus alii, manusq; atq; pedes plerumq; picti essent vêustate pulcherrimâ. In eodemq; sacello adhuc aliæ quædam extant figuræ in albario recente factæ ad fornicem, ut transfiguratio Christi; & ad latera S. Petrus & S. Franciscus, quibus omnibus pingendis tamen sex integros annos insumsit.

Methodum invenit colore oleario in muros pingendi.

Porrò colore etiam oleario & magno quidem Michaëlis auxilio resuscitationem Lazari pingebat: cui Raphaël conspectæ, aliam opposuit, opus nempè suum ultimum, ob gratiæ venustatem priori prælatum: quamvis in Consistorio ambæ tabulæ juxta se positæ sint: ubi Raphaëlicæ apographum deindè Narbonam in Galliam missum, autographum autem ad S. Petrum Montorium collocatum est. Tam tardus autem plerumq; Sebastianus erat, ut opera ejus plurima aliis traderentur: ubi inter alia, ipsius loco, ad S. Mariam Animæ, Michaël Mechliniensis historiam S. Barbaræ pingebat, opere inter Italica satis laudato. Cum tamen partim invento suo lapidibus colores olearios applicandi, partim aliis in auro, argento & cupro factis picturis celebris fieret, favore tandem Episcopi cujusdam Vasonensis à Clemente Pontifice fodinis plumbi præficiebatur, quo officio antea Johannes Vedinensis functus fuerat, qui multis Papæ præstitis officiis trecentorum nunc coronatorum stipendio donabatur. Hoc accepto officio arte quasi penitùs neglectâ, otio vitam terebat, & poësi, tarditate plerumq; prætensâ, & pictorum copiâ. Favore autem Michaëlis Angeli tandem penitus excidebat, quod Papæ suggessisset, melius fore, si sacelli cujusdam facies coloribus oleariis pingeretur, suoque modo pręppararetur; quod Michaëli valdè displicebat, qui laborem hunc tantùm mulierum diceret opus; cum recens albarium virû requireret: quo in odio etiam moriebatur febri acutâ anno 1547. ætatis 62.

Raphaël ipsi tabulam opponit.

Tardus est.

In Servitia Papalia venit.

Michaëlis gratiâ excidit.

CAPUT XI.

PIERINUS VAGENSIS
Pictor & Architectus:
&
DOMINICUS BECCAFURNIUS
Senensis Pictor.

Argumentum.

LVII. PIERINUS VAGENSIS Florentinus pictor & Architectus: undè cognominatus sit: ob paupertatem industrius est. Magnus in Pierino discendi ardor. Romam venit ad Raphaëlem. Opera ejus ibi facta. Opera ejus alia in Oeco Papali & alibi: Ablatio Christi è cruce. Opus ejus in templo Servitarum: in Sacello SS. Trinitatis. Florentiam venit. Opera ejus hîc facta. Societas martyrum. Pharao submersus. In societatem

Julii Romani & Johannis Francisci venit. Sacellum S. Marcelli Romæ pingit: expugnatâ Româ capitur. Deorum metamorphosin delineat, quæ typis æneis edita est. Genuam venit. Palatium ibi Principis Doriæ extruit & pingit. Æneam naufragũ pingit. Illusori cuidam ostendit, quanto usui sit prototypum aliquod chartaceum. Gigantomachiam pingit. Pisis domicilium figit. Genuam revertitur: iterumq; Romam. Ubi Sacellũ SS. Trinitatis pingit, in quo miraculũ Bethesdæ; & resuscitatio Lazari. Ad ministeria Pontificis assumitur. Ubi œcum Regium pingit. Titianus Romam venit, icones picturus: multitudo operum ejus. LVIII. DOMINICUS BECCAFURNIUS Senensis, pictor. Opilio primùm: Romam venit: certamen init cum Johanne Antonio Vercellensi. Varia alit animalia. Lapsum Luciferi pingit. Genuam vocatur; sed non obsequens. Duccius Senensis, pictor, historias pingere invenit magnorum lapidis frustorum combinatione. Hoc modo Dominicus marmoribus & picturis ædem Dominicam Senensem exornat. Historia Mosis petram percutientis. Genuam venit. Ovarium colorem oleario præfert. Venustas facierum pars hujus artis maxima. Historiam chimicam pingit.

LVII. PIERINUS de VAGA Florentinus, pictor & Architectus

LVII. PIERIN DEL VAGA.



Icone suâ in tabulâ nostrâ P. spectandus, in magnâ paupertate educatus, matre mortua bimestri, patre milite, nutrice caprâ primùm uso, mox Florentiam delato è pago puello, militiam iterum secuto. Puer igitur per pictorũ ministeria oberrans, sedulus ubiq;, diagraphicen juxta Michaëlis Angeli methodum sic excolebat, ut juniorum pictorũ Florentiæ esset optimus. Cum autem eodem tempore pictor quidam communioris Ordinis Pierinum Romam deferret, cui Vagæ nomen erat, hoc nomine deinde & noster, quamvis mox ille in Tusciam rediret, semper appellabatur. Pierinus igitur Romæ hebdomades medias in officinis pictorum operabatur, medietate reliquâ unà cum festivis & nocturnis plerunq; temporibus delineationibus ruinarum & aliorum operum impendens. Michaëlis Angeli autem fornicem potissimùm, unà tamen cum Raphaëlis methodo sibi proponens, additis etiam cryptarum laboribus, & juncto plastices gypsatæ studio, stipẽ interea ostiatim quærens, brevi ita proficiebat, ut diagraphicâ omnes Romæ tyrones præcelleret, musculis nimirum rebusque artis difficillimis aliis dexterrimè expressis; undè inter Magnates etiam, nec non Julio Romano & Francisco sic innotescebat, ut à Raphaële unà cum Johanne Vedinensi ad labores admitteretur; inq; Leonis porticibus cum tyronibus aliis certando paucis mensibus in encarpis, Alabandæis, imaginibusq; & historiis omnibus palmam præriperet, Vestigia Raphaëlis certissimo gressu sectando, & venustate atque audaciâ omnibus praeeundo, testantibus id primariò historiis transitûs Israëlitarum per Jordanem, lapsorum murorum Hierichuntinorum, pugnæ Josuæ statione solis illustri, & è novæ Testamento, nativitate, baptismo & cœnâ Christi cum similibus aliis.

Romam venit,


& ad Raphaëlem.


Opera ejus Romana.

Istâ sedulitate aliisq; ministeriis tantoperè Raphaëlis sibi conciliabat favorem, ut eum quasi filium amaret: unde eò majori etiam fervore perfectioni insistens, in fornice œci papalis, quà in porticus abitur, præter alia plurima septem planetas: deindè Jovem cum aquilâ; Venerem cum columbis, nec non duodecim signa cœlestia; in medio fornice autem quatuor Victorias pinxit, insignia pontificalia tenentes, infernè suspiciendas tantâq; arte abbreviatas, partibus præcipuè nudis per vestes blandè transparentibus, ut opus illud magni æstimetur. Apud Pasquinum autem faciem domus cujusdam monochromate griseo illustrabat, pulcherrimâ designatione.

Post alia pro Archiepiscopo Cypri Romæ ad Chiavicam in palatio quodam antiquitatibus pleno cum aliis fabulas pingebat, topiaria, cryptas & similia varia: deindè & pro Comitissâ Fuggerâ Germanâ palatium cum porticibus ab omnibus celebratum. Dein œcus quoq; alius ad S. Augustinum ab ipso pictus est historiis plenus, à Romuli ætate, usq; ad Numæ Pompilii tempora, admirandâ perfectione. Præter multa alia, recommendatione Antonii de Gallo Architecti celeberrimi, cum laude elaborata, in Sacello Minervali ablationem Christi è cruce pingebat, imbrium deinde vi inter ruinas extinctam; quod opus inter celeberrima Romana connumeratum fuit. Apud Servitas etiam imagines & puelli quidam cum encarpis ab illo facti visuntur, carnositate & gestibus elegantissimi; loquentibus quasi & viventibus pueris, ut inter albarii opera hoc celeberrimum dici queat. Mox & à Cardinali de S. Quadro ad pingendum Sacellum aliquod in templo SS. Trinitatis ad sinistram ædis conductus, in albario humente inter alia exhibebat Danielem & Jesaiam Prophetas, quatuor cum dimidio cubitorum altitudine, magnâ devotione spectabiles: inter quos pueri quidam insignia Cardinalis tenent, vividissimi etiam. In quatuor prædicti fornicis angulis pictæ sunt historiæ S. Annæ fœcunditate donatæ; Mariæ natæ; Mariæ desponsatæ; & ejusdem visitantis Elisabetham: ubi figuræ quædam pulcherrimæ; præsertim per stylobatas ascendentium ad desponsationem spectandam.

Cumq;


IULIO ROMANUS
MANTUAN.


P
FRANCESCO MAZZOLI
MIGIANO.




PERINC DEL
VAGA FLORENT.


GIACOMO DA
PUNTORMO.


GIO. FRAN. RUSTICHO.
FLORENT.

I. v. Sandrart

Cumq; an. 1523. Peste Romæ grassante, cum aurifice quodam Florentino Piloto, Florentiam abiisset, acceptissimus artis peritis, apud Carmelitas laudato ibidem Masaccii sacello, S. Andream picturus erat, ut modernam Romanorum methodum ostenderet: elaboratâ autem saltem ideâ chartaceâ, Camaldoli propè Florentiam martyrum quandam societatem potius pingendam suscipiebat, delineatâ etiam ideâ in chartâ, candore hujus pro lumine adhibito. Ubi duo Imperatores pro tribunali captivos vario positu Christianos ad mortem condemnabant, constantioribus senibus, contremiscentibus junioribus quibusdam, illaqueatis aliis cum insigni musculorum extantiâ; & militibus immanitate notandis singulari.

Florentina.

Durante ideæ hujus labore, pro Piloto etiam amico tabulā picturus erat, receptus autem in hospitium liberale à Raphaële Sandro, huic priùs in telâ colore æneo Pharaonem pingebat submersum, gestibus Ægyptiorum pereuntium mirâ varietate expressis; Israelitis autem cum Mose & Aarone Deum laudantibus, opere celebratissimo. Postmodùm Florentiâ discedens in itinere vago quidem, varia tamē delineabat, extinctâ peste Romam reversus, ubi à Julio Romano & Johanne Francisco picturis à Clemente VII. præfectis, ad operas adhibitus, juxtà Julii ideam, supra portam insignia pingebat Papalia tantâ arte, ut illi, eundem sibi prælatum iri metuentes, quod istâ gratiâ non abundarent, Pierinum sibi adsciscerent socium, junctâ eidem an. 1525. matrimonio etiam Francisci sorore Catharinâ pro majori amicitiæ firmamento.

Societas ejus.

DeindèPierinus ad S. Marcellum à Societate S. Crucis ad pingendum sacellum conductus in summitate fornicis Evam pingebat è costâ viri formatam, arte plurimâ. Ex alio latere duo Evangelistæ S. Marcus & S. Johannes, & nudo quidem hic brachio, expressi sunt, inter quos duo puelli candelabrum gestantes venustissimi. Cum autem & Societati pecunia deficeret, ad opus tam pretiosum, & Roma an. 1527. caperetur, Pierinus post mala plura tandem captus, magnoq; vix lytro redemtus, tantoperè affligebatur, ut multum in arte impeditus, vix sui amplius esset compos. Donec, tamē pro milite quodam Hispano telas quasdam pingeret, glutinario colore: quin & Bavaro illi, qui tabulas æneas Raphaelis habebat, multas metamorphoseos Deorum delinearet fabulas, quæ à Jacobo Caraglio typis æneis vulgatæ sunt.

Romæ capitur.

Postmodùm à Nicolao Venetiano tapetiario amico vetere cum uxore & filiâ Genuam deductus, Principi Doriæ Palatium extruebat, plasmate gypsato exornatum, & variè depictum: Ubi in portâ quâdam fornicatâ varias pingebat historias & alabandæa plurima, nec non intra arcus insignia varia: sic & supra scalam chimærica quædam cum historiis parvis, pueris, animalibus & aliis elegantiis: Item in porticu propè scalam, in cujus extremitatibus duæ figuræ suprà portam, viri una, mulieris altera; propinqua una, remota altera; anterior una, aversa altera. Fornix ipse quinq; arcubus cōstat gypsatis, inter quos spatia elliptica historiis plēa sunt; in muris autem ex utroq; latere icones visuntur variorum belli Ducum tàm antiquorū, quàm recentium familiæ Doriæ; supra quos magnis literis deauratis hæc scripta sunt: Magni Viri; Maximi Duces, optima fecere pro Patriâ. In œco primo post porticum ad sinistram in fornice, gypsata sunt varia, & in medio pictura de Æneâ naufrago, nudis tàm mortuis quàm vivis variè exornata, terrore in omni facie dexterrimè expresso: quod primū fuit Pierini pro Principe opus. Ubi à quodam Hieronymo Trevisano pictore ad muros derisus, quod ideâ uteretur chartaceâ, ubi penicillo potiùs fidendum: usum ideę publicè dicitur ostendisse accurrentibus plurimis & spectante etiam Hieronymo, qui tanto opere confusus clam Bononiam abierit. Pierinus autē œcum hunc ita consumavit, ut ad muros picturas olearias, & alibi plasmata gypsata adhiberet.

Genuam venit, & quænam hic elaboraverit.

In œco secundo ad dextram gypsato pariter, in medio Jovem pinxit Gigātes Theomachos fulmine percutientem, ubi præter nuda varia magnitudine viventium majora, cœlum est Diis plenum. Deindè quatuor adhuc parabat cubicula gypsata omnia, cum plastes esset multo artificio insignis; insertis picturis fabularum quarundam Ovidianarum pulcherrimis, cum topiariis, foliorum gyris, animalibus & alabandæis judicio maximo excogitatis. Quatuor conclavia penes œcum alterum juxta ipsius quoq; diagraphica à discipulis ejus gypso & picturis itidem expicta sunt.

Perfectis autem Genuæ operibus adhuc pluribus, tàm in albario recēte, quàm olearia & diagraphica, urgente uxore Pisis potius domum sibi emere, quàm in servitio Principis manere voluit. Adeoq; jam hic etiam sacellum aliquod in æde Dominica pingendam suscipiebat, expressis jam pueris quibusdā in albario recente: mox tamē relicto opere, urbe & uxore Genuam redibat, pro principe per menses aliquot laborans, nec literis Pisanis respondens reditum ejus variè sollicitantibus, ut hoc opus jam alii committeretur. Tandem redux, viso hic substituto, quamvis multas jam elaborasset ideas, operi tamen manum rursus admovere renuit; Romam profectus: ubi à Pontifice Paulo & Cardinali Farnesio parū curatus, brachii etiam morbidi curâ mirè exhaustus jam abitū rursus meditabatur: donec tandem ad consumandum in Æde SS. Trinitatis sacellum, cujus fornix à Julio

Pisis domicilium figit.

Opera Romana alia.

Romano & Johanne Francisco affine ejus inceptus erat, conductus, varia ibi fingeret anaglyphica gypsata: appictis duabus præcipuè historiis, quarum una piscinam refert Bethesdanam cum ægris variis, & angelo undas commovente: altera resuscitationem Lazari, quem tanto pallore expressit, ut nuper mortuus fuisse satis testetur. His & diagraphicis aliis commotus Cardinalis Farnesius, ut & Pontifex suppeditato ipsi salario viginti quinque ducatorum menstruo ad dies vitæ, ad labores ipsum applicabant alios in Palatio Papali ut & Farnesio. Ubi inter alia Fornicem œci Regii plasmate gypsato elaborabat inter omnia opera similia celeberrimo, expressis quatuor pueris rosam tenentibus, cum insignibus Papalibus in medio, & Symbolo domus Farnesiæ. Tandem autem delineationibus potissimùm incumbens, Raphaëlis more, picturas idearum suarum aliis committebat, gloriæ sic parum, quamvis pecuniæ satis lucratus, sublatis etiam, quos sibi obesse putaret, æmulis: & inter alios Titiano. Cum enim hic an. 1546. Venetiis Romam vocaretur, ad pingendas icones quasdam, quod Papam jam & Cardinalem Farnesium, nec non Santa Fionensem in itinere quodam pinxisset, nullâ adhuc acceptâ mercede, famaq; esset, œcum Regium eidem commissum iri, Pierinus, qui totum vitæ suæ tempus hoc opere se consumturum speraret, cum magnis propterea conflictatus curis, omnem movebat lapidem, ut Titianus iterum abiret. Omnia igitur ferè, quæ Romæ fiebant opera, Pierino præeunte fiebant, qui tanto propterea premebatur onere, ut quasi noctu delineandum ipsi esset & interdiu. Deficientibus autem tandē viribus, ad amicos suos sese conferrebat, ubi aliquando, cum sub domus suæ januâ cum illis colloqueretur, subitò collapsus apoplexiâ moriebatur an. 1547. ætat 47. sepultus Romæ in æde Rotunda.

Administeria Pontificis assumitur.

Multitudo operum ejus.

LVIII. DOMINICUS BECCAFURNIUS Senensis pictor,

LVIII. DOMINICO BECCAFURNI.

PAtre rustico natus, cujus oves primò pascebat, à cive deindè quodam Senensi Laurentio Beccafurnio, qui baculo quædā delineantē viderat, in servitia receptus, & horis succisivis ad discendam Diagraphicē dimissus, brevi ita proficiebat, ut duarum à Petro Perusino, celebri tum pictore, expictarum tabularum, apographa faceret diligentissima. Postmodò Romæ juxta Michaëlis Angeli & Raphaëlis aliorūq; opera majori progressu facto, Senas reversus, initâ cum Johanne Antonio Vercellensi pictore, juniore quidem, sed magnæ peritiæ, familiaritate, in nudis & Anatomicis variè cum hoc certavit, superante Johanne primùm, mox Dominico.

Romam venit.

Solebat autem domi suæ varia sustentare animalia, psittacos nimirum, simias, & inter alia corvum loquacem, nec non inter equos Barbarum quendam cursu pro more certantem, ut multi mirarentur, unde his alendis sumtus ipsi suppeterent. Quia autem à Nobilitate & populo magni in arte suâ æstimabatur; hinc multas pingēdas accipiebat icones. Deindè & Luciferi lapsu picto in tabula, multa pingebat nuda, abbreviata, labētia; sed haud absoluto opere: cujus loco aliā elaborabat, quæ ad Carmelitas spectatur: in quâ in summitate Deus cum Angelis; in medio Michaël armatus advolans, & Luciferum cum asseclis in abyssum præcipitans ardentem, cujus flammæ magnum præ se ferunt artificium. Varia etiam in albario recente pingebat cubicula, exhibitis multa arte historiis; & inter alia curiam quoq;, gesta ibidem Romanorum plura repræsentans.

Varia abit animalia.

Lapsum Luciferi pingit.

Pro adventu Imperatoris equum fingebat chartaceum, intus cavum, octo cubitorum altitudine, anterioribus pedibus aëra ferientem, insidente Cæsaris imagine, & depictis infra tribus ab Imperatore devictis provinciis, quo commotus, qui Imperatorem comitabatur, Doria, Genuam ipsum vocabat, renuentem tamen ob aliud quoddam è marmore opus, quod sub manibus haberet in æde Dominica Senensi. Hoc autem marmore pingendi genus invenisse dicitur DUCCIUS quidam, qui Senis jam circa annum 1356. vixerat; historiæ autem hoc modo exhibentur albo & nigro colore, magnis combinatis lapidibus, pice nigrâ interlitâ: quo opere tunc utebatur Dominicus arte maximâ.

DUCCIUS Senensis marmore pingit.

Ingruente jam senio, quatuor unâ serie in trabeatione quadam pingebat historias; ejectorum scilicet è Paradiso Protoplastorum. Caini & Abelis sacrificantium; Melchisedeci victimam Abrahami sacrificantis; & variorum in Zophoro dimidiatorum, varia ad sacrificandum offerentium animalia. In aliis hujus templi locis pinxit historiam Vituli aurei, & super suggesto Mosen petram percutientem; ubi inter alia puellus canem invitum ad bibendum deprimens, multa elegantia: sub sacello sacrificium etiam Eliæ depictum est.

His peractis, Genuam quidem abiit, sed picturâ hîc infelicior, sive ob aëris culpam, sive œconomiæ suæ desiderio. Quædam etiam ovario colore pingebat, quem durabiliorem crederet, oleario. Cœterùm facies Dominicus quidem rectè designabat, sine gratiæ tamen lepore, quod præcipuum tamen in arte nostrâ. Tandem & ære quædam fundebat, factis in sex columnis totidem Angelis, viventium staturâ paulò minoribus, in æde Dominica

Genuam venit.

ad magnum altare collocatis; multa cum laude illius; ficturus & duodecim Apostolos, si vita suppetiisset. Præterea & ligno incidebat, & æri quædam: exesis etiam aquâ forti historiis quibusdam Chymicis, de Jove & aliis Diis Mercurium coagulaturis, quem vinctum crucibulo imponunt, Plutone & Vulcano ignem tractantibus, hoc autem avolante, Moriebatur autem anno 1549. ætatis 65, Sepultus magnificè in æde Dominicâ.

CAPUT XII.

JOHANNES VEDINENSIS ET JACOBUS de PUNTORMO, Pictores.

Argumentum.

LIV. JOHANNES VEDINENSIS Pictor. Discipulus est Georgionis Venetiis. Romam venit ad Raphaëlem. Naturalium expingendorum studio tenetur. In tabulâ Bononiensi S. Cæciliæ, instrumenta musica pingit. Juxta antiquorum opera, plasmata gypsata invenit. In quibusdam antiquos superat. Tapete picto Cubicularium Pontificis decipit. Opere gypsato porticus Vignæ Madamæ exornat. Fontanas pingit pulcherrimas. Pro uno opere dono accipit toparchiam integram. Pro Augustino Chisio a cum pingit. A Papa salarium accipit. Vedinum abit. Inventor dicitur vaccæ pictæ. LX. JACOBUS de PUNTORMO. pictor. Præceptores ejus. Prima ejus pictura artifices in admirationem rapit. Adjutor est Andreæ Sartorii. Opera ejus in templo Servitarum. Bonaretti vaticinium de ipso. Variæ larvaturæ, inter quas tres currus de ætate humanâ ab ipso picti. Septem currus alii: Saturni primus: Numæ Pompilii secundus: Consulum tertius; Julii Cæsaris quartus: Augusti quintus: Trajani sextus: Aureæ ætatis septimus. Visitationem Mariæ pingit. Opera ejus alia. Albertum Dürerum honore prosequitur, & juxta typos hujus æneos pingit. Adhuc alia ejus opera. Pro plebejis libentiùs, quàm pro magnatibus pingit. Florentiæ Sacellum S. Laurentii pingit. Perfectioni nimium intentus, imperfectiora pingit. Genius ejus.

LIX. JOHANNES VEDINENSIS Pictor.

LIX. GIOANNI da UDINE.



A Teneris ad diagraphicen pronus, cum canes, capras, lepores, aves & alia similia pingeret, à Patre Venetias ad Georgionem de Castello Franco in disciplinam tradebatur: undè auditis Michaelis Angeli & Raphaelis laudibus, cum recommendatione ad Balthasarem Castiglionæum Raphaëlis amicum, Romam profectus, hujusq; factus discipulus, brevi præceptoris methodum magno cum judicio imitabatur, naturalium præcipuè studio ductus, ut sunt animalia, vestes, instrumenta, vasa, urcei, subdialia, ædes & similia. Aves autem imprimis tantâ pingebat veritate, ut vivere viderentur, quarum picturis integrum impleverat librum varietate jucundissimâ. Deindè à condiscipulo quodam Johanne fructuum, foliorum & florum pingendorum peritissimo & hoc genus addiscebat. In tabulâ igitur illâ S. Cæciliæ Bononiam mittenda organum pingendum ipsi à Raphaële tradebatur, quod tantâ efficiebat industriâ, ut illud, cum instrumentis musicis aliis, à Raphaele confectis, unâ manu pictum videatur.

Romam venit ad Raphaelem

Effossis illo tempore in ruinis Palatii Titi ad S. Petrum in Vinculis cryptis quibusdam, opere plastico gypsato plenis, non diagraphicâ tantùm illorum, sed & plasticâ tantoperè delectabatur Johannes, ut omni tentaminum genere hanc imitari studeret, primùm calce, pice græcâ, cerâ & latere trito mixtis & deauratis; deindè è calce & arenâ Puteolanâ factis anaglyphicis; nondum tamen lævorem illum assecutus, iterum cum lapide Tiburtino candido calcem miscebat: & nec sic ad antiquos omninò accedens, marmor candidissimum in pulverem comminutum cum calce Tiburtinâ miscebat pulcherrimâ, idque antiquorum veram reperiebat esse massam pro opere plastico Tiburtino.

Plasmata gypsata invenit.

Cumq; tum Raphaël in exornandis porticibus versaretur, novum hoc Johannis inventum ibidem hunc applicare jubebat, quod tantâ hic præstabat felicitate, ut ipsa etiam antiquorum opera superaret, factis aviculis plumatis, quasi viventibus; piscibus ibidem variisque monstris marinis, nec non fructibus, uvis, floribus, frumento, avena & similibus juxta cujusque naturam. In fine porticus ad murum Johannes tapetem pinxerat, ad quem cum Papa accederet Cubicularius quidam eundem elevaturus

Tapete picto cubicularium pontificis decipit.

accur-

tificis decipit.

accurrebat, delusus veritate simulacri: Et hæc in porticu superiore. In inferiore, præter plastica similia elegantissima, in summitate fornicis currus quidam picti erant uvis & aliis fructibus onusti, advolātibus variè avibus, & uvis quibusdam quasi dependentibus. In alio autem œco Johannes varios pinxerat psittacos, quos Leo Pontifex alebat, nec non cercopithecos, simiasq; majores & minores & exotica similia: quem œcum deinde Paulus IV. Pontifex destructis his omnibus, magnâ cum picturiæ clade, in alia cubicula commutavit.

His & aliis quibusdam peractis, portic' etiam tàm plasticâ quàm picturâ exornabat in Palatio, quod Vigna di Madama dicitur, Alabandæis ibi, encarpis, portis, fornicibus, & trabeationibus tantâ sedulitate effictis, ut se ipsum superare velle crederetur. Quo facto à Cardinali Julio Medicæo Canonicali donabatur beneficio in Urbe Forojuliensi, cum aliis quibusdam pro amicis; quod fratri suo cedebat Deinde & fontem ibidem erigebat artificialem, aquâ è capite Elephanti marmoreo profiliente: Et in conclavi quodam templum Neptuni: nec non in alio, gypsata marina varia. Iterumq; cataractam quandam; quasi in deserto aliquo ê rupe intra arboreta proruentibus undis, vi illuc adactis, & stiriarum instar deindè dependentibus: ubi in summitate rupis caput leoninum è fruticetis prominebat, admirandâ venustate: pro quo opere Cardinalis dono ipsi dabat toparchiam S. Petri, Florentiam eundem porrò mittens, ubi & plastica & chromatica multa elaborabat, magnâ cum Florentinorum etiam pictorum admiratione.

Pro uno opere dono accipit toparchiam integram.

Oecum exornat.

Postmodùm Romam reversus Augustino Chisio in fornice quodam encarpos fingebat pulcherrimos, fructusq;, & flores plasticos cum foliis tantâ naturæ imitatione, ut muro inserti crederentur. Ponè Mercurii advolantis imaginem Priapum finxit cucurbitam tenentem cum ficis diffissis: nec non pueris, & animalibus quibusdam, & inter alia leone & Hippopotamo quodam infernè conspiciendis citrà admirationem à nomine spectatis.

Elaboratis posteà adhuc aliis quibusdam in Castello S. Angeli & Palatio; & Leo Papa & Raphaël, Fautorum ejus maximus, moriebantur; ubi cum sub Adriano opusculis quibusdam minoribus sese sustentasset Johannes, mox Româ ob pestem ingruentem penitùs relictâ Vedinum in patriam discedebat. Electo tamen Clemente reversus, ad illius coronationem varia; nec non cum Pierino, plastica egregia in fornice œci veteris cum variis animalibus perficiebat. Sed mox iterum in patriam, iterumq; vocante ipsum Clemente Papâ, Romam abiens, opera quædam elaborabat, ubi præfectura fodinarum plumbi Sebastiano collatâ, ipsi salarium à Camerâ promittebatur octoginta ducatorum: ex quo & Florentiam à Pontifice missus, & ibi aliqua formabat. Mortuo autem Pontifice, spe omni mercedis truncatâ Vedinum iterum abiit ad fratrem; penicillo penitus valedicturus, nisi uxore ductâ & liberis susceptis aliqua & in patriâ pinxisset.

Vedinum abit.

Tandem an. 1550. Romam iterum peregrinantis habitu devotionis causâ sub viliori plebe visebat, sed ad portā Paulinam à Georgio Vassario agnitus in servitia Pii IV. Papæ redibat; quo jubente ornamenta porticuum renovare cogebatur. Quo facto anno tandem 1564. ætatis 70. moriebatur, ad Raphaëlem juxta desiderium suum sepultus. Aucupio aliàs adeò deditus, ut & pictæ vaccæ ad aves alliciendas credatur inventor.

Inventor dicitur vaccæ pictæ.

LX. JACOBUS PUNTORMENSIS Pictor,

LX. GIACOMO DA PUNTORMO.

Tabulâ iconum nostrarum P. spectandus, Puntormi natus an. 1493. decimo tertio ætatis anno Florentiæ in disciplinam traditus Leonhardo Vincio; & mox Mariotto Albertinello; deinde & Petri Cosmi; & tandem an. 1512. Andreæ Sartorii informatione usus.

Opus primum â Jacobo proprio Marte apud Mariottum elaboratum, Annunciatio erat minori forma pro Sartore quodam facta, quod, mortuo interea hoc, penes autorem remansit, à Mariotto omnibus, qui in officinam venirent, & inter alios Raphaëli etiam ostensum, qui talem eum fore cum admiratione prædixit, qualis & factus est. Ad Andream autem Sartorium illo tempore veniebat Jacobus, cum apud Servitas historiam Philippi pingeret, quæ cum vehementer ipsi placeret, tantoperè mox annisus est, ut hunc tàm delineatione, quàm coloratione exactè imitaretur. Cumque Andreas, in templo quodam extra urbem, tabulam altaris cujusdam parasset, postmodùm corruptam; Jacobus hic non tantùm partem imam tabulæ supplebat, sed & in medio Christum pingebat mortuum, cum duobus Angelis candelas tenendo plorantibus, unà cum Propheta quodam; quod opus sanè inter tyrocinia haud est numeratum: ut Andreas semper dehinc ipsius adjutorio uteretur.

Opus ejus primum.

Adjutor est Sartorii.

Interea cum Cardinalis Medicæus sub nomine Leonis X. Pontifex evasisset, & Servitæ inter alios insignia ejusdem fieri curarent, ubi in albario recente utrinq; Fidem & Charitatem exprimi vellent, ab Andrea Cosmo Jacobus pro his figuris surrogabatur: qui annorum jam 19. à Sartorio discedebat, quàvis invito, factamq; ideam

Sarto-

Sartorio ostendens, ab eodem laudabatur quidem, sed in posterum non admittebatur amplius. Sui ergò jam juris & pauper duas hasce figuras brevi tempore tàm pingebat elegantes, ut à peritissimo meliores pingi non potuissent. Cum tamen ipse sibi non satisfaceret, novamq; ideam meditatus totum opus clam perdere vellet, ab Andrea Cosmo, qui pegma jam aperuerat, ostensâ pluribus multâ cum laude picturâ, absterrebatur, quod in humido muro tum temporis pulchriorem non inveniri dicerent: Unde & Bonarottus, viso eodem, dixisse fertur: hunc juvenem ad cœlos aliquado sublaturum picturam. Quibus intellectis sympatriotæ quoq; ejus in porta Castelli sui Insignia Leonis X. ipsius operâ cum duobus puerulis venustissimis pingi curabant.

Bonarotti de eo vaticinium.

Larvaturæ pro festo Bacchanaliorum.

Eodem año cum Bacchanalia Florentiæ, ob evectum ad Pontificatum concivem suũ, magno cum splendore celebranda essent, multasq; nobilitas larvaturas institueret, paratis tribus curribus pro infantiâ, virili ætate, & senio hominis: hos currus pingebat Jacobus, monochromate albido metamorphoses Deorum in illis exprimens: adjectis his lemmatibus, in primo; Erimus: in secundo; Sumus: in tertio; Fuimus.

Ab alia Societate septem currus repræsentabãtur, quorum primo, à duobus tauris tracto, gyris foliorum contectis, Saturnus vehebatur falcem tenens; cum Jano bifronte clavem tenente, ad Pacis templum aperiendum; vinctis ad pedes ejus Odio & Invidia; cum pluribus aliis Saturno dicatis à Jacobo nostro ingẽiosissimè pictis; pro designandâ Saturni ætate. Aderant autẽ huic currui comites pastores plurimi equites, singuli quatuor stipati cursorib⁹ pastorio omnes habitu, illi opulẽtiore, hi simpliciore.

Curru secundo duobus similiter bob⁹ tracto roseis vittis insignibus Numa Pompilius vehebatur, Libris quibusdam de Sacris Romanorum circundatus, quorum ipse primus fuerat instaurator: comitantibus sex sacerdotibus antiquo more vestitis; acerras, paterasq; aureas gestantib⁹; ministris autem habitu Levitico candelas in antiquis candelabris gerentibus.

Currus tertius Consulatũ Titi Manlii Torquati exhibebat, post primum bellũ Punicum ab isto gestum, octo tractus equis: prę euntibus equis vectis duodecim Senatoribus, suis lictoribus stipatis.

Quarto curru quatuor bubalis & quatuor Elephantis tracto Julius Cæsar vehebatur, duodecim cinctus equitibus cataphractatis, lanceas gerentibus; militibus stipatis levis armaturæ.

Currus quintus Augustũ vehebat, equis alatis, gryphum figura, tractus, equitantibus utrinq; duodecim Poëtis laureatis, pectore nomina præ se ferentibus.

Sexto curru Trajanus vehebatur octo equabus tractus, comitantibus duodecim Jurisconsultis, Advocatis, Notariisque stipatis.

Septimus erat aurei seculi currus statuis Bandinelli, & picturis Puntormensis instructissimus, inter quas quatuor virtutes pictę multa laude decantatæ. In medio currũ globo terræ maximo imminebat mortuus quidam thorace ferreo rubigine exeso conspicuus, è quo puellus emergebat nudus multo auro insignis; quasi nunc exactâ ferreâ, aurea sub Leone exurgat ætas Quibus operibus prẹter mercedem multa laude inclarescebat Jacobus; ut pro Leonis introitu portas quoq; triumphales pingendas acciperet, ubi inter historias varias pulcherrimas & Palladem exhibuerat cum Apolline, venustate maximâ.

Ille autẽ loco, ubi Missam quotidiè auditurus erat Papa, Deum Patrem in albario recente pinxerat, & Veronicam cum sudario, brevi tempore ad hoc insumto. Inter alia autem ab eodẽ in albario humido picta præ cœteris laudabatur Cæcilia quædam rosam manu tenens, ceu palmarium ex operibus ejus. Dilatatâ autem sic famâ ejus, opus illud quoq; in Vestibulo Servitarum à Sartorio cœptũ, qui jam in Galliã abierat, consum̃andum ipsi tradebatur. Ibi pro consequendâ majori gloriâ Visitationem D. Virginis pingebat, magnâ pro more vividitate, ubi inter alias laudatur figuras puellus quidam in scala consistens; ut opus hoc Sartorianis omninò æquiparetur. Porrò & tabulam pro altari quodã pingebat, in quá Maria sedens Josepho filiolum porrigit, tàm blando risu venustũ, ut satis mirari nequeat spectator: ubi suâ quoq; gratiâ non carent S. Johannes puer cum aliis velum aliquod elevantibus.

Opera ejus alia.

In alia quadã aræ tabulâ S. Johannem Evangelistam pingebat, cum sene quodam pulcherrimo; & S. Franciscum genibus innixum, magnâ devotione Virginis filium respicientem: unà cum S Jacobo laudatissimo pariter. Cœtera ejus opera sunt Icones quædam viventium: item in sacello quodã Christus mortuus & Maria lachrymans cũ duobus pueris, quorum unus poculum passionis, alter caput Domini tenet; adstãte hinc S. Johanne Evangelistâ; illinc S. Augustino episcopali habitu. Porrò Josephus Ægypti præfectus patri Jacobo occurrens, ipsumq; excipiens; quod ipse Jacobus tanti amabat, ut vendere nollet, quamvis magno à Rege Galliæ oblato pretio.

Cumq; illo tempore multi Alberti Düreri typi tàm ænei, quàm lignei, Florentiam afferrentur, Jacobus noster nunquam sibi, quamvis semper aliis, satisfaciens, mutatâ methodo illos sequi incipiebat, sed depravatâ multũ venustate suâ. Cum tandẽ tabulam quandã perficere deberet Regi Galliæ mittendã; resuscitationem Lazari pingebat

Albertum Durerum honore prosequitur.

mirâ vivacitate,ut quasi motus in membris observetur successivus.

Cum autem Cajani œcum picturis ornare deberet, ideam saltem projiciebat: Herculem exhibendo cum Antæo luctantem: Veneremq; cum Adonide, cum nudis figuris aliis. Deindè & adhuc alias delineabat ideas, Michaëlis sc. Angeli: item Magdalenæ in horto: nec non Cupidinis Venerem osculati. In more autem positum ipsi erat, ut potiùs pro plebejis vili pretio aliquid elaboraret, quàm pro magnatibus multa largientibus: unde & pro murario quodam, qui domum ejus extrueret, tamdiù laborabat, quamdiu ille in structurâ occupatus erat, additis & operibus quibusdam aliis, & inter alia iconem quandam à Raphaële Urbinate factam. Multum etiam favit discipulo suo Brunzino, optimæ spei tyroni, qui in multis adjutor ipsi fuit.


Pro plebejis libentius Pingit.

Sacellum autem S. Laurentii à Duce Florentino ipsi commissum tantâ pingebat tarditate, ut per undecim annos neminem illuc admitteret, indignatus etiam vehemẽtissimè, quod pictores quidam scalis admotis labores suos contuerentur: cujus causa hæc fuisse dicitur, quod hoc in opere omnibus vellet esse superior. Historias autem expresserat Protoplastarum; diluvii; Noæ in arcam ingressi; cum annexis: in altero latere extremum judicium, sed magnâ confusione, ut stulta quædam dici queant, quamvis nec laude careant alia. Omnium autem typos faciebat argillaceos, sed symmetriâ plerumq; vacuos: ita ut eo ipso, quo alios superare crederet, propriis operibus suis prioribus fieret inferior.

Florentiæ sacellum S. Laurentii pingit.

Quidam Puntormensem mœrore extinctum dicunt, quod nunquam contentus esset labore suo: alii autem veriùs hydrope mortuum referunt, quod in muris humẽtibus multa pingeret; attigit autẽ Annũ ætatis 63. in Servitarum templo, sub Visitatione ejus sepultus. Honesti cœterùm erat animi, absentium famæ consulens, jactantiæ neutiquam deditus, parcus victu & vestitu, sed mortem vehementer horrens ad ultimum usq; vitæ halitum; undè nunquam etiam turbis intererat, oppressionem metuens: porrò solitarius erat, sed & pertinacior; quod inter vitia numerari posset.

Perfectionis morbo laborat.



Caput XIII.

JOHANNES FRANCISCUS RUSTICUS, ET BACCIUS BANDINELLUS,

Pictores & statuarii Florentini.

Argumentum.

LXI. JOHANNES FRANCISCUS RUSTICUS, pictor, Statuarius & Architectus. Discipulus est Andreæ Verocchii & Leonhardi Vincii. Methodus ejus optima quæq; elaborandi. Mercurium in fonte artificiali positum fingit. Annunciationem Mariæ, S. Johannem Baptistam, Conversionem Pauli. Beneficientia ejus erga pauperes. Societas Panos. Convivia ludicra; miris inventionibus plena. Societas trullæ: Palatium è cibis. Convivium infernale. Rusticus in Galliam venit. LXII. BACCIUS BANDINELLUS, pictor & statuarius Florentinus. Unde Baccii nomen habeat. Diagraphica omnium artium janua. Gigantem de nive fingit. Ad Johannem Franciscum Rusticum venit. In Delineatoriâ excellit. Lacerasse dicitur ideam à Michaële Angelo factam. Pictoriæ se dedit, eandem sine præceptore exculturus: sed ad staturiam redit. In Galliam venit. Cleopatram nudam, & anatomica quædam æri incidi curat. Imaginem Hieronymi fingit, & alia. Bonarotio præferri vult. Romam venit, & quædam elaborat ad D. Virginem Lauretanam. Indiscretus est, dissidia undiq; habens. Orpheum ludentem facit. Infanticidium eleganter æri incidi curat. Laocoontem meliorem efficere vult, quàm antiquum illum Romanum. Intèr equites S. Petri recipitur. Herculem sculpit in foro Florentino locatum, qui ab omnibus contemnitur. A Clemente Pontifice dono accipit Palatium quoddam. Christum mortuum pingit, qui à Michaële Angelo contemnitur. A picturâ desistit. Opera ejus in Palatio Papali. Alia. In odium incidit ob studium litigandi. A statuario alio contemnitur, sed cum ejusdem confusione. Duo monumenta Papalia sculpit, sed negligenter. Ex invidiâ multa Michaëlis Angeli opera diffringit. Opera ejus Florentina. Autor est Cameræ Audientiæ ibidem. Statuas quasdem sculpit ad S. Mariam floridam, quæ sarcasticè taxantur. Defectus ejus: à Nobili quadam fœmina argutè carpitur. Lucro tantùm inhiat. Beneventus statuarius Florentiam venit, quem Baccius tolerare nequit. Gratiâ Ducis excidit. Sepulchrum sibi parat.

LXI. JOHANNES FRANCISCUS, RUSTICUS, pictor, statuarius & Architectus

LXI. GIOANNI FRANCISCO RUSTICHI.



Civis Florentinus ex præcipuis discipulus Andreæ Verocchii, & Leonhardi Vincii condiscipulus, à quo tamen, Verocchio Venetias profecto, plurima discebat, præcipuè in statuariâ, equis potissimùm fingendis delectatus, quos è cera & argilla factos, eleganter dein delineabat: unde ad pictoriam etiam digressus, colores scienter satis tractabat. Dicere autem solebat, rem propositam primò inveniendam, & posteà delineandam: præterlapso autem unius mensis spatio demum reassumendam, emendandam, & consummandam.

Methodus ejus optima quæq; elaborandi.

Sub adventum Leonis Papæ Florentiam, elaboratis statuis quibusdam, tantam Cardinalis Medicæi inibat gratiam, ut Fontem ei artificialem efficiendum committeret, in quo ex ære Mercurius cubitalis nudus in globo consistens quasi volaturus, unâ manu papilionem tenet, è cupri folio tenuiore confectum, per cujus pedem unicum proruens aqua ex ore ejusdem effluit. Deindè facta ideâ Davidis ex ære simulacrum fusurus erat, illâ tamen exhinc perditâ, ejusdem loco positus est Orpheus marmoreus à Bandinello factus. Porrò & opere anaglyphico simo ex ære fundebat annunciationem D. Virginis, cum prospectu optico pulcherrimo; Regi deindè Hispaniarum transmissam.

Mercurii statuam ex ære fundit.

Opera ejus varia.

Post alia quædam, tria etiam fundebat quadricubitalia: nimirum Johannem Baptistam prædicantem, auscultante hinc Levitâ, illinc Pharisæo: opus clarissimum super Porta ædis S. Laurentii collocatum, è nostratibus optimum; in quo artus nudi multam præ se ferunt elegantiam, & gestus egregiè exprimuntur, Pharisæo sc. qui manu barbam demulcet, quasi admirante præconium.

Ex hinc ad Alchymiam digressus, & ad pictoriam iterum, inq; tabulâ trium cubitorum longitudine, & altitudine duorum coloribus oleariis conversionem Pauli pingebat, variis inibi expressis equis & militibus miro gestu spectandis. Cui & venationem addebat minore tabulâ pictam, variis animalibus refertam. Cœterùm humanus erat & in pauperes beneficus: cumque pecuniam in corbe saltem reponeret, aliquando egeno cuidam, viso corbe hoc, tantam sibi semel summam tacitè optanti, totum corbem in sinum effudisse dicitur. Erinaceum quoq; sic cicuraverat, ut sub mensâ canis instar discursitaret: præter quem & aquilam alebat, & corvum loquentem.

Liberalitas ejus ergà pauperes.

Institutâ eodem tempore apud Florentinos societate quadam duodecim membrorum, Panos nomen gerente, cui & Johañes Franciscus, & Andreas Sartorius, & pictores alii plures intererant, rariori quodam conviviorum genere sese delectantes, congestis cibis, quib⁹ sub pœnâ non licebat esse similibus: Johañes Franciscus convivas excepturus Pana majoris staturæ è linteo factum, in medium statuebat, cujus cauda candelabrum subministraret: circumsedentibus ergò convivis ê mediâ Panos statuâ arbor quædam sese pandebat, cujus rami singuli patinam continerēt pro binis destinatam convivis, epulis instructam: quibus ablatis, ramis contractis recedebat arbor, auditâ intereà musicâ jucundissimâ, & ministratis poculis: mox missili secundo & deindè tertio quoq; reversâ: quæ invētio magnâ societatem perfundebat voluptate. Speciale autem Francisci ferculum ahenum erat, è massâ artocreaticâ confectū, in quo Jason patrem immergeret Peliam, ut rejuvenesceret: quæ figuræ capones erant, ita coordinati, ut toti esui inservirent. Qualia fercula contulerant & alii; Sartorius nimirum templum octangulum, cujus pavimētum gelatina, columnæ farcimina; trabeatio Caseus Parmēsis; arcus saccharata quædam; chorus, panis martius; pulpitum vitulina, Liber canticorum, massa foliata; cantores aves assatæ &c. Alius Squillus nomine, tympanum afferebat aheneum ex ansere assato confectum: Dominicus Puligus nefrendem sub specie puellæ fila ducentis; & similia.

Societas Panos.

Alia quædam similis Societas thrullæ dicebatur; quod comedentibus sociis quib⁹-dam in Villa cremorem lactis coagulatum, ingerentibus sibi per ludum ori quædam, aliquis lactis loco, visâ fortè thrullâ murariâ, cœmenti particulam socio insereret, ubi cum risu omnium, thrullæ hæc societas enascebatur, quę tam celebris deindè erat, ut & Magnates, & Medicæorum quidam nomen eidem darent: qui sub habitu murariorum convivia celebrabant architectonica, ferculis omnib⁹ sub materiæ structoriæ formis exhibitis: quanquam & aliis quandoq; uterentur inventionibus, ut quidam Matthæus Panzona totum convivio exhiberet infernum, quasi nuptias Plutone celebrante cum Proserpina.

Societas thrullæ.

Anno 1578. Rusticus noster, post præparata alia quædam, in Galliam abibat, ubi tanta ipsius penes Regem erat autoritas, ut quingentorum coronatorum aureorum salarium annuum ipsi constitueret. Hic elaboratis quibusdam equum æneum fundere debebat duplo vivente majorem, cui imponenda esset statua regis: quem in finem magnum illi Rex concesserat palatium. Factis ergò ideis quidem, non tamen absoluto antę mortem Regis opere: & Suc-

Rusticus in Galliam venit.

Statuæ ejus taxantur. efformatos Protoplastas majori diligẽtia,ut populo satisfaceret,in foro collocabat, eodem tamen quo prius fato, sarcasticis etiã propterea carminibus impetitus. Nimirũ quamvis nec proportio deesset operibus ejus,nec diagraphica, gratiâ tamen venustatis carebant. Unde & nobilis quædam fœmina, interrogata, quid sibi de illis videretur? de viro, respondit, nullum sibi competere judicium: Evæ autem duas esse virtutes, Candorem nempè & Constantiam; Subinnuens, non artificis hæc esse, sed lapidis. Ad supradictum altare tamen adhuc duo Baccius addebat marmorea, Christum nimirum nudum ab angelo detentũ, quod inter meliora ejus celebratur: & Deum Patrem seminudum,sed & hunc non consummatum. Defectus ejus. Nimirum lucro saltem intentus dicteria non amplius curabat,quamvis & sepulchrum suprà commemoratum, & Audientia, & chorus iste ulteriorem ejus expectarent manum.

Beneventũ Statuarium Cum autem & Beneventus quidam Cellinius à Duce conductus esset, ad Perseum quendam in Medusa ex ære fundendum, quem Baccius multis tangebat dicteriis,ne præsentiâ quidem Ducis cohibitus, non suffert. illius tandem gratiâ tantoperè excidebat,ut quãvis Deum Patrem tandem absolvisset cum aliis quibusdam ornamentis, ad visenda hæc, nerogante quidem Ducissa, abire vellet: Gratiâ Ducis excidit. quod tot insignia incompleta negligeret opera,tot bonis etiam cumulatus. Quæ indignatio eousq; ipsum consternebat, ut jam quasi intractabilis esset. Tandem autem elaborato unà cum Benevento & Bartholomæo Ammannato Gigante quodam plus quàm decem cubitorum; nec non Christo quodam mortuo ad Michaëlis Angeli æmulationẽ pro sepulchro suo Serviin tarum templo constituto: Sepulchrũ sibi parat. deducto illuc magna cura Patre suo sub funere ægritudine correptus octavo abhinc die An. Christi 1559. moriebatur, anno ætatis 72.

Caput XIV.

FRANCISCUS SALVIATUS ET DANIEL RICCIARELLUS.

Argumentum.

LXIII. FRANCISCUS SALVIATI Florentinus pictor; primò aurifex; amicitiam colit cum Georgio Vassario. Opera ejus juvenilia: Historia Samsonis. Ad Cardinalem Salviatum venit. Opera ejus Romana; in Capitolio. Opera ejus Florentina & Veneta. Romam iterũ, & mox Florentiam redit; ubi pingit atum audientiæ; historias quasdam de Camillo; triumphum; alia; ideasq; pro tapetibus. Romæ rem familiarem instituit. Opera ejus ibidem. Historiæ quædam de Davide: Prœlium: in nudis imaginibus excellit: in Galliam venit. Ibi non æstimatur. Romam redit; ambitione odia sibi concitat. Certare detrectat, Româ propterea clam relictâ: redux tamen, præ mœrore moritur. LXIV. DANIEL RICCIARELLUS Volaterranus, pictor & statuarius. Romam venit. Opera ejus hujus loci in sacello Maximi; inq; sacello quodam ædis SS. Trinitatis. Historia S. Helenæ. Tardiora duriora. In Palatio Farnesio Conclave pingit; & in Mediceo historias quasdam de Carolo V. In Pierini locum venit, & in Palatio papali pingit. Adhuc aliud sacellum pingit ad SS. Trinitatem, cui juxta illius ideam & infanticidium insertum est. Alia ejusdem opera. Statuariæ incumbit. Romæ protervas quasdam Michaëlis Angeli figuras vestibus induit: ex ære artificiosam fundit statuam.

LXIII. FRANCISCUS SALVIATUS Florentinus pictor,

LXIII. FRANCISCO SALVIATI.



Patre Michaële Angelo Rosso textore holosericario natus, à nobili autem Salviatorum familia cognominatus, texturæ loco ad diagraphicen inclinans, suppeditante ipsi patrueli aurifice exemplaria praeclarissimã, quorum apographa faciebat, mox ad Chrysurgiam & ipse accedens, & in diagraphicis diebus feriatis continuò laborans. Initâ autem cum Georgio Vassario adolescente pariter Andreæ Sartorii discipulo familiaritate, Amicus Vassarii. communicante hoc clam omnia Præceptoris diagraphica, diligentissimè eadem noster describebat: donec mox uterq; in disciplinam Bandinelli traderetur, ubi uno mense simùl plus proficiebant, quàm biennio aliàs.

Opera ejus juvenilia. Solutâ igitur obsidione tabulam primò votivam in templo suspendendam pingebat Franciscus, militem nempè in lecto

ab aliis

Orpheum facit.

Post illa tempora Romam reversus, pro Cardinali Julio Mediceo Orpheum sculpebat laudatum satis: nec non pro palatio ejusdem sub monte Mario ex opere gypsato duos Colossos octo cubitorum altitudine pulcherrimos. Interea typis æneis edebat infanticidium Herodis majori formâ, quo opere magnam assecutus est nominis sui gloriam. Deindè & ideam sepulchri pro Rege Angliæ tàm ligneam, quàm ceream faciebat elegantissimam. Cumq; interroganti Cardinali Mediceo, an Laocoonti Romano similem formare auderet, in Galliam transmittendum? meliorem se producturũ respondisset, factâ primùm è cerâ, mox & è creta & carbonibus ideâ laudatissimá, mox è marmore Laocoontis liberos formabat, prototypo quàm simillimos: interrupto autem ob mortem Papæ opere, Bartholomæus cum Cardinali Florentiam redibat, quem ibidem in diagraphicâ informabat; donec electo Clemente VII. Romam reversus, proque coronatione, ejusdem imagine sculptâ opere anaglyphico simo, acceptâ domo propriâ & salario annuo ad Laocoontem suum rediret: quem elaboratum Florentiam Papa in Palatium Mediceum mittebat; assumto pro hoc opere & aliis quibusdam in ordinem equestrem S. Petri, à Pontifice Bartholomæo.

Laocoontem format.

In ordinem equestrem elevatur.

Florentiam autem reversus, Johannem pingebat in deserto, sinistrâ Angelum prehendentem, dextrâ autem ad cœlum protensâ; quem in officinam Patris sui collocabat in æmulationem præceptoris sui Rustici, qui Pauli conversionem illuc pinxerat. Illudque opus non coloribus quidem, qui duriores erant, sed designatione laudatissimum erat. Deindè & Herculem sculpebat marmoreum cum Caco in foro Florentino collocatum altitudine novem cum dimidio, & latitudine quinque cubitorum, quem etsi emendatum post positum opus, & in se multa arte nobilem, non tamen laudabat populus: Papa autem Clemens, ultra mercedem, Palatio quodam remunerabatur.

Herculem sculpit.

Palatio eum donat Pontifex.

Picto deindè pro altari quodam Christo mortuo, ipse in officinâ aurificis cujusdam locatâ tabulâ immixtus populo, ut judicium, præcipuè Michaëlis Angeli, audiret, cum intelligeret, eum duritiem potissimum culpare colorum, delineatione laudatâ; veritate agnitâ inposterum propriâ manu nihil pingere volebat amplius, adhibito juniore quodam pictore Angelo Bigio.

A Michaële Angelo contemnitur.

Postea Romam reversus, ideam Pontifici argillaceam perficiebat pro statuis æneis in castello locandis, Michaëlis nimirum Archangeli septem peccata mortalia gladio occidentis. Fusisque interea & ex auro imaginibus quibusdam, ut Herculis, Veneris, Apollinis, Ledæ & similibus: porrò opere anaglyphico semielevato Ablationem Christi è cruce fundebat, elegantissimo labore, Carolo V. Imperatori Genuæ dono oblatam, pro quâ, præter munus largissimum, in equestrem elevatus est ordinem ab Imperatore. Cumq; & Principem Doriam Neptuni habitu è marmore Genuensibus efficere deberet, in foro collocandum, promissis pro opere mille coronatis; opus quidem mox inchoavit, ad finem tamen haud perduxit.

Opera ejus Romana.

Mortuo postmodùm Clemente, cum duo Florentinis Pontificibus Leoni & Clementi fabricanda essent monumenta, Romam iterum profectus, partem quandam istius laboris, sculpendarum nimirum historiarum & imaginum, vix obtinebat, conducto nimirum jam Alphonso quodam, easq; satis eleganter quidem disponebat, mortuorum autem effigies non dextrè satis expresserat, undè institutâ desuper à Cardinalibus Cibo & Salviato deliberatione, cum à Tolesmeo quodam, sculptore etiam superbo, ignaro, quod ipse præsens esset, satis carperetur, vix tandem prosiliens eũdem compescebat, à Cardinalibus monitus, ut facto contrario calumnias retunderet. Nihilominùs parum exindè diligentior historias & imagines suas frigidè satis elaborabat, lucro intentus magis, quàm gloriæ. Quin & residuis adhuc duobus pro imaginibus Paparum marmoribus, monitus iterum; non tantum non resipiscebat; sed obtentâ etiam astu suo licentiâ, Florentiam abiens, ad ministeria Ducis illius sese obligabat.

A statuario contemnitur.

Duo monumenta Papalia fabricare debet.

Sed & hic, quod ad fabricas fontanas in viridario, nec non ad Monumentum Johannis Medicei marmoribus egere se diceret, ex invidiâ, varia Michaëlis Angeli opera marmorea, ut & Herculem quendam Johannis Agnoli monachi cum Anteo, quasi vilioris momenti, diffringebat: factoq; super monumento hoc, cum imagine dicti Johannis Medicei, initio satis enervi; nec hoc ad ultimum perducebat finem. Commoto autem Cosmo Duce ad opus quoddam magnificentius, Oecum quendam pulcherrimum per Julianum Baccium Agnolensem extrui curabat, pro audiendis legatis exoticis, quem variis exornabat statuis, lucro maximo: quamvis inter alias ipsius Ducis iconem, omni nimirum similitudine vacuam, quasi emendaturus diffringeret, nunquam deindè restitutam. Quin & nova iterum meditatus, tandem Duci persuadebat, ut chorum & summum altare in æde S. Mariæ floridæ exornari curaret, ubi è marmore iterum Protoplastas formabat, cum aliis quibusdã. Sed & iterũ

Michaëlis marmora frangit.

Opera ejus Florentina.

cessore ejus Henrico salaria plerisq; minuente, & Rusticus non nisi elocatis palatii suiconclavibus vitam sustentabat: cui malo & hoc accedebat, quod palatium istud Rex dono daret Petro Strozzio, qui tamen condolenti animo in cœnobio quodam Rustico sustentationem procurabat, ubi curatus etiam pro merito fuit usq; ad annum ætatis 80. quo mortuus est. Ejusdemque effigies in tabulâ nostrâ P. spectari potest.

LXII. BACCIUS BANDINELLUS, pictor & statuarius Florentinus.

LXII. BACCIO BANDINELLI.

Etymon nominis.

OB diagraphicam potissimùm mihi nominandus, cum aliàs inter celebriores statuarios locandus sit effigie suâ in tabulâ nostra Q. spectandus; natus erat Florentiæ anno 1487. cumq; Bartholomæus diceretur, contracto nomine Baccio audiebat. A Patre aurifice ad delineationes adhibitus, unde fundamentum plurimarum artium: præter diagraphicen & ceras fingebat, tanto profectu, ut aliquando in foro S. Apollinaris è nive duriore scilicet statuam Marforii, qualis Romæ est, cubantem efformaret octocubitalem, mirantibus adolescentis ingenium omnibus. In villâ paternâ non tantùm animalia varia viventium forma delineabat, sed & in sacello Pratensi omnium picturarum à Philippo Lippo factarum, cujus in plicaturis sequebatur methodum, faciebat apographa. Datus ergò à patre in disciplinam Johanni Francisco Rustico Statuario celeberrimo, ubi & Leonhardus Vincius quotidiè conversabatur, juxta istius consilium, inter alia, & marmora tractabat; facto primo capite quodam muliebri, egregio cum successu: & deindè Hercule marmoreo duorum cum dimidio cubitorum cum Caco pedibus ejus subjecto.

Gigantem de nive format.

Rustici discipulus est.

Cum autem eodem tempore celebre admodum esset opus quoddam Diagraphicum Michaëlis Angeli Bonarottii, cujus apographa quasi ab omnibus fiebant, quicunq; delineationibus operam darent, inter quos præter Jacobum Sansovinum, Andream Sartorium, Rossum, aliosque, & Bartholomæus noster: hic nefando ausu, aperto adulterinâ clave œco, prototypon illud lacerasse dicitur, sive quod aliis illud invideret, retentis partibus primariis; sive quod in gratiam Leonhardi Vincii id fecisset, Michaëlis æmuli.

Lacerasse dicitur ideam Michaëlis.

Deindè in chartâ Cleopatrâ delineabat nudam insigni pulchritudine; cujus occasione etiam chromaticæ jam dabat operam, Bonarottium ipsum spe suâ exæquaturus, si non & superaturus. Mox Ledam quoq; cum Castore & Polluce delineabat, colore oleario ideam hanc picturus, nullo præeunte magistro: ut tamen colorum mixturas meliùs pernosceret, ab Andrea Sartorio familiari depingi volebat: ubi Andreas tamen, calliditate perspectâ, carnaturam coloribus in axiculo non mixtis, tantâ promtitudine efformabat, ut sedendo semper detentus Baccius parùm indè disceret. Sed tamen consilio cum Rosso inito, tabulam pingebat oleario colore, de Christo nempè, è Limbo Patres liberante: itemq; aliam de Noâ ebrio denudato. Quin & in albario recente fornicis cujusdam domus suæ tentamen instituebat; ubi tamen cum propter calcis fallaciam majorem offenderet difficultatem, relictâ picturâ, ad statuariam redibat, facto ex marmore Mercurio juniore fistulam tenente tricubitali, magnâ cum laude.

Picturiæ se dedit.

Ad statuariam redit.

Anno 1530. ad Franciscum Galliæ Regem missus, magni ibidem æstimabatur. Cum autem gloriæ cupidissimus esset, anatomiæ etiam plurimùm incumbebat; nulli labori parcēs, quod industriâ omnes superare posse speraret. Multas etiam delineationes, & inter alia Cleopatram nudam, nec non integram Anatomiam ab Augustino Veneto æri incidi curabat, typis evulgata cum insigni celebritate nominis.

In Galliam venit.

Æri quædam incidi curat.

Postmodùm Hieronymum fingebat cereum sesquicubitalem tanta macie, ut ossa, musculi, nervorumq; magna pars sub cute apparerent, quod opus ab omnibus, præsertim à Vincio, habebatur pro incomparabili. Porrò & Petrum quadricubitalem marmoreum sculpebat, quamvis non tàm sculpturâ, quàm diagraphicâ insignem. Iterum & Herculem novem cum dimidio cubitorum altitudine pro receptione Leonis Papæ argillaceum, quem Davide Bonarottii meliorem esse jactabat, consentientibus tamen paucis.

Hieronymum plasmat.

Exhinc ut & Papæ innotesceret, ideâ quâdam Davidis Goliathum capite truncantis eidem oblata, ad Andream Contuccium remittebatur statuis tum quibusdam præfectum, ut nempè specimen aliquod artis suæ ederet: ubi cum nativitatem Mariæ juxta ideam citò è marmore sculpsisset, mox elatior, obtrectationibus Andream insectabatur, quasi diagraphice carerent opera ejus: de quibus civiliter primò ab Andrea monitus, cum & injurias reponeret, tantâ ab eodem tractabatur vehementiâ, ut ferè occisus esset: undè Româ Anconam abiens, ibidem suam consummare historiam volebat; quæ tandem, discedente & hinc nostro, à Raphaële Montilupio absoluta, & juxta Andreæ opera collocata est.

Romam venit.

Incivilis est.

ab aliis occisuris eundem correptum; in quâ, quâvis vilioris esset pretii, tantam tamen adhibebat diligentiam, ut magni deindè æstimata sit. Deindè in cœnobio Badiano super tabernaculo tres pingebat historias; immolationem nempè Isaaci; Mannam delapsam; & agnum paschalem: nec non porrò Delilam Samsonem tondentem; cum tēpli ruinâ è longinquo spectandâ; quod opus in Galliam missum præ aliis celebrem reddidit Franciscum. Postmodùm adscitus ad ministeria Cardinalis Salviati, huic Imaginē D. Virginis pingebat; nec non venatorem quendam Gallicum cervum persequentem, qui in templo Dianæ salutem quæreret: item tabulam aliam, cum imagine Deiparæ aliâ, sub icone amitæ suæ marito ejus appicto. Cumq; eâdem forte & Vassarius ad Cardinalem Mediceum promotus esset, ambo delineando in conclavibus Palatii papalis integros sæpè dies impransi consumebant.

Ad Cardinalem Salviatum venit. Opera ejus Romana.

Picturus deindè Cardinali suo in facello Palatii sui Johannem Baptistam, Amicum priùs Vassarium pro exercitio nudum depingebat ad vivum; institutis etiam in Campo Sancto Anatomiis quibusdam. Vassario autem Florentiam abeunte, Franciscus post majora quædam, multa in templo S. Mariæ pacis elaborabat, valdè celebrata: nec non apud Pontem S. Angeli ante palatiū quoddam insignia Pontificis cum megalographicis quibusdam in albario humente factis, venustate maximâ.

An. 1535. circa adventum Cæsaris Franciscus, qui nomen jam Domini sui semper retinebat, opera quædam pingebat monochromate griseo longè celebratissima: itē in telâ colore aquario vitam Alexandri M. postmodùm in Flandria texturâ tapetum expressam: Porrò triumphos quosdam; & ad comœdiam aliquam opus aliquod scenographicum; & in libro quodam, pro nescio quo Poëta historias plurimas: pro Cardinali suo autem unctionem Davidis monochromate rubricato, quod palmarium erat omnium operum ejus, deindè inserto auro à Damiano Bergamino expressum.

Exhinc in templo Capitolii decollationem S. Johannis pingebat; & Visitationem Mariæ in albario recente, quod opus an. 1538. absolutum, dispositione figurarum, projectione structurarum, venustate facierum, cœterorumq; membrorum tàm nudorum, quàm vestibus tectorum laudem omnem superare videbatur. Durante hac picturâ, quædam etiam delineabat, nec non & Phaëtontem pingebat, juxta Michaëlis Angeli ideam.

Florentina, & Veneta.

Florentiam reversus triumphum pingebat pro nuptiis Ducis Cosmi; quem tamen juxta ideam ejus absolvebat alius; ipso interim Venetias abeunte: ubi Patriarchæ Psyches pinxit fabulam, quæ pictura inter opera Veneta omnia meritò clarissima dici potest. Ibidem in conclavi quodam, ubi à Johanne Vedinensi plastica multa gypsata confecta erant, imagines quasdam addebat tàm nudas, quàm vestitas elegantissimas. Pro monialibus corporis Domini, ut & Venetiis magnâ industriâ Christum mortuum pingebat cum Mariâ & Angelis quibusdam volantibus cum instrumentis Passionis. Iconem enim faciebat Poëtæ Petri Aretini, cum encomio ejusdem versibus conscripto ad Regem Galliæ missam.

An. 1541. Romam rediens in Palatio Papali icones quasdam viventium; item tabulam pulcherrimam in facellum, cum operibus aliis in Germanicum & alia templa conficiebat. Florentiam etiam regressus imaginem primò D. Virginis pro avunculo magni Ducis, cum iconibus quibusdam; mox & magnum Audientiæ œcum pingebat, præter encarpos & insignia Camilli historiam variè exprimens; Ludimagistro flagris cæso; Gallis victis; Brenno aurum appendente; Camilli triumpho pulcherrimè repræsentatis; insertisq; & Occasionis & Pacis figuris tantâ arte, ut pulchrius dici nihil queat. E latere Occidentali in scaphâ ab ipso pictus est Mars armatus; & in aliâ Diana. Versus septentrionem Arnus fluvius cum cornu copiæ, velo levato Duces & Pontifices Mediceos ostendens.

Romam redit

& Florentiam.

Cœterùm & ideas pingebat pro tapetibus; de Lucretia nimirum; & pro Duce historiam Josephi, ut textura hæc exindè magnoperè inclaresceret. Inter alias tabulas & imaginem D. Virginis pingebat in Jesulo & Johanne, super psittaco quodam in risum effusis: Item ablationem quandam Christi è cruce, opus ab osoribus ejus depressum quidem, sed propterea laude suâ haud privandū. Post picturas alias, & conversionem Pauli delineabat, quam æri incidi curabat ab Æneâ Vico Parmense. Cum autem delineatione etiam pro sacello magno facta, labor ipse tamen Jacobo Puntormensi concederetur, ipse an. 1548. Romam iterum abibat; domo ibidem apud Palatium Farnesium emta: conductusq; ab istius nominis Cardinali ad pingendum Sacellum Palatii S. Georgii, non variis istud saltem operibus gypsatis, sed elegantissimis etiam picturis de S. Laurentio in albario recente, & historia nati Christi in majori quodam lapide colore oleario, in quâ Cardinalis effigies, exornabat. Post alia opera ad S. Salvatorem Lauri, nuptias pingebat Canæ in Galilæâ celebratas; & suprà portam oleario subactu Georgium equitem. Hoc tempore etiam Florentiam mittebat opus magnum mixturâ oleariâ pictum de Protoplastis: in œco quodam palatii Farnesii autem duos muros multis historiis domus Farnesiæ illustrabat, cum iconibus quibusdam insertis; quamvis his finem tandem imponeret

Romæ domicilium figit. Romana ejus.

Taddeus Zuccherus. Sic etiam absolvebat Franciscus in templo Populi Sacellum à Sebastiano de Plumbo pro Augustino Chisio cœptum: pro Cardinali autẽ Riccio de mõte Pulciano œcum pingebat in plateâ Juliâ, in quo historiam Davidis, Bathsebæ, Uriæ, translatæ arcæ, cum prœlio quodam pulcherrimè expresserat. Inventione enim dives erat, manuq; venustus, rariorũ studiosus, omniũ pictoriæ partium gnarus, faciebus gratiosus, nudis corporibus insignis, sic vestiens, ut nuda transparerent; oleariæ, glutinariæ & ovariæ mixturæ artifex; sed megalographicis haud clarus, & mercede rarò contentus, quam ob causam etiam vitabatur.

In Galliam venit. Anno 1554. in Galliam abiit domo suâ venditâ; ubi benevolè quidem acceptus, Rossi tamen & aliorum mox opera nimium cavillabatur; cumq; pro Cardinali Lotharingico opus quoddam in albario recente pingeret, ad votum non satisfaciebat, undè, cum & tristioris, parcioris & elatioris esset genii, quàm ista gens desiderat, mox Romam iterum abibat, minutiora tractans, donec in œco Regio, quem Daniel Volaterranus pingebat, partem acciperet dimidiam. Cum autem non tantùm cum Daniele lites moveret, sed & Petrum Ligorium Pontificis architectum, amicum aliàs suum, contemneret; hic autem favore in odiũ mutato, ad opus hoc plures pictores juniores promoveret; Franciscus capto tædio deserens omnia cum indignatione Florentiam abibat; ubi picto in lamina argentea Christo mortuo cum D. matre, & pro Jacobo quodam Salviato libro quopiam larvaturis pleno, spreto Vassarii consilio, de amplectendâ vitâ tranquilliore Romam tamen redibat: historiasque œci variè distributas reperiens, ut duas Taddeus Zuccherus, unam Livius Forojuliensis, aliam Horatius Bononiensis, aliam & Hieronymus Sermonetta, alias alii pingerent, majori adhuc dolore correptus, consulente per literas Vassario, ut & suam, quam cœperat, expingeret, & tantâ quidem industriâ, ut gloriam reportaret solus; mox obsecundaturus, mox ambiguus iterum, in morbum tandem incidit, & præ animi ægritudine mortuus est 11. Decemb. Anno 1563. ætat. 53. effigie suâ in tabulâ nostrâ Q. spectandus.

Romam redit. — Odia ejus. — Mœrore extinguitur.

LXIV. DANIEL RICCIARELLUS Volaterranus pictor & statuarius.

LXIV. DANIEL RICCIARELLI.

JOhannis Antonii Vercellensis primò, deindè Balthasaris Senensis discipulus, nec amore, nec ingenio adjutus, sine gratiâ proindè prima opera & multo demum tempore perficiebat; postmodò pictâ facie domus cujusdam monochromate griseo in albario recente aliquatenus clarescens, pictâ etiam oleario colore in tela Christi flagellatione, sedulitate maximâ, ubi multa juxta viva exemplaria, nec non viventium icones quasdam exhibuerat, Romam adibat.

Romam venit.

Ibi cum Cardinali Trivultio innotesceret, ab hoc ad Palatium suum extra urbem pictura, plastica & hydraulico opere exornandum assumtus, ubi jam & alius quidam Johannes Maria Mediolanensis laborabat, in istius æmulationem varia pingebat cubicula & porticus, interque cœtera multas mulierum imagines, nec non Phaëtontem viventis magnitudine, & Fluvii cujusdam Deum, opere laudatissimo, quo apud plures Cardinales, Trivultii sæpè hospites, innotescebat. Deindè unà cum Pierino Vagio in Sacello Angeli maximi quædam summâ industriâ producebat: nec non in Sacello S. Marcelli crucifixi imaginem, quod Sacellum, à Pierino cœptum, ipse etiam in aliis consummabat juxta illius ideam, pictis inter duos Evangelistas duobus pueris cum candelabris, & in arcubus duobus angelis volantibus cum instrumentis passionis, pulchro quidem, sed tardo opere; cum aliis quibusdam in fornice quopiam ad Angelum maximum: quibus visis Helena Ursina sacellum ipsi in æde SS. Trinitatis in monte committebat, ubi in altari S. Helenæ faciem, cum ablatione Christi a cruce pingebat, multâ arte; in arcu fornicis duas Sibyllas, quæ pulcherrimæ sunt totius operis imagines. Fornix autem in quatuor partes distinctus opere plastico gypsato, quatuor historias continet de cruce Christi facta, ab Helena inventa, occultata, & detecta: adjectis quatuor aliis, de cruce Christi per miracula innotescente; item de Heraclio crucem nudis pedibus gestante: unà cum S. Francisco & Hieronymo habitu Cardinalis; quæ omnia magna elaborabat sedulitate integro septennio: undè durities quidem simul hinc indè elucet & melancholia, sed & industria spectatori non minùs gratissima. Quin & inter colũnas quasdam historiam plasmabat gypsatam juxtà Michaëlis Angeli methodum, quem sibi imitandum proposuerat.

Opera ejus hujus loci.

Post hoc Sacellum pro Cardinali Farnesio in palatii ejus conclavi quodam, trabeationes quasdam & in plano historiam quandam de Baccho, cum triumphis, & venationibus aliisq; parabat: ubi ornamentis aliquot locis virginem cum unicornu, quod est Farnesiæ Domus Symbolum, inserebat, magno cum Cardinalis beneplacito.

Dehinc in Palatio etiam Mediceo Romano historias pingebat de Carolo V. eleganti opere. Anno 1547. autem loco Pierini Vagii in Oeco regio pingendo à Paulo III. Pontifice recommendante Michaële

In Pierini locum venit.

Angelo adhibebatur: ubi expressurus erat Reges, Ecclesiæ Fautores, cum historiis variarum donationum ab illis factarum, composita etiam magna sedulitate ideâ: tardior autem & hîc pro more, & morte Papæ interveniente, abrumpere cogebatur, detectoque opere ejus plastica quidem laudabantur, non verò sic & Reges, quod negligentior hîc fuisse diceretur, quàm alibi. A Julio igitur III. anno 1550. electo, ad priores non iterum admittebatur labores; sed plasmate gypsato ornamenta quædam pro fonte Cleopatræ in fine porticus ipsi fabricanda erant.

Post minora alia à Lucretia Roveria ad pingendum Sacellum aliud in æde SS. Trinitatis conductus priori oppositum, varia à discipulo, quædam ut infanticidium, & à Michaële Alberti Florentino juxta suas ideas fieri curabat, ipse autem in concameratione altari proxima Mariam per gradus templi ascendentem; & in plano fornicis primario ejusdem assumtionem pingebat, opere tædiosissimo decimo quarto demum anno absoluto. Deindè ideam quandam Davidis efficiebat, ante & retrò conspiciendam: Item Christum mortuum: & pro Rege Galliæ Æneam, vestibus exutis cum Didone concubiturum, monente desuper ipsum de abitu Mercurio. Porrò & Johannem, & Hieronymum pœnitentem.

Statuariæ incumbit.

Electo post mortem Julii, Paulo IV. Sculpturæ sese dediturus erat Daniel, relictâ pictoriâ, unde Carraram pro marmore abibat, mox Florentiam ad Michaëlem Angelum, idolum suum, profectus, ubi mortuum discipulum suum ære totum fundebat, pro monumento hujus cum epitaphio honorifico. Sed & Volaterras, patriam nempè, adiens, pro amicis infanticidium pingebat in templo S. Petri locatum. Romam autem reversus illo tempore, cum Pius IV. partem quandam picturarum Michaëlis Angeli deleri vellet, ob nuditatem & proterviam nimiam; eædem tamen exorantibus Cardinalibus quibusdam Danieli tradebantur vestibus cooperiendæ.

Michaëlis Angeli quædam corrigit.

Statuam fundit æneam maximam.

Tandem pro Catharina Medicæa statuam mariti Henrici Galliæ Regis ludo equestri extincti, ex ære fundendam suscipiebat equestrem; altitudine viginti, & longitudine circiter quadraginta palmorum: facta igitur ideâ, à Papâ ad consummandum Oecum Regium sollicitatus, cum hoc opere impediri se diceret, substituto Salviato, vix id per intercessores efficiebat, ut dimidium illius operis illi reservaretur: finito autem quadriennio, fusurus equum suum, effracto primùm metalli pondere modulo, haud parum contristabatur; sed reparato mox opere statuam tandem produxit perfectissimam, Marci Aurelii, quæ in Capitolio, multò majorem & pondere tamen viginti milia pondo haud superantem. Quo opere tamen ob melancholicum suum humorem parùm lætatus, multis jam toleratis curis & adversitatibus catarrho tandem oppressus sequenti die moriebatur, 4. sc. Aprilis Anno 1566.



CAPUT XV.

TADDÆUS ZUCCHERUS,

De S. Agnolo in vado, pictor: &

MICHAEL ANGELUS BONAROTTUS

Pictor, Architectus, & Statuarius.

Argumentum.

LXV. TADDÆUS ZUCCHERUS Pictor. Romam venit. A Præceptoris uxore pessimè tractatur. Ardor ejus discendi. Ad Danielem Parmensem venit. Opera ejus in templo S. Ambrosii. Urbinum vocatur. Varia ejus opera. Romam redit. Labor ejus in templo Consolationis. Historia quædam Passionis. Trophæa pingit pro Carolo V. Opera ejus alia. Icone Pontificis celebratur. Ab osoribus premitur, sed non opprimitur; sed multos alios præcellit. Cælebs manet. Opus ejus ultimum in templo SS. Trinitatis. LXVI. MICHAEL ANGELUS BONAROTTUS, pictor, Statuarius & Architectus Florentinus. Discipulus Dominici Girlandai. In juventâ adhuc tenerâ, delineationem præceptoris sui emendat. Manum exerat juxta Martini Schonii typos æneos. Ad Laurentium Medicæum venit. In Statuariâ se exercet, magnumq; Domini sui favorem acquirit. Pugnam Herculis cum Centauris sculpit. Torrigianus nasum ipsi diffringit. Bononiam venit Florentiam revertitur; & Cupidinem dormientem facit. Romam vocatur: Ubi Cupidinem & Bacchum sculpit: nec non Christum mortuum. Florentiæ Davidem

sculpit cum fundâ. Imperitum artis astu sibi amicum servat. Varia opera ejus. Imaginem D. Virginis pingit artificiosissimam. Modus ejus astutus mercedem petendi. In magno Oeco Florentiæ laborat. Opus ejus Diagraphicum à multis pictoribus junioribus apographo delineatur. A Julio II. Pontifice Romam vocatur ad extruendum monumentum. Opera ejus Romana alia, inter quæ effigies Mosis celeberrima. Pontificis contemtum ferre recusat, officio suo abdicato. Reconciliatur Pontifici. Indignatur Franciæ pictori. Cavillatori astutè respondet. A monumento Pontificis desistere cogitur, & Sacellum Sixti pingere. Pictura recentis albarii non probè ipsi succedit. Simultates inter Michaëlem Angelum & Bramantem. Laus operis ejus. Duo monumenta Pontificalia inchoat. Opera ejus Architectonica & Pictoria Florentina; ut sunt Tempus matutinum: & vespertinum: diurnumq; & nocturnum. Florentia ob bellum profugus, Ferrariæ benevolè excipitur; Venetias venit, iterumq; Florentiam. Ledam pingit pulcherrimam. Sacrarium & Bibliothecam Florentiæ, nec non monumentum Julii II. consummat. Nudarum imaginum studiosus est. Historiam serpentis in deserto delineat: Cavillatorem quendam in inferno pingit cum asininis auribus. Opus ejus de inferno. Pictura ejus ultima Conversio S. Pauli, & crucifixio S. Petri. Ablationem Christi è cruce in marmore sculpit, quam iterum diffringit. Architecturæ præficitur super structurâ S. Petri Romæ: pro quo opere Salarium accipere recusat. Inventor est structuræ Capitolii. Encomium ejus. Artes totum hominem requirunt. Poëta est insignis: parsimoniæ & industriæ deditus: liberalitas ejus. Argutæ ejus dicta. In magnâ apud omnes Principes est autoritate. Testamentum ejus. Romæ primò, deindè Florentiæ sepelitur.

LXV. TADDÆUS ZUCCHERUS Pictor

LXV. TADDÆO ZUCCHERO.



Natus in oppido quodam territorii Urbinatis, cui Agnolo in Vado nomen anno 1529. Calendis septembribus, patre pictore communioris ordinis: à quo cum rudimenta artis aliquatenus didicisset, Romæ deindè Præceptore utebatur Johanne Petro Calabro, cujus uxor ne panem quidem ipsi sufficientem concedebat, nolis etiam instructo cophino, ne clam quippiam capere posset. Relicto ergò hoc magistro officinâ propriâ partim quædam ad viva exemplaria pingebat, partim à Raphaëlis operibus in Palatio Chisiano & alibi faciebat apographa: nocte obrutus interdum in porticu illâ Chisianâ & alibi dormiens; undè contracto morbo ad Patrem reversus, ab hoc, pristinæ sanitati redditus, Romæ iterum in disciplinam tradebatur Jacoponi cuidam: ubi adeò proficiebat, ut ab amicis, qui tantâ antehac inhumanitate ergà ipsum usi erant, in societatem assumtus, opera quædam in recenti albario cum ipsis pingeret, in porticibus. *(Romam venit.)*

Adscitus deindè à Daniele Parmensi, ad pingendum templum aliquod in oppido S. Viti in Aprutio, deque venustate aliquatenus informatus, varia hic pingebat, Evangelistas scilicet, Sibyllas, Prophetas, cum quatuor historiis de Christo & Mariâ. Romam igitur reversus anno ætatis 18. qui erat Christi 1548. Jacobo Matthæi nobili duas pingebat historias de Furio Camillo, cum magnâ omnium admiratione, quod à temporibus Polydori & Balthasaris Senensis nullus pictorum in diagraphicâ sic excelluisset. *(Ad Danielem Parmensem venit.)*


Dehinc in templo Ambrosii, istius historiam; cum ornamentis puerulis & mulieribus pulcherrimè excultis, quin & ad S. Luciam della Tinta ædis cujusdam faciem pingebat monochromate nigro; exhibitis quinque historiis de Alexandro M. multâ laude celebratis. Urbinum ergò, ceu subditus vocatus à Duce Guidone Baldo, ut Sacellum ædis Dominicæ pingeret, ubi Franciscus Francus fornicem in albario recente pinxerat; prius apographum faciebat Domino suo, tabulæ cujusdam Raphaëlis: & deindè in telâ majore Conversionem D. Pauli; mox pro idea ad Sacellum viam D. Virginis delineans, & intereà insigne quoddam in facie palatii in albario recente, nec non ipsius Ducis iconem viventis magnitudine pingens; quæ omnia, opera erant pulcherrima. Profecto autem Romam Duce, domi relictus Taddeus, ut in pingendo Sacello pergeret, à ministris in suppeditandis necessitatibus variis ita deferebatur, ut & ipse Romam abire cogeretur, ubi neminem tamen accusabat; sed pro Pontifice extra portam Populi conclave horti aulici pingendum suscipiens, occasionem pingebat fortunæ capillos prehendentem: quæ cum Pontifici placeret, adhuc alia ipsi dabat elaboranda. Deindè & Jacobo Matthæi Sacellum pingebat in templo Consolationis, quo labore quatuor annos insumebat, pictis in albario recente cœnâ Dominicâ, lotione pedum, oliveto, & capturâ Christi; mox & flagellatione, figuris omnibus ad viva exemplaria expressis; item Christo ostentato; nec non Pilato manus lavante; & Christo ante Hannam constituto: ante altare autem crucifixi imagine cum Mariâ Magdalenâ pedes ejus amplexa, & Maria syncope correpta; Præter quæ duos etiam Prophetas & opere plastico duas Sibyllas addi- *(Opera ejus. — Urbinum vocatur. — Romam redit. — Opera ejus Romana.)*

Q


FRANCESCO SALVIATI FLORENTINUS.


BACCIO BANDINEL FLORENTIN.


THADDEO ZUCHARO DA S. AGNOLO.


MICHAEL ANGELUS BONAROTUS CASENTION-FLORENTINUS.


MARC ANTONIO DA BOLOGNIE.


FRANCESCO PRIMATICCIO DA BOLOGNIE.



dit; cum quatuor Evangelistis, dimidiato corpore. Quod opus anno Christi 1556. ætatis ejus 26. consummatum, locum ipsi inter præstantissimos artifices fecit.

Postea in palatio Papali conclave pingebat in albario recente; nec non tabulam colore oleario in Portugalliam missam. Conductus etiam sub salario sexcentorum coronatorum annuo in Galliam abiisset ad Ducem Guisium, nisi exorto bello hic oppetiisset. Mox pictis etiam pro Carolo V. trophæis, & ornamentis similibus 25. dierum spatio consummatis, adjutore fratre suo, 600. coronatorum aureorum dono munerabatur. Dehinc Pacciani, pro Paulo Jordano duo pingebat conclavia, exhibita in uno Cupidinis & Psyches fabula; in altero Alexandri M. historia, item Romæ pro Stephano Bufalo in Viridario, Musas ad fontem Castalium opere pulcherrimo. Porrò cum exornando palatio Aræ cœli occuparetur, Urbinum mittebatur ad conficiendam iconem Virginiæ Principissæ, quo facto varia delineabat pro integro apparatu convivatorio.

Trophæa pingit pro Carolo V.

Opera ejus alia.

Romam ergò reversus, Pontifici veram ejus effigiem offerebat, quæ tantoperè ei placebat, ut præter honorarium, omnes ipsi impensas itineris reddi juberet. Distributis deinde Oeci Regii historiis ab Emulio Cardinali, osore Taddei, quod relatum ipsi esset, hunc lucri potiùs, quàm gloriæ studio teneri; ipsoq; propterea ab illis penitus excluso, cum intercedentibus aliis vix tandem ex minimis unam obtinuisset; judicio Pontificis & Cardinalium iste præ cœteris palmam reportasse dicebatur, undè & major alia ipsi committebatur historia, quam tamen ob mortem Pontificis absolvere non poterat. Consulentibus autem amicis, ut uxorem duceret, ipse curarum metu non obtemperabat. Ultimo igitur opere in templo Trinitatis ejusque Sacello Archiepiscopi Corcyrensis Assumtionem D. Virginis pingebat imaginibus viventium quantitate in calce humente expressis ultimo quasi naturæ miraculo: morbo enim intereà correptus obibat 20. Septembris anno 1566. ætatis 37. icone suâ in tabulâ nostrâ Q. spectandus. Vir alioqui prudens, & mansvetus, dispositione historiarum argutus, inventione dives, faciebus, capillis, manibus & nudis aliis venustus, anatomiæ gnarus, coloribus amœnus.

Effigies Pontificis.

Ab osoribus non opprimitur.

Opus ejus ultimum.

LXVI. MICHAEL ANGELUS BONAROTUS Pictor, Statuarius & Architectus.

LXVI. MICHAEL ANGELO BUONAROTTI.

Diagraphices universæ lumen Casentini, qui pagus est territorii Aretini an. 1474. natus, Patre Ludovico lanæ & serici laboribus dedito, Florentiam primùm in Scholam missus, delineando tempus terebat, suppeditante eidem Francisco Granaccio coætaneo Dominici Girlandæi discipulo diagraphica varia: donec anno ætatis 14. & ipse huic in disciplinam traderetur: ubi tantos mox faciebat progressus, ut mulieris cujusdam vestitæ imaginem à præceptore calamo delineatam adhuc tyro, adhibito crassiori calamo multò redderet venustiorem, ipsam instar à Vassario deindè asservatam. Atque tunc etiam, præceptore suo Sacellum magnum ad S. Mariam Novellam pingente, absente aliquando hoc, noster totum pegma cum omni apparatu & pueris ibidem laborantibus vividissimè depingebat, admirante magistro. Quin typorum quoque æneorum tam similia faciebat apographa, ut à prototypis dignosci non possent; cujus exemplum erat Martini Schœnii diagramma de Antonio à diabolis per aërem delato, quod dehinc picturâ exprimebat, emtis etiam rarioribus quibusdam piscibus, pro colorandis eò melius dæmonibus suis.

Discipulus Girlandæi.

Præceptorem emendat.

Typis Schœnii utitur.

Eodem autem tempore occasione à Laurentio Medicæo erigendæ Academiæ Pictoriæ & sculptoriæ in servitia hujus assumtus cum Francisco Granaccio & Michaël; in æmulationem alterius cujusdam opus primò quoddam ex argilla plasmabat, deindè & è marmore faciem quandam Fauni ridentis imitabatur, cui, monente per jocum Domino, & dentem ingeniosè effringebat. Assecutus hoc modo favorem Domini, salarium quoque stipulantis; è consilio Politiani pugnam Herculis cum Centauris è marmore sculpebat, quod opus est vel exercitatissimo artifice dignum, magni adhuc æstimatum. Deindè opere simo & imaginem D. Virginis è marmore scalpebat superato gratiâ & dispositione etiam Donati opere. Apographa etiam diagraphica multis mensibus faciebat apud Carmelitas, juxta Masaccii picturas cum admiratione omnium.

Ad Laurentium Medicæum venit.

In Statuariâ se exercet.

Interea impetitus multorum invidiâ, ne periculo quidem carebat; ut Statuarius quidam junior Torrigianus nomine, quasi per jocum, pugno nasum ipsi perfringeret, inflictâ vultui ejus notâ perpetuâ; qui Florentiâ propterea etiam relegabatur. Mortuo post quadriennium Domino suo, ipse ad ædes patrias reversus è marmore Herculem faciebat quadricubitalem, Regi Galliæ Francisco deindè transmissum, ut opus laude dignissimum: retento intereà favore penes Domini sui Filium & hæredem, cui aliquando magnam quoque imaginem è nive formabat.

Torrigianus nasum ipsi diffringit:

Pulsis dehinc Florentiâ Mediceis, ipse pariter præ metu discedens Bononiam primò, mox Venetias, iterumque Bononiam abibat, ubi in mulctâ 50. librarum Bononiensium condemnatus, quod nullũ in portu signum petiisset, à Francisco Aldobrandi è

Bononiam venit.

16. regentibus uno, redimebatur; penes quem per annum degens, Angelum quendam in templum candelabrum tenentem, & S. Petronium è marmore parabat; pro quo 30 Ducati ipsi numerabantur.

Florentiam redit.

Reversus posteà Florentiam, Cupidinem sculpebat dormientem viventis magnitudine, tantâ arte, ut pro opere antiquo haberetur; quem Balthasar Milanesius Romæ in Vineâ suâ defossum, quasi antiquum effossum rursus 200. ducatis Cardinali S. Georgii vendidisse dicebatur; jam Mantuæ existentem. Quo patefacto magnâ cum laude Romam à Cardinali isto vocabatur Michaël, ubi pro Nobili quodam Romano Jacobo Galli Cupidinem marmoreum conficiebat viventis magnitudine; nec non Bacchum decem palmos altum scyphum unâ manu tenentem, & in alterâ Tigridis pellem cum uvâ à Satyro juvene degustatâ: quod opus erat omnium modernorum nobilissimum.

Postmodùm curante Cardinali Rotomagensi magnam D. Virginis imaginem elaborabat è marmore, Christum mortuum gremio sustinentem, quæ imagines vespertinæ dici solent; quod opus in templo S. Petri collocatum, & carminibus ob venustatem honorabatur, tanta arte nobile, ut incomparabile dici queat. Exhinc auctâ insigniter famâ ejus Florentiam vocabatur, ubi è marmoris frusto novem cubitorum altitudinis, quod Simon Fesulanus quidam, quasi Gigantem hinc facturus, penitus corruperat, Davidem formabat fundam manu tenentem: ubi cum Petrus Soderinus nimiam nasi crassitiem culparet, imperitè quidem, eidem tamen satisfacturus Michaël, prehenso cum scalpro tantillo scopis pulvere, nasum emendare simulabat, demisso sensim ramento: quo deceptus Soderinus mirè mox nasum laudabat, quasi vitâ donatum; solutis artifici pro elimatissimo hoc opere quadringentis coronatis. Eidem Soderino Davidem etiam ex ære fundebat Noster in Galliam missum, mirâ arte elaboratum: nec non pro Masckeroniis Nobilibus Belgis imaginem D. Virginis opere anaglyphico partim pleno, partim semipleno, centum coronatis repensam. Dehinc Angelo Doni civi Florentino imaginem Deiparæ pingebat genibus innixam, filiolum Josepho porrigentem, adjectis subdialibus quibusdam cum imaginibus nudis variis, inventione & arte nondum hactenus visâ. Quam picturam, cum omnibus numeris absoluta esset, Angelo Doni in ædes mittebat, mercedis loco 70. Ducatis postulatis: quorum loco cum parcior ille 40. mitteret, his remissis centùm postulabat noster, vel imaginem sibi reddi cupiens: & repositis 70. indignatus hic imaginem Angelo non concedebat, nisi numerato altero tanto.

Davidem Florentiæ sculpit.

Varia opera ejus.

In magno œco Florentiæ laborat.

Cumque in magno curiæ Oeco pingendo tunc occuparetur Leonhardus Vincius, perspectâ Michaëlis arte, Petrus Soderinus & huic partem quandam Oeci istius pingendam committebat, qui confectâ ideâ bellum Pisanum exhibiturus, multos milites nudos projiciebat in Arno animi causâ natantes, sed dato in castris ad arma signo variè ex aqua prorepentes, cumque festinatione vestibus armisque sese obruentes, inter quos senior quidam foliorum gyris umbram capiti faciēs, tibiale induturus erat, ob humidos pedes multâ usus violentiâ: quibus omnibus è longinquo adjecerat prœlium equestre; opere monochromatico nigro, cerusâ lumine lineis decussatis umbra facta. Hæc idea chartacea cum magnâ omnium graphicophilorum admiratione in œco publicè exponebatur, undè juniores pictoriæ tyrones apographa faciebant tanquam ab exemplari perfectissimo.

Romam vocatur.

Interea magnâ Michaëlis famâ commotus Julius II. Pontifex Romam eundem vocabat, ad construendum sibi monumentum antiquis omnibus splendidius: pro quo Michaël quadraginta statuas majores marmoreas, cum pueris, historiis, aliisque ornamentis variis facturus erat; profectus & Carraram ad coëmenda pro mille coronatis marmora; relictis ibidem in fodinis etiam monumentis quibusdam nominis sui; marmorum autem dimidiâ parte Romam, & medietate alterâ pro laboribus æstivis ob Romani aëris incommoda Florentiam missa. Inchoato igitur opere duas sculpebat imagines nudas majores captivorum, quibus meliores nunquam sunt visæ, in Galliam dehinc transmissas. Quibus adhuc octo addebat Romæ & quinque Florentiæ factas, inter quas Victoria quædam in Oeco deindè Ducali posita. His Romæ & Mosen quendam adjungebat quinque cubitorum altitudine, unâ manu ad tabulam, alterâ ad barbam applicitâ sedentem, arte incurabili: qui cum aliis adhuc existit ad S. Petrum in vinculis.

Opera ejus Romana alia.

Cumque interea Romam & reliqua pro monumento afferrentur marmora, poscentibusque pretium portitoribus, more solito Papæ id nunciaturus esset Michaël, eodem autem occupato domum reversus de proprio soluto marmore, alia die aulam repeteret, repulsam iterum passus, ex indignatione noctu Florentiam cum veredario abibat; acceptis etiam Pogibontii quinque mandatis de reditu, non tamen parens, sed per literas Pontifici nuncians: se repulsum quasi ob scelus, quamvis fideli servitio haud commeritum, faciem ejus non visurum amplius; Florentiam abibat:

Pontificem deserit.

ubi

ubi missis ad Florentinos de remittendo Michaële tribus mandatis Papalibus Constantinopolin abiturus erat, nisi consulente Soderino animum mutasset, qui eundem sub munere Legati cum fratre Cardinali ad Papam mittebat, nuper Bononiam ingressum, ubi ad Papam admissus in genua procumbens, torvo primùm vultu durisque verbis acceptus, veniam rogabat, mox acceptâ benedictione in gratiam receptus & muneribus donatus. Exhinc iconem Pontificis ex ære fundebat quinquecubitalem arte maximâ, Bononiæ suprà portam templi S. Petronii collocatam: quâ inspectâ, quid sibi de eâ videretur, interrogatus Francia pictor celeberrimus, cum respondisset, fusionem pulcherrimam esse: Michaël de ære eum loqui intelligens, subjecisse dicitur: id Pontifici ego acceptum refero, prout colores tu Chromatopolæ: Apud nobiles de incivilitate ejus conquestus, visoque filio ejus, Patrem ipsius meliores facere imagines vivas quàm pictas, pronuncians. Pro absolvendo hoc opere facta ex argilla idea, Papa mille coronatos in ærario emporetico deponebat, relicto Bononiæ Michaële, Romam regressus, qui post sedecim menses illam absolvebat.

Reconciliatus eidem.

Indignatus Franciæ pictori.

Intereà à Bramante, osore Michaëlis, & Raphaëlis amico commotus Papa, ut consilium de monumento suo extruendo mutaret, & statuarum loco Michaëli fornicem Sacello Sixti Pontificis pingendum traderet, hoc negotium nostro committebat, sublatis etiam picturis aliis omnibus tempore Sixti factis, quamvis quinquaginta millibus ducatorum constitissent: ubi cum in hoc proposito pergeret Pontifex, nec amplius dimoveri vellet, opus incomparabile facturus Michaël auxiliatores sibi Florentia advocabat, Granaccium, Julianum, Bugiardinum & alios; his autem, cum in hoc tentamine voto ejus eximio non responderent, dimissis iterum, sacello se includens, opus solus inchoabat, sed quod in hoc picturæ albarii genere non ita exercitatus esset, accepto in auxilium Juliano de S. Gallo opus tandem dimidium absolvebat, concurrente, cum ad mandatum Pontificis pictura detegeretur, quasi universâ Româ, & Raphaële ipso, qui Sibyllas Prophetas deindè in æde Pacis multò aliter fecit. Rogante autem iterum Bramante Papam, ut altera pars Raphaëli absolvenda concederetur, Michaël tamen prævalebat, totamque concamerationem Viginti mensibus solus consumabat, acceptis pro hoc labore tribus millibus coronatorum. Revera enim tanta illius operis erat perfectio, ut lumen totius picturæ meritò dici posset: exhibitis imaginibus nudis omniū ætatum variis, glandes tenentibus ad seculum denotandum aureū sub hoc Pontifice exortum, ob Pacis tempora: nec non plurimis ex Veteri Testamento historiis, Prophetisque & Sibyllis, infinitâ affectuum copiâ spectandis: quo opere ad summum Michaël ascendebat Papalis gratiæ gradum, ut Florentiam aliquando abeuntem pro itinere quingentis coronatis donaret.

Sacellum pingere cogitur.

Picturæ in albario difficultates.

Laus operis ejus.

Cumque de monumento suo iterum cogitaret Pontifex, manum quidem eidem operi rursum aptabat Michaël, morte tamen Papæ impeditus, iterum cessabat. Electo autem Leone X. cum & hic in Patriâ Florentiâ memoriam sui relicturus faciem templi S. Laurentii exornaturus esset, Michaële pro coëmendo mille coronatorum pretio marmore Carraram misso, ideasque varias pro illo opere elaborante, idem etiam haud consumato opere moriebatur, ut nihil quàm columna illa marmorea magna in area S. Laurentii existens, de illo perficeretur. Sub Adriano VI. de monumento Julii quædam promovebat noster: sub Clemente VII. autem Sacrarium & Bibliothecam in templo S. Laurentii, nec non monumentum Mediceorum Florentiæ fabricare debebat, sculpto intereà, pro Petro Urbano, Christo nudo marmareo admirandæ artis, ponè crucem suam stante, qui Romæ ad Minervam adhuc videtur. In structurâ hâc autem Florentinâ præter veterem illam antiquorum & Vitruvii architecturam, novo etiam utebatur ordine arcuum, Coronicum, Capitulorum, trabeationum, tabernaculorum monumentorum, aliorumq; ornandi generum: quamvis nova hac methodo subsequentes quidam Germani præsertim & Belgæ abusi sint, exornatis nimium stylobatis & aliis.

Opera ejus Florentina.

Pro more suo igitur, id est, tecto opere, quod nemo conspiceret, ad monumentum templi Laurentini septem sculpebat simulachra, quorum aliqua non absolvebantur, inter quæ imago quædam D. Virginis transpositis genibus gremio filium tenens. Ad monumentum autem Juliani & Laurentii Ducum Mediceorum mirâ arte quatuor elaborabat imagines. Noctis atque diei: temporisque matutini & vespertini; cum Ducum illorum iconibus, ubi Aurora nuda quasi mortem Ducis illius lugens: Nox autem elegantissimo positu dormiens; quæ opera omni laude superiora carminibus honorata sunt tàm latini quàm vernaculi idiomatis; sed & hîc abrumpendum erat anno 1526. bello ingruente; ubi ad fortificandam urbem adhibitus primò, omnem tamen defensionem inutilem cernens, clàm cum discipulo Antonio Minio & Piloto aurifice amico, ex urbe profugus Venetias iturus erat; Ferrariæ tamen agnitus, multâque gratiâ à Duce cumulatus. Venetiis autem nihil nisi

Ferrariam venit.

iterumque Florentiam

ideam Pontis Rialtini pro Duce Grittio ingeniosissimè delineabat; multis precibus in patriam revocatus, quanquam non sine vitæ periculo, durante sc. adhuc obsidione. Atque tum turrim S. Miniati muniens, duobus illuc locatis tormentis multo castra damno afficiebat: & quamvis è castris valdè hæc propterea impeteretur, saccis tamen laneis & culcitris ita eam defendebat, ut adhuc hodiè persistat. Intereà factâ pro statua quadam marmorea novem cubitorum altitudine ideâ, quam postea Bandinellus perfecit, urbs tradebatur, captis à Pontifice civibus aliquot, multumq; quæsito Michaële, qui pluribus diebus delitescebat. Tandem autem artis ejus memor Pontifex inventum clementer suscepit; ubi in securitate iterum constitutus desiderato à Papæ commissario marmore, Apollinem sculpturus erat tres cubitos altum; quem tamen non totum absolvit. Durante obsidione

Ledam pingit.

pro Duce Ferrariæ Ledam pinxit colore glutinario, opus longè pulcherrimum, cygnum brachio tenens, adstantibus Castore & Polluce, typis æneis deindè vulgatum; Contemtâ autem à transportatore picturâ, eandem à discipulo Minio cum maximâ delineationum suarum parte & idearum duabus cistis, in Galliam transferri jussit, ubi Leda à Rege emebatur, ad Fontanas bellaquenses collocata; cœtera autem moriente ex improviso Minio, peribant.

Florentina alia.

Jamque Sacrarium & Bibliotheca Laurentina jussu Clementis perficienda erant, ubi factis à nostros artifice ideis statuæ inter varios distribuebantur, Michaële interim Romam ad pingendum extremum judicium vocato: Ubi urgente etiam Urbini Duce Julii II. monumentum, pro quo jam sedecim millia coronatorum acceperat, in statuis illius perficiendis clàm simùl pergebat. Mortuo autem Anno 1533. Pontifice, monumento huic acrius institisset, nisi electus jam Paulus III. extremi judicii tabulam tantoperè ursisset: paratæ autem erant ad monumentum illud ipsius manu tres statuæ, Lea unâ manu speculum, alterâ sertum tenens; Rahel uno genu elevata facie nixa, uno anno elaboratæ, & Moises, de quo supra, quæ cum aliis ad S. Petrum in Vinculis locabantur.

Extremum judicium pingit.

Jam igitur ad picturam extremi judicii intentus, summo studio corpora nuda pingebat, quo in genere omnes quoque superavit: culpatus autem aliquando propterea à Biagio Cesanense, quod tot nuda triclinium potiùs, quàm Sacellum Papale deceant, in ultionem istius imaginem asininas aures habentem in infernum collocabat inter dæmones, cum serpente corpus ejus erigente & pudenda ipsi præ mordente; quam etiam Pontifex multum rogante Biagio tolli nolebat, quod ex inferno nullam diceret esse redemtionem. Delapsus postmodùm è pegmate præalto, & pede vehementer læso aliquandiu ab hoc opere cessare cegebatur, quod sanatus tamen paucos post menses absolvebat, typo jam æneo tàm majori quàm minori forma vulgatum: ubi damnatorũ imagines simùl peccata sua repræsentant, & septem Diabolis septẽ peccata mortalia exhibẽt; cum similibus; quo in opere octennium quidem insumsit, sed haud frustrà, cum perfectione suâ tam è longinquo, quam è viciniâ conspectum nihil habeat æquale Anno 1541. die nativitatis Christi cum admiratione non Romanæ tantùm Urbis, sed totius terrarum Orbis publicatum.

Pictura ejus ultima.

Pro eodem Pontifice in Sacello Paulini ad murum humentem pingebat conversionem Pauli & crucifixionem Petri in cruce erecti, cum nudis variis parergis, quamvis operi primario haud æqualibus, & ista picturarum ejus fuit ultima anno ætatis ejus 75. elaborata, quo picturam suam finiit: Architecturæ dehinc in muniendo Borgo ingeniosissimè vacans. In extremo tamen hoc senio suo è magno frusti marmore pro monumento suo adhuc sculpturus erat Christum mortuum gremio matris ob syncopen hujus vix detentum, prehendentibus sepeliendum Nicodemo & Mariâ aliâ, quod tamen non absolvebat, sive duritie lapidis defatigatus, sive proprio perfectionis nimiæ desiderio victus, diffracto tandem opere. Quamvis in senio suo & aliàs pauca absolveret marmorea; quod plerumque errorum suorum impatiens esset. Extremum tamen hoc opus ejus à discipulo ejus Bandino iterum conglutinatum caroque venditum in Monte caballino collocatum est.

Sculptura ultima.

Structuræ Petrinæ præficitur.

Cum anno 1546. Antonius de S. Gallo Architectus structuræ Petrinæ obiisset, in hujus locum surrogabatur Michaël Angelus, quamvis ob senium invitus: Ubi excogitatis multis & annorum & impensarum compendiis, stipulatum à Pontifice salarium renuebat, in solius Dei honorem laboraturus. Quin & ad structuram Capitolii à Senatu Romano adhibitus, ideam inveniebat pulcherrimam non pro ædificio tantùm, sed & pro statuarum antiquarum usu & similibus.

Encomium ejus.

Laboribus enim erat indefessus, omnibus difficultatibus felicissimè superatis: anatomiæ tàm hominum quàm brutorum, & equorum potissimùm, scientissimus, gratiæ in omnibus studiosus; solitudinis plerumq; amãs, quod totũ hominẽ ars require-

ret:

ret: in Poësi elegans, instituto etiam cum Marchionissa de Pescara commercio carminum; pro quâ & delineavit imaginem Christi mortui cum duobus angelis; nec non Christum in cruce elevato capite; item mulierem Samaritanam ad fontem. Sacram scripturam frequenter legebat, exercito gnaviter Christianismo, ut credere nequeam, quod de illo narratur, eum scilicet pauperem aliquando, ut melius pingeret crucifixi imaginem, ad crucem alligatum gladio transfodisse. Scripta etiam Savanorolæ, quem sæpè concionantem audiverat, magni æstimabat: & quamvis corporum nudorum studio præ cœteris duceretur, lasciviæ tamen minimè erat deditus. In juventute pane & vino sæpè vivebat contentus, hac consuetudine in senium usque servatâ; nec parcus nimis nec prodigus, quamvis opibus abundans; in laboribus autem tàm sedulus, ut noctu sæpè scalprum tractaret, & vestibus haud exutis obdormisceret. Liberalitate tam erat abundans, ut non delineationes saltem plurimas, sed & opera integra aliis daret, aliquot mille coronatis digna: pauperes autem multos sustentaret, ministros & adjutores suos omnes divites redderet; famulo Urbino bis mille coronatos aliquando; & amitæ suæ cuidam, nunc ter mille, nunc quater, & tandem decies mille coronatos dono daret.

Memoriâ pollebat admirandâ, ut prototypon aliquod, quod in juventute saltem viderat, exactè depingeret. In omni opere suo prudens erat, sermone cautus, respondendo argutus, acutus interdum; quod multis illustrari posset exemplis, nisi brevitati studendum. Cœlebs autem erat, & interrogatus quondam, cur non uxorem duxisset, è qua multos nunc haberet hæredes? artem suam uxorem sibi esse, & opera liberos, post mortem etiam suam victura.

Magna erat apud Pontifices septem, quibus inservierat, Imperatorem Romanorum, & Turcarum, Galliarum Regem, Magistratum Venetum, Cardinales plurimos, Ducesque autoritate, ut non Cosmus Medicus saltem aperto cum ipso capite loqui soleret, sed multis etiam Pontificibus assidere cogeretur: ut de honoribus à pictoribus ipsi exhibitis nihil jam superaddam.

Quamvis autem in summo adhuc senio Duci Cosmo libenter inserviisset, quod in patriâ mori atque sepeliri desideraret; cùm tamen ob structuram inceptam Româ discedere haud posset, febri tandem correptus, testamento brevissimo, Animam Deo, corpus terræ, bona agnatis proximis legabat, suos admonens, ut obituri mortis Domini meminissent, mortuusque sic 17. Februar. hora 23. anno 1564. ætatis 90. Romæ magnificè sepultus, jussu Cosmi Ducis autem clam effossus iterum, & sub bonorum emporeticorum forma Florentiam translatus, ibique 14. Jul. 1564. iterum sepultus, innumeris non tantùm encomiis prosecutus, sed & in templo S. Crucis monumento tribus statuis marmoreis, Picturam, Sculpturam & Architecturam denotantibus, honoratus, à nobis autem icone in tabula nostra Q. exhibitus, cujus & delineationes quasdam elegantissimas, ut historiam serpentum Israëlitas mordentium, Sibyllam quandam, cùm aliis, penes nos servamus.

Testamentum ejus.

Romæ & Florentiæ sepelitur.

Caput XVI.

FRANCISCUS PRIMATICIUS Bononiensis: & TITIANUS UCCELLIUS Cadorensis, pictores.

Argumentum.

LXVII. FRANCISCUS PRIMATICIUS Bononiensis Pictor & Architectus: mercator primò; Mantuam venit, & hinc in Galliam. Romæ apographa fieri curat operum antiquorum optimorum: statuas antiquas multas Româ ad Fontanas bellaquenses transfert. Architectus fit Regis Galliæ. LXVIII. TITIANUS UCCELLIUS Cadorensis pictor, discipulus Johannis Bellini. Icones viventium jam duodecimo ætatis anno facit. Fugam Christi in Ægyptum pingit. A Belgis subdialia discit, & alia similia. Typos ligneos edit. Veneti pictorem sustentant salario annuo trecentorum Coronatorum. Opera ejus Ferrariensia; Bacchanalia scilicet: item historia Bacchi & Ariadnes; nec non Amorum actiones variæ. Affectibus exprimendis excellit. A Carolo summoperè amatur: imaginem D. Virginis pingit, magno præmio repensam. Literæ Philippi Hispaniarum Regis manu propria ad Titianum scriptæ. Opera ejus in templis, Grandiore; S. Nicolai; S. Rochi; S. Mariæ Majoris. Opera ejus in Curiâ; in Scho-

lâ ad Charitatem. Certamen Pordenoniicum ipso. A Carolo Imperatore pro picturâ Annunciationis unicâ, bis mille coronatos accipit. Opera ejus Mantuana. Varia ejusdem. Romam venit. Judicium Michaëlis Angeli de Titiano. Opera ejus Veneta. Ab Imperatore magnis muneribus donatus. Pictura ejus poëtica. De methodo ejus pingendi: Picturæ in senio ab ipso factæ. Opus quoddam ipsius nocturnum. Alia ejusdem. Opera ejus Augustana. In senio Picturas ætatis juvenilis immutat. Peste moritur.

LXVII. FRANCISCUS PRIMATICIUS Bononiensis Pictor & Architectus,

LXVII. FRANCISCO PRIMATICIO,



Nobili genere satus, & ad mercaturam primò applicitus; mox ad Diagraphicen pronior Mantuam abit ubi tum Julius Romanus laborabat in Palatio T. ubi inter plures coætaneos tàm in chromaticâ quàm in plasticâ gypsatâ tantoperè proficiebat, per sexennium, ut non tantùm in cubiculo quodam majori, inter ornamenta plastica, bella quædam antiquo Romanorum more, cum variis aliis, juxta ideas Julii elaborabat; sed & anno 1531. desideranti Galliarum Regi pictorem quendam juniorem, qui in plasticâ gypsatâ probè exercitatus esset, à Duce præ cœteris mitteretur. Cum igitur Regi & methodus & artificium istius perplaceret, anno 1540. Romam eundem mittebat, ad coëmenda opera quædam antiqua; quod tantâ hic sedulitate efficiebat, ut brevi temporis spatio varia capita, corpora, & statuas colligeret 124. numero. Ubi & à Jacobo Barotio Vignolano apographum fieri curabat equi ænei in Capitolio existentis; cum magnâ parte historiarum columnæ Trajani; Commodo item, Venere, Laocoonte, Tiberi, Nilo, & Cleopatra Belvederensi, ut ex ære omnia fundi possent.

In Galliam venit.

Mortuo autem interea Rosso, Primaticius ad absolvenda derelicta opera ejus domum revocatus, tot antiqua secum ferebat, ære mox fusa, ut ad Fontanas bellaquenses quasi nova Roma exurgeret: ubi simùl omnia tantâ arte fundebat artifex noster, ut membranæ crassitiem vix excederent, & lævore tanto, ut antiqua ipsa viderentur. Quo facto Porticus Rossi brevi absolvebat Primaticius plasticis & picturis plurimis easdem exornando: ubi adjutores habebat pictores juniores alios, Rogerium Bononiensem. Prosperum Fontanam; Johannem Baptistam Bagnacavallum, & diligentiorem cœteris Nicolaum Mutinensem; qui tantâ arte majoribus imaginibus in albario recente expingebat magnum oecum chorearum, ut oleariâ mixturâ pictæ viderentur. Et ut silentio prætereamus alia, inter cœtera conclave aliquod, cui Papilioni nomen, pulcherrimis fornicibus instructum figuras infernè conspiciendas continet plurimas.

Statuas multas in Galliam defert.

Dehinc præfecturam accipiebat Franciscus in omnes totius regni structuras: ad omnia interea adhibitus, quæ artibus his capi possent, sive festa, sive ludos equestres, & larvaturas respicias, sive alia quævis ullatenus invenienda: comis aliàs & liberalis erga amicos; præsertim arti suæ addictos, non pictoris amplius statu, sed magnatibus par vivens, provectiore demum ætate in Galliâ mortuus est, icone suâ in tabulâ nostrâ Q. spectandus.

Architectus fit Regis Galliæ.

LXVIII. TITIANUS UCCELLIUS Cadorensis Pictor.

L XVIII. TITIAN UCCELLO.

Effigie suâ in tabula R. à nobis exhibitus, nobili genere Cadore natus, quod est Castellum ad Piavam quinque milliaribus à claustris Alpium in confinibus Germaniæ situm anno 1480. decimo jam ætatis anno Venetias ad avunculum quendam suum missus, ob picturæ amorem, Johanni Bellino in disciplinam tradebatur, ubi præceptoris quidem methodo primum, id est, duriore manu penicillum peritissimè tractabat; viso autem anno 1507. Georgionis modo, majori elevatione & rotundiori mole imagines suas pingebat, id potissimum conatus, ut non facta prius delineatione ad viva exemplaria coloribus omnia exprimeret; quamvis & in diagraphica super charta, & in albario recente sese exerceret.

Bellini discipulus.


Anno ætatis duodecimo icones jam faciebat viventium similes admodùm, carnosasque & vividas, capillis etiam, vestibus, & telâ fericâ egregiè expressis. Post pictas quasdam, pro domo Germanicâ historias, fugam Christi in Ægyptum pingebat, Mariâ per nemus aliquod iter faciente, cum tractu campestri pulcherrimo; quem in finem Belgas quosdam in domo suâ laborantes sustentabat, qui communiter subdialibus præ cœteris excellebant. In nemore autem illo multa exhibuerat animalia, viventibus simillima. Dehinc pro Nobili quodam Belgâ iconem faciebat veritate maximâ conspicuam: quin & Christum à Pilato productum, cum figuris plurimis, opere magni æstimato: iterumque pro eodem imaginem D. Virginis viventis magnitudine cum figuris variis icones domesticorum referentibus, nec non Tobiam cum

Præcox icones pingit.

Opera ejus

R



TITIANO VCCEL
DA CADOOR.VENET


ARIOSTE POETA
FERRARIENSIS.


IACOMO DA PONTE
BASANO. VENET.


ROBVSTE
DETO IL TINCTORET.


MARIETA TINTORETTA
VENET.


PAVLO CALIARI
VERONENSIS.

Angelo; & Johannem Baptiſtam in nemore genibus innixum oculisq; ad cœlum directis orantem, cum prodeunte ex ipſo fulgore, quo è longinquo tractus quidam campeſtris pulcherrimus aperitur. Et ut breviter dicam, opera ejus pro operibus Georgionis habebantur, ita ut his viſis quidam & Georgionem propterea laudarent, quod multò jam majores in arte feciſſet progreſſus, undè clàm invidiâ Georgionem tantâ rodere incipiebat, ut nullâ amplius cum ipſo uteretur familiaritate.

Figuras typis Xylographicis edit.

Anno 1508. typis ligneis edebat triumphum fidei Chriſtianæ à Protoplaſtis, per Patriarchas & Prophetas, usq; ad Apoſtolos, Evangeliſtas, Doctores & Martyres; quo in opere tantâ uſus eſt prudentiâ, ut augurium de ipſo fieret, quod viſis ſemel antiquitatibus Romanis, Bonarotum & Raphaëlem ſuperaturus eſſet. Vicentiæ in albario recente porticum pingebat, hiſtoriâ Salomonis illuſtrem: Venetiis faciem ædis Grimanæ: Patavii in Academiâ & Bibliothecâ S. Antonii in muro humente hiſtorias quasdam iſtius Sancti partibus variis, imaginibus viventium magnitudine expreſſis: Venetiis iterum ad Spiritum S. tabellâ minore Marcum Evangeliſtam in medio Sanctorum quorundam ſedentem, inſertis iconibus pluribus colore oleario, induſtriâ tantâ exhibebat, ut multi hoc opus à Georgione pictum crederent. Mortuo Johanne Bellino, cum in magno curiæ œconondum abſoluta eſſet hiſtoria Alexandri IV. Pontificis ante templum S. Marci collum Friderici Barbaroſſæ pede ſupplantantis, eandem Titianus conſummabat, multis etiam mutatis & iconibus pluribus inſertis; quo facto à Magiſtratu officio quodam in domo Germanico munerabatur, quod Senſeria dicitur, trecentorum coronatorum annuorum reditibus inſignem; quod officium adhuc hodie Senatus optimo ſemper pictori cuidam conferre ſolet, qui novum quemlibet Ducem octo coronatorum pretio iconicè depingere tenetur, in Palatio S. Marci pro memoriâ collocandum.

Opera ejus Ferrarienſia.

Poſtmodùm in aula Alphonſi I. Ferrariæ Ducis picturam quandam Bacchanaliorū à Johanne Bellino inchoatam conſummabat, adjectis ſubdialibus elegantiſſimis. In cubiculo quodam autem tria quadra magnitudine viventium dimidiatâ ſic expinxit, quæ omnia dehinc in Muſæo Cardinalis Aldobrandini Romæ exiſtentia, ipſe meis oculis ſæpius perſpexi: ut in primo Bacchantes exprimeret magno numero circa flumen aliquod vini rubeum à proximâ vineâ defluens, ubi ex hâc ſocietate quidam tergo uvis incumbens, easdem expreſſurus erat. Inter has ſuam quoque amaſiam pingebat, cui Violante nomen, appictis ſimùl in gramine violis huc alludentibus. Alii pocula ſua nobiliſſimo hoc potu adimplebant, cùm muſicis interea vitra varia vino plena diſcis apportentur; guttulis hinc indè rubinorum inſtar diſperſis: puellus autem præ petulantiâ in flumē hoc urinam ſuam reddat. Alii choros agentes cum nymphis quibusdam pulcherrimis ſaltationes inſtituunt, quibus tenui veſte indutis, movente hanc variè vento tenerrimus artuum candor cum pedibus hinc indè elegantiſſimè promicat. Propè hos Ariadne dormit formæ dignitate maximè notabilis, albedine nuduli corporis & membrorum ipſum ebur victura: ubi Theſeus interea, ſpreta ſic juvenculâ, conſcendens navem, mare petit; fruſtrà accurrente miſerâ clamore amatum revocaturâ.

Parte ſecundâ ex India triumphans revertitur Bacchus curru ornatiſſimo à duobus Pantheris tractus, qui viſâ Ariadne mœſtiſſimâ decore pulchritudinis commotus, deſiliens, lugentem conſolaturus, amorem ejusdem ſollicitare videtur. Ubi ſic expreſſa eſt penicillo venuſtatis ejusdem elegantia, prout eandem his verſibus Marinus Poëta Italus in Adonide ſuo, ubi de amore Bacchi loquitur, deſcribit:

La bella fronte gli adornò natura
Di gentil maeſtà, d'aria celeſte,
Dolce color di fragola matura
Gli facea roſſeggiar le guanice honeſte.
Nella bocca ridea la grana pura
Tra ſchiette perle in doppio fil conteſte;
Ne quivi hauea la roſa purpurina
Prodotta ancor la ſua dorata ſpina.

Ponè currum autem Satyrus incedit juvenis laqueo vinctum tenens vitulum, Bacchi feſto ſacrificari ſolitum, in Penthei à matre & ſororibus dilacerati memoriam. Sequitur autem Bacchantum turba alia cum cymbalis aliisq; inſtrumentis muſicis, inter quos & ebrius quidam ſerpente cinctus, more ſacerdotibus Bacchi uſitato, ad titubationes nimio vini potu productus, motusq; alios agilis hujus beſtiolæ ſymbolo denotandos. Præter hunc ebrii & alii petaſonem manibus tenentes; cum Sileno Bacchi nutritio, qui ſenex

- - - ferula titubantes ebrius artus
Suſtinet, & pando nō fortiter hæret aſello.

E longinquo autem fluctuum ludus eſt navis Theſei, promicatq; ex aſtris fulgore tremulo corolla Ariadnæ.

Parte tertiâ Pratum expreſſum eſt, herbis, floribusq; variè paſcens oculos, arboribus etiam pomis aureis onuſtis inſigne, quæ Amores quidam alati ramis petulanter innexi dejiciunt pro ſociis, ſuis ſportulis colligenda: alii ſaltu per truncū quendam arboris ludendo transvolant; ſa

gittis alii nudata sociorum pectora petunt; pomis alii, cursu quidam, osculis nonnulli ludunt, venatu leporis quidam distenti, choreis alii delectati, ministrantibus musicâ Gratiis. Quæ omnia è Philostrato expressit Titianus; Veneris simùl imagine appictâ, cujus quasi sacra fierent. Ubi mirè expressa extant Amoris symbola, alis, igne, sagittis aliisq; modis involuta: de quibus Propertius lib. 2. Eleg. 12.

Idem non frustrà ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum.
Scilicet alternâ quoniã jactamur in undâ;
Nostraq; nõ ullis permanet aura locis.

Et Petrarcha:

Sopra un carro di foco un Garzon crudo,
Con arco in mano, è con saette à fianchi.

Et alius:

Una gran forza è un soave foco
E Amor, che volontieri si accompagna
All' età piu fiorita, e si nodrisça,
Tra le delitie di beata sorte:
Mà segli manca l' alimento, cade,
Et in breve riman di forze privo.

Et Guarinus:

Raro mostro, e mirabile d' humano
Edi divino aspetto;
Di veder cieco, è di saper insano,
Di senso, è d' intelletto
Di ragion, è desio confuso affetto.

Titianus autem his picturis tantam promerebatur laudem, ut ipsius manu Dux & Ducissa depingi vellent, quas icones elegantissimè elaboratas Ægidius Sadeler deindè typis æneis exhibuit. Cumq; non internos minus animi, quàm externos corporis motus dexterrimè exprimeret, haud immeritò hac ipsum laude decantat Ariostus Poeta:

E quei, che furo à nostri dì, o son hora,
Leonhardo, Andrea Mantegna, Gian Bellino,
Duo Dossi, e quel, ch' à par sculpe, & colora
Michel, più che mortal, Angel divino,
Bastano, Raffaël, Titian ch' honora,
Non men Cador, che quei Venetia e Urbino
Egli altri; di cui tal opra si vede
Qual de la prisca età si legge, è crede.

A Carolo V. amatur. Intereà parcè satis Venetiis vivebat Titianus ingenio plùs, quàm opibus, abundans, donec in aulam Caroli V. vocatus, & salario annuo, & muneribus largissimè cumularetur. Tanti enim eundem æstimabat Imperator, ut cum pingenti aliquando ejusdem iconem è manu laberetur penicillus, elevans eundem Carolus, excusanti se Titiano, quod indignus sit ministerio uti monarchæ, blandè reponeret: dignam esse Titiani manum, ut & Imperatores eidem serviant. Ibidem in conclavi quodam Zophorum pingebat multis domus Austriacæ characteribus insignem: factis ejusdem Imperatoris iconibus adhuc pluribus, ubi præter mille coronatos solitos, munere semper gaudebat eximio; nobilitatis quoque gradu condecoratus cum Comitis Palatini dignitate à Cæsare. Pro quo & imaginem D. Virginis pingebat dolorosam filii passionem spectantem, commoto ex hinc insigniter ad devotionem Imperatore: Et in ejusdem pariter honorem Veræ Religionis imaginem, ab hæresi persecutione pressam, quod opus Typis æneis vulgatum est, adjectis his versibus:

Cæsaris invicti pia Relligionis imago,
Hæresis anguicoma, & sævus quam territat hostis,
Christigenûm passura dolos (ut cernis) utrinq;
Virtuti & paci sese commendat amicæ.

Pro Rege Hispaniarum Philippo, sub titulo pictoris ejus aulici, pinxit Christum in horto; ejusdemq; ablationem è cruce, cum aliis quibusdam sacris; urgente hæc Rege, manu propriâ his scriptis ad Titianum literis: Philippus Rex Hispaniæ propriâ manu ad ipsum scribit.

Don Phelippe per la gracia de Dios Rey de Espanna, de las dos Sicilias, de Hierusalem &c.

Amado nuestro, Vuestra carta de xix. del passado he recibido, y holgado de entender por ella lo que escrivis, que teniades acabadas las dos Poësias, la una de Diana en la fuente, y la otra de Calysto: Y porque non suveda el inconveniente, que suvedio alla pintura del Christo, he accordado, que se embien à Genova, para que de alli se me encaminen à Espanna: y e scrivo à Garci Hernandez sobrello. Vos le las entregareis à el y procurareis, que vayan muy bièn puestas, y en sus caxas, y empacadas de manera, què nò se gasten, en el camino: y para esto sera bien, que vos, que lo entendeis las pongais de Vuestra mano, por que seria gran perdida, quelle gassen dañadas. Tambien holgare mucho, que os deis prissa à acabar el Christo e nel huerto, y las otras dos pœsias, que dezis, que teneis comencadas; y assi mismo holgaria mucho, que me hizessedes otra pintura del Christo muerto en el sepulchro, como la que se perdio; porque non querria careces de una tan buena pieca: y os agradezco el trabaio, que poneis en hazer estas obras, que las tengo en lo que es razon, por ser como di vuestra mano, y me hà desplazido, que no se aya cumplido lo qeu mandè, que se os pagasse en Milan y Genova. Agora he mandado tornar à scri-

vir sobrello de manera, que tengo por cierto que de stavezno aurà falta. De Gante à XIII. Julio 1558.

Yo el Rey.

Eidem Titianus etiam pinxit tabulam de cœnâ Domini septennio multâ industriâ confectam, de quâ ipse ad Regem scripsit, simùl salarium de egestate in senio conquestus, sollicitè rogans: quo accepto bis mille coronatis Rex eundem donavit, cum mandato, ut residua salarii promtè ipsi eumerarentur; quod & factum à Gubernatore Mediolanensi.

Præter varia alia tàm pro Principibus, quàm pro plebejis facta, quæ variis in locis adhuc extant, Christum etiam pingebat cum Judæo quodam, denarium census eidem monstrante, quæ imagines testibus artis peritis omnium sunt optimæ, quas unquam pinxit Titianus. Prætereà Ducem Ferrariæ cubito nixum pingebat in tormento quodam maximo: sic & Dominam Lauram, Duci deindè nuptam. Cum autem Venetias rediret, in telâ colore oleario pastorem pingebat nudum, cui nympha quædam fistulam porrigit, in tractu quodam campestri pulcherrimo.

Opera ejus in templis. In templo Fratrum tabulam altaris summi pingebat, exhibitâ assumtione D. Virginis, quæ pictura in telâ picta cum minus cautè custodita sit, jam ferè evanuit. Pro eodem templo in sacello quodam tabulam pingebat Deiparæ imaginem aliam continentem, cum sanctis & iconibus quibusdam. In templo S. Nicolai ejusdem cœnobii S. Nicolaum pingebat Episcopali ornatu; nec non S. Franciscum, S. Catharinam, & S. Sebastianum nudum ad vivum exemplar, artubus naturaliter expressis: Quod unum est è celeberrimis operibus ejus, à Titiano dehinc typo ligneo editum. Dehinc in templo S. Rochi Christum pingebat crucigerum cum Judæo quodam, fune Christum collo alligato protrahente: quod opus plurimi Georgionis esse putaverunt, multâ devotione & votis plurimis celebre. Pro templo Mariæ majoris Johannem in deserto pingebat vividum admodum cum subdialibus elegantissimis, adjectis quibusdam viventium iconibus, inter quos & Franciscus Rex Galliæ ex Italiâ in Regnum suum redux. Post varias pro Curia icones; in templo S. Johannis & Pauli Petrum martyrem pingebat quasi vivum, vulnerato scilicet à milite capite ejus: adjecto monacho quodam alio fugiente metuq; insigniter perculso; accedentibus in aëre duobus Angelis nudis cum fulgure, arbores variè collustrante, totumq; campum è tenebris producente: excellentissimum inter Titiani inventa, quo & ego tantoperè delectabar ex Angliâ in Italiam profectus, ut magnâ industriâ illius facerem apographum.

In curia. In magno deindè curiæ œco prolixam pingebat Prœlii cujusdam repræsentationem, ubi pugnantes magno furore milites imbre cœlitùs obruuntur: quod opus cum ad viva exemplaria picta sint omnia, totius curiæ primarium est. Ibidem prætereà ab ipso depictus est Cleophas & Lucas, cum Christo cœnati, quæ tabula in œco Curiæ aureo locata est. In Scholâ charitatis imaginem Deiparæ pingebat per scalas templi ascendentis, insertis iconibus variis. In Scholâ autem Fantina Hieronymum pœnitentem, opus etiam decantatissimum. Cum anno 1530. Carolũ V. depingeret cataphractatum, accepto honorario mille coronatorum, quingenti ex his destinati erant statuario cuidam Longobardico, qui à Titiano ad portandos colores & axiculum assumtus, pingente hoc, interea cerâ Cæsarem plasmabat, cum tantâ Cæsaris delectatione, ut ab eodem viventis magnitudine marmore exprimi voluerit, translata Genuam statua, numeratis præter prædictos adhuc trecentis coronatis.

Cum eo Pordenonius certat. Cumque Venetiis nobiles plurimi Pordenonii fautores, ejusq; opera in lacunari Oeci Pregaënsis valdè deprædicantes, eundẽ commoverent, ut in æmulationem Titiani in templo S. Johannis Eleemosynarii tabulam quandam pingeret; ubi Titianus ante Sanctum quendam depinxerat Episcopali habitu: magnâ hic industriâ adhibitâ Titiani operi nihil tamen detrahebat Deinde pro templo S. Mariæ ad Angelos Murani Titianus pingebat annunciationem: cumque stipulati pro hoc opere quingenti coronati eidem numerari nollent, ipse, consulente Petro Aretino, tabulam hanc ad Imperatorem dono mittebat, accepto pro eo bis mille coronatorum honorario. Dehinc Imperatorem ex Hungariâ Bononiam pro colloquio cum Clemente Pontifice venientem Titianus iterũ depingebat Hungaricâ veste, & similib' armis instructum, ut & Cardinalem Hippolytũ de Medicis: Ubi & Petrũ Aretinum pinxit, qui ipsius notitiam Mantuam detulerat, ut & istius Ducis ejusque fratris Cardinalis effigies conficeret: pictis ibidem simùl duodecim Imperatoribus Romanis pectoretenus; sub quibus singulis deindè Julius Romanus suam depinxit historiam. Ab Imperatore bis mille coronatos accepit. Mantuam it.

Varia. Cadore in Patriâ, in tabulâ quadam imaginem pingebat Deiparæ cum Episcopo Titiano, adjectâ icone propriâ genibus innixâ. Ferrariæ Pauli III. Pontificis effigiem pingebat tantâ elegantiâ, ut eadem pictura repetenda ipsi esset pro Cardinali S. Floris, accepto à Papâ honorario munifico. Eodem tempore iconem etiam Francisci Mariæ Urbini Ducis faciebat, felicissimo successu, in quâ Petrus Aretinus carmen illud composuit, cujus initum:

S' il chiaro Apelle con la man dell' arte
Rasemblo d' Alessandro il volto, e il petto &c.

In Pinacotheca istius Ducis etiam reperiuntur duæ Facies fœmininæ venustissimæ, & Venus adolescentula cum floribus, præcinctorio tecta tenerrimo: item Maria Magdalena dependente capillo, cum variis & inter alias Solymanni Turcarum Imperatoris iconibus, opera Titiani omnia. In cœnobio S. Spiritus tabula etiam quædã illius extat de Festo Pentecostes; item Brixiæ tabula quædam de septem montibus: in æde Dominicâ Veronensi tabula alia Assumtionis Mariæ, omnium operum illius urbis præstantissima. Pictis porrò iconibus variis, dein & Venetiis ad S. Spiritum tres pingebat historias infernè conspiciendas, nimirum immolationem Abrahami, Davidem Goliathum decollantem, & Caini Abelisq; Sacrificia, quæ opera Venetiis in templum aliquod novum relata sunt. Postea suam ipse effigiem pingebat, pro relinquendâ liberis suis memoriâ sui.

Romam venit.

Anno 1546. à Cardinali Farnesio Romam vocatus Pontificem viventis magnitudine integrum, nec non Farnesium, & Octavium Principem depingebat, cum magno horũ omnium beneplacito. Dehinc Christum pingebat à Pilato prostitutum, dono Pontifici oblatum, quamvis tantæ non laudis, quantæ icones. Michaël Angelus & Vassarius etiam Titiano in Belvedere visitato ibidem conspiciebant Danaen quandam nudam in sinu Jovis in aurum transmutati: quam Michaël Angelus valdè depredicabat, Chromatica potissimùm laudata, indolens tamen simùl, quod Diagraphicæ minus operam darent pictores Veneti. Cui si noster meliùs incubuisset, prout vitam cujuslibet rei imitari solebat, procul dubio parem non habuisset, cum tanto polleret ingenio, ut ludente mirâ venustate colore & adulante quasi naturæ penicillo, carnosa omnia statueret & viventia. Certissimum enim, neglecto delineandi studio sive in Academiis ad viventium, sive alibi ad statuarum antiquarum exemplaria, errari quãdoq;; cum illo præsupposito, imperfectioni sæpè ars succurrere, & in omni parte oculo satisfacere queat. Multis autem Romæ muneribus honorabatur Titianus, assecutus & pro filio suo Pomponio beneficium magnorum redituum: alter autem filius ejus Horatius facta Siciliani cujusdam fidicinis peritissimi icone, cum quibusdam aliis magnâ similitudine, Florentiam abibat, artificia & illius Urbis cum admiratione inspectans.

Michaëlis de eo judicium.

Opera ejus Veneta.

Venetias redux Titianus iconem Marchionis Vastensis pingebat, milites suos allocuti, adjectis iconibus pluribus aliis. Multa etiam elaborabat pro templo S. Mariæ novo, & aliis; quamvis posteriora hæc opera ejus prioribus haud essent æqualia. Imperatoris Caroli icones fecit varias, quod hic ab alio depingi nollet, quàm à Titiano, prout nec Alexander, nisi ab Apelle; ubi præter supradicta & reditus eidem constituti erant, apud Cameram Neapolitanã, bis mille coronatorum annuorum: quibus accedebant ducenti coronati à Rege Hispaniarum annuatim ipsi stipulati. Icones autem illius quasi innumeræ sunt, cum vix ullus illius temporis Principum ipsius manu non desideraret depingi. Jussu etiam Imperatoris Caroli Venetiis magnam de SS. Trinitate pingebat tabulam, à Corto, ni fallor, typis æneis editam.

Picturæ ejus Poëticæ.

Pro fœminâ quâdam autem Prometheũ pingebat Caucaso alligatum, exedente hepar ejus aquilâ: nec non Sisyphum Saxum suum volutantem: Titium vulturis rostro petitum: Tantalum in undis siti afflictum: viventium magnitudine omnibus in telâ subactû oleario expressis. Venerem itidem pingebat syncope correptam, ob abiturum in venationem Adonidem, canes jam paratos tenentem: quæ omnia cum maximâ naturæ imitatione expressa erant. Prout & Andromeda quædam cum Perseo ab illo picta erat tantâ arte, ut melior vix inveniri queat; nec non Diana Actæonem transmutans; & Europa tauro per mare vecta, quæ omnia ab Hispaniarum Rege obtinentur.

De methodo ejus pingendi.

Hîc autem prætereundum non est, Titianum in ætate juvenili aliâ longè pinxisse methodo, quàm in senio; cum prima opera sua viventibus quidem omninò similia, sed tantâ etiam politurâ pingeret, ut eadẽ tàm in viciniâ, quàm è longinquo conspecta, pulcherrima essent. Deindè autem ita rem agebat, ut pictura vicino minimè, distanti autem artificiosissima videretur. Et hæc est causa, quod multi illius imitatores, ut promtitudinem manus suę ostenderent, picturas suas impolito admodùm & scabro tractu formarent, existimantes, Titianum opera sua absq; singulari industriâ elaborâsse; decepti tamen in hoc, cum expressè appareat, multis eadem curis, magnoq; labore, iteratâ inductione effecta esse, quæ methodus à prudentibus haud culpatur: cum picturæ istæ, venustâ suâ vivacitate arteq; singulari, singularem quoq; laborem & industriam involvant.

Picturæ in senio ab ipso factæ.

Tandem Titianus etiam historiam pingebat magorum, multis imaginib' illustrem, cubiti circiter longitudine, opere admirando; cui omninò simile erat apographum hujus ejusdem manu factum. Iterum illusionem etiam Christi pingebat, tantâ elegantiâ, ut Mediolani in templo S. Mariæ gratiosæ collocata fuerit. Pro Rege etiam Portugalliæ Flagellationem elaborabat viventis quantitate paulò minorem: nec non Crucifixi imaginem, sub quâ præter Mariã & Johannem etiam Dominici imago; è lon-

ginquo sanè pulcherrima; Anconæ adhuc existens apud Dominicanos. Ab eodē etiam præter alia, historia S. Laurentii depicta est, crate ferreâ tosti, opere abbreviato, quæ Venetiis in templo Crucigerorum pendet. Cumq; opus hoc nocturnum sit, triplex in illo apparet lumen, ab igne unum; à face quâdam alterum; & à fulgure quodam, ignem splendore superante, tertium; præter quæ & in ædibus adhuc lucernæ quædā apparent è longinquo spectandæ; ut magno hæc omnia expressa sint judicio.

Opus nocturnum.

Alia.

Præterea ab ipso picta est Nicolai quædā imago, cum Angelo infulam ejus tenente, quæ in templo S. Sebastiani extat. Porrò & Magdalenam pinxerat dimidiato corpore comâ defluente, oculis in cœlum directis lachrymando rubentibus, facie autem eo pulchritudinis genere venustâ, quæ condolentiam magis, quàm amorem excitaret: Quod opus in Hispaniam transmittendum Venetiis deindè à quodā centùm coronatis emebatur; substituto ab autore pro Hispaniâ alio non minùs elegante. Fugam etiam Christi in Ægyptum expressit, Mariâ ab asino in lapidem demissâ, circumstantibus Josepho & Johanne, qui Jesulo flores quosdam porrigerent ab angelo decerptos; quod opus adhuc Patavii asservatur, in quo subdialia præ cœteris naturam quàm proximè imitantur; quo in genere magnâ laude excelluit Titianus, testantibus id operibus ejus variis tàm ligno, qualia sunt S. Hieronymi & Frācisci, quàm ære, quale est Andromeda, expressis, quæ vera tyronum esse queunt exemplaria, à nobis etiam libro nostro diagraphico sedulò collecta.

Augustana.

Augustæ Vindelicorum cum esset tempore Caroli V. multa etiam, præsertim Comiti Fuggero pinxit, tribus coronatorum millibus remunerata. Ibidem pro familiâ Peronnæorum, qui mercatores erant, opus elaborabat magnum, in quo scenographicè quinq; architecturæ ordines exhibuerat; Et pro Cardinali Augustano opus aliud, in domo Hopferiâ à me cum aliis conspectum, ubi tres hominum ætates exhibiturus, pueros primò sese invicem amplexos, deindè pastorem cum puellâ pastorali; & tertio in campo amœnissimo senem calvum incurvato corpore propè cœmeterium quoddam calvariam tenentem pinxerat: quod opus Reginæ postea Sueciæ Christinæ mille imperialibus venditum est, inter cujus rariora illud adhuc asservatur. Pro templo S. Pantaleontis Venetiis, Christi etiam de cruce ablati in gremio Matris repositi imaginem pingere cœpit, sed non absolvit, quod deindè, sic volente Titiano, à Jacobo Palma consummatum est, notatum tamen Titiani, ad mandatum Senatus, nomine. Opus de cœnâ Domini Regi Hispaniæ missum septem cubitorum longitudine erat, magnificum sanè & multâ arte clarum. In senio ejus multa reliquit incompleta, inter quæ Magdalena cum Christo, viventiū quantitate: sepultura Christi cum imagine Deiparæ, cum icone ejus propria.

Judicio aliorū opera ejus priori methodo picta posterioribus anteferebantur; ipse autem cōtrariam fovens sententiam in senio plurima mutabat, quæ in ætate juvenili pinxerat; corruptis sæpè picturis optimis: undè domestici ejus mutaturo tale quodpiā opus oleum olivæ coloribus admiscebant, quod cum haud exsiccetur, occasionē suppeditabat, absente eodem, emendationes has iterum expungendi; quâ abstersione multa opera melioris notæ conservata sunt.

Opera priora immutat.

Anno 1556. cum magno jam senio gravaretur, sanitate tamen tàm felice adhuc utebatur, ut ab omnibus arte peritis visitationes admitteret, gratulatus sibi, quod ad id felicitatis fastigium accessisset, ut paucis afflictus curis, à magnatibus amatus, à suis hos adhuc honores experiatur. Cum tamen nihil hîc felicitate sit perpetuum, moriendum tandem & ipsi fuit anno 1576. ætatis 96. cum magnâ peste laborarent Veneti; sepultus non tàm conductu splendido ob pestilentiæ metum, quàm exequiis honorificis in templo Frariorum, penes altare crucis, monumento insignibus Equitis honorato, famâ autem nunquam intermoriturâ: Nam

Peste moritur.

Æra quidèm absumit tempus, sed tempore nunquam
Gloria cessabit perpetis Uccelii.



CAPUT XVII.
TITIANI,
Frater & Filius:
TINTORETUS,
& Filia ejus:
&
PAULUS VERONENSIS.

Argumentum.

LXIX. FRANCISCUS UCCELLUS pictor, Titiani frater: miles primò; opera ejus; invidiâ fratris à pictoriâ abstrahitur. LXX. HORATIUS UCCELLIUS, Titiani filius, pictor. Iconibus artifex; Opera ejus. Romam venit. Chymiæ operam dat. LXXI. JACOBUS TINTORETUS pictor Venetus: rarus est & ingeniosus novis inventis. Certandò pingit cum Paulo Veronensi & Horatio Uccellio. Excommunicationem Imperatoris Friderici Barbarossæ pingit. Xenodochium item & alia opera in templum S. Rochi. Opera ejus in templo S. Mariæ de horto. Judicium extremum, & alia in templis variis. Opera ejus in Scholâ S. Marci de rebus gestis Marci. Tintoretus expeditior erat picturis suis, quàm alii suis delineationibus. Crucifixionem Christi pingit ad S. Rochum. Opera ejus alia. Anno ætatis 82. moritur; Epitaphium ejus. LXXII. MARIETTA TINTORETTA, Tintoretti filia pictrix, iconibus potissimùm celebris; 30. ætatis anno moritur. LXXIII. PAULUS CALIARIUS VERONENSIS pictor: Venetias venit: Opera ejus hoc loco facta. Prandium Christi apud Simonem. Opera ejus in curiâ Decemvirorum. Pictura Musices pictores Venetos omnes superat. Opera ejus Veronensia ad S. Nazarium; Maria Magdalena ad pedes Domini. Quem locum in picturis habere debent scenographia & Architectura. Paulus Romam venit; iterumq; Venetias abit. Varia pingit in œcum Curiæ Decemvirorum & Veronæ. Martyrium S. Afræ Brixiæ. Opera ejus Viennæ, Turini, Mantuæ, Artemini; Mutinæ, Romæ, Londini, Parisiis, Venetiis & Amstelredami facta. Alia Venetiis, Antverpiæ, & in domo familiæ Caliariæ: ad studia sua utitur typis æneis Alberti Düreri, & Parmensis. Ad artem pervenit æmulatione cum Titiano & Tintoreto; Comparatio Tintoreti & Pauli. Virtutes Pauli: à Titiano honoratur. In Hispaniam vocatur, illuc non abit. Apophthegmata ejus; Mors ejus; Sepultura & Epitaphia.

LXIX. FRANCISCUS UCCELLIUS pictor, Titiani frater,

LXIX. FRANCISCO UCCELLI.



Opera ejus

Militiam secutus juvenilibus annis; exortâ pace, in Italia Venetias ad fratrem abiens varia ibidem pingebat. Patribus enim ad S. Salvatorem in alis organi depingebat S. Theodorum armatum, labarum & scutum tenentē cum insignibus albæ crucis, cui angelus quidam palmā porrigit; opus, quod primò â Georgione factum videtur: ab altero latere S. Augustinum cum Canonicis quibusdam: intrinsecus autem transfigurationem Christi; cum ejusdem resurrectione. Præterea tria pingebat vexilla majora, diebus festis exponi solita: nec non pro Scholâ ægrorum Imaginem Deiparæ, aliquot istius Societatis fratres pallio suo protegentis: & pro templo S. Eustachii aliud quid.

Oriagi ad Brentam cū admiratione spectari potest altare magnum illius templi, resuscitatum Dominum exhibens cum Mariâ Magdalenâ ad pedes ejus sedente, quod opus est multâ laude dignum; in quo sub rupe excavata angeli, ad sepulchrum, & è longinquo tractus campestris amœnissimus. In Campo S. Petri in Patavino templo sc. Discalceatorum Ludovicum pium pingebat Galliarum Regem cum pallio panni Attalici lemniscis variè ornati, unà cum Johanne Baptistâ, nec non Evangelistâ & Virgine matre, atq; Angelo nomen Jesu tenente. Orgarone in districtu Cadorensi S. Hieronymum, aliumq; ad S. Vitum pingebat; cum pluribus aliis.

Titianus ergò tantâ fratris arte perspecta, superatum iri se metuens, eundem ad Artem Arculariam applicabat, consecutus pro eodem à Ferdinando Rege, nec nō à Romanis, ob prestita servitia varia, imunitates quorundā vectigaliū, ut Franciscus aliis negotiis detentus à pictoriâ planè quasi abstineret: factis saltem pro amicis quibusdā interdū delineationib'. Ubi dolendū omninò, quod tanta sit invidiæ & honoris comodiq; Invidiâ fratris à pictoria abstrahitur.

proprii

proprii vis, ut ne sanguinis quidem conjunctio sæpè attendatur, istoq; malo Pictoriæ mortuus sit Franciscus, qui vitam tamen naturalem ad multos aliàs extendit annos.

LXX. HORATIUS UCCELLIUS Titiani filius, pictor,

LXX. HORATIO UCCELLI. Iconibus excellit. Multâ laude ob iconum faciendarum perfectionem celebratus, quibus excellentiamPatris proximè attigisse dicitur.

Opera ejus. Reliqua opera ejus sunt Incendiũ aliquod in palatio Ducali extans; inq; œco curiæ Pugna apud coronationem Friderici BarbarossæRomæ inter Romanos &Cæsareos exorta Nobiles, ubi servus quidam Ducem armaturâ induit, opus Titiano primò tributum, sed in certamine cum Tintoreto & Paulo Veronensi ab hoc elaboratum, cum hâc subscriptione:Romani familiam Imperatoris à prato Neronis profecti ad molem Adriani aggrediuntur ad tentorium usque Imperatoris.

Romam venit. Romam cũPatre profectus,icones quasdam pingebat,&inter aliasBaptistæSiciliani, de quo supra. Sed & ad Cæsarem cum patre in Germaniam digressus, quingentos illos scutatos accipiebat, de quibus Pater in literis quibusdam ad Imperatorem his verbis:

Restami il supplicare l' Altezza di V. M. oltre la mercede, che io ne spero sia servita di concedermi gratia, che la provisione mia sopra laCamera di Milano di scudi 200. di cui non ho mai riceunto cosa alcuna; co si delle tratte delle 300. carra di grano del regno di Napoli, è della pensione della Naturalezza di spagna di scudi 500.per mio figliuolo, habino hormai quella espeditione, che si ricerca alla cortesia di V. M.& alli bisogni del servo suo, per poter sodisfar con la sua liberalità alla dote di mia figlioula, e V.M. mi farà gratia singolare comandarmi, quanto io sempre adoprerò in suo servitio, che io non desidero altro per fine fino alla morte mia. E nostro signore Iddio perpetuamente conservi la Cesarea sua Maesta &c.

Chymiæ operam dat. Cum autem Horatius majori studio teneretur vitæ nobilitatis cultu splendidæ, quàm penicilli & colorum usu operosæ, Alchymiam tandem amplexus, multa,quæ Pater magno paraverat sudore, fumo iterum consecrabat, mortuus adhuc juvenilibus annis peste anno 1576.

LXXI. JACOBUS TINTORETUS Venetus, pictor

LXX. GIACOMO TINTORET. A Tenerâ jam ætate pluribus artib⁹, inprimis autem picturæ atq; Musicæ deditus, hilaris animi & jucundæ conversationis; in pictoriâ autem exercitatissimus, miræ promtitudinis, & rarissimarum inventionum, inauditarum aliàs, dispositione prudens, & methodo anomalus, absq; prævià delineatione colores mox applicãs, quasi ludus saltem esset pictura. Sæpè enim olearia sua opera primo saltem tinctu imbuta in tantâ scabritie reliquit, ut ductus penicilli & maculæ colorum undiq; adhuc conspicerentur, quasi desperato successu. Genera autem picturarum excoluit omnia, tàm albarii recentis, quàm olearii subactus: & icones perfecit cujuscunq; pretii, pro ratione mercedis cuiq; promtissimè satisfaciens, ita ut quicquid ipsius tempore pictum est Venetiis, ipse quasi solus pinxerit, novorum semper studiosissimus, nec antecessorum progressus via ut alii. Novis inventis abundat.

Certando pingit. In certamine cum PauloVeronensi & Horatio,Titiani filio,cum in curię majori œco mandante Senatu à singulis historia quædam pingenda esset, ipse Fridericum Barbarossam pingebat à Pontifice coronatum, inserto ædificio pulcherrimo, cum multis circa PapamCardinalibus,aliisq; Nobilibus Venetis, quasi viventibus, adjectâ infrà & Musicâ Pontificis; opere sanè aliis neutiquã postponendo. Horatius autem prœlium pingebat supra jam descriptum, in quo equus quidam pulcherrimè abbreviatus armato cuidam assilit; quamvis hic diceretur Titiani Patris vitula arasse. Paulus autẽ Veronensis BarbarossampingebatOctaviano Papæ, in contumeliam Alexandri III. manum osculantem: nec non suprà fenestram quandam quatuor emblemata, temporis sc. autarciæ; patientiæ & fidei, indicibili pulchritudine. Deficiente postmodũ in eodem Oeco adhuc unâ historiâ, Tintoretus per amicos id efficiebat, ut eadem sibi committeretur, ubi Alexandrum pingebat Pontificem excommunicantem Fridericum Barbarossam, extinctâ candelâ more solito, cum Stylobatis quibusdam picturis exornatis & iconibus pluribus, opere omnium suorum optimo, ab omnibus laudato. Deindè in templo S. Rochi, majus exornandum ipsi tradebatur Sacellum, ubi duas colore oleario pingebat historias magnas, per totam sacelli latitudinem duodecim nempè cubitorum, supra Pordenonii opus. Opera ejus alia.

In unâ harum Nosocomium pinxerat opere abbreviato, in quo ægri variis multis gestibus spectandi à S. Rocho curantur & aluntur, inter quos & nudi quidam magno ingenio elaborati, & defunctus alius egregiè abbreviatus. Altera historiam quandã S.Rochi continet,gestu vario plenissimam, melioribus picturis ejus annumeratam. In medio autem templo illo Christi pingebat miraculum ad piscinamBethesdanam,opere etiã eleganti. In templo S.Marię deHorto in telâ opere oleario duas pinxerat historias

viginti

viginti duorum cubitorum altitudine; quarum una erat Idololatria vituli aurei, Mosesq; è monte descendens: altera extremũ judicium rarissimâ inventione, figuris horrendis, varię ætatis plenissimũ, cum separatione beandorum & damnandorum, adjectâ Charontis cymbâ, & expressâ pulcherrimè magnæ illius diei confusione: opere primo quidem intuitu haud amœno, sed si juxta singulas partes spectetur, delineatione singulari & arte maximâ claro. In eodem templo ad alas organi pinxerat Mariam per gradus templi ascendentem, quod est opus illius templi optimum: in templo autem S. Mariæ Zebenigensis in opertoriis organi Conversionem Pauli, sed negligentius: Et ad Charitatem in tabulâ, Ablationem Christi è cruce: in Sacrario autem S Sebastiani in æmulationem Pauli Veronensis, qui multas ibidem confecerat picturas, expresserat Mosen in deserto cum aliis quibusdam: & ad S. Jobum tres Marias; S. Francisci imaginem; S. Sebastianum & Johannem, unà cum opere quodam subdiali: & in Organi opertorio templi Servitarum S. Augustinũ & S. Philippum, & subter hos Caini fratricidium: in templo S. Philippi ad fornicem suggesti quatuor Evangelistas; & super altare Annunciationis historiam; unà cum Christo ad olivetum; & ante altare S. cœnã: in templo S. Francisci de Vinea pro altari Christum in cruce ablatum cum Maria & Prophetis quibusdam.

Porrò in Schola S. Marci quatuor historiæ de S. Marco illius manu pictæ sunt, primò scilicet, quâ ratione Marcus, quem in aëre exhibet, obsessum quendam, ligna & ferramenta omnia frangentem, liberaverit: secundò, quâ ratione in tempestate quâdã marinâ idem Marcus, in aëre repræsentatus, aliquem se invocantem, liberaverit; quod opus tantam industriam præ se non fert, ac prius: tertiò, quomodo idem animam clientis cujusdam sui mortui ad cœlum transferat; & quartò, quâ ratione obsessus quidam exorcisetur, ubi opere abbreviato inseruit porticum in fine structo igne illuminatam. Quin & præter hæc omnia Marcum alium pinxit, opere longè pulcherrimo. Similia autem plura Tintoretus fecit tantâ promtitudine, ut cum alii putarent, eum super faciendis vix rectè meditatum, ipse opus totum jam absolvisset: ita enim laborabat, ut nunquam ipsi deesset labor, siq; opus quoddam non per amicos assequeretur, minori pretio, imò & gratis sæpè illud perficiebat, quo omnia saltem ad se attraheret.

Cum aliquando pro Scholâ S. Rochi Societas illa crucifixionem Christi ab eo pingi vellet, qui optimâ usurus esset ideâ, certaturis hic Josepho Salviato, Friderico Zucchero, Paulo Veronensi & Jacobo Tintoreto: delineantibus cœteris, hic noster solitâ suâ promtitudine opus totum expingebat, eodem illud locans, quo destinatum erat loco. Inspecturi ergò ideas socii, cum opus hoc jam consummatum suo loco conspicerent, indignati, ideam hanc esse negabant; quam ipsi desiderassent; regerentiq;, quod ipse ideas non pingat alias, imò nec aliter faciendas, si omnis fallacia evitari velit; cum mercedem solvere nollent, dono id ipsis dabat; resistentibus etiam quibusdam, id tamen efficiebat, ut opus hoc isto in loco relinqueretur.

Promtissimus est picturâ.

Aliâ picturâ in tabulâ exhibuerat Deum Patrem cum multis Angelis descendentem ad assumendum S. Rochum; ubi figuræ plurimæ aliæ, omnes reliquas Scholas Venetas repræsentantes, quod est opus ipsius ordinaria methodo pictum Unde satis colligi potest, in illo omnia concurrisse pictori necessaria dona, manuq; ejus ad magnam excellentiam promotam esse pictoriam. Inter innumera autem opera ejus porrò referendæ sunt duæ tabulæ majores in horto S. Mariæ: item tabula de miraculo Servi, in confraternitate S. Marci collocatâ; porrò duæ tabulæ ad SS. Trinitatem: nec non Assumtio Mariæ apud Crucigeros: cum operibus sacelli S. Rochi: quibus accedunt crucifixio Christi, & magna illa tabula de Paradiso in Palatio Ducali; quæ sola de arte Apellis nostri redivivi sufficiẽs edere posset testimonium. Ut alia taceamus plura, per varia orbis loca dispersa; ut dolendum sit, tam raram manum putredini tandem cessisse. vixit tamen annos 82. stomachi malo post multas vigilias admonitis prius duobus filiis suis Dominico & Marco, ut honorem à patre sibi partum potius augerent quàm minuerent, corpusq; suum per triduum insepultum relinquerent, ob ecstaseos exempla; mortuus feria tertia Pentecostali anno 1594. sepultusq; in templo S. Mariæ Hortensis sub arcu S. Marci cum exequiis honorificentissimis, adjecto à Jacobo Pigheto Viro doctissimo in marmore hoc Epitaphio:

Opera ejus alia.

Epitaphium ejus.

Hospes, Viator, Civis,
Adsta & perlege.
Veneti Apellis
JACOBI ROBUSTII
cognomento
Tintoretti
Cineres
Hoc marmore clauduntur.
Is magnus naturæ æmulator, mutam Poësin
ingenio vehementi reddidit eloquentem,
Divino siquidem penicillo soli cœliq; incolas
Suis in tabulis spirare coegit.

Eas

Eas tempus, licet vorax, meritò suspiciens servabit,

Fama collocabit in templo immortalitatis,

Ad æviternum picturæ, orbisq; ornamentum.

Lector

Tanto Viro

Benè adprecare, Tum felix abito.

Iconem autem ipsius in tabulâ nostra R. spectandam exhibuimus:

LXXII. MARIETTA TINTORETTA, Tintoretti filia;

LXXII. MARIETTA TINTORETTA.

AD exemplum Timaretes, Irenes, Marsiæ, Aristaretes ex antiquioribus; nostris autem temporibus Laviniæ, Fontanæ & Irenes Spilimbergicæ pictoriæ cultrix nata Venetiis, educata à patre in tenellâ ætate sub habitu virili, & ab eodem non ad Musices tantùm tàm vocalis quàm instrumentalis exercitia applicita, sed & in pictura informata; icones præcipuè pingebat ad veritatem quàm proximè accedentes: prout & effigies quædam Marci cujusdam Episcopi cum barbâ prolixâ in domo Tintoretti, unà cum icone filioli ejus Petri illius manu facta adhuc asservatur. Icones autem faciebat plurimarum Venetiis fœminarum, ut & virorum; & inter alia iconem Jacobi Stradæ summi aulæ præfecti Imperatoris Maximiliani, quam tanquam opus rarissimum Imperatori dono obtulit: undè confestim & Philippi II. Hispaniarum Regis & Ferdinandi Archiducis icones ipsi faciendæ erant. Nubebat autem, volente sic patre, Germano cuidam, cui Gioitiero nomen, ut tamen cum patre maneret, qui tenero eandem fovebat amore. Sed & alia pingebat pulcherrimâ inventione, multis factis iconibus pro conjugis sui amicis & familiaribus, qui aurifices, quarum aliquas ipse vidi. Cœterum felicissimi erat ingenii ad instar Patris, viridi adhuc juventâ anno ætatis 30. Christi 1590. mortua, & in templo S. Mariæ hortensis sepulta, multum dolente Patre. Cujus iconem in exemplum ideamq; omnium fœminarum, tabulâ nostrâ R. exhibuimus.

Iconibus celebris.

30. ætatis anno moritur.

LXXIII. PAULUS CALIARIUS Veronensis pictor,

LXXIII. PAOLO CALIARII.

CUm Urbes Longobardicæ, Florentiæ & Romæ in arte pictoriâ prævalere inciperent, Veronæ nascebatur Paulus (in juventute Paulinus appellatus,) Patre Laotomo; discipulus primò Veronæ Johannis Caroli, deindè Venetias digressus in societate cujusdam Johannis Baptistæ Veronensis, quędam pingebat magno judicio. Inter alia autem Masieræ, haud procul Asolo in Marca Tarvisiana pulcherrimum Palatium Danielis Barbari Patriarchæ Aquilejensis pinxit: & in monasterio S. Nazarii extra Veronam in magno linteo cœnam Simonis leprosi, cum projectâ ad pedes Domini Mariâ Magdalenâ insertis multis iconibus, nec non opere quodam scenographico, & duobus sub mensa canibus quasi naturalibus; è longinquo autē claudis quibusdam magnâ arte expressis, cujus operis à Ridolfo equite factū est apographū, in Flandriam missum. Venetiis autem in œco quodam curiæ Decemviralis super medio fornice in plano majore elliptico depictus ab ipso est Jupiter vitia proscribens. In templo etiam S. Sebastiani testudinem similiter pinxit opere pulcherrimo; nec non altaris tabulam in sacello majori, cum pluribus aliis, ut & organi alas decore insigni. In œco curiæ magnæ magno opere pingebat Fridericum Barbarossam in conspectum Pontificis venientem, ubi pompa tàm Imperatoris, quàm Pontificis & Magistratus Veneti, magnificè expressa est, cum insertis iconibus Senatorum & Nobilium Venetorum quàm plurimis.

Venetias venit.

Opera ejus.

Ad S. Georgium Majorem, quod est cœnobium Benedictinorum propè Venetias in fine Refectorii, nuptias pingebat C[illegible] in Galilæa celebratas opere admiran[illegible] non quantitate saltem, sed & imag[illegible] copia, cum plus quàm centum & [illegible] quaginta facies ibi numerentur; & v[illegible] varietate, & inventione & colorum [illegible] spectabili.

Pro Antistitibus etiam S. Marci [illegible] tando cum aliis in Bibliothecâ Ni[illegible] à Cardinali Bessarione magno Græco[illegible] Librorum thesauro ditatâ, Musicam [illegible] gebat, sive tres virgines pulcherri[illegible] quorum una Violâ pedum; altera chel[illegible] dit; tertia è libro cantat; ludente cum ill[illegible] clavichordio Cupidine, & fistulâ Pane. [illegible] alio loco appinxerat Arithmeticam, [illegible] antiquis quibusdam Philosophis: & [illegible] rem, cui throno insidenti sacra fiunt [illegible] ronæ regales imponuntur, quæ omn[illegible] no jam ætatis suæ trigesimo secund[illegible] ciebat, palmam promeritus judicio o[illegible] um; & torque aureo propterea mun[illegible] tus.

Cores Varios [illegible]

Dehinc Venetiis etiam ad S. Paulum pu[illegible] cherrimo opere ab ipso depictus est Ch[illegible] stus cum publicanis conversatus, à J[illegible] ne Sanredamo typis æneis vulgatus. [illegible] templo Crucigerorum in Sacello ad [illegible] tram altaris pastores Christum adora[illegible] mendicante interea fascias matre. [illegible] ctus autem in patriam visitandorum [illegible] tum gratiâ, Convivium illud Simonis [illegible] Patribus S. Nazarii pingebat, supra de[illegible]

ptum; in quo, prout semper, magnâ curâ observavit Prospectivæ regulas; sed ita tamen, quod præcipuè notandum, ut picturæ Architectonicæ parerga ipsi potius essent, quàm primarius scopus ejus.

Romam venit.

Deindè cum Hieronymo Grimano Procuratore S. Marci, oratore ad Pontificem, Romam abibat, cum aula Papali & opera rariora tàm antiquorum quàm Raphaëlis & Michaëlis Angeli inspecturus; quæ deindè non solùm imitatus est, sed majori sæpè perfectione expressit.

Venetias redit.

Venetias autem redux in Oeco Decemvirorum inter Mercurium & Pacem, Neptunum pinxit cum tridente equo marino vectum, opus à Bazacco amico Pauli inchoatum.

Opera ejus Veronensia.

Et pro templo S. Georgii, quod Veronæ est, in tabulâ altaris Ginocchium equitem â militibus, cum idolis immolare nollet, vestibus exutum, oculis in cœlum directis Mariam cum tribus virtutibus Theologicis conspicientem.

Brixiana.

Brixiæ in templo S. Afræ istius pingebat martyrium, quod rogo consequeretur; jacentibus ibidem & aliorum martyrum corporibus, & palmas è cœlo spargentibus angelis: quo in opere non minorem artem exhibuit, quàm Tintoretus & Bassanus, qui alia opera pro hoc templo confecerant.

Jam ut ad Magnates etiam convertamur, Viennæ pro Rudolpho II. Imperatore tres novas pingebat inventiones de Venere & Marte: item de Cephalo & Procride. Pro Carolo Sabaudiæ Duce opere magno elaborabat Reginæ Sabæ ad Salomonem adventum: item Davidis & Goliathi pugnam, quæ ambo in porticu Turinensi adhuc extant.

Exotica alia.

Pro Wilhelmo Duce Mantuano in tabulâ quadratâ Mosen pingebat ex undis extractum, opere, quod inter illustria Pinacothecæ Mantuanæ censetur optimum. Artemini, quæ est Voluptuaria Ducis Florentini domus, quatuor etiam historiæ Biblicæ ipsius manu factæ conspiciuntur. Prout & Dux Mutinensis quatuor illius tabulas possidet; de tribus Magis unam, quæ cœteris preferenda; deindè & nuptias Canæ in Galilæa celebratas, cum magnâ figurarum muliebrium multitudine ad viva exemplaria depictarum; tertiò Christum in calvariæ montem ductum, comitantibus Judæis & militibus plurimis, nec non matre virgine: & quartò imaginem D. Virginis, cui fidei figura assidet, calicem & crucem tenens, cum iconibus quibusdam. Sic Dominus Gessi deinde Cardinalis & Nuncius, ad Venetos Paulo V. Pontifici mittebat Desponsationem S. Catharinæ cum cœlesti suo sponso. Princeps Borghesius in quadro dimidiato habebat S. Antonium piscibus in littore prædicantem, arrectis capitibus auscultantibus. Apud Principem Ludovisium in telâ extat Purificatio D. Virginis: item S. Johannes pœnitentiam prædicans; quæ omnia artificis nostri manu facta sunt. Marchio Justinianus ab ipso etiam accipiebat imaginem Christi mortui à duobus Angelis custoditi. Comes Monte Regius autem, deindè Pro-Rex Neapolitanus, duas fabulas ex Ovidio de Europa tauro per mare abducta.

Basilius Feilding, Comes Anglus, Legatus apud Venetos, varias etiam ab illo acceperat picturas; inter quas comparatio D. Virginis Mariæ, cum S. Catharina. Item Eva, Abelem & Cainum in deserto arborum fructibus & rivulo præterfluente sustentans. Nec non Abraham Isaacum immolaturus. Deindè & Christum à Magis adoratum: item baptisatum: item ad columnam flagellatum, nocturnum opus, accensâ face illuminatum. Porrò & resurrectionem; & Johannem Baptistam prædicantē. Similiter Christum à Marthâ & Mariâ cum Apostolis invitatum. Nec non Estheram ante Ahasverum cum suis consistentem. Inter fabulosa ejus præ cœteris extollebatur Ven' quædam cum Adonide, canes manu, oculis Deam detinente: & duabus tabulis minoribus Nessus Centaurus ab Hercule sagitta ob raptam Deianiram trajectus; pictura elegantissima.

Dominus Houssetus, Legatus Gallicus, ipsius manu factum habebat martyrium S. Justinæ: nec non conversionem S. Magdalenæ: item resurrectionem Domini in tabulâ octangulari à Paulo Veronensi certando factam cum Bassano, qui nativitatem; & cum Tintoreto, qui ablationem à cruce pinxerat. Domino Jacobo Contarino in tabula majore Europam pinxerat tauro avectā, lambente pedes ejus comitantibus pedissequis quibusdam, quibus ipsa nititur, flores spargentibus aliis; advolantibus & amoribus, qui viam floribus conspergunt; ex Ovidio omnia. Dehinc à Domino Johanne Reynst Amstelodamensi Status confœderatarum Provinciarum opus quoddam de S. Catharina cum Christo inter varia Angelorum gaudia desponsatā autoris nostri emtū cū quatuor aliis 25000. florenis, moderno Britanniæ Regi dono oblatum est. Ibidē meo tempore celebri hac manu factum viventis magnitudine Christum in Jordane baptisatum ipse possedi cum duobus Angelis sindonem ad detergendum corpus tenentibus in tractu campestri pulcherrimo, quod illinc in Germaniam abiturus Domino Reniero Pau Domino de Hemstetten, cum icone Andreæ Vesalii Titiani manu factâ, aliisq; rarioribus vendidi; à quo eadem adhuc magni æstimata possidentur. Cœterùm tres Comites Widmanni tres etiā ab ipso obtinuerunt historias; de paralytico unam, de resuscitato Lazaro alteram; & conversione Pauli tertiam, cum magnâ pulcherrimarum figurarū multitudine. Item Imaginem D. Virginis cum filiolo gremio detento,

cui pedem osculatur Johannes Baptista junior, adstante hinc Josepho brachio dextro nixo; illinc S. Catharinâ sponsum admiratâ.

Dominus Paulus de Sera ejusdem virginis martyriú acceperat, confractâ ab angelo tyranni rotâ. Sic Christophorus Orsetti manu ejus factam obtinebat imaginē Stephani pro hostibus orantis. Item Domini Johannes & Jacobus de Verle iconem Lixæ cujusdam vestes dorso gerentis, ocularia sua mensæ imponentis. Nec non Pugilē albo vestitu cum gladio in unâ, & Schedulâ in altera manu, cum hac epigraphe: Nec spe, nec metu. Porrò iidem imaginē ostendebant fœminæ cujusdam librum manu tenentis: nec non mancipii cujusdam, quod pro rarissimo habebatur. Post mortem ejus inter bona ipsius Domino Josepho Caliario cesserat Christus mortuus à Patre cœlesti gremio detent', adstantibus ad pedes duobus Angelis, & Cherubinis variè advolantibus. Duabus tabulis minoribus autem expressa est Nativitas Christi opere pulcherrimo. Et hæc de operibus ejus.

Ut autem quædam etiam de industriâ ejus adjiciamus, quantum quidem à discipulis ejus intelligere potuimus; primùm apographa fecisse dicitur operum præceptoris sui Badiles; nec non typos Alberti Düreri, quem in plicaturis vestium semper sequebatur. Adultiori autem Diagraphica Parmēsis placebant, quorum multa fecit apographa, adjecto lumine elevatiore pro celebriorum artificum more. Præterea singulari studio omnes observabat nervos, musculos, venas, & umbras lucernarum & facum, quas pauci naturaliter, sed ex arbitrio potiùs exprimunt. Ut quidam putarent, eum ob observata tàm minima domi magnam habuisse idearum copiam, quas deindè in picturis suis sequeretur; cum tamen ob memoriam incomparabilē ipse ex ingenio suo omnia formaret singulari venustate & decore cuncta imbuens.

Typis æneis Alberti Dureri utitur.

Naturæ enim vestigia calcare unicè studebat: undè conspectis celebriorum pictorū operibus, id tantùm eligebat, quod in quolibet esset optimùm; undè Venetorum & ipse sequebatur methodum, quam in variis cum Tintoreto certaminibus tantoperè excolebat, ut plerumq; in dubio esset victoria, ut si Tintoretus majori vivacitate naturam imitaretur, colore quasi vero & ingenio incomparabili omnia ceu viverent repræsentans; Veronensis ex adverso rariore inventione, majori decore, vultuumque gratia, imaginum distinctione, omnium symmetriâ, & universali elegantiâ palmam illi redderet dubiam; ut à pluribus zodiaci picturæ hi dicerentur Gemini. Cœterùm moribus & conversatione honestus erat, lucri non usq; adeò cupidus; ad serviendum pronus; vestitu splendidus, calceos semper de holoserico gestans, quales ab hæredibus ejus adhuc custodiuntur: promissorum tenax; in picturâ laudis studiosus; erga familiam prudens; liberos à pravâ societate abstractos in pietate educans; vitâ longævus, bonis abundans, favore magnatum clarus, ab omnibus amatus

Tintoreti & Pauli comparatio.

Virtutes Pauli.

Aliensis pictor mihi narrabat: Titianum, cum aliquando obvium haberet in Area S. Marci Paulum, debitâ eundem reverentiâ prosecutum, hunc amplexu salutasse, gaudere se dicendo, quod illum aliquando videat, in quo cum excellentiâ pingendi, cōcurrat elegantia. Vocatus autem à Philippo II. Hispaniarum Rege ad pingenda conclavia quædam, renuebat; quod in pingendo Palatio Ducali tunc occupatus esset; ut illius loco in Hispaniā abiret Fridericus Zuccherus de S. Agnolo in Vado. Hic cum Venetiis degeret, visitasse dicitur interdum Paulum, obtentâ etiam ab illius manu memoriâ. Quin & à pictoribus quibusdam senioribus intellexi, Zuccherum apographa fecisse duarum Veronensis tabularum in sacello ad S. Sebastianum existentium. Unde & in poëmate quodam Picturam introducens de Paulo nostro, sic loquentem fingit:

à Titiano honoratus.

In Hispaniam vocatur.

Mà che dirò di Paolo Veronese
Magnanimo, Cortese, ed eccellente,
Che diede fine à mille belle imprese.
Delle più ricche gemme d' Oriente
Qnesto mi pose una collana al collo
E di candide Perle un gran pendente.

Apophthegmata quoq; de illo quædam referuntur, qualia sunt: Neminem de pictura genuinum ferre posse judicium, nisi hac in arte ipse fundamentaliter sit instructus; quum ea sit cœli donum. Item: Eum, qui naturâ non utatur adjutrice, quamvis conatu maximo industrium, littus tamen arare. Item: Potissimam artis pictoriæ partem cōsistere in honestate & probitate morum. Et porrò: Angelorum & Sanctorum imagines à pictoribus optimis pingendas esse, quod illis admiratio excitanda sit & devotio. Titianus istius artis parens, magno Paulum prosequebatur honore; sed & magno Tintoreti intellectu delectatus; hoc uno in hoc culpato, quod cœteris artificibus omnibus modis hic nocere intenderet.

Apophthegmata ejus.

Mortuus autem hic noster est anno 1588. acutâ febri correptus, feriâ secundâ Paschatos, anno ætatis quinquagesimo, à liberis & fratre in templo S. Sebastiani monumento honorificentissimo inter picturas ejus honoratus, ubi in lapide hæc leguntur:

Epitaphia.

Paulo Caliario Veronensi Pictori
Celeberrimo Filii & Benedic. Frater
Pientiss. & sibi Posterisq;.

Decessit XII. Calend. Maj. Anno
M. D. LXXXVIII.

Effigies autem ipſius à Camillo Bonzettio elegantiſſimè ſculpta ad angulum organi locata, à Filio ejus Gabriele deindè renovata eſt his adjectis:

Paulo Caliario Veronenſi Pictori
Naturæ Æmulo, Artis Miraculo,
Superſtite Fatis Fama Victuro.

Eademq; à nobis in tabulâ iconum noſtrarum R. Spectanda exhibetur.

CAPUT XVIII.

JACOBUS BASSANUS, GEORGIUS VASSARIUS, & duo Artifices alii.

Argumentum.

LXXIV. JACOBUS DE PONTE BASSANO pictor. Opus ejus nocturnũ de gaudio Angelorũ ob nativitatem Chriſti. Equos, Canes & oves egregiè pingit. Quadã opera ejus de Paſſione Chriſti. Opera ejus variorum locorum. Facili utitur pingendi methodo. LXXV. JULIUS LICINIUS PORDENONIUS; pictura ejus Auguſtana. LXXVI. GEORGIUS VASSARIUS ARETINUS Pictor & Architectus, pictorum Italorum vitas & encomia deſcribit. Florentiam venit: à Pictoria ad Chryſurgicam tranſit. Romam venit. Egeſtas & æmulatio artes promovent. Opera antiquorum ſedulò deſignat. Opera ejus prima. Florentiam redit. Præſente naturâ, picturæ vileſcunt. Architecturæ operam dat. Favor odium parit, virtute vincendum. Cura Vaſſarii pro ſororibus ſuis. Vitam aulicam ſolitudine permutat. Romæ omnia juxta menſuras delineat. Noctem nativitatis Chriſti pingit. Opera ejus Bononienſia. Florentiæ Conceptionem Mariæ egregiâ inventione: inventione mirâ Hieronymum pingit. Romæ ablationem è cruce pingit; & juſtitiam pulcherrimâ inventione. Inventio operis columnati cujusdam. Anſa eidẽ data ad ſcribendum opus de pictoribus. Trium magorum oblationem pingit. Hiſtoria de S Franciſco. Florentiam venit. Opera ejus hujus loci. Oecus ducalis major Florentinus magnâ feſtinatione depictus. Pro Pontifice Pio V. Romæ pingit. Moritur anno ætatis 64. LXXVII. FRIDERICUS ZUCCHERUS de S. Agnolo in Vado pictor: juvenis adhuc Romam venit. Opera ejus ad Mariam Hortenſem. Cum fratre ſuo quatriduo omnes Paſſionis hiſtorias pingit & alia. Hiſtoriam S. Euſtachii pingit. Correcturas fratris ſui non admittit. Itinera ejus.

LXXIV. JACOBUS DE PONTE BASSANO Pictor,

LXXIV. GIACOMO DA PONTE BASSANO.





Venetiis temporibus Titiani multâ prudentiâ inſignis: qui ſingulari methodo nocturna varia repræſentabat, cujus exemplum prębuit hiſtoria de angelis, paſtoribus natum Chri-
Opus ejus nocturnũ. ſtum annunciantibus: ubi ab illis allapſum lumen vaſa quædam ahenea ad tugurium paſtorum locata eleganter colluſtrat.

animalia pingit. Equos, canes & oves tantâ pingebat Veritate, ut lanæ quaſi tangeretur mollities. Mercatoribus autem multa elaborabat, pi-
Paſſio nocturna. cturas ejus aliò transportantibus: quâ ratione opera quædã ejus minora de Paſſione Chriſti Romam pervenerunt, opere nocturno picta omnia, lucernis, facibus & aliter colluſtrata, adhibito ad iſta lapide ni-
Varia. gro pro nocte repræſentanda. Inter alia hæc etiam hiſtoria de filio prodigo picta erat in tela colore oleario, ubi filius ſeminudus coram patre proſtratus plantas pedum exhibet ſemiputridas; cum beſtiis quibusdam è longinquo adjectis, nec non mulieribus teneriore peplo amictis.


Cum Baſſani extrà Venetias habitaret, ad viva exemplaria ſemper pinxiſſe dicitur: cõductusq; ad hiſtorias quasdam, quæ minus ipſi placerent, ſubſtituiſſe alias, nocte quadam, vel aliis, quibus delectaretur, notabiles: quas, ſi conducenti non arriſiſſent, aliis mercatoribus vendiderit. Ipſius manu Amſtelodami apud Johannem Wicketum, artis hujus fautorem, oleario ſubactu picta videtur annunciatio paſtoribus facta, cùm aliis quibusdã ibidem hinc inde extantibus, quę à Johañe Sadlero, & fratribus ejus, eleganter typis æneis expreſſa ſunt. Prout & eadem in Urbe adhuc alia Subdialia & campeſtria variis animalibus repleta ipſius manu facta viſuntur; Majora autem quædam ejusdem opera in aulâ Regiâ Pariſienſi.

In plerisq; operibus ſuis id conabatur, ut Facilis eſt.
absque labore operoſo facta viderentur, quemadmodum & magna facilitate & quaſi incomparabili vitam ipſam exprimere poterat. Multis quidem literis de loco nativitatis & tempore mortis ejus apud Venetos percontatus, nihil tamen certi cognoſcere potui: niſi quod duos poſt ſe reliquerit filios diſcipulos ſuos, patris metho-



GIORGIO VASARI D'ARETSO


IOSEPHUS ARPINAS.
S


ANNIBAL CARACCI DA BOLLONGNIE


MICHEL ANGELO MARIGI DA CARAWAGI




GIOANNI LANFRANC DA BOLLONGNIE

dum secutos, quorum alter ob artem Venetiis in ordinem equestrem receptus est, ibiq; vixit anno 1603. Iconem ejus tabula nostra R. expressimus.

LXXV. JULIUS LICINIUS Pordenonius Pictor,

LXXV. GIULIO LICINIO de PORDENONE.

PRæcedenti coævus, Venetiis & in finitimis magni etiam æstimatus, ob picturas tàm oleario colore, quàm in albario recente factas, quod non diagraphicâ saltem, sed & chromaticâ excelleret, patruelem & præceptorem suum Pordenonium de Castello Franco in hoc secutus, imò delineando eundem superans.

Picturæ ejus Augustanæ.

Præter alia autem, quæ hinc inde ab ipso facta inveniuntur, Augustæ Vindelicorum Rehlingio cuidam duas pinxit domos in albario recente, quas jam Dominus Schanterellus & Dominus Garbius inhabitant: in quibus præter inventionẽ & ordinem diagraphica elucet præstantissima, colorq; in albario angulari nitore naturalis, eâdem quasi pulchritudine, ac si color adhibitus esset olearius: & quod magis mireris, tanta est colorum istorum constantia, ut in climate tam frigido ultra seculum jam immutabiles perstent, cum aliorum opera ante 25. annos picta, tantâ non amplius gaudeant perfectione. In honorem autem artificis debitum in tabulâ quadam hæc adjecta est epigraphe: Julius Licinius Civis Venetus & Augustanus hoc ædificium his picturis insignivit, hicceq; ultimam manum posuit An. 1561.

Invitus autem abrumpere hic cogor, cum de isto nec Vassarius, nec Ridolfius Eques; nec Manderensis ullam faciant mentionem: & ego nec alibi plura de ipso rescire potuerim.

LXXVI. GEORGIUS VASSARIUS Aretinus, pictor & Architectus,

LXXVI. GEORGIO VASSARI.

OPere de Vita & encomiis pictorum Italorũ clarus, inque eo procul dubio ab ipso Florentiæ Duce scriptisq; Laurentii Gibberti, Dominici Grillandi & Raphaëlis Urbinatis multùm adjutus, anno 1514. natus; & Aretii primò à Wilhelmo Massiliensi pictore Vitri informatus: anno 1524. autẽ à Cardinali Cortonensi Sylvio Passerini Florentiam delatus, ibidem in diagraphicis informatione Michaëlis Angeli, Sartorii & aliorum utebatur. Post triennium autem, expulsis Mediceis, inprimis Alexandro & Hippolyto, quorum favorem in tenerâ adhuc ætate suâ expertus erat, cum Antonio avunculo suo domũ redire cogebatur, ubi paulò ante Pater ejus peste mortuus fuerat: hîc in pagis pro rusticis quædam pingebat in albario recente, magno cum emolumento suo.

De Pictoribus scribit. Florentiam venit.

Anno deinde 1528. Aretii Rosso innotescens, qui tabulam illi pingendam delineabat, cum multâ adibitâ diligentiâ majorẽ tamen in colorum usu reperiret difficultatem, quàm sibi concepisset; Florentiam reversus, cum ad alendos duos fratres, cum tribus sororibus, haud suffecturam putaret pictoriam, ad Chrysurgicam sese applicuit: sed obsessâ anno 1529. Florentiâ, Pisis varia tamen iterum pingebat tàm in humido quàm oleario colore. Deindè Bononiæ, cum varia pro coronatione Caroli V. pararentur, aliquandiu quædam lucratus, Aretium iterum, & mox Senas adibat, utroq; in loco multa elaborãs. Tandem à Cardinali Hippolyto de Medicis Romam delatus, in societate Francisci Salviati operam navabat sedulam, multis mensibus noctu & interdiu delineationibus vacans. Æmulatione igitur coætaneorum & antecessorum, quos quamvis in arte excellentissimos, carne tamen & ossibus haud sibi dicebat dissimiles, & egestate suorum adactus nullo parcebat labori, ut & ipse ad quoddam artis culmen ascenderet; unde nihil sive Romæ, sive Florentiæ, sive alibi, quod rarius esset, intactum relinquebat, omnia sive picturarum, sive statuarum, sive structurarũ tam antiquarum quàm modernarum genera delineando: & quamvis in fornice etiam Michaëlis Angeli multum proficeret, cum Salviato tamen omnia Raphaëlis, Polydori & Balthasaris Senensis opera delineabat; faciente noctu altero semper apographa eorum, quæ alter interdiu delineaverat.

& Romam.

Sedulò omnia delineat.

His factis pro Cardinali suo primo opere in telâ majore colore oleario vivis quasi imaginibus pingebat Venerem à Charitibus variè ornatam; quas Satyrus quidam ex occulto spectare desideraret. Quod opus tantoperè placebat Cardinali, ut novâ eum veste donaret. Inchoatoq; etiam magno decẽ cubitorum longitudinis opere Bacchum picturus erat, sed Cardinalis abitu interruptus, Aretium primò, sed ob morbum mox Florentiam abibat, ubi à Duce benevolè acceptus, sumto apud Octavianum de Medicis hospitio, à quo paterno quasi fovebatur amore, ad S. Laurentium opera Michaëlis Angeli delineabat: postmodùm & Christũ mortuum, à Nicodemo & Josepho sepulchro inferendum, pingens, opere à Duce & Principibus magni æstimato.

Opera ejus prima.

Florentiã redit.

Porrò consumaturus & conclave quoddam à Johanne Vedinensi desertum, Alexandri Ducis in tela elaboraverat iconem armatam, cum captivis quibusdam ponè assidentibus; ibi cum effigiem quidem magnâ veritate expressisset, politura tamẽ & nitore armorum à se pictorum cõtentus

non erat, donec à Jacobo de Puntormo monitus thoracem ipsum, quo pro exemplari usus erat, è viciniâ tolleret. Mortuo deindè Cardinali Hippolyto, in quo magnam Vassarius posuerat fiduciam, occasione munitionum tunc à Duce structarum, Architecturæ jam operam dabat noster, quam utiliorem speraret, multo in eâ insumto tempore.

Præsente natura, pictura vilescit. Architecturæ operam dat.

Cum autem anno 1536. Florentiæ excipiendus esset Carolus Imperator, Vassarius omnes ad portam triumphalem conficere à Duce jubebatur ideas, cum variis ornamẽtis aliis: unà cum magnis quibusdam vexillis castri aliarumq; munitionum; nec non facie ad S. Felicem maximâ, altitudine quadraginta, & latitudine viginti cubitorum, præter ornatu insigniendam portam S. Petri; quæ omnia Vassarii vires longè superabant. Quodq; pejus, ex invidiâ ob nimiũ Ducis favorem viginti ab ipso discedebant socii, in conficiendis vexillis ipsi adjutores, nunc ad aliorũ auxilia digressi; ut ferè succubuisset oneri noster, nisi convocatis aliis clàm ipsum juvantibus sedulò ipse quoq; noctu & interdiù laborans, omnibus difficultatibus ivisset obviam. Accusatus igitur ab inspectore horum Bertoldo Corsini, quod auxilio destitutus nimio sese obruisset; debito tamen tempore omnia finierat, magno cum beneplacito Ducis, muneratus quadringentis primò, mox & trecentis coronatis, qui detracti fuerant osoribus ejus ob opera sua non finita: quâ pecuniâ matrimonio unam elocabat sororum, cœnobio providebat alteram, pictâ pro Cœnobitis & Annunciatione.

Favor odium parit.

Virtute vincendum.

Cura pro sororibus.

Occiso dehinc per sicarium Duce Alexandro Patrono ejus, vitæ aulicæ pertæsus, Camaldoli, qui locus desertus est, ob solitudinem ipsi gratissimus pro templo pingebat D. Virginis imaginem cum S. Johanne Baptistâ & Hieronymo, tanquam duobus eremitis: unà cum aliis quibusdam operibus. Florentiæ ergò multis excusationibus servitia aulica declinans, elaboratis quib⁹dam pro Domino Octaviano de Medicis, hinc quingentos illi Romę coronatos numerari jubebat: ubi anno 1538. omnium faciebat apographa, quæ in cryptis; dimensus etiam statuas & structuras omnes, delineationes similes plusquã trecentas cumulabat, quibus in pingendâ pro Monte San Sovino Mariæ Assumtione, magno cum fructu dehinc utebatur.

Aulam deserit.

Romæ delineat varia.

Mox ad Eremitas Camaldolenses reversus noctem nativitatis Christi pingebat à claritate Christi illuminatam appictis iconibus pastorum & aliorum pluribus noctu ad candelæ lumen pro majori similitudine factis. Pro illuminando autem tecto angelorũ usus fuerat claritate; illuminatis quibusdam etiam factis è stramine facibus; lunæ & stellarum lumine aliis. Quod opus carminibus etiam factum est celebre.

Noctem Nativitatis Christi pingit.

Deindè Bononiæ pro cœnobio S. Michaëlis nemorosi varia pingebat in Refectorio arte & elegantiâ plurimâ. Mox Camaldoli iterum summi Altaris tabulam pingebat, Christum nempè à cruce ablatum sedulitate maximâ: & pro Domino Octaviano tabulam quandam cũ imagine Johannis Baptistæ junioris, inter rupes, quas juxta naturalia exemplaria expresserat. Dehinc pro Bindo Altoviti emtâ Florentiæ domo, & adsumtâ ad se sorore suâ tertiâ, tabulam pingebat de Conceptione Mariæ in templo Apostolorum locandam: ubi in medio alligatis arbori cuidam protoplastis, & in ramis ejusdem collocatis Patriarchis, & Regibus utroq; brachio vinctis omnibus, exceptis Samuële & Johanne Baptistâ, uno tantùm vinctis brachio, quod ex utero materno sanctificati essent: applicito etiam ad arboris truncum serpente antiquo, vincto in medio pariter, tandem Mariam pinxerat Sole vestitam & duodecim stellis coronatam uno pede Caput serpentis, altero lunam calcãtem, tenentibus illam in aëre multis Angelis nudis à sole illustratis, à quo radii etiam per ramos arboris sparguntur ad illuminãdos & solvendos ibidem ligatos: appictis desuper duobus pueris hanc epigraphen tenentibus:

Opera ejus Bononiensia.

Conceptio Mariæ.

Quos Evæ culpa damnavit,
Mariæ gratia solvit.

Pro hoc opere à Bindo accipiebat trecẽtos coronatos; cui eandẽ imaginẽ & opere parvo elaborare oportebat. Interea pro Dn. Octaviano & Venerẽ quandã pingebat & Ledã, juxta designationem Michaëlis Angeli. Itẽ S. Hieronymũ viventis magnitudine pœnitentẽ, & meditatione mortis Domini Venerem fugantẽ, quam pinxerat quasi Cupidinem ulnis gereret, & alterâ manu Jocum duceret, dissipatis & retroversis sagittis Cupidinis, eleganti invento.

Hieronymus.

Omnia autẽ illius opera describere prolixum nimis foret, cum promtitudine maximâ & sine labore quasi pingeret: ut ergò memorabiliora saltem describamus, inter illa Romę pro Domino Bindo, oleario colore Christum pinxerat à cruce ablatũ viventis magnitudine in terrâ jacentem, ad cujus pedes Diva Mater, in aëre autem Phœbum & Dianam obscuratos, & in campo hac eclipsi obtenebrato montem terræmotu corruentem cum corpore quodã è sepulchro surgente expresserat; quod opus optimorũ etiam pictorum laude celebratum est.

Christus mortuus.

Deinde pro Cardinali Farnesio in tabulâ altitudinis octo & latitudinis quatuor cubitorum justitiam pinxerat, ulnis struthiocamelum, manu autem Leges XII. Tabularũ Romanarũ cum sceptro tenentẽ, super quo ciconia cũ casside aureâ aculeatâ; ipsa porro triplici colore vestita & è meditate supera nuda captiva ducit septem vitia, fraudem, ignorantiam, crudelitatem, metum, pro-

Justitia.

ditio

ditionem, mendacium & obtrectationem, quibus imminet veritas, eadem examinans denudata, justitiæq; duas columbas, innocentiam denotantes offerens; cum ex adverso à justitiâ coronâ quernâ iterum coronetur, pro robore denotando.

Opus columnatum. Anno 1544. Neapoli multa etiam nō tantùm plastica gypsata, tum ibidem adhuc rariora, quàm picta opera elaborabat. Romã autem reversus Cardinali Farnesio in albario recente œcum pingebat, ubi expresſâ per parietem porticu cuneatâ, præmissis in interiori facie gradibus quibusdam, historiam quandam super his expingebat de Paulo III. cujus icon ibidem aliquoties repetitur: in exteriori autem ejusdem facie inter arcus ad columnas cum virtutibus quib9dam duas semper victorias alatas capita quædam Imperatorum sub numismatum formâ tenentes: quod opus, quamvis copiosissimum, centum tamē diebus finiebat Vassarius.

Ansa scribendi operis. Cum in labore hujus œci occuparetur, prandente aliquando Cardinali, sermo incidebat de vitâ celebrium pictorum, qui in Italiâ à temporibus Cimabues, usq; ad moderna floruissent, ubi quidam inter eruditos Jovius, magno se quidem desiderio teneri asserebat talia conscribendi; cum tamē non omnia ad artem requisita semper cognoscant doctiores, meliùs fore, ut is labor à pictore quodam susciperetur. Ubi tandem Labor hic Vassario cōmittebatur, qui plurima à teneris de similibus ipse cōgessisset. Hic ergo dum variis in locis laboraret, librū hunc suum sensim componebat: cumq; in

Opera ejus. cœnobio quodam tribus milliaribus extra Ariminum ad S. Mariam discalceatam venisset, Abbas per monachum quendam eundem describi curabat, pro quo labore ipse in tabulâ altaris oblationem trium Magorum pingebat, opere celeberrimo.

Arimini in templo S. Francisci hunc Sanctum pingebat in monte Vernia vulnera accipientem; cum autem pullus esset color rupium, idemq; etiam color in veste Francisci & Socii ejus pingendus esset, Vassarius Christū intra solem pingebat cum magno Seraphinorū numero, quorū lumine illuminatæ vestes à monte meliùs discernebãtur.

Post varia dehinc alia, Florentiã redibat cum omni familia, anno scilicet 1555. ubi fornicem œci ab elementis denominati undecim picturis exornabat: aliudq; simùl cōclave picturis poëticis de educatione Jovis, robore Herculis & similibus. Interea Dux juxta ideas ejus etiam tapetes texi curabat; dum ipse alia semper cubilia partim historiis, partim ornamentis encarporum & similibus insigniret, ut vix credi queat, quantam iconum & rerum gestarum copiam ibi congesserit: quare & tot muneribꝰ à Magno Duce cumulabatur, qui magnifico ipsum palatio Florentiæ; item alio extra urbem, nec non officio Gonfalonario sive signiferi Aretii donabat.

Inter alia ejus memorabilia œcus etiam major Ducalis est, in quo quadraginta historiæ megalographicæ cum figuris sex & octo cubitos altis, prœliis, urbibus, locis & effigiebus ad vivum exhibitis refertæ, ut uno anno hoc opus fieri potuisse impossibile videatur, cum ipse tamen non nisi Johannem Stradanum cum duobus aliis, haberet adjutores. Hæc autē tantâ fiebant festinatione ob nuptias Francisci Medicei cum Sorore Maximiliani Imperatoris; pro quibus insimùl plurima etiam alia ab ipso præparanda erant, quippè qui pingendo quasi nunquam defatigaretur.

Pro Pontifice pingit. Tandem etiam pro Pio V. Pontifice in OecoRegio varia pinxit, ut prœlium navale cū Turcis ad Naupactum: itē unionem Domus Hispanicæ & Venetorum contra Turcam: nec non historiam de Galliâ, & alia operibus magnis. Ubi adjutorem habuit Petrum de Wite Belgam cum alio sympatriota. Qui Petrus cum ipso etiã laboravit in tholo Florētino, quem jam quasi sexagenarius expinxit extremo judicio repræsentato, ubi in summo Christum cum Sanctis, dehinc circulum Angelis plenū cum aliis majoribus abbreviatis exhibuit. Antequam autem huic

Moritur. operi ultimam manum imponeret, ultimã ipsi mors horã statuerat, ut Florentiæ moreretur anno 1578. ætatis 64. ubi opus illud Fredericus Zuccherus absolvit. Nos autem effigiem ejus tabula nostra S. exhibuimus.

LXXVII. FRIDERICUS ZUCCHERUS de S. Agnolo in Vado pictor

LXXVII. FRIDERICO ZUCCHERO. IN Ducatu Urbinensi ad mortem Apenninum in oppido ad S. Agnolum in Vado natus, Taddei frater; anno 1550. qui Jubilæus erat, à parentibus Romam deductus, ad

Romam venit. invisendum fratrem ibidem jam pictoria celebrem, ubi fratri relictus, post sex annorum tyrocinia in pictoriâ ita proficiebat, ut fratri jam adjutor esset, & non tantùm cum ipso in albario recente quædam; sed & pro Nobili quodam Romano ad scalam Aræ cœli in palatio eodem genere Heliconem cum

Opera ejus. Musis solus pingeret: ex quo & sacellum, fratris curâ, ad S. Mariam hortensem ad ripam, pingendum accipiebat, in quo Taddeus noctem saltē nati Christi, cœtera omnia Fridericus efficiebat.

Deinde pro apparatu ad abitū Caroli V. fratrem variè iterum juvit: cumq; eo pro Paulo Jordanio historiam de Alexandro M. & Orvieti tres historias in templo de S. Paulo confecit: ubi tamen ægrotante utroque Taddeus Romam, Fridericus autem Agnolum, primò deinde Romam etiam rursus abiit. Deindè hi duo fratres

Quatriduo totam Passionem pingit. pro apparatu diei Parasceves in templo Florentinorum intra quatriduum omnes

Passionis historias, cum multis Prophetis & aliis elaborarunt, cum magnâ omnium admiratione, quod tantillo tempore tanta & tàm pulchra pingi potuerint.

Corrigentē fratrē haud fert. Fridericus autem, qui solus pingebat liberatius, cum à Fratre in albario pingendam acciperet faciem palatii cujusdā pro præfecto Cardinalis Farnesii ad S. Eustachium in Area Dogana, ibidemq; historiam S. Eustachii cum totâ familiâ baptisati ob crucifixi imaginem intra cornua cervi cujusdam conspectam, exprimeret: Taddeus autem honori fratri consulturus interdum quædam corrigeret, emendationum impatiens, ex indignatione per multos aliquando dies domū non redibat; donec mediantibus amicis res ita componeretur, ut Taddeus ideam quidem emēdaret, non verò opus ipsum: ubi Fridericus dehinc opere absoluto magnâ laude judicabatur dignus.

Varia. Post innumera alia etiam Christum pinxit in gremio patris jacentem mortuū, cum angelis variis instrumenta passionis gestātibus. Idemq; etiam absolvit opus aliquod in Palatio Caprarolæ pro Cardinali Farnesio à fratre inchoatum; de cujus inventionib' tàm antiquis quàm modernis, integrum conscribi posset volumen. Porrò & calumniam pinxit colore ovario, invento Apellis haud absimilem, à Cornelio Corte ære vulgatam; quo opere Cardinalem Farnesium tactum quidam putabant, cum quo ob solutionem ad litigia descenderat. Ejusdem etiam est opus illud de S. Laurentio in craticulâ tosto, in quo cœlum exhibetur, cum imagine quadam genibus nixâ devotissimâ. Deindè etiā pinxit historiam S. Catharinæ, in carcerem conjectæ, occisisq; sanctis quibusdam martyribus, tandem decollatæ. In sacello quoq; aurificum pro summo altari historiam pinxit trium magorum, quod opus à Jacobo Mattham Harlemensi ære editum est. Ejusdem manu in templo quodam in platea Julii etiam facta conspicitur flagellatio Christi, ad columnam minorem, (quæ Romæ in cœnobio quodam ostenditur:) quod opus est pulcherrimum.

Facto deinde in Galliam itinere, pro Cardinali Lotharingico quædam elaboravit: & abhinc in Belgium Antverpiam abiens, per mare Londinum profectus est, unde factis nobilium quorundam iconibus Romam rediit. Sed & in Hispaniā profectus, pro Rege Philippo quædam perfecit: consummato deindè etiam tholo Florentino, quem Georgius Vassarius imperfectum reliquerat. Plura enim sunt opera ej', quàm enarrari possent. Romæ autem habitabat in monte ad templum Trinitatis, ubi pulcherrimum extruxerat palatium quatuor portis insigne; adeoq; ætate tandem & gloriâ satur, diem suum obiit. Itinera ejus.

Caput XIX.

FRIDERICUS BAROZIUS, JOSEPHUS ARPINAS, CARACCII, & illorum Discipuli.

Argumentum.

LXXVIII. FRIDERICUS BAROZIUS URBINAS pictor. Peritia ejus in arte. Opera ejus. LXXIX. JACOBUS PALMA, Venetus pictor. Opera ejus, quæ Amstelodami, Juno, Pallas, & Venus. Diagraphica ejus typis aneis edita. Jacobus Palma alius tempestatem marinam pinxit; & alia. LXXX. JOSEPHUS ARPINAS pictor Romanus: in diagraphicâ sedulus est. Pro Papa laborare incipit, pro Capitolio, & pro S. Johanne Lateranensi. Pro Papâ Ferrariæ tria opera pingit. In equestrem S. Petri ordinem evehitur. Templum S. Johannis Lateranensis renovat. Opera ejus alia. Parisios venit. LXXXI. ANNIBAL, LUDOVICUS, & AUGUSTINUS CARACCII, inter quos duo fratres, pictores Bononienses. Prima eorum opera Bononiensia. Novum inventum ornamentorum. Historia de S. Benedicto. Porticus Cardinalis Farnesii. Egestas Annibalis. Septem opera misericordiæ pingit. Ludovicus Caraccius pictor subdialium & parvorum. Augustinus Caraccius Chalcographus. LXXXII. MICHAEL ANGELUS MARIGIUS Caravagiensis pictor, nil pingit nisi ad vivum exemplar; quid judicandum sit de picturis ad viva exemplaria? Cum Josepho Arpinate ad litigia devenit. Historiam Thomæ, digitum vulneribus Domini inserentem, pingit. Et sacra alia; Vocationem Matthæi. Cupido egregius ipsius manu factus. Inter equites Melitenses recipitur. LXXXIII. BARTHOLOMÆUS MANFREDUS pictor, megalographicis studet. LXXXIV. JOSEPHUS à RIVERA Valentinus Hispanus, horrendis delectatur, pingit Titium, & Ixionem, Catonis Uticensis autochiriam. Silenum ebrium. LXXXV. MAXIMUS Eques, venustati studet. LXXXVI. FRANCISCUS ALBANUS.

LXXVIII. FRIDERICUS BAROZIUS Pictor Urbinas

LXXVIII. FRIDERICO BAROZIO.



Venustate, gratiâ & pulchritudine pingendi celebris, quasi sympatriotæ Raphaëlis spiritu indutus, in ætate suâ juvenili temporibus Pauli III. Romæ multa in albario recente pinxisse dicitur, quamvis deinde Urbini in patriâ plerumque degeret; ob morbum & invidiam Româ desertâ. Ingeniosus erat delineando, prudens & amœnus inventione, ad exprimendos etiam affectus & alias Artis partes habilis: positionibus etiam, nec non faciebus & nudis corporibus omnium ætatum gratiosus. Icones fecit plurimas, cum tabulis & historiis haud paucis; adde quod imagines D. Virginis colore oleario elegantissimas pingeret, adhibitâ ad id plerunque icone uxoris suæ, eâdem cum filiolo ulnis variè prehenso ad vivum quàm venustissimè expressa: multo etiam tempore ad id insumto, ut facies ridentes tam puerorum quàm mulierum & virorum ad veritatem assequeretur. Pingendo singulari fluore usus est, quamvis his locis nihil de ipso, quod sciam, extet, præter opuscula quædam à Cornelio Corte, & Sadlero æri incisa, inter quæ imago quædam Deiparæ, in campo, tanquam in cubili sedens; cum historiis quibusdam aliis, inter quas sepultura Christi, gestantibus, eleganti facie expressum Dominum, Nicodemo & Josepho, nec non Johanne, in quo juvenile quoddam portando robur spectatur; adjecta & lipothymia correptâ mœstissimâ matre.

Peritia ejus. Opera ejus.

Deindè ipsius manu facta etiam æra quædam exesa reperiuntur; inter quæ imago quædam Deiparæ in aëre cum S. Francisco genibus innixo, & in sublime spectante. E quibus omnibus satis apparet, quâ artis excellentiâ montana illa polleant. Vestitu non erat confusus, nec nimius, id quasi unicè curans, ut picturæ ejus cum corpore animam habere viderentur: prout & Æneæ ejus exemplum testatur, ex incendio humeris Patrem eripientis, quem viventis magnitudine Romæ in Palatio Borghesio spectare licet, à Caraccio eleganter etiam ære expressum. Mortuus est Urbini anno ætatis 84. honorificè ibidem sepultus.

LXXIX. JACOBUS PALMA Pictor Venetus.

LXXIX. GIACOMO PALMA.

Chromatica singulari celebris an. 1548. Venetiis natus, quæ urbs mater & nutrix plurimorum per multos jam annos artificum meritò salutari potest. Hic quàm vivido lætoque usus sit pingendi modo, magno illo opere satis ostendit, quod Amstelodomi apud Dn. Heinricum de Os asservatur, quo Venerem, Junonem & Palladem exhibuit de pomo Eridis litigantes, cum pocillatore quodam semi nudo, puerisque & ornamentis quibusdam aliis: Ubi Venus inprimis semi aversa Cupidinem, quasi in aurem quædam ipsi susurrantem, respiciens, magnâ venustate pollet, facie, genâ, dente, atque genu artificiosissimè expressa. Præter alia, Venetiis fortè & in aliis Italiæ Urbibus ab ipso facta, opus aliquod diagraphicum illius à Golzio typis æneis editum est, Hieronymus nimirum pœnitens: & ab Ægidio Sadlero eodem modo vulgatus Sebastianus, opera elegantissima. Opera ejus.

Sed & alius Venetiis vixit Jacobus Palma, qui in conclavi illo, ubi, qui de Schola S. Marci sunt, congregantur, historiam depinxit allati Venetias nave corporis S. Marci, ubi magnâ simul arte tempestatem quandam marinam repræsentavit; reliquas scilicet naves ventis adhuc variè agitatas, cacodæmonibus in aëre sub ventorum typo procellas variè expirantibus: ubi nautarum industriam, ventorum violentiam, fluctuum spumas, fulguris coruscationes, remorum strepitus mirareris, cum omnia quasi vivere videantur. Idem etiam colore oleario summum altare pinxit in cœnobio S. Helenæ: & Venetiis pro Castello historiam trium Regum opere copioso & optimo: porrò quoque in templo S. Mariæ Formosæ pro Tormentariis S. Barbaram viventis quantitate adstante hinc S. Antonio, illinc S. Sebastiano, quod operum Palmæ hujus palmarium est; qui mortuus est anno ætatis 48. Jacobus Palma alius. Opera ejus.

Palma autem junior post hunc adhuc Venetiis laborabat, ad 54 annos usque progressus. De pluribus Venetis nihil mihi innotuit. Unde jam ad Romanos accedo Academicos.

LXXX. JOSEPHUS ARPINAS, Pictor Romanus,

LXXX. JOSEPH ARPIN.

Matre Johanna Nobilis cujusdam Hispani filiâ tertio matrimonio, patre Mutio de Casa Polydoro pictore communiore natus anno 1570. Arpini, ad delineandum à teneris pronus parentes commovit, ut Romam adirent, ubi cum in summâ egestate viverent, Patre per pagos pro rusticis tabulas votivas pingente, Josephus magnâ tamen industriâ delineationibus vacabat; Unde cum absente patre quidam ab equo delapsus similem aliquando desideraret tabellam, Josephus interea altero die eidem satisfecit; cum patre quoque extra Urbem quandoque divagatus, sed redux, ad delineationes suas mox iterum conversus. In diagraphica sedulus.

Cumq; eodē tempore Palatium Papæ Gregori- Pro Papa laborare incipit.

gorii XIII. pingeretur, quod negotium Boncompagnio, Nicolao Pomorantio, & Ignatio Monacho commissum erat, qui juvenes varios pro hoc opere sustentarent, ipse tandem à Pomorantio id etiam obtinebat, ut cum aliis assumeretur, ubi pictis primò in Insignia Papalia Draconibus quibusdam, deindè inter ornamenta larvatura quadam, tandem ad historias admittebatur, ubi tanta hinc inde prodebat artis specimina, ut & salario aucto, labores plures ipsi committerentur.

In Capitolio.

Paulo pòst à Senatu Romano ad pingendum opus quoddam in Capitolio conductus arrhâ centum coronatorum aureorum, primò historiam pingebat Romuli & Remi ad ubera Lupæ lactentium; mox & prœlium quoddam picturus, nisi jussu Clementis VIII. Pontificis ad S. Johannem Lateranensem in Sacello quodam ad fontem Constantini duo opera majora colore oleario pingenda ipsi fuissent, historia nempè S. Johannis, venenum bibentis; & iterum, superstite adhuc vita sepulchro impositi. Deindè & pro Archiducissa Græcensi, Matre Regis Hispaniæ, opus aliud colore oleario pingebat, de Mariâ nimirum juvenculâ in templum delatâ. Postea autem ad servitia Cardinalis Aldobrandini assumtus, eidem Christum quendam mortuum pingebat, ab Angelis detentum.

Alibi.

Opera Ferrariensia.

Profecto interea Ferrariam Pontifice ad occupandum hæreditario jure Ducatum illum, Josepho simùl illuc abeundum erat, ubi tres oleario colore in laminis cupreis elaborabat picturas; cumque interea & Albertus Dux cum Hispaniarum Rege illuc veniret ad nuptias celebrandas, Pontifex istarum unam, quæ Georgium continebat cum Dracone pugnantem, Duci, alteram Reginæ matri; tertiam Regi donabat. Reverso Romam Pontifici, cum Regina Mater oratoria quædam è coralliis rubeis, pomulis aureis intermixtis mitteret, unum hic Josepho dedisse dicitur, quod illius Reginæ donum esset, quæ ipsius picturam obtinuisset. Magna enim cum Josepho usus esse familiaritate dicitur Pontifex iste; ut & acceptâ aliquando à Mercatore quodam Batavo cerevisiâ, propinaverit eidem vitrum, imò non placente huic potu, reliquum ipse ebiberit.

Idem Pontifex cum pro Jubilæo templum S. Johannis Lateranensis renovari vellet, Josephum hunc istius operis constituebat Directorem, donatum mille coronatis, cum ducentis aliis, quibus operariis mercedem solveret. Incepto hoc opere consulentibus quibusdam, a Cardinali Aldobrandino gratiam quandam petebat, missusque ad Pontificem, ab hoc, in ordinem equestrem S. Petri receptus, torque aureo munerabatur, sexies corpus cingente cum icone Papali in numismate aureo, ex uno latere existente, altero cruce ornatâ palma & lauro insignito. Hoc igitur opere in albario recente planum ingens ad altare spectans historiâ ascensionis Domini exornabat noster cum Apostolis & duobus angelis viventium staturâ longè majoribus. Mox autem morbo gravatus Josephus, magno Pontificis mœrore, non tantùm proprio istius Medico curabatur, sed oleo etiam ab eodem misso retiosissimo, quod oleum Magni Ducis vocabatur, cujus unica uncia multis coronatis emebatur, quo totum ejus corpus ungendum erat: quod etiam fiebat amico cuidam ipsius Belgæ, Floridi à Dyk: præterea centum coronatis ipsum donabat Pontifex pro majori recreatione. Sanitati igitur restitutus historiam suam absolvebat maximâ cum laude. Eodemque tempore & Bernhardinus frater ejus in eodem templo historiam quandam pingebat opere satis eleganti.

In ordinem equestrem evehitur.

Templum S. Johann. Lateran. renovat.

Inter alia & porticum pingebat noster pro nobili quodam Romano, ad quam iste Fridericum Zuccherum conduxerat propriâ manu pingendam; quem tamen cum & discipulum aliquando ad opus admisisset, statim dimiserat. Hic Cupidinem alicubi pingebat, Pana subigentem, quasi dicturus, Amorem quandoque vincere naturam, quod Jacobus Matthamus æneo edidit typo. Dehinc etiam opus Capitolii consummavit; cumque in tela Prœlium quoddam pinxisset, pro idea hujus laboris hanc solam quidam quingentis coronatis licitabatur. Anno 1600. etiam Parisiis in Gallia fuit cum Cardinali Aldobrandino, cum Henricus IV. cum amita Ducis Florentini matrimonium iniret; quid autem ibidem pinxerit, me latet. Romam autem redux, morte suâ magnos porrò fecit progressus, multis cumulatus à Pontifice aliisque pro merito muneribus. Effigiem autem ipsius tabulâ nostrâ S. expressimus.

Opera ejus alia.

Lutetiam venit.

LXXXI. AUGUSTINUS, LUDOVICUS & ANNIBAL CARACCII Pictores Bononienses;

LXXXI. AGOSTINO, LUDOVICO & ANNIBAL CARACCIO.

INventione, diagraphicâ, colorumq; usu tàm oleariorum, quàm ad recens albarium incomparabiles ætate sua, picturisque majoribus & minoribus, subdialibus etiam & chalcographico tàm cælato quàm exeso opere celeberrimi, ab aliis non descripti, meâque ætate Romæ jam mortui, sed ex discipulorum relatu à me non prætereundi, Cremonenses erant patriâ, inter quos Augustinus natu major & consobrinus erat reliquorum fratrum, eorundemque anteambulo; quamvis ipse Chalcographiæ

deindè

deinde potius operam daret, quo in genere suo parem non habuit ævo. Itinere igitur per terras Longobardicas facto studiorum suorum causâ, præ cœteris Antonii de Corregio opera sedulò delineabant: initioque pingendi Bononiæ facto, magnam deindè nominis celebritatem consequebantur. Ibi autem porticum quandam pro Comite Caprara pingendo, quæ typis etiam æneis vulgata est, primùm innotescebant: prout & alio œco pro Comite quodam alio ibidem picto; ubi præsertim Annibal tanta artis suæ edebat specimina, ut extra Bononiam ad S. Michaëlem in nemore in peristylio quodam totam vitam S. Benedicti in albario recente pingendam acceperit, ubi satis ostendit, quantos brevi in arte suâ progressus fecisset. Omnia enim ornamenta picta ibidem quidem sunt, sed tàm rarâ, novâque omninò inventione, ut totus ille locus statuis, operibus plasticis gypsatis & similibus repletus videretur, quod genus Romæ tunc adhuc ignotum, in variis dehinc porticibus usurpari cœpit. Ipsæ autem picturæ megalographicæ sunt & elegantissimæ, ubi inter alias operarii plures vectibus contisque variè saxum aliquod movere tentant, à Satana invisibiliter obsessum, quo dehinc benedictione S. Benedicti fugato, facillimè illud dimotum est: ubi affectus laborantium tantâ arte expressi sunt, ut meliùs ne fingi quidem possit. Alibi malignus Spiritus glaucomate incendii monachos commovet, ut ad extinguendum ignem magno terrore perculsi accurrant. Præter hæc autem summam meretur laudem opus quoddam nocturnum, ubi latrones quidam armati, direpto cœnobio aliquo, prædam accensâ face distributuri, litibus motis, semetipsos interficiunt.

Prima opera Bononiensia.

Novum inventum ornamentorum.

His factis & Romæ famâ inclarescens Annibal à Cardinali Farnesio ad pingendam in palatio ejus porticum conductus, tanto successu id præstitit, ut omnem laudem superare videatur. Eadem divisa est in quatuor partes longiores, desuper trabeatione à fornice distinctas, ubi in Zophoro variæ depictæ sunt fabulæ, quasi opere gypsato factæ essent, insertis hinc inde pateris quasi metallicis, & substructis picturâ Atlantibus quasi fornicem sustentantibus; in Antis vero locatis juvenibus encarpos tenentibus. Ipsæ autem hæ partes tapetibus distinctæ sunt aureis foliorum gyris & peniculamento simili insignibus, alioque, monochromate griseo appicto, ornatu; ut eâ inventione, gratiâ atque delineatione nullum adhuc opus factum unquam.

Porticus Farnesia.

In superiori fornicis parte Bacchanalia exhibentur magno opere, ubi Bacchus cum Ariadne curru triumphali vehuntur Nymphis, Satyris, Faunis, & Bacchantibus minoribus variè stipati.

Ut autem ordine fabulas enumerem omnes, maximam Ethices partem in sese continentes 1. repræsentatur Anchises calceum Veneri exuens, adjecto hoc Virgiliano: Genus unde Latinum.

2. Diana, nocte sub obscura Endymionem amplexata.

3. E cœlo descendens Mercurius, Paridi pomum aureum præbens; pulcherrimæ inter tres Dives adjudicandum.

4. Pan Dianæ fasciculum lanæ porrigens pro favore ejus obtinendo.

5. Hercules amore Joles percitus muliebria tractat eidem blandè arridens ad axillam ejus inclinatus; ipsa interea leonis exuvias cum clavâ gerente.

6. Jupiter cum uxore Junone junctus.

7. Polyphemus in honorem Galateæ fistulâ ludens: ipsa in conchâ Delphinibus vecta quasi auscultante.

8. Polyphemus iratus fugientem adolescentulum Acidem Saxo petens.

9. Venus à Glauco per fluctus gestata, natantibus circa eam in Delphinibus Gratiis, & advolantibus variè Amoribus.

10. Aurora Cephalum invitum in currum suum rapiens, Tithono dormiente relicto; amatum amplexata, sed spreta tamen.

11. Andromeda ad rupem alligata à Perseo è periculo Ceti liberata.

12. Perseus Medusæ facie exhibitâ Phineum cum sociis in Saxa mutans.

13. Bacchus aureo, Ariadne argenteo curru vecta ab Amore coronâ stellatâ coronatur; ubi Silenus ebrius in asino à Faunis & Satyris detinetur; excitata interea à Somno Venere Silenum respiciente; quo innuit, ebrios pravis cupiditatibus, quas Satyrorum emblema depingit, detentos, à libidine sollicitari.

14. Salmace & Hermaphroditus amplexibus nexi in fonte quodam; ubi Cupido quidam Pana subigit.

15. Apollo Marsyam deglubens; & Boreas Orithyam rapiens.

16. Eurydice in nube cum Orpheo redux ad inferos iterum abripitur: Europa à Jove sub tauri formâ per maris undas abducitur.

17. Leander noctu Hellesponti fretum tranat, cui facem in turri accendit Ero, viam monstrante Cupidine.

18. Syrinx cum Panos vim effugere non posset, in calamum mutatur.

19. Ornamenta sunt varia rarissima.

20. Ganymedes aquilâ à Jove missâ in cœlum abripitur.

21. Hyacinthus ab Apolline in cœlum delatus.

22. & 23. Varii ſunt Amores.

24. Charitas & Juſtitia;

25. Fortitudo & Temperantia magna elegantiâ expreſſæ.

26. Mercurius Apollini lyram tradens. Arion Citharœdus à Delphine è fluctibus liberatus. Hercules Prometheum liberans. Juno exauditâ Dianâ Caliſto nympham in urſam mutat.

27. Hercules Draconem occidit. Prometheus humanam à ſe formatam ſtatuam Palladi oſtendit, quæ eidem animam infundit viventem. Caliſto ad mandatum Dianæ denudata, prægnans eſſe deprehenditur. Icarus in mare præceps ruens, avolante patre Dædalo.

38. Virgo quædam unicornu amplectitur, cum hâc epigraphe : Virtus ſecuritatem parit; quod ſymbolum eſt Domus Farneſiæ.

29. 30. Caryatides quædam nudæ quaſi metallicæ totam trabeationem geſtantes.

Interea dum hæc pingeret, varia quoque alia abſolvebat, eâdem perfectione, quæ ſparſim Romæ & Bononiæ adhuc viſuntur, unde mirum in modum excreſcebat fama ejus. Adde quod Diſcipulos haberet plurimos, qui in Academiâ ejus miris profectibus progreſſi, per totam deinde Italiam diſpergebantur.

Egeſtas Annibalis.

Magna tamen hâc arte atque induſtriâ tantum commodi non aſſequebatur, ut è vinculis egeſtatis ſeſe expedire potuiſſet, unde ſæpè accipiendum erat, quod offerebatur : adeò ut & pro porticu hac Farneſiâ, in quâ elaborandâ ſummâ induſtriâ integrum decennium conſumſerat in vaſe quodam deaurato non niſi quingentos coronatos acciperet, Hiſpano quodam Cardinalis aulico, cui Don Gio nomen, ſic diſponente Dominum ſuum : quod tantoperè affligebat Caraccium, ut triſtitiâ obrutus aliquanto temporis ſpatio ſui non eſſet compos, donec magnus ille Artis fautor Koymannus Amſtelodamenſis eundem Romæ inventum ad ſe reciperet, ſubminiſtratisque omnibus neceſſariis ad priſtinum ſtatum reduceret : cui dehinc in grati animi ſymbolum ſeptem opera miſericordiæ in ſeptem tabulis tantâ arte pingebat, ut omnium operum ejus corona dici queant, prout eadem adhuc hodie Amſtelodami in domo atque pinacotheca Koymanniana cũ admiratione cõſpiciũtur.

Septem opera miſericordiæ pingit.

Integrum autem de hoc noſtro volumen conſcribi poſſet, ſi tempus ferret, & omnia illius geſta referenda eſſent: prætermiſſis autem reliquis, hoc unum reticendum non eſt, quod, ſenio ingraveſcente, in amentiam relapſus vitam vixiſſe dicatur parum honeſtam : donec ante obitum ejus ex hoc vitiorum barathro retrogreſſus, Chriſtiano obitu vitam hanc clauſerit Romæ an. 1609. 16. Julii; ſepulturâ honoratiſſimâ in Rotundâ in monumento Raphaëlis Urbinatis depoſitus anno ætatis 54.

Frater ejus Ludovicus Caraccius plerumque ſubdialia elegantiſſimè pingebat, nec non hiſtorias parvas plurimas & imagines venuſtiſſimas, quarum multæ in Pinacothecis Romanis, præſertim apud Principem Juſtinianũ patronũ meum, adhuc meo tempore, inveniebantur magni æſtimatæ.

Ludovicus Caraccius,

Caraccius tertius conſobrinus horum, cui Auguſtino nomen erat, calamo diagraphica elegantiſſima projicere ſolebat, unde chalcographiæ potiſſimum operam dabat; prout & S. Juſtina Veronenſis ; crucifixio magna Tintoreti; imago D. Virginis, S. Hieronymus & Magdalena Antonii Corregii; Æneas Barozzii inter alia ejus opera typis æneis vulgata ſunt. Sic Caraccii omnes tres in arte feliciores, quàm re familiari, fecêre progreſſus, ut vitam tandem novercante potiùs quàm blandiente fortunâ clauſerint hoc uno beati, quod & apud poſteros non intermoritura ſit artis illorum gloria. Imaginem autem Annibalis tabula noſtra S. exhibet.

Auguſtinus Caraccius,

LXXXII. MICHAEL ANGELUS MARIGIUS Caravagienſis Pictor,

LXXXII. MICHAEL ANGELO MA RIGI.

CAravagii, qui locus eſt in Longobardiâ, haud procul Mediolano nobili Marigiorum familia natus Italorum primus relicta veteri methodo ſimplicisſimam ſequebatur naturam atque vitam : unde nunquam penicillum niſi ad viva exemplaria applicabat, rem pingendam in conclavi ſuo tã diu oculis exponens, donec veritatem colore aſſecutus eſſet. Ut autem rotundam corporum molem & naturalem rerum elevationẽ eò melius exprimeret, data opera conclavibus utebatur obſcurioribus è ſupernis uno lumine minore colluſtratis, ut ideæ lumen è feneſtra allapſum eò minus alio lumine impediretur, umbræ autem eò fortiores prodirent, adeoque debita exhinc reſultaret extuberantia.

Nil niſi ad vivum exemplar pingit.

Omnia igitur contemnebat, quæ ad viva exemplaria picta non eſſent, nugas eadem, titivilitium, & opera chartacea appellando, cum nihil bonum dici poſſet, niſi quod naturam quàm proximè imitaretur. Quæ via ſanè ad perfectionem aſpirandi non eſt contemnenda, modò in cœteris theoria haud deſit, cum nulla idea, nullumque prototypum diagraphicum, quantumvis optimum naturæ ipſi æquiparari queat. Unde hanc methodum deinceps omnes ſequebantur Itali, ſtructis pariter conclavibus pictoriis; quæ via deindè & in Germania atque Belgio introducta eſt.

Quamvis autem ob artem ſuam eximiam gloriâ meritò plurimâ dignus eſſet, converſatione tamen quaſi intolerabilis erat, quod

Cum Joſepho Arpinate inimicitias fovet.

non


T
VINCENTIVS IVSTINIANVS MARCHIO BASAN.
GIO. LOREN. BERNIN NEPOLITANVS.
GIOAN FRANC BARBIERO DA CENTO.
PIETRO BERETINO DA CORTONNA.
PIETRO TESTA LVCANVS.
HIGIEMON TE INDVS.
I. v. Sandrart deli.
P. Kilian f.



non tantùm omnium aliorum opera facilè carperet (quamvis nec sua publicè eveheret:) sed & ad litigia pronus esset, & gladio manuque promtus ad duella proruerer. Unde & Josephum Arpinatem, virum aliàs non arte tantùm, sed & civilitate & divitiis clarissimum, non dicteriis saltem insectabatur, sed in contumeliam quoque ipsius ad S. Laurentium, Damasium propè historiam quandam ab illo pictam nudum quendam pingebat Gigantem erga hoc Josephi opus pro ludibrio linguam exserentem.

Primò igitur scabrâ & duriore utebatur picturâ, assumtâ tamen mox verâ, rotundaque methodo, multasque facies & dimidiatas pingebat imagines: inter quas puer quidam cophino flores fructusque gestans, à lacerta per insidias in manum admorsus, præ dolore miserum in modum ejulans; quod opus Romæ famam ejus haud parum provehebat. Et quia Josephus plerumque majora opera in recenti albario pinxerat, quæ oleariis nullo modo similia sunt, quibus ex adverso Caravagiensis excellebat, hinc illo ad certamen provocato, rixæ tandem tantæ pronascebantur, ut strictis etiam utrinque gladiis juvenis quidam Ranuccius Tomassinus desuper occideretur, & Caravagiensem asylum quærere oporteret, qui in Palatio Marchionis Justiniani receptus, interea historiam Thomæ pingebat, digitum in stigmata Domini inferentis, tantâ veritate, ut aliæ picturæ tantùm papyraceæ viderentur. Deindè & Matthæum Evangelistam pingebat, cum Angelo librum ejus tenente; cum aliis majori forma, quod plerumque imagines suas viventium magnitudine sive integras sive dimidiatas exhiberet. Pro templo etiam D. Virginis populosæ in Sacello quodam pingebat crucifixionem Petri Apostoli: nec non Pauli conversionem, quem equo delapsum repræsentat variegato, qui vivo similis est.

S. Thomas. *Sacra alia.*

Dehinc duas etiam tabulas majores pingebat pro S. Ludovico Gallorum, historiam (nempè Christi mercatores è templo ejicientis; & Matthæi vocationem, quem inter compotatores chartulis ludentem expressit. Porrò in templo etiam novo ipsius manu facta conspicitur sepultura Christi, cujus ego apographum asservo: & ad S. Augustinum imago D. Virginis cum filiolo, quem duo peregrinantes genibus innixi adorant. Antverpiæ in templo Dominicanorum magna quoque illius tabula est, de S. Dominico oratoria devotis distribuente: nec non Assumtio Deiparæ præsentibus Apostolis.

Cupido rara arte pictus.

Pro Patre quoque artis nostræ Marchione Justiniano Cupidinem pingebat, viventis magnitudine quasi duodecennem globo terrę insidentem, arcu dextra sublato, variisque ad sinistram instrumentis mathematicis librisque appositis, laureâ coronatis: alis pullis aquilinis instructum, delineatione emendatissimâ, colore vivido, & extuberantiâ tantâ, ut viventi sit simullimus. Hoc opus in pinacothecâ centum & viginti operum artificiosissimorum publicè antehac prostans, meo consilio velo obtegebatur ultimò spectandum, cùm aliàs cœtera omnia præ illo vilescerent: unde me præsente quidam mille pistoletos pro eo offerens, hoc à Patrono, me internuncio, ferebat responsum: Dite à questo Corteggio Cavallier che se egli mi puol far acquistar un altro quadro de questa sostanza, gli ne pagerò il doppia, cio è 2000. pistole. Et hoc opere mediante Caravagius salvum quoque iterum conductum acquirebat.

Ubi cum Josephus Arpinas equo in aulam vectus aliquando ipsi occurrens, mox ad duellum ab hoc iterum provocatus, mordaciter ipsi responderet, non decere se equestri ordine donatum cum ignobili congredi: hoc dicto tantoperè commotus est noster, ut venditis omnibus in Maltam se reciperet; ubi cum perfectis tentaminibus suis adversus Turcam, pictaque Johannis decollatione in equestrem & ipse ordinem elevatus esset, Romam confestim properans, duellum cum Arpinate adhuc urgere meditabatur. Hac festinatione autem febri acutâ correptus Arpini moriebatur. Iconem ejus tabulâ nostrâ S. exhibuimus, in debitum ipsius honorem, quod in totam artem pictoriam majorem introduxerit veritatem. Discipuli autem illius fuerunt sequentes:

Inter equites Melitenses recipitur.

LXXXIII. BARTHOLOMÆUS MANFREDUS Pictor

LXXXIII. BARTOLOMÆO MANFREDI.

MAntuanus, Caravagiensis methodum ex amussim imitatus, ut exigua intercederet differentia. Picturæ ejus plerumque figuræ erant dimidiatæ viventium magnitudine; de conversationibus, ludis, con viviis, militibus & similibus perfectioribus, quarum pleræque in Hollandiam ad Koymannum Amstelodamensem, nec non in Galliam, & in Italiam variè distributæ sunt. Ipsius manu factæ apud Patronum nostrum Justinianum meo tempore extabant tabulæ duæ: aliæque apud Cardinalem Verrospensem, quibus tribus ultimis societates ludentes expressæ erant, ut duæ Troglodyticæ chiromantia aliquam detinentes furandi occasionem facerent alteri. Aliâ autem tabulâ exhibitus est Hercules Titium liberans, frustrà furente Cerbero; opere laudatissimo. De cœterâ vitâ ejus nil mihi innotuit, nisi quod mundana

megalographicis studet.

fuerit admodùm, ut & præmaturus ipsi hinc procuraretur obitus.

LXXXIV. JOSEPHUS RIVERIUS aliàs Hispanus Valentianus

LXXXIV. GIOSEPPO A RIBERA; VALENT. SPAGNIOLETTO.

Ejusdem Scholæ discipulus, Neapoli domicilio posito, non famâ tantùm, sed & opibus inclaruit; cum opera varia pro pinacothecis omnium quasi nationum elaboraverit. Non autem devotionibus, templis, altaribus, sanctisve, pingendo; sed horrendis potius delectabatur, qualia sunt corpora senum marcore exesa, cute corrugata, facie macie emortua, quibus omnibus veritatem conciliabat naturalem; superatis facilè omnibus.

horrendis delectatur;

Prout duo ejus testantur opera apud Lucam de Uffel Amstelodami spectanda, quorum unum Titium exhibet, cui vultur viscera exedit: alterum Bartholomæum, cute detractâ, martyrio coronatum. Sic typis æneis quoque extant ipsius tormenta Tantali; & Ixionis alia pictura in vestibulo Uffeliano Amstelodami locata, tanta natura exhibuit damnatum hunc rotæ annexum dolore multo, contractisque hinc digitis variè afflictum; ut Domina Jacoba de Uffel ob aspectam hanc figuram puerulo à se genito contorti cujusdam digiti notam impresserit picturæ omninò similem: undè amota mox in Italiam missa est hæc tabula.

Deindè & Catonem pinxerat Uticensem, illatis sibi manibus in sanguine suo volutatum, discerptis manu propriâ intestinis exspirantem; cum pluribus horrore quidem, sed & veritate maxima notandis similibus. Porrò & Silenûm pinxit pinguissimum nudum decumbentem, racemis coronatum imberbem, pocula petentem: Ubi Satyrus quidam ex utre humeris gestato vinum rubeum depromit; cum Satyris Faunisque aliis ebriis in vultum prolapsis; quod opus Neapoli mihi ostendit magnus artis nostræ fautor Caspar de Romer, cui, procul dubio viventi adhuc, multa apprecor felicia.

LXXXV. EQUES MASSIMI;

Picturâ similiter clarus, quod quædam illius manu facta, non tantùm apud modò dictum de Romer, sed & alibi viderim; Riverio in hoc planè contrarius, cum gratiam, venustatem, pulchritudinemque & lætitiam spirent istius picturæ omnes; colore, delineatione, inventione nobiles. LXXXV. CAVALLIER DE MASSIMI.

LXXXVI. FRANCISCUS ALBANUS Bononiensis,

Caraccianæ pariter Academiæ discipulus multâ laude celebris, cujus quatuor Evangelistas habebat Princeps Justinianus, & alia quædam Cardinalis Aldobrandinus. Sic & in œco quodam Palatii Justinianei Bassanensis haud procul à Roma idem pinxerat Phaëtontem è curru delapsum, quod est opus summum in albario recente pictum, ad fornicem; circumpositis infra fabulis huc pertinentibus reliquis arte insigni; quibus commotus Justinianus & alia Palatii sui conclavia eidem pingenda tradididit. Excellebat enim diagraphicâ similiter & colorum usu, quin & inventionibus poëticis ingeniosus, nudisque nympharum corporibus & subdialibus inculpabilis erat testantibus id multo numero non Bononiæ tantùm, sed & apud magnum Ducem Florentinum, & in omnibus quasi tablinis rariorib' operibus ejus variis. Bononiæ enim satis diu vixit magnâ celebritate clarus, donec tandem circa annum 1658. mortuus sit.

LXXXVI. FRANCESCO ALBAN.

Phaëtontem pingit.



Caput XX.

Pictores quidam Itali, qui Romæ post annum 1573. vixerunt.

Argumentum.

LXXXVII. HIERONYMUS MUTIANUS; Pictor subdialium. Opera ejus: typis æneis quædam edit. LXXXVIII. CÆSAR ORVIETANUS. LAURENTINUS BONONIENSIS. XC. RAPHAEL RHEGINUS. Opera ejus in templo S. Petri, aliisq; locis Romæ. XCI. PARIS. XCII. JOHANNES DE BORGO, & CARUBINUS de BORGO fratres. Opera eorum. XCIII. GUIDO. XCIV. MATTHÆUS ALETSIUS. XCV. RICHARDUS. XCVI. STEPHANUS PARACIUS. XCVII. PASQUALINUS de MARCA. XCVIII. CÆSAR SALUSTIUS. XCIX. JOHANNES SOENSIS.

C. PAULUS HISPANUS. CI. VENTURA SALIMBENUS Senensis. CII. MARCUS SENENSIS. CIII. ANDREAS BOSIUTUS.

LXXXVII. HIERONYMO MUZZIANO.

LXXXVII. HIERONYMUS MUTIANUS, Pictor historiarum & subdialium,



Nter illos, qui Romæ non longævitate saltem, sed & arte clari fuerunt, haud postremus, Brixiæ natus in Longobardiâ; methodo utebatur pulcherrimâ, Belgicæ haud absimili, ab Italis rarius usurpatâ: fundis præcipuè illustris, qui magnum sunt subdialium ornamentum; sed nec minus arboribus elegans, musco truncos frequenter obtegens, & castaneas libentissimè pingens, quas & melius sibi fluere ajebat,

Opera ejus.

Romæ ipsius manu facta spectantur subdialia quædam in Belvederano, in fine Porticus post Cleopatram antiquam. Sic & Titioli extra Romam in Villa Cardinalis Ferrariensis topographica quædam ejus extant in albario recente facta, elegantissima, ut dolendum sit, mutatis conclavibus, tanta artificia plerumque corrupta esse.

Sed & diagraphicâ tàm calamo quàm cretâ præstabat, prout ea testantur, quæ ex illo Cornelius de Corte typis æneis vulgavit, qualia sunt: duo subdialia; cum imagine Francisci, & duodecim alia cum Anachoretis quibusdam; in quibus fundi optimi, arbores præstantissimæ, cum prospectivis quibusdam.

Cum Mutianus aliquando effigiem suam Romæ à Golzio pingi curaret, & penes hunc subdialia quædam videret ad viva exemplaria depicta, eademque ut typis æneis ederet ab illo desiderans, haud obtinuisset: mutato deindè animo imagines pingere cæpit, factis colore oleario tabulis ingentibus, magnâ quidem etiam arte, sed ut subdialibus tamen melior esset; ad quæ naturâ suâ fuerat pronior. Præ cœteris autem S. Francisci imaginem devotissimam pingere solebat, ut & ab aliis varia ejusdem facta sint apographa.

LXXXVIII. CÆSAR d'ORVIETO.

LXXXVIII. CÆSAR Orvietanus,

MUtiano affinitate vel sanguine junctus, ejusque familiaris, cujus manu facta Romæ quædam spectantur, & inter alia in templo S. Petri historia quæpiam, de claudis aliquibus sanatis, eleganti ordine & decoro vestitu.

LXXXIX. LORENZINO DA BOLOGNA.

LXXXIX. LAURENTINUS Bononiensis,

GRegorii XIII. sympatriota & pictor aulicus, quamvis discipulorum potiùs operâ uteretur, propriâ tamen etiam manu ab ipso picta videntur duo in albario recente opera in Sacello Paulinæ propè œcum Regium, quorum alterum est lapidatio S. Stephani; alterum baptisatio S. Pauli. Splendidè autem vixisse dicitur, equo plerumque usus sat magnifico.

XC. RAPHAEL RHEGINUS,

INter Laurentini socios meliori provisus salario, rustici filius, anserumque primò custos, dehinc profugus inter pictores ob naturæ proclivitatem receptus, tandem sub Friderico Zucchero unico anno tantoperè proficiens, ut magistro æqualis haberetur. Undè Romæ inter ipsius opera spectatur facies domus cujusdam haud procul à Campo Martio; in quâ pulcherrima plurima. In labore autem Laurentini in Palatio supra scalam insignia pinxit Gregorii, quibus justitia & prudentia assident eleganti picturâ. Prætereà in œco illo, qui ante Regium est, in fornice Herculem pinxit Cacum interficientem; & inter ornamenta Musas quasdam multâ arte insignes. Similiter ante templum S. Petri supra portam duas expinxit historias, unam de claudo sanato à Petro & Johanne, juxta ideam Raphaëlis Urbinatis tapetibus Pontificis intextam, emendatam tamen; alteram de Andrea Petrum fratrem ad Jesum adducente Johanne relicto: ubi vestium, subdialium, arborum & aliorum parergorum magnâ spectatur elegantia.

XC. RAPHAEL DA REGIO.

Opera ejus.

Sed & in Oeco Regio Victoria quædam in albario recente ab ipso picta est; nec non in porticibus & conclavibus Papalibus varia. Solebat autem umbris uti nigrioribus, quod colores tamen ejus multo evehebat fulgore. Deindè cum pro se quædam elaborasset, plus pretii pro iis accepisse dicitur, quàm illa digna essent. Inter alia in Oratorio Gonfaloniorum ad alias Passionis historias ipse adjecit Pilatum manus lavantem: prout & Sacellum quoddam pinxit ad S. Mariam Majorem; ut calcar picturæ ejus omnibus adderent tyronibus. Cumque aliàs adolescens esset formæ elegantis, staturâ procerus. Romæ tandem amore virginis cujusdam mortuus dicitur, sic &

XCI. PARIS quidam

XCI. PARIS.

IN Raphaëlis consortio ad labores Palatii pariter adhibitus, eleganti quidem etiam usus est methodo, neutiquam tamen illi comporandus. Eodem modo

XCII. JO

XCII. JOHANNES & CHERUBINUS de Borgo

XCII. GIOANNI DEL BORGO, & CARUBIN del Borgo.

EJusdem socii erant, quorum prior magnâ arte clarus in novâ structurâ Clementis VIII. Pontificis cum fratre quædam pinxit, quorum præstantia fratrem alterum homicidii reum à morte liberavit. Inter alia Johannis opera in œco quodam in medio fornice quasi foramen spectatur, quo cœlum apertum cerni queat, adjectis circa illud quasi in pergula virtutum quarundam imaginibus abbreviatis, & appensis eidem insignibus Papalibus, quæ à puerulis volantibus tenentur; ubi figuras pinxit Carubinus. Sub pergulâ autem, columnæ apparent majores, quasi eundem portantes, scenographiâ elegantissimâ. Sed &

XCIII. GUIDO quidam

XCIII. GUIDONE.

INter illos fuisse dicitur, qui in recenti albario mirâ promtitudine imagines & ornamenta varia pinxerit. Opera tamen de eo nulla extant: nisi quod in Sacello Papali supra Portam, ubi Siculus quidam Matthæus Aletsius historiam de certamine Michaëlis Archangeli & Diaboli super corpore Mosis pinxit, Archangelum Guido pinxisse dicatur, ut ex ungue Leonem dignoscere queas. Ipse autem.

XCIV. MATTHÆUS ALETSIUS

XCIV. MATTHÆO ALETSI.

INter alia in oratorio Gonfaloniorum in platea Julii pinxerat Christum à Pilato reproductum, quæ tamen pictura deinde, die quadam corrupta penitus reperiebatur, malleo vel securi vitiata, cujus causa nescitur, cum aliàs inter deteriores haud esset. Sed & juxta scalam imagines quasdam quasi æneas pinxerat, minori tamen diligentiâ. Româ autem deindè in Insulam Meliten abiit, ibidem in templo quædam picturus: cum aliàs petente Magno Ordinis Magistro pictores quosdam Carolus Manderensis cum Gallo quodam Parisiensi, Stephano Paracio, illuc iturus fuisset. Promtus autem erat in albario recente; & ornamentis felix, præsertim vasis antiquis depingendis, qualia in Voluptuaria Cardinalis cujusdam ad Montem Draconis quasi aurea, argentea, & ænea sub trophæi forma ab ipso facta spectantur. Nec minus &

XCV. RICHARDUS quidam

XCV. RICHARDO

BRetsanus in consortio Raphaëlis in Palatio papali laboravit. Quamvis & pro templo Florentinorum Romæ Christum pinxerit à Pilato exhibitum: ubi cum Raphaëlem interrogasset, quam faciem in opere isto judicaret esse optimam, expectans ut de Jesu responderet, in quo sibi ipse complacuerat? hic aversum quendam ostendisse dicitur, cujus facies optima esse posset, cùm cœteræ minoris æstimandæ sint; cum risu circumstantium aliorum maximo. Ille autem, cujus supra mentio facta est

XCVI. STEPHANUS PARACIUS

PArisiensis erat, Architect' Cardinalis Sermonettæ; diagraphica insignis, ut & Christus quidam, de quo Pilatus dixerat: Ecce homo! ab isto pro sympatriota quodã suo Antonio Lafrerio factus, à Cornelio de Corte typis æneis expressus, & pro opere Taddæi Zuccheri habitus sit. Sed & hic chalcographica ipse excellebat, ut & Sacellum Pontificis, cum Cardinalibus Missæ assidentis & benedictionem præbentis exprimeret; cum aliis. Prout & ruinas Romanas elegantissimè delineaverat, cum tanquam Architectus optimè nosse posset, quid ibi structum fuisset: Undè & quasdam nimium collapsas in integrum iterum restituit. Româ autem cum familia Lutetiam iterum abiit, ubi & mortuus est. Porrò quidam Romæ etiam erat XCVI. STEPHANO PARAC.

XCVII. PASCHALINUS de Marca;

QUi cum in consortio Guidonis ad albarium recens laboraret, unico anno in arte tantoperè profecisse dicitur, ut miraculo fuerit. Pinxit autem telas quasdam colore oleario, subdialibus simùl insertis, opere eleganti, in templo Thermarum Diocletiani positas. Præter hunc quidam etiam erat XCVII. PASQUALIN de la MARCA.

XCVIII. CÆSAR SALUSTIUS

SALutii in Pedemontio natus, cum quo cùm familiariter admodùm ageret XCVIII. CÆSAR de Salusto.

XCIX. JOHANNES SOENSIS,

ANtverpianus, subdialibus celeberrimus' assumtâ hujus methodo & ipse tantoperè subdialibus inclarescebat, ut Italorum plurimos superaret: prout subdialia ejus testantur in albario recente picta propè œcum Regium: & haud procul Pasquino; nec non in palatio Episcopi cujusdam Hispani, ubi totum œcum in calce humidâ topiariis similibus exornavit. Huic autem socius quidam erat. XCIX. JOHANN SOENS.

C. PAULUS Hispanus,

C. PAULO.

CUm quo Sacellum quoddam pingebat in æde SS. Trinitatis, ubi in medio, ante altare summum, Salutationem pinxerat Angelicam, ubi Cæsaris nubes è summo descendens laudatur: uno autem latere Serpentis maledictio; & altero Nativitas Christi conspicitur. Dehinc & in platea Populi, in Facie domus cujusdam pinxerunt raptum Proserpinæ cum aliis similibus. Paulus autem subdialia levioris æstimans, cum haud tanti esse diceret, monti montem adjungere, facto tamen periculo, tandem fassus est, plus se reperire difficultatis, quàm putasset. Eodem tempore ibidem etiam erat

CI. VENTURA SALIMBENA Senensis,

CI. VENTURA SALIMBEN.

Qui typis æneis varia edidit elegantissimà ab Anno 1590. usque ad 94. Cum quo & alius quidam Senensis celebris erat, cujus Catharinam Senensem Petrus de Jode Antverpianus typis æneis vulgavit. Cum his etiam inclarescebat

CII. MARCUS Senensis

CI. MARCO de Siena.

PIcturâ laudatissimus, ut à Michaële Angelo Raphaëli Urbinati æquipararetur. Hujus discipulus fuit Arnoldus Mytens, quod argumentum est magnæ ejusdem longævitatis. Sed &

CIII. ANDREAS BOSIUTUS

CIII. ANDREAS BOSIUTO.

FLorentinus tum clarus erat, qui Passionem, quam Petrus de Jode æri incidit, edidit; picturæ quoque laude celeberrimus.

CAPUT XXI.

Artifices varii, qui partim nostris temporibus in Italiâ vixerunt, partim adhuc vivunt, & Academiam frequentarunt.

Argumentum.

CIV. GUIDO RHENIUS Bononiensis. Encomium ejus. Opera ejus; ludendo chartulis sibi nocuus. CV. DOMINICUS ZAMPIERIUS Bononiensis, in exprimendis historiis excellit. Viginti millia coronatorum pro pingendo tholo quodam accipit; opera ejus Romana. Alia. CVI. JOHANNES LANFRANCUS Bononiensis, à Papa in ordinem equestrem evehitur. Opera ejus. Assumtio Mariæ Augustæ Vindelicorum in Dominicanorum templo. Inventionum ejus quædam typis æneis vulgantur. CVII. JOHANNES FRANCISCUS BARBIERUS Centenus viventium picturâ præstans. CVIII. FRANCISCUS BERNINUS STATUARIUS Neapolitanus. CIX. LAURENTIUS BERETINUS Statuarius & Architectus; opera ejus; in templo S. Petri Romæ. Monumentum Urbani VIII. Pontificis. CX. PETRUS BERETINUS Pictor Cortonensis. Opera ejus. Opus ejus in Palatio Pamphilio. Opera ejus Florentina. Encomium ejus. CXI. ANDREAS SACHIUS Pictor arte clarus. Opera ejus. CXII. ANDREAS CAMASE. CXIII. GIESSIUS. CXIV. PETRUS TESTA, Lucanus, exedendo ære clarus; egenus est, sed chalcographia corrosoria quadantenus emergit. Opera ejus. Undis in Tyberi suffocatur. CXV. SALVATOR ROSA Subdialium pictor. CXVI. MICHAEL ANGELUS, Prœliorum Pictor. CXVII. VINCENTIUS CUPEDIARIUS Antverpianus. CXVIII. MELITENSIS, tapetum Pictor. CXIX. FRANCISCUS ROMANELLUS, albarii recentis pictor. CXX. JOHANNES BENEDICTUS Genuensis. CXXI. ANGELUS FALCHONIUS Neapolitanus.



Uprà jam dictum est, Hannibalem Caraccium discipulos suos peculiari Academiâ exercuisse, ut hominem nudum ad vivum exemplar variè delineando symmetriæ corporis humani assuescerent. Inter hos senior erat

CIV. GUIDO RHENUS Bononiensis

CIV. GUIDO RHEN

NAtus A. 1574. honestis parentibus, cum-

que ad pictoriam inclinaret, in eâdem quoque sic informatus, ut cum in Academiâ Caraccianâ fundamenta feliciſſimè jeciſſet, in diagraphicâ dehinc excelleret, colorum etiam uſu tàm oleariorum quàm in albario recente, nec minus venuſtate & elegantiâ tantâ laude clarus, ut ſucceſſorum idea meritò dici queat. Labore enim erat patiens, feſtinatione nihil deproperans emendandi ſemper ſtudioſus; moribus aliàs civilis, modeſtus, pravarum ſocietatum oſor, ſuper arte ſemper meditabundus, ut non antiquos tantùm in corporibus nudis juxta Raphaëlem, ſed & naturam ipſam juxta Michaëlem Angelum Caravagienſem, ſibi proponeret, donec ad ultimam tandem eniteretur perfectionem.

Opera ejus. Clariſſimum hujus teſtimonium perhibent ipſa opera ejus, inter quæ præprimis Petrus pœnitens Bononiæ; Marſyas item, & Apollo viventium magnitudine: facta quædam Herculis; item Titius à vulture eroſus in Periſtylio Palatii Regis Angliæ ſpectantur. Non minus & S. Antonium & S. Paulum primum eremitam apud Juſtinianum noſtrum Romæ elaboravit: item S. Cæciliam ad organum ſurſum reſpicientem: & ad S. Gregorium Romæ eductionem Andreæ ad martyrium typis æneis editam, quod operū ejus maximum longeque præſtantiſſimum eſt. Antea autem debiliore quoque manu atque colore Bononiæ ad S. Michaëlem nemoroſum pro Benedictinis in periſtylio rotundo, ubi & Caracciana plurima, in albario recente Benedictum pinxerat, cui in Eremitorium munera adferunt ſubditi. Dehinc autem tanta prodiit operum ejus multitudo, ut apud omnes Reges, Imperatores, alioſque artis fautores innoteſcerent, & ipſe multis propterea affluere inciperet opibus.

ludendo chartulis ſibi nocuus. Sed quod liberaliore eſſet genio, & cœlebs, ſocietatibus omnia, & ludo chartularum iterum conſumebat: tanto enim ardore huic voluptatis generi deditus erat, ut plusquam centies mille coronatos per vitam ſuam perdidiſſe dicatur; unde quidam his nummis, quos cum ipſo ludendo lucrati eſſent, totam familiam ſuam ſuſtentabant: & principes deinceps nullas amplius ab ipſo picturas extorquere poterant, quamvis prænumeratâ ingenti pecuniâ, niſi ludendo chartulis ipſum viciſſent. Bononiæ ergò multis annis voluptuoſo hoc vitæ genere exercito, tandem mortuus, plus quàm 25000. coronatorum debita relinquebat, & in conclavibus aliquot, multas tam majoris quàm mediocris formæ ab ipſo inchoatas picturas, cū paucâ ſupellectile & delineationibus quibusdam aliiſque ad artem requiſitis rarioribus. Quæ non detrahendi, ſed monendi ſaltem ergò hîc referuntur: cùm ipſe in arte ſuâ omni laude potiùs eſſet digniſſimus. Obiit autem Anno 1642. ætatis 68. & effigies ejus in tabula noſtra II exhibetur.

CV. DOMINICUS ZAMPIERUS Bononienſis

CV. DOMINICO ZAMPIERI.

Natus anno 1581. parentibus honeſtiſſimis Bononiæ, præmiſſiſque tyrociniis in Academiâ Caraccianâ ſedulò exercitatus delineando, affectus exprimendo, fabulas atque hiſtorias tàm ſacras quàm profanas concinnè diſponendo, & potiſſimum cum Guidone Rheno ſæpiùs certando tantoperè inclaruit, ut brevi, ſicut in cœteris, ita præſertim ob ſingularem inclinationem in pingendis hiſtoriis plures ſuperaret.

Unde ductâ uxore honeſtâ virgine, inſtitutâque re familiari, & benedictionem divinam expertus eſt haud exiguam. Inter prima ejus opera Sacellum erat in agro Tuſculano, in cœnobio, quod Grotta ferrata dicitur, ſexto ab urbe Romanâ lapide, pro Cardinali Odoardo Farneſio expictum, proponēte illum præ cœteris Annibale Caraccio. Deindè & in Architecturâ peritiam prodebat inſignem in ſtructurâ Cardinalis Aguchii: prout & Palatium Cardinalis Lancellotti Romæ juxta ideam ejus extructum eſt. Romæ ergò plerumque degebat, donec Neapolin ad conſummandum tholum templi cujusdam pulcherrimi vocaretur, pro quo viginti millia coronatorum eidem numerata ſunt. Opera ejus.

Romæ autem primò cum Guidone Bononienſi in Sacello S. Gregorii in albario recente hiſtoriam pingebat magnam de S. Andrea, cujus Guido eductionem exhibuerat, jam porrò torminibus variis exagitato, quod opus typis æneis publicè proſtat. Deindè aliud pingebat eâdem magnitudine opus de S. Cęciliâ, vulneratâ quidem, & in ſanguine obvoluta, adeoq; pro mortuâ derelictâ, ſed ad vitam reſtitutâ. In alio opere majore Hieronymum pinxit mundo valedicturum, ſacrâ primùm communione uſum, quod opus à Cęſare Teſta ſimiliter æri inciſum eſt. Præ cœteris autem Romanis opus ejus in Palatio Cardinalis Borgheſii de Diana laudem meretur, quam ſagittas, arcus & pharetras nymphis ſuis diſtribuentem repræſentavit opere magno. Item in templo S. Petri altare quoddam magnum de S. Sebaſtiano ſagittis à militibus Diocletiani confoſſo. In templo autem S. Andreæ in Valle quatuor magni in fornice picti Evangeliſtæ. Et in templo Caroli Borromæi quatuor virtutes, Fides Spes, Charitas & Temperantia plus quàm duplici viventium magnitudine in albario recente. Mortuus deindè eſt anno ætatis 59 relictâ filiâ præter divitias & pulchritudine

atque

atque virtute conspicuâ, Neapolitano deindè è præcipuis matrimonio junctâ. Iconem ejus spectare licet tabulâ nostrâ. 4.

CVI. JOHANNES LANFRANCUS Bononiensis,

CVI. GIOANNI LANFRANCO.

SEpositis studiis liberalium Artium pictoriam amplexus, & in Academia Caracciana regulis solidioribꝰ ejusdem imbutus Româ abiit, ubi institutis juxta antiqua nec non juxta Raphaëlis opera variis delineationibus, figuras mox Biblicas magno numero ære corroso edebat. Ubi porrò tantam arte pingendi assequebatur gloriam, ut à Pontifice in ordinem equestrem evehe- retur. Unde ducta etiam uxore laudatissima, cum Liberis postea suis ex ea susceptis quasi Parnassum constituebat Picturæ, Poëseos & Musices: cum filia quoque ejus natu major hac in arte plurimum excelleret.

In ordinem equestrem evehitur.

Inter picturas ejus est opus illud in templo S. Petri pulcherrimum & variis affectuum expressionibus laudatissimum de Christo in navicula dormiente. Exculta autem potissimum Michaëlis Angeli Caravagiensis methodo veram ubiq; extuberantiam seriò sectabatur. Unde & Neapolim vocatus, magnum illum S. Helmi tholum paucis annis expingebat, viginti quinque millibus coronatorum propterea muneratus. Ex quo Romam reversus, varia operibꝰ suis replebat Palatia, transmissis etiam ad exteros multis ipsius tabulis, inter quas pro Wilhelmo & Carolo Fuggeris Comitibus anno 1631. Assumtionem Mariæ pingebat, Augustæ Vindelicorum dehinc in templo Dominicanorum altari insertam.

Opera ejus.

Romæ dehinc in templo S. Petri in Vaticano Porticum illam & conclavia, ubi Pontifex die Parasceves benedictionem largiri solet, historia D. Petri expingere debebat, additis ex gypso ornamentis, pro quo labore & ideas jam perfecerat, de quibus typi ænei à Petro Santo Bartolo editi satis testantur, sed morte impeditus, opus ipsum intactum relinquere cogebatur. Iconem illius autem tabula nostra S. expressimus.

CVII. JOHANNES FRANCISCUS BARBIERUS Centenus

CVII. GIOANNI FRANCISCO BARBIERI da CENTO.

OMnes Academiæ Caraccianæ discipulos in hoc superabat, quod summâ industriâ vitam sectaretur magnisque umbris molem corporum elevare & lumina coadunire studeret, undè tanto robore pollebant ejus tabulæ, ut aliæ juxta positæ pro nihilo ducerentur: quam methodum diu etiam retinebat, eandem non deserens ad Guidonis Rheni & Lanfranci exemplum: Undè multas imagines dimidiatas viventium quantitate, ut & alias majores elaborare solebat, quarum in templis districtûs Bononiensis conspiciuntur plurimæ: cum in loco quodam, cui da Cento nomen, amœnissimo, haud procul ab Urbe hâc, tam diu degeret, quàm viveret Guido Bononiensis; cum quo magnâ utebatur familiaritate. Post mortem hujus, Bononiam venit, majorique colorum claritate, deserto priore robore, utebatur, ut ignorantibus magis placeret: cum peritiores priorem ejus modum naturæ multò propinquiorem, quo immaturam colorum cruditatem magis temperare solebat, longè majoribus eveherent laudibus.

Inter hæc etiam erat Christus crucifixus viventis magnitudine cum matre Maria & discipulo Johanne, ubi sanè Imago Domini tantâ arte elaborata erat, ut operum ejus meritò dici posset palmarium. Præterea magnam quoq; colore oleario Romæ paravit tabulam pro templo S. Petri, in qua demortua Virgo quædam sanata in sepulchrum demittitur, opere pulcherrimo.

Cæterùm ipse modestus erat, moribusq; optimis, oculo tamen altero strabo, undè communiter & Guerzin dicebatur. In diagraphica eleganti methodo, rubeâ utebatur cretâ, umbras calamo adjiciens decussatas, naturali similitudine: qualia sæpiùs hinc inde inveniuntur magni æstimata. Iconem suam ob veterem amicitiam ipse monochromate rubeo factam in sui memoriam mihi misit, expressam cum aliis tabulâ S.

CVIII. FRANCISCUS BERNINUS Statuarius Neapolitanus;

ROmæ cum duobus filiis è marmore multa sculpsit, inter quæ præcipuè in palatio Vineæ Borghesiæ œcus magnus, in quo multæ statuæ marmoreæ viventium magnitudine majores; & inter alias Æneas Anchisen patrem è flammis exportans, ex uno marmore arte insigni. VIII. FRANCESCO BERNIN.

CIX. LAURENTIUS BERNINUS Statuarius & Architectus

FIliorum Francisci natu maximus, Patris, quo Præceptore tota quasi Roma utebatur, discipulus; ingenio & industriâ nobilis; ut vel in ætate juvenili ad summum jam felicitatis culmen scandere inciperet, à Papâ Urbano VIII potissimùm evectus & ad plurima adhibitus; ut quicquid durante sat longo tempore sedis ejus Romę vel statuarum, vel structurarum fieret: CIX. LORENZO BERNIN.

(quæ viginti duobus his annis inceptæ sunt variæ & incomparabiles,) ipse dirigeret solus. Ex quo cum prudentia, & peritia, tantoperè excrevit & gloria ejus, ut ab omnibus Pontificibus etiam subsequentibus magni æstimaretur, & præfecturam hanc tot machinarum per multos annos ipse semper retineret solus.

Opera ejus.

Operum ejus celebriorum primum erat figura quædam è marmore albo nodoso, quâ duo pueri Bacchantes è capra decumbente lac sugunt. Alterum Davidem referebat viventis magnitudine, lapidem funda ejaculaturum è marmore similiter albo, quæ cum sequentibus in Vinea Borgesia extant, & opera sunt nobilissima. Deindè ipsius manu etiam facta est pulcherrimo quoque marmore candido Daphne nuda Apollinem fugiens, ramescentibus jam manibus ejus folio quasi naturali, ut ceræ instar tractatum videatur marmor opere incomparabili. Post statuas istas, effigies quoque Cardinalis Scipionis Borghesii, Marchionis Vincentii, Justiniani & aliorum, viventium magnitudine exsculpsit. Porrò & Caroli Stuarti Britanniæ Regis iconem, è tribus ab Antonio Dyckio pictis, adversa scilicet & utriusque lateris effigiebus è marmore fecit, pro quâ ipsi tria millia florenorum numerata sunt. Eodemque modo & Galliæ Regem effigurabat, factis etiam ideis quibusdam insignibus in Regiâ Parisiensi, ut salarium ipsi constitueretur annuum maximum.

In templo Petrino.

Romæ in magno templo Petrino ea consummabat, quæ adhuc restabant in celeberrima illius structurâ, unà cum magnâ illa porticu in areâ circa templum, pro habendis & in umbra processionibus. Præ cœteris autem inter opera ejus præeminet monumentum Urbani VIII. in quo Effigies ejusdem in Pontificalibus duplici viventis quantitate quasi benedicentis assidet, circumpositis figuris plurimis metallicis artificiosissimis plus quàm quadringentorum millium coronatorum pretio fabrefactis, inter quas in fine S. Petri statua multâ Majestate spectabilis. In eodem templo ipse Summum altare è columnis tortuosis perspicuum fecit cum arcubus superimpositis; in quibus Angeli, viventibus longè majores cum variis ornamentis è metallo, pretio maximo fusi. Item in tholo illius templi maximo, paratis quatuor scaphis ipse in unà Longinum constituit è marmore duplici viventis magnitudine sub forma militis cujusdam Romani lanceam tenentis, cum devotione sursùm spectantis: pro quâ statuâ (cum alii unam saltem aut duas;) ipse industriâ maximâ viginti duas plasmaverat è cerâ ideas, quas ipse mihi monstrabat, trium palmorum omnes: cum in cœteris tribus scaphis, totidem jam collocatæ essent statuæ maximæ, S. Andreæ scilicet à Francisco Quencio, aliàs Flandro; Veronicæ à Mocho Bononiensi; & S. Helenæ à Romano quodam factæ, certantibus pro palmâ his artificibus.

Monumentum Urbani VIII.

Berninus igitur iste ob tanta ipsius merita à Pontifice in Equestrem elevabatur ordinem: qui aliàs & Comœdias componere amicisque exhibere solebat.

Frater ejus statuariâ etiam excellens, sub protectione atque informatione Equitis nostri ad varia adhibitus fuerat, accedente inprimis Academiæ illius usu, quæ, quantum mihi quidem innotuit, ultra triginta annos continuata fuit. Iconem autem nostri, qui ante paucos annos mortuus est, tabula nostra S. spectandam exhibet.

CX. PETRUS BERRETINUS Cortonensis Pictor

CX. PIETRO BERRETINI.

Nostrorum quoque temporum famâ celeberrimus, ingenio maximus, prudentiâ circumspectus, conversatione modestus, arte singularis, ut Romæ corona Pictorum vocaretur. Ab ætate autem jam juvenili magnam futuræ excellentiæ spem promittens, tàm delineando, quàm pingendo in albario recente, & disponendo non historias minùs quâm fabulas, sive magno sive parvo opere varia edebat specimina.

Opera ejus.

Inter opera ejus plurima Romæ in templo Petrino magna extat altaris tabula, in quâ Providentia Dei in cœlo depicta est aperto, detento infrà à quatuor Angelis vestitis terrarum Orbe. Deindè suscepto noviter extructo opere Palatii Barbarini, quod Romæ à Capo Dechase dicitur, ubi non tantùm œcum magnum cum cœteris omnibus in albario recente, sed & reliqua istius palatii annexa variis historiis, emblematibus & allusionibus nondum hactenus usitatis insigniter exornavit, ut Papa Urbanus VIII. ferè quotidiè per Palatium Quirinale pedes privatim ipsum inviseret; picturis ejus mirum in modum delectatus; quod opus cum typis jam æneis expressum extet, prolixius hic non describo.

In Palatio Pamphilio.

Electus deindè sub Innocentii X. nomine Cardinalis Pamphilius ad Pontificatum, cum domo suâ priore cum plurimis adjacentibus aliis in Area Navona

usque

usque ad S. Mariæ de Pace templum sublata, magnificum illud Palatium Pamphilium unà cum templo, fontanâ atque Obelisco juxta ideas Bernini extrui curasset, Oecum illius maximum hic noster tantâ etiam arte depinxit, ut Romani eum incomparabilem dicerent. Historia magni illius operis infernè spectanda est, Æneæ gesta exprimens, cum variis aliis, à Carolo Cæsio typis eneis pariter vulgata. Dehinc pro novo Capucinorum templo Romę altare similiter pinxit, historiam Cornelii à Petro conversi eleganter repræsentando, ut inter olearia ejus opera vix aliud detur melius.

Florentina.

Postmodùm Florentiam vocatus, œcum pariter magnum in Aula Ducali pingendum accipiebat, in quo juveni tum adhuc Duci in virtutum exemplar varias exhibuit historias virtutibus illustres singularibus. In summitate enim fornicis Venerem pinxit nudam in lecto adstante Cupidine cum lascivis mulieribus aliis, Cererisque & Bacchi muneribus variis, quam fugit adolescens pulcherrimus, Minervæ suasu, ad superna, ubi Virtus Herculis, se recipiens; frustrà revocantibus ipsum altrinsecus adstantibus Satyris, Bacchantibus, Nymphisque voluptatum fotricibus, cum hac Epigraphe:

Adolescentiam Pallas à Venere avellit.
Radix amara Virtutis, fructus suavis.

Inferiùs octo sequuntur historiæ aliæ, ex adscriptis latinis undique argumentis cognoscendæ, quorum verba hæc: Antiochus irato mari se committere, quàm blandienti amori vela pandere tutiùs existimavit.

Eodem poculo Massanissa fidei in Romanos, libertati Sophonisba litavit.

In Alexandri pectus pudicitiæ munimento Persicis oculorum tormentis inexpugnabile.

Augustus Regiam Nili Sirenem cerâ prudentiæ aure obseratâ contemnit.

Crispo innocentia magno stetit, sed illa pretio quolibet constat benè.

Cyrus ne â captivâ caperetur, Pantheum fugiendo vicit.

Filius amans, & silens; vafer medicus, pater indulgens.

Hostium corpora Scipio ferro vincere, animos continentiâ vincire voluit.

His & similibus operibus illustrioribus ad Senium usque eundem comitabatur fortuna; ubi in testimonium vitæ suæ honestissimæ in & sub templo S. Lucę Romæ altare quoddam ponebat metallicis constantem figuris, quod unà cum adjectâ Sepulturâ ad viginti millia coronatorum ipsi constitit. His peractis, ob fidelem erga me gestam amicitiam anno 1635. mihi Româ abeunti promittebat, se usque ad Alpes me comitaturum, ubi omnia simùl opera illustria Longobardica & Veneta conspexissemus: sed ob enatum subitò Palatii Barberini laborem tunc impeditus, iterum post multos dehinc annos Italiam revisuro mihi usque ad Veneros occursurus erat, nisi irruentibus in Bavariam Gallis totum prædium meum Stokau cum pago, arce pulcherrimâ, molisque variis, braxatoriâ, hospitio omnique re villica, unà cum subditorum omnium requisitis secundâ Pentecostes feriâ incendio nefando absumtum fuisset, quod deliciosum meum iter nimium quantum impediebat. Cœterùm officiosus erat, veteris amicitię tenax, serviendi omnibus cupidus, honestissimi animi, cœlibe vita exemplum probitatis existens, donec tandem naturæ soluto debito, sepultura terræ mandaretur magnifica, elogiis honoratus pluribus, inter quæ quidam è nomine ejus hoc fecerat Anagramma:

Encomium ejus.

Pietro da Cortona
Corona de Pittori.

Sexagesimum ætatis annum attigit, studiis semper suis vacans, unde & in Academiâ meo tempore ab omnibus magni æstimabatur. Icon ejus Romę in majori numismate repræsentabatur hac inscriptione:

PETRUS. BERETINUS. E. CORTONNA.

Ex altero latere apparebat fama, quæ, sinistro brachio bilanci innixa, dextro elevato baculum ad coronam novem stellis coruscantem dirigebat, hoc lemmate:

BENE. SVPER. VIRTVS. TE. CORONAT.

CXI. ANDREAS SACHIUS Romanus

CXI. ANDREA SACHY.

Cortonensi cöævus, picturâ pariter celeberrimus, Academiæ nostræ membrum nobilissimum. Diagraphica enim non minus, quàm pictis tabulis, & in albario recente potissimum alter illorum sic semper æmulabatur alterum, ut continuos utrinque facerent profectus. Inter alia in templo S. Petri tabulam pingebat de S. Augustino, qui sub Missa sanguine in calice invenerit, ostenso adhuc eodem tincto linteo. Iterum in templo S. Josephi altare, ubi Josephus dormiens ab An

gelo excitatur: quibus operibus sua meritò laus debetur. In quibusdam etiam conclavibus Palatii Barbarini ad albarium recens varia pinxit;, & inter alia divinam Providentiam cum virtutibus ei adjunctis, præter emblemata & historias alias. Ut alia ejusdem opera Romæ tam in templis, quàm Palatiis variè spectanda nunc omittam, quibus magnam consecutus nominis celebritatem ante paucos annos mortuus est.

CXII. ANDREAS CAMASIUS

CXII. ANDREA CAMASE.

EOdem tempore ad fastigia artis ascensurus erat, nisi præmaturâ morte in flore annorum obiisset.

CXIII. GIESSIUS

CXIII. ILGIESSI

Itidem inventione pariter, theoriaque non minus, quàm praxi nulli cedebat; multâ laude decorandus, nisi amori nimium indulgens, ab hoc sepulchretorum mox factus esset accola.

CXIV. PETRUS TESTA LUCANUS

CXIV. PIETRO TESTA LUCHESE.

IN patria primò, Lucæ nimirum, picturæ amore exardescens, famâ deinde Academiæ Universalis Romanæ excitus, peregrinantis habitu Romam venit, ubi quod nec diagraphicâ, nec colorum usu, in quo difficultates plurimas ad vitæ usque finem expertus est, polleret, miserè viventi, omni ope destituto, nihil restabat, nisi continua delineandarum in publico existentium statuarum, picturarum & ruinarum industria, ubi & ego eundem in ruinis Palatii majoris, ad Colossæum, in Capitolio & alibi delineantem sæpius semiferum quasi offendi, misertusque egestatis ejus ad me recepto, cibo, vestibusque prospexi, ubi delineationes mihi confecit parvo pretio plurimas, unde in designandâ porticu Justiniani multum ipso sum usus, aliisque illum commendavi.

His exercitiis in designandis statuis tantoperè proficiebat, ut tandem memoriter illas delinearet; ubi proprio Marte quædam ære roso exprimebat, ut hoc chalcographiæ genere tandem multâ laude excelleret. Inter opera ejus primò Academiam exhibebat pictoriam, sive pingendi studium tàm quoad theoriam, quàm quoad praxin per statuas exercendum. Deindè raptum Proserpinæ; Redemtionem Christi; Didonem in rogo; Hectorem, cum fabulis aliis, emendatiore semper manu: & mox foliis majoribus quatuor Elementa, corporibus nudis elegantissimè proposita.

Opera ejus.

Conversatione sua autem misanthropos ferè erat, & amicos fugiens, ut & ego, quem præ cœteris amabat, rarius colloquio ejus uti possem. Quamvis enim nihil proferret incongrui, meditationibus tamen suis libentiùs vacabat, melancholiâ tempus terens, recreatione nunquam usus: donec aliquando ad ripam Tyberis deambulanti ventus repentè pileum in undas proriperet; quem ipse recepturus, præceps secutus est, ut auxilio nullo sublevandus fluctu sic suffocaretur. Quod exempli loco tyronibus esse queat, ut præter studia exquisitiora humanitati quoque morum à teneris assuescant; quâ si felicior fuisset noster, tot sanè miseriis vix succubuisset. Iconem ejus autem tabulâ nostrâ S. expressimus.

Undis in Tyberi submergitur.

CXV. SALVATOR ROSA

CXV. SALVATOR ROSA.

UNà cum illo celebris Neapolitanus natione, subdialibus potissimum inclarescens, ubi in campis præliantes effigurabat, variisque tractus suos campestres animalibus exornare solebat: qui nuper adhuc Romæ degisse dicebatur.

CXVI. MICHAEL ANGELUS de Marca,


CXVI. MICHAEL ANGELO.

EOdem tempore pingendis prœliis excellebat, tàm equestribus quàm pedestribus, quod genus picturæ didicerat à vicino quodam suo, cui nomen

CXVII. VINCENTIUS LECKERBETIEN

CXVI. VINCENZO LECKERBETIEN.

ANtuerpiensi: quod autem unam tantùm haberet manum, & sinistra pingeret, Mutii nomine audiebat; subdialibusque, in quibus prœlia sua disponebat, valdè erat insignis.



CXVIII.

CXVIII. MALTESO.

CXVIII. MELITENSIS Tapetum Pictor,

IMmotis tum pariter celebris erat, præsertim in pingendis velis naturam ipsam ferè attingebat.

CXIX. FRANCESCO ROMANEL.

CXIX. FRANCISCUS ROMANELLUS

PEtri Cortonensis discipulus Viterbensis aliàs, ob pietatem atque virtutem à præceptore valdè amatus, nec non ob insignes profectus egregiè promotus,& in majoribus operibus variè adhibitus; in virum tandem evasit clarissimum, picturis præsertim albarii recentis insignem; undè & Parisios vocatus,non gloriâ tantùm,sed & opibus ibi ditatus est: Romamque reversus auctâ haud parum laudis suæ celebritate ultimum tandem ibi diem obiit.

CXX. GIOANNI BENEDETTO.

CXX. JOHANNES BENEDICTUS Genuensis

ANtiquorum methodo plurimum utebatur, pictis imaginibus palmi altitudine variis è veteribus historiis in tractu quodam campestri,cum animalibus variis. Unde & è veteri Testamento itinera Jacobi, historiam Rachelis, Josephi & aliorum pinxit: præter varia alia de pastoribus & puellis; Sacrificiis; ruinis; cum fabulis poëticis & similibus; magnam undique promeritus laudem.

CXXI. ANGELUS FALCONUS Neapolitanus

VItæ ipsius studiosior erat, cum omnia ad viva pingeret exemplaria, altitudine plerumque duorum vel trium spithamarum: quo genere historias varias, nec non prœlia pinxit cum dispositione argutissima: inter alia autem tabulam quandam pinxit multis imaginibus refertam, in quâ decollationem Januarii Neapolitanorum Patronii, magnâ cum laude exhibuit; quod opus Neapoli adhuc apud Casparum Romerum mercatorem Belgam in palatio ejus magnifico,cum aliis artificis hujus operibus,spectare licet. CXXI. AGNIEL FALCHONO.



Caput XXII.

Fœminæ quædam Italæ, Diagraphicâ & pictoriâ celebratæ.

Argumentum.

PROPERTIA Bononiensis magno artificio nucleos persicos & marmora sculpit. PLAUTILLA Abbatissa pictoriâ excellit. LUCRETIA QUISTELLIA Mirandulana, pictrix. SOPHONISBA Cremonensis, pictrix. Artemisia Gentilesca, pictrix.

PROPERTIA BONONIENSIS.

PROPERTIA BONONIENSIS;



INter alia celebrium variis artibus fœminarum exempla non Musicâ tantum sive vocali sive Instrumentali celebris erat, sed &in nucleis persicis multâ arte varia exsculpere solebat ut aliquando(quod certè multâ admiratione dignum:) totam passionem variis imaginibus inventione argutissimâ, & ordine inculpabili in nucleo tam parvo exhibuerit. Deindè ad marmora quoque applicita manu effigiem comitis cujusdam producebat, quam omnes mirarentur. Mox cum juvenem quendam deperditè amaret, quamvis viro nupta, (quasi culpam fassura propriam,) tabula quâdam marmorea semicirculari Potipharis uxorem repræsẽtabat Josephum pallio prehensum ad se tracturam, dispositione elegantissimâ. Mox duos etiam angelos sculpebat majores, Bononiæ in opere quodam publico adhibitos,specie illustri clarissimos. Eadem prætereà calamo eleganter delineabat; cæloque æs tractabat peritissimè, ut successu in omnibus uteretur maximo. Undè cum vix mortua atque sepulta esset, Papa Clemens VII. Bononiæ post coronatum Imperatorem illam libenter vidisset; morte ejus cognitâ multo affectus dolore, quod pro miraculo naturæ nostris temporibus habenda meritò fuisset.

exsculpendis nucleis persicis,

& marmore clara,



PLAU-

PLAUTILLA ABBATISSA

PLAUTILLA Abbatissa pingendi peritissima.

IN cœnobio quodam Florentino ad S. Catharinam eodem laudis genere primò summorum artificum picturas delineare, deindè & coloribus imbuere proprio studio didicerat, ut apographa ejus quædam ipsi mirarentur artifices. Pinxit enim pro cœnobio suo duas altarium tabulas, quarum altera præsertim, de tribus Magis Christum natum adorantibus, multâ laude extollitur Quin & ad S Luciam magna ab ipsâ picta extat tabula, in quâ imago D. Virginis filiolum ulnis gestantis cum circumstantibus Sanctis quibusdam & virginibus aliis. Deindè & in aliis templis nobiliumque domibus Florentiæ varia illius reperiuntur opera alia: inter quæ, posteriora ejus colore oleario facta, facies muliebres exhibent venustissimas; eò quod frequenter in illis uteretur effigie Virginis cujusdam Constantiæ de Doni, quæ illis temporibus incredibili pulchritudine excelluisse dicebatur. Sic &

LUCRETIA QUISTELLI, Mirandulana

Domina LUCRETIA QUISTELLI

UXor Comitis Clementis Petræ pictoriam similiter didicisse fertur â quodam Alexandro Allorio, qui discipulus fuerat Bronsini cujusdam, ut colore oleario multas faceret effigies suâ laude dignissimas. Præ cœteris tamen


SOPHONISBA Cremonensis

SOPHONISBA da CREMONA.

AMilcaris Angusciovolæ filia, pictoriâ inclaruit, magnâ in istâ semper usa sedulitate: Unde non diagraphica saltem præcellebat, sed & chromatica, ut icones plures, optima tamen faceret operum aliorum apographa: quamvis & ipsa ingeniosa inveniret varia atque expingeret. Undè & Hispaniarum Rex Philippus, intellectâ à Duce de Alba illius excellentiâ, eandem in Hispaniam vocatam & magnificè indroductam, salario annuo honoravit, admirante totâ aulâ cum stupore Sophonisbæ prudentiam. Abhinc Florentiam Duci huic opusculum quoddam diagraphicum ipsius manu factum mittebatur artificiosissimum, quod puellam referebat, infantulum quendam cancro è corbe apposito prorepente lancinatum, risu excipientem, magnâ veritate expressis omnibus; ut plurimâ laude meritò extolleretur ab omnibus. Tandem & laude suâ privanda non est

ARTEMISIA GENTILESCA Neapolitana,

QUæ mihi, cum eidem à Patre ejus Horatio Gentilesco, viro celeberrimo, amico meo singulari, salutem plurimam referrem, picturas suas ostendebat pulchrâ arte elaboratas: inter quas imago Davidis viventis magnitudine picta Goliathi caput manu tenentis, cum pluribus aliis manu suâ judiciosissimè factis. Eadem & effigies viventium pinxit, & in Academiâ diagraphicen plurimâ cum laude exercuit, ut & apud uxorem Pro Regis, omnesque fœminas principes alias summè æstimata, debitamque nominis celebritatem assecuta est.



CAPUT XXIII.

MARCUS ANTONIUS

Bononiensis chalcographus, cum omnibus aliis istius professionis atque nationis artificibus similibus celebrioribus.

Argumentum.

Itali artem chalcographicam à suâ natione gloriantur inventam: cum eadem inventio Germanis potius tribuenda sit, à quibus eandem MARCUS ANTONIUS didicit, Düreri opera imitatus, & aliis similibus eundē secutus. Opera ejus juxta diagraphica Raphaëlis. Opera ejus alia. Discipuli ejus MARCUS RAVENNAS, & AUGUSTINUS VENETUS reliqua

opera

opera Raphaëlis pleraq; æri incidunt: ut & plurima juxta delineationem Julii Romani. Marcus & Augustinus separantur ab invicem, horumq; ille ad Bartholomæum Bandinellum venit. Adhuc alia Marci Antonii opera. THOMAS BARLACHIUS chalcographus. Marcus Antonius propter opus quoddam lascivum in carcerem conjicitur; sed deindè à Pontifice iterum fovetur. Alia opera Augustini Veneti. HUGO CARPENSIS, Italorum primus est Xylographus, duobus trunculis primùm, deindè tribus usus. BALTHASAR PERUZZIUS. FRANCISCUS PARMENSIS. DOMINICUS BECCAFURNIUS. FRANCISCUS PARMENSIS primus Germanos arte corrosivâ sequitur. ANTONIUS LANFERRI. THOMAS BARLACHIUS. JULIUS BONASONIUS Bononiensis. CORNELIUS CURTUS, Belga, veram chalcographiæ methodum Romam perfert. PHILIPPUS THOMASINUS. FRANCISCUS VILLAMENA. CHERUBIN ALBERTUS. JOHANNES ORLANDUS. LUDOVICUS CARACCIUS Bononiensis. ANNIBAL CARACCIUS, ipse quoq; opera quædam ære roso exprimit. Opera rosa. FRIDERICI BAROTII. VENTURA SALIMBENUS Senensis. ANTONIUS TEMPESTIUS Florentinus. GUIDO Bononiensis. JOHANNES BENEDICTUS CASTILIONÆUS. PETRUS TESTA. CAROLUS CESIUS. JOHANNES BAPTISTA FALTA. PETRUS S. BARTOLI. STEPHANUS DE LA BELLA Florentinus. Conclusio.

Itali inventæ Chalcographicæ laudem sibi tribuunt,



DE arte Chalcographicâ quædam dicturi, hîc meritò præmittimus Vasarii errorem, qui fol. 297. Germanos nostros omninò prætermittens, inventæ hujus artis laudem Andreæ Mantineæ tribuit, quem ab aurificibus eam didicisse tradit, cingula argento munita cæli beneficio foliorum gyris & chimæricis aliis exornantibus, quales cælaturas ipse atramento inductas chartæ humenti impresserit, adeoq; cælandi æris artem invenerit primus, unde ipse quoq; opera sua magna cum laude typis æneis vulgaverit; à quo postmodùm in Germaniâ Martinus Schœnius eandẽ artem didicerit.

Cùm ea Germanis debeatur.

Hic error ante omnia detegendus fuit, cum Chalcographiæ & Xylographiæ, quin & rodendi æris inventa nobilissima neutiquam Italis, sed prout & Typographia anno 1440. Argentorati primùm exculta, Germanis meritò tribuenda sit. Cum enim Mantinea anno 1500. hac in arte initium faceret, eadem scientia & fortè eodem nondum nato apud Germanos in summo jam flore erat: ut & ipse Mantinea Alberti Düreri typis æneis expressam Passionem & alia admiraretur, quod tam perfectum cælo utendi modum imitari non auderet. Adde quod Dürerus & Martin Schœni' ætate longè fuerint provectiores, quàm Mantinea: & Israëlis primò Mechliniensis opera è Germaniâ in Italiam delata sint, quibus ansa illis data fuit, eorundem exemplariũ faciendi apographa: inter quos Mantinea quidem Italiorum primus fuit, verum tamen fundamentum nunquam assecutus. Meliori enim felicitate secutus est Marcus Antonius, qui, imitando Germanorum methodum, ob egregiam in diagraphica & pictoria peritiam, longè meliores in ea fecit progressus. Ut autem adhuc magis proficeret, Venetias profectus, inter alia varia & Alberti Düreri triginta sex typos Xylographicos de Passione Christi in area S. Marcii venales, laude maximâ ab omnibus celebratas raro satis emit pretio, quod Xylographica Italis tum adhuc incognita essent. Horum in ære tractibus crat sioribus confestim faciebat apographa, ut ab omnibus, magno cum commodo ejus, pro autographis haberentur. Albertus autem Dürerus exemplari tali ad manus ejus delato, Venetias ipse abiens, exhibito privilegio Cæsareo, ostendit, nemini eadem, ut & alia opera sua, imitandi fas esse, ab illa Republica simile privilegium petens; ubi id saltem à magistratu impetravit, ut in typis Marci Antonii, Düreri nomen expungeretur. Ubi indignatus Antonius Romam adiit, Andreæ Mantineæ primùm, deinde Germanorum methodum in ære cælando secutus.

A quibus eam MARCUS ANTONIUS didicit,

Düreri opera imitatus.

Opera ejus juxta diagraphica Raphaëlis.

Ut autem melius innotesceret, multâ elegantiâ æri incidebat Lucretiæ imaginem juxta Raphaëlis Urbinatis delineationem, quod opus pulcherrimum ad Raphaëlem per amicos mox delatum, eundem commovit, ut optimas quasdam inventiones diagraphicâ præludente typis æneis ederet: quarum prima erat Judicium Paridis, cum curru Phœbi in cœlo, Jove in nubibus, Dryadibus & Orcadibus, aliisq; in opere illo anaglyphico simo antiquo, quod Romæ apud Palatium Mediceum adhuc spectatur, expressis. Pulcherrimum hoc cælo utendi genus, Romæ hactenus omninò incognitũ, cum omnes artis fautores in summam raperet admirationem; hic præeunte Raphaële & infanticidiũ Herodis superaddebat, exhibitis utroq; sexu corpusculis pluribus nudulis elegantissimis. Mox & Neptunum; & Æneæ gesta minori forma; & Helenæ raptum; & S. Felicitatem post decollatos filios ardenti oleo immersam adjungens: quibus omnibus Marcus Antonius tantam assequebatur nominis celebritatem, ut opera ejus ob diagraphices elegantiam omnibus aliis præferrentur, magno cum lucro mercatorum.

Opera ejus alia.

Deindè adhibito ad impressiones Bavierâ quodam, ipse cælaturæ soli vacabat, ut magnam sic ederet operũ talium copiam,

quæ omnia Raphaëlis Sanzii nomen ob inventionem literis R. S. ob sculpturam autē literas M. A. præ se ferebant. Inter illa autem erat Venus quædam, amplexa Cupidinem: item historia de Abrahamo, cujus semini Deus benedicit; item Calliope quædam: Deindè Providentia; nec non Justitia. Porrò Parnassus cum Apolline inter Musas, atq; Poëtis. Æneas etiam patrem ex incendio portans: quod opus Raphaël primùm minori forma colore oleario ad viva exemplaria depinxerat, in Palatio Papali majore opera exprimendum: jamq; in Pinacotheca nostra Sandrartiana inter rariora asservatur. Prætereà & Galateam quandam Delphinibus per mare vectam, cum aliis Tritonibus Nympham quandam rapientibus: & Apollinem cum lyrâ: & Pacem, cui Amor oleæ ramum porrigit; item tres virtutes Theologicas & quatuor morales: Dein & Christum cum duodecim Apostolis, & dimidiato folio D. Virginem, à Raphaële in Ara cœli pictam: quin & illam, quæ Neapoli ad S. Dominicum extat, cum Hieronymo, Raphaële & Tobia: nec non eandem minori forma sedentem & filiolum semivestitum amplexantem, cum multis aliis à Raphaële variis in locis delineatis atque pictis.

Deinde ab ipso etiam edebatur Johannes Baptista junior in deserto mensæ assidens: & ex ideis tapetum Raphaëlicis Stephanus docens, & miracula edens; item Christus à cruce ablat⁹ correpta syncope Maria: nec nōChristus cruciger: item Christus in aëre, cūMaria & JohañeBaptista atq;Paulo stantibus; & S. Catharina genibus innixa, quod est opus magnum. Postmodùm & effigiem Clementis VII. Pontificis edebat è latere spectatam barbâ tonsâ: & Carolum V. tam juxta juveniles, quàm juxta provectiores annos: nec minus successorem ejusdem Ferdinandum Romanorum Regem. Sic & Petrum Aretinum Poëtam celeberrimum, similitudine maximâ exhibebat, quod operum Marci Antonii dicitur optimum. Mox duodecim Imperatores, quorum typos RaphaëlAlberto Dürreo inGermaniam misit, qui multam laudem Antonio tribuens, plurima Raphaëli iterum mittebat operum suorum.

Discipuli ejus MARCO da RAVENNA. & AGUSTINO VINETIANO.

Cum autem & Discipuli quidam à Marco Antonio hanc artem discerent, inter illos progressu prævalebat plurimo MARCUS Ravennas, qui typos suos similiter literis R. S. signare solebat. Deinde & Augustinus Venetus, qui signo A.V. utebatur: quia diagraphica Raphaëlis varia æri incidebant, inter quæ Christus mortuus à matre gremio exceptus, ad cujus pedes Johannes cū Nicodemo & Mariis aliis. Item S. Augustinus folio majore: nec non Nativitas Christi præsentibus pastoribus & Angelis, unà cum Deo Patre, cum variis tam antiquis quàm recentioribus vasorū generibus. Deindè & Lycanthropus quidam aliū in lecto decumbentem interfecturus: & Alexander Roxanæ ad concubitum adductæ diadema imponens, circumvolantibus Amoribus quibusdam, aliis arma Alexandri custodiêtibus. Porrò in chartâ majore & cœna Dominica: nec non duæ historiæ de Psyche, Raphaëlica omnia.

Iidē & JuliiRomani multas picturas, quarum ipsi deindè fecerant apographa, edebant, cum enim operum Raphaëlicorū vix ullum restaret amplius, jam ea, quæ juxta Raphaelis ideas ille pinxerat, assumebant; Charactere partim M. R. quod est nomen Marci Ravennatis, partim A.V. quibus Augustinus Venet⁹ designatur, adhibito. Inter ea sunt Creatio mundi & brutorum præcipuè: Sacrificium Caini & Habelis: Caini fratricidium: Abraham, Isaacum immolaturus: Arca Noæ: Diluvium: transitus per mare rubrum: traditio Legis in monte Sinai: HistoriaMannæ: DavidGoliathum obtruncans; quam historiam & Marcus Antonius sculpserat. Extractio templi Salomonæi: Adventus Reginæ Sabææ ad Salomonem: & è NovoTestamento, Nativitas & Resurrectio Christi: Missio Spiritus S. quæ omnia vivente Raphaele edita sunt.

Augustinus ad Bandinellum venit.

Post mortem autem Raphaelis separatis his, Augustinus à Bartholomæo Bandinello statuarioFlorentino conducebatur, ad edēdam Anatomiam corporū macilentorum & senio confectorum, atq; ossium humanorum: nec non Cleopatram: quibus absolutis ex voto, idem juxta delineationemBandinelli & majus opus de variis mulieribus tàm nudis quàm vestitis, ad mandatum Herodis infantes suos occidentibus, edebat.

Alia Marci Antonii.

Marcus Antonius autem in cælaturis suis pariter pergens, duodecim Apostolos effigurabat minori formâ, cum variis Sanctis utriusq; generis, ut pictoribus in diagraphica minus exercitatis ope quadam succurreret. Idem & nudum quendam exprimebat, ad cujus pedes Leo vexillū quoddam vento agitatum retinere annisus: item S. Hieronymum mortis meditationibus occupatum minori forma, juxta Raphaelis inventionem. Item Justitiam è tapetibus sacelli desumtam. DeindèAuroram duobus equis vectā, quibus frena Horæ applicant; nec non tres Charites: & Mariam per gradus templi ascendentem.

Posthæc Julius Romanus, qui vivente Raphaele Præceptore nunquam typis aliquid edere voluerat, per Marcum Antonium duo prœlia equestria editurus erat, formâ satis magnâ: quin & omnia, quæ de Venere, Apolline & Hiacyntho pinxerat: item qua-

tuor

tuor historias de Magdalena: & quatuor Evangelistas arcui Sacelli in templo Trinitatis appictos; cum aliis pluribus à Raphaele delineatis & pro porticibus Palatii Massinii deputatis, quæ deinde à THOMA BARLACHIO cum illis, quæ Raphael pro tapetibus Consistorii publici delineaverat, iterum æri incisa sunt.

THOMAS BARLACHIUS chalcographus.

Idem Julius Romanus viginti etiam foliis à Marco Antonio varios concumbendi modos divulgari curabat, adjungendo à Petro Aretino & poëmate: quo opere Julii honestis oculis vix apparuit turpius aliquid, quo etiam sic offendebatur Clemens Pontifex, ut Julium, nisi Mantuam jam discessisset, impunem haud reliquisset; vetito interea ubique opere & carcere punito Marco Antonio, durius adhuc multando, nisi Cardinalis Mediceus & Bandinellus sese interposuissent. Quo exemplo omnes monentur artifices, ne Dei donis ad obscœna abutantur, sed studia pietatis potiùs omnibus viribus promovere studeant.

Marcus Antonius carcere punitur.

Marcus Antonius autem è carcere iterũ dimissus, opus aliquod Bandinelli majus de Laurentio craticula tosto absolvebat, & incredibili quidem industriâ atq; elegantiâ: ut Pontifex etiam, quamvis Bandinellus eidem persuadere vellet Marcum Antonium sæpiùs errasse, re accuratius pensitata, Bandinello potius errores plures ascriberet, quos Marcus Antonius emendasset, ut major diceretur cælatoris quàm delineatoris scientia: quare & favore hunc deinceps amplexus est haud exiguo: ut procul dubio ad altiora eundem promovisset, nisi mox occupatâ urbe ejusdem dira secuta esset depopulatio, qua ad mendicitatem redactus etiam est Marcus Antonius, ob lytron, quod capto solvendum erat, maximum. Unde Româ relictâ nunquam eòdem reversus est: cui hæc interim nihilominus cum totâ Italiâ immortales debet gratias.

Augustinus autem Venetus suprà commemoratus Florentiam postmodùm profectus, ut Andreæ Sartorio, qui post Raphaelem pictorum dicebatur optimus, sese associaret, eidem quidem etiam persuasit, ut opera sua typis æneis publici juris faceret; unde & Christum mortuum æri mandabat, à tribus Angelis detentum: cum autem hujus opera Andreæ non omninò satisfacerent, nihil ille amplius publicè editurus erat unquam; quamvis ab aliis post mortem ejus visitatio Elisabethæ & Baptismus Johannis infantibus aliquot collatus, quæ pro discalceatis Florentiæ pinxit, divulgata sint.

Augustini Veneti opera.

Post istos inventum quoque Xylographicum, quod in Germaniâ quidem jam diu floruerat, in Italia tamen hactenus nullum invenerat cultorem, ab Hugone Carpensi ibidem introductum fuit: qui quamvis pictoriâ leviter saltem imbutus esset, quod tamen ingenio alioquin pollerет felicissimo, re profundiùs pensitata, duobus primò usus est trunculis, quorum uni lineas principales cum umbris incidebat, altero autẽ colorem applicabat, ut ambo prælo subjecti chartæ tamen suum relinquerent candorem, & figuram egregiè proferrent. Hac igitur methodo juxta Raphaelis delineationem editionem parabat candido & atro colore; nimirum Sibyllam quandam noctu sedentem & legentem, cui puer quidam vestibus candelam teneret. Quod cum succederet, tribus porrò utebatur trunculis, quorum primo umbram, altero colorem temperatiorem atq; medium, tertio autem lumen & claritatem administrabat, chartæq; candorem conciliabat: prout Æneas ejus patrem humeris ex incendio efferens; nec non Ablatio quædam è cruce; & historia de Simone Mago, quam antea Raphael pro tapetibus Sacelli pinxerat, testantur. Eodemq; modo & Davidem edebat Goliathum obtruncantem, fugientibus intereà Philistæis, juxta Raphaelis pariter delineationem pro Porticibus Papalibus factam. Et sic quoq; Venerem quandam cum variis Amoribus ludentibus.

HUGO DA CARPI Xylographus Italorum primus.

Sic BALTHASAR PERUZZIUS, Pictor Senensis, atro similiter & candido colore Herculem quendam edebat, qui avaritiam in fugam conjicit: Item Parnassum cum Musis, elegantissimis gestibus exhibitis.

BALTHASAR PERUZZI.

Eodem etiam modo FRANCISCUS PARMENSIS, in folio majore Diogenem repræsentabat, & quidem longè meliori successu, quàm Hugo unquam fecerat. Idemq; sic & decollationem & martyrium Apostolorum Petri & Pauli expressit: & Sibyllam Tiburtinam, Octaviano Imperatori Deiparam cum filiolo ostendentem: nec non imaginem quandam nudam, tergum eleganter obvertentem: & imaginem quandam D. Virginis in forma elliptica decumbentem, quam post mortem ejus Johanniculus Vicentinus typis edidit; quam multò puchriùs eandem DOMINICUS BECCAFURNIUS Senensis postmodùm in lucem ederet.

FRANCESCO PARMEGIANO.

DOMENICO BECCAFURNI.

Dehinc modus quidam longè velocior & facilior chalcographiæ inventus est, quàm qui beneficio cæli fit: cum nempe lamina fundo quodam cereo obducta, cui figuræ veruculo ferreo inscribuntur, aqua deindè forti superaffusa eroditur, ut impressio deindè aliquot mille foliorum ea-

FRANCISCUS PARMENSIS rofionem æris juxta Germanos instituit.

dem fieri queat. Et hac methodo FRANCISCUS PARMENSIS multa edidit parva elegantissima; qualia sunt Nativitas, & mors Christi à Mariis deplorata. Deindè Baptista Vincentinus, & Baptista de Moro Veronensis editionem Romæ parabant quinquaginta tabularum subdialium: & Baptista Venetus Visitationem Pacis, item per Franciscum Salviatum delineatam Misericordiam edebat.

Postmodùm Romam veniebat Bossus, qui & Baccieræ persuadebat, ut aliquid publicaret, qui proindè per Johannem Jacobum Caraglium Veronensem Marci Antonii methodo potissimum usum imaginem quandam macilentam edidit, calvariam manu tenentem, insidentemque serpenti, cum adjuncto olore suaviter modulante: item Herculem occidentem Draconem; producentem Cerberum; Cacum itidem perimentem; Acheloi cornu frangentem; Centaurumque Dejaniræ raptorem trajicientem; quæ omnia opera sunt elegantissima, ut plura publico destinaret, ab expugnatione deindè Urbis interrupta.

Deindè multa etiam à Michaële Angelo sculpta, sollicitante Antonio Lanferrio, qui pro delectamento suo tales artifices sustentabat, edita sunt: ubi integri libri de variis piscibus, item Phaëtontis, Titii, Ganymedis, Bacchantium fabulæ; nec non somnus, Pietas, & illa crucifixi imago, quam Michael Angelus Marchionissæ de Pescara fecerat; item quatuor Prophetæ Sacelli, cum pluribus aliis prodibant. Quamvis similia & ab aliis edita sint, quorum nomina tamen tanti non sunt, ut eorum hîc fiat mentio. ANTONIUS autē LANFERRIUS & THOMAS BARLACHIUS meritò à nobis denominantur, quippè qui multos ad hanc artem promoverunt discipulos, quibus, è deli e ationibus & inventionibus optimorum Artificum, expressa sunt varia Alabandæa; nec non templa antiqua; Arcusque Basesque & Capitula varia cum suis mensuris.

ANTONIO LANFERRI. TOMASO BARLACHI.

Sed & Venetiis varia sunt edita; præsertim à Titiano Xylographiâ subdialia varia: item nativitas Christi: Hieronymus quidam; imago Francisci: item Tantalus, Adonis & alia, quæ à Julio Bonasone Bononiensi typis vulgata sunt, cum variis aliis Raphaelis, Julii Romani, & Parmensis operibus; quibus & alii accesserunt, qui juxta proprias inventiones laborare cœperunt. Hi omnes tamen primam Artis hujus originem Germanis debent: & Marco Antonio, qui primus hanc professionem publicè in Italiâ excoluit, & post abitum suum ex Urbe Romana Bononiæ statim mortuus est:

GIULIO BUONASONE.

cum iconem ejus Raphael adhuc in juvenili ætate pinxisset. Et hæc de Marco Antonio.

Eadem Chalcographiæ ars deindè in Italiâ tantoperè increbescebat, ut nihil quasi pingeretur rarius, quod non ejusdem beneficio sivè anteà, sivè posteà, publicè etiam divulgaretur. Atque sic etiam Belga noster Cornelius Curtius juxta inventionem Raphaelis Urbinatis Transfigurationem Christi, cum variis aliis: item Titiani Andromedam tabulâ subdiali magnâ exhibitam; nec non Gloriam quandam cœlestem, in quâ Carolus V. Conjux ejus, & Philippus II. filius ejus; anteriùs autem Moses & Noah, cum aliis sanctis repræsentantur: porrò etiam Balneum Dianæ: quin & imaginem quandam D. Virginis majorem venustissimam Barotii, unà cum aliis picturis Italicis typis æneis publici juris fecit. Discipuli ejus fuerunt PHILIPPUS THOMASINUS, qui multa juxta Raphaelem & Antiqua varia cælavit. Item FRANCISCUS VILLAMENA, qui juxta Fridericum Barotium ablationem Christi à cruce; ejusque sepulturam, cum multis centenis aliis meliorum artificum operibus æri incidit. Deinde & CHERUBIN ALBERTUS, qui Fulmen Sartorii; Et Zophori longioris imagines juxta Polydorum Caravagiensem, cum historiis aliis, de Niobe scilicet, cujus liberi ab Apolline & Diana occisi sunt: de raptu Sabinarum: cum prœliis quibusdam tàm terrestribus quàm navalibus: item Vasa varia elegantia: & integros libros similium ære vulgavit. Et tandem JOHANNES ORLANDUS circa annum 1600. qui fugam in Ægyptum juxta Procasinum edidit; Cum pluribus aliis, qui ferè omnes Cornelii Cortis methodo usi sunt.

CORNELIUS CORT.

PHILIPPO TOMASINO. FRANCISCO VILLAMENA.

CHERUBIN ALBERTO.

GIOANN ORLANDO.

Nec silentio prætereundus est AUGUSTINUS CARACCIUS Annibalis & Ludovici consobrinus, qui multa Annibalis opera ære vulgavit, inter quæ libellus ille obscœnus variarum nudarum, aliarumque vanitatum Poëticarum: item S. Justina majori forma, juxta Paulum Veronensem, quæ tam eleganter incisa est, ut typus æneus ipsâ picturâ sit venustior. Deindè & nuptiæ Canæ in Galilæa celebratæ: item D. Virginis imago major, sub qua Antonius & S. Catharina. Sic & magnum opus de desponsatione S. Catharinæ cum variis Angelis, juxta pulchram illius manum: Porrò juxta Tintoretum quoque S. Hieronymus, cui D. Virgo in aëre apparet: item judicium Paridis: item Pacis & Belli occursus: duodecim Apostoli, cum plurimis aliis: præ cœteris au-

AUGUSTINO CARACCIO.

ris autem magnum illud nullâque laude satis decantatum opus Tintoreti de crucifixione Christi cum omnibus circumstantiis egregiè elaboratum.

ANNIBAL CARAZZ.

Quin & ipse ANNIBAL imagines quasdam D. Virginis dimidiatas ab anno 1591. usque ad 1606. ære roso expressit, inter quæ Magdalena pœnitens; S. Hieronymus cum Josepho in libro legente: imago Deiparæ cum S. Barbarâ; cumque filiolo Johanni è patera potum præbente, & ob avem quandam extimescente: dehinc Maria legens, cum filiolo, Johanni aviculam è manu tollente, scalpenti propterea caput: iterum nativitas Christi minori formâ: imago Mariæ venustissima gremio filiolum tenens. Item Venus nuda dormiens, quam Satyrus denudat: item Desponsatio Christi cum S. Catharina. Jesuli & Johannis amplexus: imago D. Virginis cum filiolo ad Angelorum chorum. S. Rochus eleemosynas pauperibus distribuens. Fuga in Ægyptum, ubi asino pabulum præbet angelus. Imago D. Virginis in cœlo. Johannes Baptista Jesulo agnum offerens. Ablatio Christi à cruce minori formâ oblongâ; in quâ caput Domini in gremio matris quiescit synopizantis, cum Johanne, Magdalena & aliis mulieribus. Quæ omnia opera sunt multa laude digna.

FREDERICO BAROTIO.

Eundem secutus est præstantissimus ille FRIDERICUS BAROTIUS, qui propriâ inventione pauca quidem elaboravit, sed cum rem ipsam optimè intelligeret, ære roso tamen edidit folium aliquod majus, ubi Christus in cœlo, juxta matrem suam. S. Nicolaus autem in terra stans Francisco in genua prolapso benedictionem impertit: Item eâdem formâ salutationem Angelicam ab Angelo in genua prolapso factam: nec non imaginem D. Virginis cum filiolo utroque brachio detento, cum aliis.

VENTURA SALIMBEN.

Sic Senis erat celebris ille VENTURA SALIMBENUS, qui elegantissima varia ære expressit, inter quæ ichnographia totius Urbis Senensis; item vita S. Catharinæ Senensis: quæ etiam in libello quodam alio exhibita est, folio dimidiato triginta foliis, cum pluribus aliis.

ANTONIO TEMPEST.

Hunc porro sequebatur ANTONIUS TEMPESTAS Florentinus, inventione & diagraphica promtissimus: qui ære roso edidit venationes varias, quæ magis ad naturam accedere non possent: nec non septem mundi miracula; item prœlia Julii Cæsaris, & Alexandri M. Figuras biblicas omnes: Orlandum furiosum: Tacitum: librum peculiarem de equis: Eremitas: duodecim Imperatores Romanorum in equis; cum majoribus aliis operibus celeberrimis: inter quæ ichnographia totius Urbis Romæ octo foliis majoribus edita tantâ perfectione, ut omnes ædes, plateæ & alia notoriè conspici queant; mirâ enim cum promtitudine pollebat laboriositate.

GUIDO BOLOGNESE.

Eodem modo & GUIDO BONONIENSIS imagines D. Virginis septem vel octo; S. Hieronymi duas: item Martem & Apollinem: Angelum Custodem: Picturam: D. Virginem cum S. Anna; eandem iterum bis cum Josepho: Michaelem Archangelum cum aliis suâ manu pictis pluribus edidit. Quod & fecit Quarcinus de Cento.

GIOANN BENEDET CASTILIONE.

Deindè exurgens JOHANNES BENEDICTUS CASTILIONEUS Genuensis, ære roso multas picturarum suarum publicabat: inter quas Diogenes lucernâ homines quærens: Christus Lazarum suscitans: Silenus ad fontem cum fistulâ, ludente cymbalis puellâ pastorali, cum adjunctis ruinis, vasis antiquis, statuisque & aliis foliorum plexu inductis. Deindè Circe aperto inter ruinas noctu sepulchro quodam ad facem arma Achillis inveniens. Item subterranea varia, ut ædificia, statuæ, monumenta, cum inscriptionibus: ut *Temporalis æternitas.* Item: *Nec sepulchra legens vereor, ne perdam memoriam.* Sic Fuga in Ægyptum Maria in asino sedente comitante Josepho & aliis.

PIETRO TESTA.

Deindè PETRUS TESTA Lucanus prodibat, qui meo tempore, cum statuas antiquas Pinacothecæ Justinianeæ typis æneis editurus essem, & propterea Cornelium Blomartum, Theodorum Matthamum, & Renierum Persinum è Belgio vocassem, adsumto etiam Michaële Natali, cælatoriam ab illis discere, eosque juvare volebat: quod autem cæli usus difficilior ipsi videretur, aggressus Chalcographiam rosoriâ, primo opere edebat Lycæũ Picturę, quo integram Scholam tam Theoreticam quàm Prasticam, insigni figurarum ingeniosissimarum multitudine egregiè proposuit. Deindè Christum mortuum ab Angelis per nubes delatum, misso à Patre in Judæos vindictæ telo. Achillem deindè currui alligatum Hectora circa Trojam trahentem. Item Plutonem, raptâ Proserpinâ, inferos petentem. Didonis necem &c. Celeberrima autem ipsius opera sunt quatuor anni tempora, inventione rarissimâ egregiè expressa.

STEPH. DE LA BELLA.

Eidem haud absimilis fuit STEPHANUS LABELLIUS, cubicularius Ducis Florentini, qui varia Alabandæa, Foliorum Gyros, Arma, ornamenta, imagines, subdialia, Vasa & alia rariora animalibus ingeniosè condecorata edidit: cujus iconem tabulâ PP. expressimus.

CAROLO CESIO.

Nec fine laude prætermittendus eſt CAROLUS CESIUS, qui varios fructus elegantiſſimos ære corroſo edidit, unà cum porticu celeberrimâ Nepotis Innocentii X. à Petro Berretino picta de Ænea Virgiliano; quæ cum cœteris variis ex ipsâ editione ſpectari poteſt.

GIOANNI BAPTISTA FALTA.

JOHANNES BAPTISTA FALTA variis libris ædificia urbis Romæ ſplendidiſſima, ut templa recentia, palatia & fontes artificiales, edidit: ſic etiam ædificia vetera, ut templa, cœnobia, Porticus; imò plateas integras, juxta regulas Architecturæ atque optices, ſub Alexandro VII. aliquot libris vulgavit.


PIETRO S. BARTOLI.

Sic & noſtro tempore PETRUS S. BARTOLI Chalcographia roſoria varia edidit laudatiſſima: & præ cœteris celeberrimam porticum templi S. Petri in Vaticano, ex inventione Johannis Lanfranci, cujus manum tam imaginibus, quàm hiſtoriis & ornamentis ingenioſè ſecutus eſt. Eodemque modo de JohanneBaptiſtaGALSTRUZZIO varia Romæ teſtantur opera ære eroſo publicata, in genere ornamentorum, chimæricorum & aliorum.

CONCLUSIO.

Ex quibus omnibus prolixè intellexit Lector benevolus, quâ ratione à Germanis ad Italos pervenerit Chalcographia tàm cælatoria quàm eroſoria; quæ inter hos deinde variè propagata, & ad noſtra usque tempora continuata eſt, per modò laudatos artifices. Qui autem futuris adhuc temporibus ulterius exſurrecturi ſunt, commendati maneant calamo habiliori: nos autem ad alia jam convertimur.

Cœterùm quæ minùs à nobis ſunt præſtita, famæ tamen indicta non relinquet præconium. Italia autem ipſa magnâ in hoc gaudet prærogativâ, quod tot tantisque viris tam diu claruerit & adhuc clareſcat, de quibus ſi non omnia, pleraque tamen & maximè neceſſaria retulimus. Atq; ſic de reliquis etiam nationibus id tentabimus, ut ex obſcuris oblivionis tenebris eruantur illorum Nomina, qui muta hac Poëſi ſuæ genti haud exiguam peperére gloriam, quod libri ſequentes ſuo ordine demonſtrabunt.



PARTIS



PARTIS SECUNDÆ
ACADEMIÆ PICTURÆ NOBILIS
LIBER TERTIUS.
De
Pictorum Germanorum atq; Belgarum, nec non Gallorum, Anglorum aliorumque
Vitis atq; Encomiis.

Præfatio.



N capitibus præcedentibus de vita atq; encomiis celeberrimorum Italiæ pictorum, nec nō statuariorum, partim è Scriptoribus optimis, partim è propriâ quoq; experientiâ sat copiosè differuimus, ut via aliis è posteritate nostrâ sufficienter jam pateat, eadem debitè continuandi, laudesq; ingeniorum feliciorum, quæ futuris proditura sunt seculis, prioribus subnectendi; quò artificia hæc ad perfectionis culmen jam enixa elatiore decursu perennent, ignaris, ad majorem in studiis istis fervorem, calcar, atq; stimulus addatur, cæteris exempla industriæ atq; acuminis continuata suppeditentur, ipsorumq; artificum memoria oblivionis caligini ne immergatur, sed florida semper in omne ævum pro merito conservetur.

Quod si mirum quibusdam fortè videatur, cur non ad describenda potius Virorum bello illustrium facta gloriosissima, quàm pro viliore hâc, ut vulgo reputatur, materiâ calamum strinxerim; opusq; tot laborum atq; impensarum tam humili prorepat objecto; illi sciant, me gestis bellicis usq; adeò haud delectari, ut Marii, Syllæ, Catilinæ, aliorumq; humano sanguine inexplebilium Martis alumnorum memoriam præferendam existimem Viris bonarum artium cultoribus atq; promotoribus.

Et quamvis alii magnâ sollicitudine Annales de tristissimo tam Germaniæ, quàm Belgii statu conscribere satagant, cruentumq; Mavortis theatrum varia strage, inumerisq; cadaveribus instructum posteritati adaperiant: eôdem tamen haud meus inclinat genius, ut furenti per viscera mortalium Discordiæ atramento meo litem, tonantisve Nitri fragores, & insultantes fulminantium tormentorum impetus æternitati consecrem: cui major longe

voluptas elegantissimos artificum tractus, & admiranda penicilli fascina calamo insequi atq; depingere.

Nec ingratum id fore spero Patriæ, quod Germanorum quoq; Pictorum Academiam nunc pandere tentem, idq; labore omnibus modis difficillimo; præsertim cum nemo hactenus è Germanorum natione, (utut sæpius tentatum sit:) tantum onus in humeros suos suscipere ausus sit. Cujus præcursu haud parvum sanè mihi præstitum fuisset auxiliũ, ut in describendis potissimùm laudibus Pictorum Germaniæ superioris, labore supersedere potuissem quamplurimo: cùm è contrario, præeunte nemine, omnia quasi ex oblivionis pulvere eruenda mihi, & maxima non minùs quàm minima undiquaq; tædiosissimè conquirenda fuerint.

Ubi tamen præ cæteris id mihi profuit, quod in ætate mea juvenili inquirenti de talibus mihi egregiâ succurrerit informatione Johannes Vetterus, provectæ jam ætatis pictor Francofurtensis, nec non Thonauerus Monachii, quippè qui ambo è Schola adhuc Alberti Düreri oriundi erant. Quamvis & haud pauca accepta referam Alexandro Abondio pictori Monachiensi celeberrimo, qui & ipse juvenilibus annis inquirendo industrius partim à senioribus plurima cognoverat, visuq; quædam ipse perceperat; partim quoq; à Patre suo jam decrepito Viro curiosissimo atq; artificiosissimo in plurimis accurratè fuerat informatus: ut adeò hisce mediis, variisq; aliis de vita antiquorum Germaniæ Pictorum, quoad ejus fieri potuit, edoctus ad conscribenda tandem hæc felicius me accinxerim, ansâ nunc sufficienti, ut spero, ad ea continuanda suppeditata posteris.

Ubi lubens tamen insimùl fateor, quod factâ etiam sæpius de hujus vel illius artificiis patria, annisve tam ortus quàm obitus, inquisitione diligentissimâ, tam alloquio quàm literis, plura tamen indagare haud potuerim: quod mirum quidem est minimè; cum sæpè ne filius quidem certos de nativitate vel morte patris sui observaverit annos; nec chartæ talia mandare, prout deceret meritò, sit cujusvis. Unde juxta Varronis Pliniiq; exemplum, ad annos Imperatorum, vitasve Ducum quorundam vel Comitum refugiendum mihi fuit; prout ad olympiades, historias artificum veterum illi alligarunt.

E contrario, ad Italiorum historiam consarcinandum magnam mihi facem prætulerunt illius gentis scripta varia, & Vassarii præsertim opus, qui de popularibus suis satis prolixos edidit commentarios, auxilio potissimùm adjutus Domini sui, Magni nimirum Hetruriæ Ducis. Quemadmodum etiam Belgarum celeberrimos Carolus de Mander peculiari descripsit opere, cujus industria proposito meo haud parum quoq; proficua extitit.

Antequam tamen ad alios progrediar sive Germanos sive Belgas, præ cæteris omnibus laudandi mihi fuerunt Hubertus & Johannes ab Eyk artifices omni fermè laudis genere superiores, quippè, qui suo jam tempore in arte nostra miraculo fuerunt, circa fundamenta picturæ exercitatissimi, & diagraphica omnibus coætaneis superiores; ut mirari liceat, quomodo in illa jam temporum caligine tanta pronasci potuerint pictoriæ artis lumina; cum ante illos nec in superiore, nec in inferiore Germaniâ nihil in hoc genere extitisse legatur clari vel memorabilis. Quinimò hi ipsi tot post se cæteros relinquebant parasangis, ut & Itali quosdam ad hos miserint suorum, qui artem istorum addiscerent, & præcipuè nobilissimum illud horum atq; saluberrimum subactûs oleärii inventum trans Alpes deferrent. Post hos, celebriores laudatissimæ hujus Artis emendatores atq; cultores usq; ad nostra tempora, pro posse, enarrabo: Ubi si quispiam silentio à me præteritus fuerit, id, quæso, nemo studiò & ex proposito factum credat, vel quod ullius gloriæ vel tantillum invideam; sed potius, quod illius notitia ad me fortè non pervenerit: cum injuriam cuiquam facere alienum à me sit quàm maximè, nec istâ, per Dei gratiam, laborem animi pravitate ut proximo meo ullatenus detrahere cupiam: quin potiùs id omnibus expeto cordis mei votis, ut ab omnibus artis nostræ peritis multis culturæ modis transcendar, quippè qui cano jam confectus senio non nisi quietem mihi, cæteris verò id animitus exopto, ut omnia mundi creata tam mobilia quàm immobilia multò adhuc laudabilius, quàm hactenus præstitum est, arte nostra exprimere; nobilissimamq; hanc scientiam ad tantum elevare fastigium pergant, quod nondum ab ipsâ attactum est unquam: quem in finem difficillimum hoc atq; laboriosissimum opus quoq; prælaboravi omnibus, necunâ tantùm linguâ in lucem edidi. In quo quantum operæ per multos annos insumserim, dum, sepositis omnibus functionibus meis aliis, delineando pro chalcographis, scribendoq; & corrigendo tempus quasi unicè trivi, ut de sumtibus ferè immensis parata semper pecunia erogandis nihil jam superaddam; ipse Lector prudentissimus judicet, in cujus gratiam & commodum tanto zelo hactenus operi huic insistere non desii: quem Valere nunc humanissimè, istoq; labore in proprium emolumentũ benevolè frui peramanter exopto.



Caput I.

JOHANNES & HUBERTUS ab EYK, cum sex Artificibus aliis.

Argumentum.

I. JOHANNES & HUBERTUS ab EYK, fratres pictores Maseicenses. Nativitas Johannis: cujus etiam Soror pictoriæ arti operam dedit. Brugas venit. Vernicem reperit pro coloribus glutine atq; ovo subactis. Colores oleo tritos invenit. Opus eorum Gandavense. Cujus apographum fieri jubet Philippus Rex. Unde cæruleus ille color constantissimus fiat. Varia ejus opera. Epitaphium ejus. Mors & sculptura Huberti fratris ejus. II. ROGERIUS Pictor Brugensis. III. HUGO de GOES, pictor. Opera ejus Gandavensia in templo S. Jacobi, Artifices quidam alii vetustiores optimi, Israël Mechliniensis; Martinus Schönius. Johannes Memmelingus; Johannes de Hemsen; Johannes Mandinus; Johannes parvus; Johannes Cransee; Lambertus Ortensis; Petrus Bomius. IV. ALBERTUS VETERAQUENSIS pictor Harlemensis. Opus ejus. V. GERHARDUS Harlemensis ad S. Johannis. Opus ejus in templo S. Johannis. VI. DIETERICUS Harlemensis pictor, diu ante Alberti Düreri tempora vixit. VII. ROGERIUS WEIDENSIS pictor Bruxellensis. Opera ejus Bruxellana. VIII. JACOBUS CORNELII pictor Ostsanensis: Opera ejus.

I. JOHANNES & HUBERTUS ab EYK fratres pictores,

I. JOHANNES & HUBERTUS ab EYK fratres pictores Maseicenses.



PRæ omnibus Arni, Padiq;, nec non Tyberis accolis summa laude evehendi; & inprimis Johannes, à quo ipsa Italia perfectissimam artis nostræ consummationem addiscere coacta fuit. Hic sol pictorum fama fulgidissimus, Maseici ad Mosam ortus est circa annum Christi 1370. cum compertum sit, fratrem ejus Hubertum aliquot annis natu majorem anno 1366. in lucem editum esse. Parentes ejus quidem ignorantur, quod laudem tamen artificis nostri mirum in modum confirmat, cujus industriâ, familia hæc in se obscura aliàs, ad magnam tamen nominis claritatem elevata est. Ipsum tamen cœlum domui huic singularem instillasse videtur ad laudatissimam hanc artem inclinationem, cum non tantùm frater ejus Hubertus eandem cum laude professus sit, sed & soror utriusq; Margareta eâdem claruisse dicatur, quæ cœlebs immaculata virginitate servatâ, ultimum suum obiit diem.

Nativitas Johannis.

Cujus etiam soror picturiæ arti operam dedit.

Vix ex ephebis excesserat puer hic, cum magna jam alacritas ingenii ejus, & singularis ad artem diagraphicâ pronitas, quasi naturâ stimulante, ex ipso elucesceret: Quis autem fuerit Præceptor ejus, oblivionis peplo involutum remansit; quamvis credibile sit, ipsum vel fratris Huberti informatione usum, vel ipsum quoq; patrem ejus fortè haud leviter in arte hâc progressum fuisse. Certissimum tamen est, terræ illius adhuc satis incultæ incolas haud nimium politos pictoribus tùm non abundasse: quamvis modus ille anno 1250. à Johanne Cimabuë Florentino adhibitus, coloribus nempè glutine & ovis permixtis pingendi etiam extra Italiam fuerit usitatus, cum multa hoc modo ab Huberto & Johanne confecta opera, antequam scilicet meliorem adinvenissent methodū, vel hodierno die adhuc extent.

Cum autem Brugæ, nobilissima tum Flandriæ urbs, ob insignem commerciorum frequentiam divitiis præ cœteris abundarent, eâdem bonarum artium nutrice & Johannes noster è patria sua hunc in locum alliciebatur, ubi per varia opera sua, arte plurimâ colore ovario vel glutinario in tabulis ligneis depicta magnam confestim acquirebat nominis celebritatem. Et quia picturæ ejus à mercatoribus in alias quoq; urbes transportabantur, famæque ejus torrens hoc modo per varias diffluebat provincias, ipse pro amplianda nominis sui gloria, cum prudentia polleret insigni, ingenioq; novarum semper inventionum feracissimo, Alchymiæ operâ varios examinabat colores atq; vernices, tandemq; pro coloribus suis ovariis & glutinariis vernicis quoddam genus inveniebat, quod fautoribus artis ob insignem, quem picturis conciliabat, splendorem mirum in modum placebat: cui imitando multum quidem insudarunt Itali, ita tamen, ut inventi hujus gloriam artifici nostro laudem concedere cogerentur.

Brugas venit.

Vernicem invenit pro coloribus glutine atq; ovo subactis.

Cum autem expositâ aliquando ad siccandum solaribus radiis tabulâ quadam, vernice hac imbutâ, nescio quam ab rationem colores picturæ præ nimio difflue-

rent æstu, ipse ad iram commotus, ut calori huic solari aliter iret obviam, tentatis plurimis, oleum tandem lini ad temperandos colores inveniebat utilissimum, quod opera picta contra æstum non minùs defenderet, quàm contra aquarum humectationes, & splendorem simul iisdem conciliaret elegantissimum: novumque hoc inventum magis jam magisque meditando expoliebat, ut veram tandem excogitaret methodum, quâ natura attingi posset quàm proximè & quàm perfectissimè: quâ fama quoq; per omnes quasi universi plagas tantâ dispergebat velocitate, ut inventori nostro undiquaq; laudes accinerentur meritissimæ.

Colores oleo tritos invenit.

Quemadmodum enim pulveris pyrii miracula, si ab inferis rediret, haud abs re miraretur Achilles; & typographiæ commoda Philosophi priorum temporum: sic novum hoc colorum oleo subigendorum inventum non immeritò cum stupore, si reviviscerent, contemplarentur Zeuxis & Apelles pictorum antiquorum celebratissimi, haud vanas simùl edituri querelas, quod hoc ipsum eos latuerit, quo mediàte pro mundi miraculis haberi potuissent: undè istorum temporum pictores annum 1410. pro apice quasi seculorum decantare queunt, quod ille verum ipsis aperuit perfectionis suæ fundamentum.

Ut autem ad opera jam istorum fratrum deveniamus, inter hæc meritò primo describenda est loco pulcherrima illa in templo Johannitico Gandavensi tabula, quam Philippus Carolæus, Johannis Divioduni Ducis filius, Comes Flandriæ trigesimus primus, equo insidens in eadem depictus, fieri curavit. Istam autem ab Huberto multi inchoatam, cumq; hic anno 1426. obiisset, à Johanne dehinc consummatam existimant. Interior autem hujus picturæ inventio desumta est ex Apocalypsi Johannitica, ubi Agnus à senioribus adoratus dicitur. Juxta hunc Diva Virgo Deipara à Deo Patre & Filio coronatur, qui crucem manibus gestare videtur crystallinam, variis gemmis globulisq; aureis ornatissimam, tantâque industria expictam, ut haud infimæ laudis artifices eandem vix menstruo absolutam spatio dijudicaverint. Sub Mariæ autem imagine varii spectantur Angeli instrumentis musicis instructi. In parte supernâ valvæ dextræ Protoplastæ depicti sunt, & consternatâ quidem facie Adamus, quasi subdubitans, utrum mandatum divinum transgredi, an uxoris petito refragari debeat. Fructus autem, quem manu adhuc detinet, ficus est recens; quoniam Augustinus cum aliis eruditis fructum hunc, à Mose non denominatum, ficum fuisse exhinc opinantur, quod priori istius præcepti transgressores, confestim post commissum peccatum ficulneis nuditatem suam texisse dicantur foliis: qua ratione à communi pomi arborem pingendi consuetudine ingeniosè discessit noster. Alteri valvæ appicta est S. Cœcilia, aliisque in partibus ornamenta alia, historiæque & equi varii Comitis: quin & duo hi fratres iconicè hîc expressi sunt, Hubertus nimirũ ad dextram, cum mitrâ quadam exotica; Johannes verò cum mitrâ aliâ, à quâ per tunicam nigram talarem retrò dependit fascia quædam convoluta; cumque rosario rubeo, à quo nummus dependet indulgentiarius. Et ut paucis multa comprehendam, opus hoc elegantissimâ delineatione, ingeniosissimâ inventione, venustissimaque elaboratione admirandum verè est; in quo vestes etiam ad modum ferè Alberti Düreri inculpabiles, & colores quasi immortales, & tam vividi, ac si nuper demum mixti essent. In tota autem pictura facies sunt trecentæ & triginta integræ, quarum nulla similis est alteri, in veram Plinii confusionem, qui centum facies diversas pingi posse negare videtur. Tractus campestris arbores continet & plantas tam exoticas quàm familiares varias, tantâ industriâ expressas, ut facillimè dignosci queant. Gramina & pili tam hominum quàm equorum tantam exhibent veritatem, ut non tantùm artifices plurimi artificium hoc rarissimum sæpiùs admirati sint; sed & Philippus Hispaniæ Rex, cum opus hoc omnibus votis desideraret, nec urbem tamen tanto cimelio privare vellet, illius apographon fieri jusserit per Michaelem Coxennem pictorem Mechliniensem, qui fortunâ quoque haud usus est adversâ; nisi quod in partibus quibusdam proprium secutus sit ingenium, & inter alia Cæciliam expresserit pauca venustate retrospicientem.

Opus eorum Gandavense.

Cujus apographon fieri jubet Philippus Rex.

Cumque eodem tempore cœruleus ille color constantissimus in Flandria haud facilè reperiretur, sed à Venetis per Titianum pictorem aliàs celeberrimum transmittendus esset, hinc solum illud Divæ Virginis pallium in hoc apographo exhibitum triginta duobus ducatis constitit. Hoc autem cœruleum Asureum vocatur, quod è lapide Lazuli preparetur, & è Persia in Europam transvehatur. Quamvis enim antequam Turcarum potentia tot Hungariæ loca subjugasset, & in montanis istius regni è cinere quodam color cœruleus pulcherrimus parari sit solitus, hic tamen tantâ non fuit perseverantiâ, quàm iste, de quo jam loquimur. Transmisso igitur apographo hoc in Hispaniam, autographi, quod Gandavi remanebat, pars quædam inferior colore glutinario & ovario picta, damnatos in inferno, & detentos in limbo repræsentans, coram Agno genua flectentes, à pictore quodam inepto, qui eandem purgaturus fuerat, omninò deleta fuit.

Unde cœruleus ille color constantissimus fiat.

Cœte-


AA.
JOHANNES AB EYCK. FLAND.
HUBERTUS AB EYCK. FLAND.
MARTIN SCHÖN A CALENBACH
MICHAEL WOLGE MUTH NORIB.
PETER VISCHER NORIB.
ADAM KRAFFT NORIB.
P. Kilian f.

Cœterum hoc opus usque adeò asservatur atq; contegitur, ut magnatibus saltem & ob largissima munera, summisq; aliàs tantummodò festivitatibus exhibeatur: ubi tantus esse solet graphicophilorum concursus, ut apium vix examen frequentiore circa alvear suum congregari queat volatu.

Varia ejus opera.

Finito hoc opere, rem familiarem Brugis constituebat noster, picturasq; varias elaborabat alias, laude plurimâ meritò cumulandas, & famam autoris sui per varias propagantes provincias. Sic enim Fridericus II. Urbini Dux ipsius manu pictum habebat Balneum publicum; Laurentius Mediceus S. Hieronymum; Alphonsus Rex Neapolitanorum opus aliud pulcherrimum, variisq; imaginibus repletum: quæ omnia variis quidem modis examinabant Itali, recenti huic invento omni conatu inhiantes; thesaurum tamen ipsum è profundo cryptæ suæ elevare haud poterant, donec tandem Antonellus Messanensis è Siciliâ Brugas ipse adiret, artemq; hanc à Johanne nostro addisceret, prout supra in vitâ illius jam relatum est.

Ita multas quoq; icones viventium industriâ & patientiâ maximâ elaboravit Johannes iste; ut & subdialia varia pulcherrima: & inter alia par quoddam novorum conjugum porrectis dextris matrimonii fœdere sese invicem obstringentium, quos muliebri habitu adstans desponsare videtur Fides: Quod opus à Chirurgo quodam Brugensi possessum Maria Regina Hungariæ vidua Hispaniæ Infans officio redimebat, centum florenorum reditibus annuis ferace.

Tandem autem cum vitam arte suâ plurimis & tantùm non immortalitatem tribuisset, mortis ipse Brugis subibat imperium, sepultura in templo S. Donaes honoratus splendidissima, ubi in columna quadam adhuc legitur hoc ipsius Epitaphium:

Epitaphiū ejus.

Hic jacet eximiâ clarus virtute Joannes,
In quo picturæ gratia mira fuit.
Spirantes formas, & humum florentibus herbis
Pinxit, & ad vivum quodlibet egit opus.
Quippè illi Phidias & cedere debet Apelles,
Arte illi inferior ac Polycletus erat.
Crudeles igitur, crudeles dicite Parcas:
Quæ talem nobis eripuére Virum.
Actum sit lachrymis incommutabile fatum,
Vivat ut in cœlis jam deprecare Deum.

In illius porrò honorem hoc etiam compositum fuit Epigramma:

Ille ego, qui lætos oleo de semine lini
Expresso docui princeps miscere colores:
Huberto cum fratre novum stupuére repertum
Atque ipsi ignotum quondam fortassis Apelli,
Florentes opibus Brugæ: sed nostra per omnem
Diffundi latè probitas non abnuit orbem.

Mors & sepultura Huberti fratris ejus.

Frater ejus Senior sæpè jam commemoratus Hubertus prout in arte nostrâ naturæ sedulò secutus fuerat ductus, ejusdem cursum & moriendo tandem secutus est, & quidem Gandavi ante Johannis obitum; ubi in templo S. Johannis monumentum ipsi extructum est magnificum ex albo marmore, in quo Mortis effigies tabulam tenet æneam carminibus variis plenam elegantissimis, inter quæ præ cœteris eminet, quod Dominici Lampsonii est, Poëtæ celeberrimi, Episcopi Leodiensis Secretarii. Hoc autem, quod sequitur, in utriusq; fratris honorem elaboratum est:

Quas modò communes cum fratre, Huberte, merenti
Attribuit laudes nostra Thalia tibi:
Si non sufficient; addatur & illa; tuâ quod
Discipulus frater te superavit ope.
Hoc vestrum docet illud opus Gandense, Philippum
Quod Regem tanto cepit amore sui,
Ejus ut ad patrios mittendum exemplar Iberos
Coxenni fieri jusserit ille manu.

II. ROGERIUS Brugensis pictor.

II. ROGERIUS pictor Brugensis.

Quamvis enim Brugæ celeberrimum Flandriæ emporium nimium quantum decrevisset, cum anno 1485. commercia abhinc Antverpiam & Slusas commigrarent, ibidem tamen post mortem Johannis ab Eyk ingenia quædam prodierunt laude suâ haudquaquam privanda: inter quæ Rogerius quidam, Johannis discipulus, cui iste in extremâ vitæ senectâ artem oleo miscendi colores, quam secretissimam semper habuerat, tandem manifestavit: Unde ipsius manu varia Brugis tam in templis, quàm in domibus privatis elaborata extiterunt opera. De morte illius autem nihil mihi innotuit, nisi quod mortem ipsam celebritate nominis superasse dici queat.

III. HUGO de GOES Pictor,

III. HUGO de GOES pictor.

Johannis & ipse discipulus ingenio maximus, & arte præstantissimus, olei coloribus admiscendi usum à præceptore pariter edoctus, & labore suo circa anum 1480

Opera ejus Gandavensia in templo S. Jacobi.

celebris: prout in templo Jacobæo Gandavensi pictura Epitaphii cujusdam ab ipso elaborata fuit artificiosissima columnæ cuidam affixa in memoriam alicujus Walteri Gaultieri: ubi pars interior imaginem D. Virginis referebat cum filiolo sedentem & anteriora respicientem, altitudine quasi sesquipedali, summâ elegantiæ venustate conspicuam; ita ut & gramina & herbæ vividissimâ pulchritudine prominerent. In eodem templo vitrum etiam fenestræ cujusdam historiam de Christo è cruce ablato exhibebat magno artificio pictam, ut dubium sæpè fuerit, utrum delineatio illa hunc nostrum, an verò præceptorem ejus Johannem habuisset autorem. Porrò & Brugis in templo S. Jacobi ab ipso expicta est tabula quædam, quæ operum ejus existimatur præstantissima, crucifixi imaginem referens cum duobus latronibus & D. Virgine aliisque tantâ industriâ elaboratis imaginibus, ut non plebi tantùm, sed & artificibus acutissimis abundè hic satisfactum sit. Plura de isto reperire non potui, ut nec de morte vel sepultura ejus aliquid mihi innotuerit.

Artifices quidam alii vetustiores optimi.

Quamvis autem & alii quondam in Belgio extiterint artifices nobilissimi, ingeniis & arte insigniter exculti; de illis tamen præter nomina quasi nihil referunt historiæ; quæ multos etiam omninò prætereunt, quamvis arte chalcographica & pictoria multum excelluerint, prout partim typi ipsorum ænei, partim picturæ eorum satis superque testantur. Inter alios autem haud postremi sunt Israël Mechliniensis, & Martinus quidam dictus pulcher, quorum opera chalcographica de insigni ipsorum præstantia testimonia edunt lucidissima. Inter pictores autem Belgas Brugis etiam clarissimus fuit Johannes Memmelink, qui in æde D. Johannis opus egregium pinxit figuris quidem minoribus, sed tantâ præstantiâ, ut magna pecuniæ summa pro eo sæpè oblata fuerit.

Israël Mechliniensis. Martinus pulcher.

Johannes Memmelink.

Johannes de Hemsen.

Sic & Harlemi civis quidam erat, Johannes de Hemsen dictus, qui antiquos potius methodo suâ, quàm modernos sequebatur. Iste imagines pingebat majores, & in labore suo sedulus admodùm, accuratusque & curiosus erat: illiusque adhuc superstes est Christi quædam effigies cum multis circumstantibus Apostolis, quasi Hierosolymas abeuntis; quæ Mittelburgi in domo Cornelii Moninex Graphicophili solertissimi adhuc spectatur. Ibidem etiam vivebant Johannes Mandinus & Volkhartus Kläes, diagraphicâ & dispositione summopere laudandi: quorum inprimis posterior pro pictoribus vitrariis & aliis opera delineavit pulcherrima. Anno 1535. Antverpii in tribum recipiebatur Johannes de Elburcht propè Campidunum, qui Johannes

Johannes Mandinus

parvus vocabatur. Istius manu pictum in æde D. Virginis altare piscatorum, ubi Petrus piscando occupatus, & Christus juxta arborem pulcherrimam consistens repræsentantur; cum eleganti expressione procellæ marinæ, metusque Petri Dominum compellantis. Post ipsum vixit Johannes Cransee, qui in æde D. Deiparæ ejusque sacello quodam in linteo magno historiam de lotione pedum depinxit. Lambertus ab Ort Amersfordensis, pictor quoque erat egregius & Architectus insignis; & in tribum Antverpianam recipiebatur anno 1547. Sic Petrus Bom subdialium pictor erat famigeratissimus, & in eandem tribum assumebatur anno 1560. cum pluribus aliis: quos omnes hoc loco propterea congessi, quia de illis præter supradicta nihil mihi innotuit.

Johannes parvus

Johannes Cransee.

Lambert ab Ort

Petrus boom.

IV. ALBERTUS Veteraquensis (de Ouvvater) pictor Harlemensis.

IV. ALBERTUS de Ouwater pictor Harlemensis.

Ut autem in conquisitione celebriorum artificum antiquiores præmittam, suo jam ordine commemorandus est Albertus de Ouwater pictor Harlemensis artificio plurimo insignis, qui coloribus oleariis dexterrimè usus est; & juxta testimonium Alberti Simoniadis Harlemensis Discipuli ejus senex fuit gravissimus, qui circa annum 1504. in vivis fuit & annum ætatis sexagesimum attigisse fertur. Hic Albertus Harlemi pingebat Altare illud, quod Romanum vocabant, quoniam à peregrinantibus Romam constitutum fuisset. In tabulâ hujus majore duæ erant effigies Petri & Pauli viventium magnitudine depictæ: & circa ima altaris tractus quidam subdialis elegantissimus, in quo peregrinantes varii expressi erant, partim ambulantes; partim sub umbrâ arborum quiescentes; partim autem comedentes atque bibentes; undè satis patebat, quod Albertus iste in pingendis faciebus, manibus, pedibus, vestibus & campestribus artificiosissimus fuisset: quod & alia quædam ipsius opera testantur, ut historia Lazari & similia, de quibus ob brevitatis studium nihil superaddere licet.

Opera ejus.

V. GERHARDUS Harlemensis ad S. Johannis fanum.

V. GERHARDUS Harlemensis.

Discipulus Ouwateri, sed multis in casibus magistro præstantior, præsertim inventione, dispositione & venustate imaginum, quarum affectus & gestus mira dexteritate exprimere solebat. In æde D.

Opera ejus in templo S. Johannis.

Johannis pro summo altari Imaginem crucifixi pingebat pulcherrimam; cum valvis majoribus ex utrâque facie depictis, ita ut hinc miraculum quoddam, illinc historia de Christo è cruce ablato exhibita esset, ubi Christus magnâ veritatis expressione mortuo similis adjacet, & Apostoli quidam tot mœroris signa edunt, imprimis autem D. mater tantum præ se fert dolorem, ut melius ista confici haud potuissent, undè vel maximi artifices summoperè eadem semper sunt admirati, & Albertus Dürerus, cum Harlemi esset, de ipso dixit, eum pictorem fuisse ab utero matris; quasi scilicet ab ipsâ natura ad artem hanc selectus fuisset. Mortuus autem est ætate adhuc juvenili, anno nimirum ætatis vigesimo octavo.

XI. DIETERICUS Harlemensis Pictor.

VI. DIETERICUS Harlemensis Pictor.

OPtimos Batavorum pictores Harlemi quondam fuisse, præter famam publicam exempla quoque testantur Ouwateri, Gerhardi modò commemorati & Dieterici, qui magnus jam in juventute suâ extitit artifex: quamvis quonam usus fuerit præceptore ignotum sit. Habitasse tamen dicitur Harlemi in plateâ crucis, haud procul ab orphanotrophio, ubi concameratio quædam extat antiqua cum faciebus elevatis variis. Operum ejus exempla quædam tam Harlemi, quàm Lovanii in Brabantia supersunt elegantissima: vixitque hic diu ante natum Albertum Dürerum; gratiæ ubique & venustatis studiosissimus, nullâque asperitate culpandus.

Diu ante Dürerum vixit.

VII. ROGERIUS de Salice Bruxellensis,

VII. ROGERIUS Weidensis, pictor Bruxellensis.

PArentibus quoque Bruxellensibus natus, & primis jam juventutis suæ annis speciminibus optimarum inventionum, prudentissimarum dispositionum, & expressorum argutissimè affectuum, gaudii sc. iracundiæ, benignitatis; atque tristitię celeberrimus. Ab illo elaboratæ sunt quatuor illæ picturę, quæ in curiâ Bruxellensi in perpetuam ejus memoriam asservantur, de quibusdam rigorosæ justitiæ exemplis; ubi inter cœtera multâ arte claret historia Patris cujusdam, duobus filiis suis ægrotis jugula præsecantis, in quâ mirâ severitate spectabilis est pater, commorsis dentibus immites proli propriæ inferens manus. In alia historia tam patri quàm filio oculus ad observandum legis rigorem eruitur. Quibus picturis conspectis eruditissimus Lampsonius exclamasse cum admiratione dicitur: Ah! quantus, ô Rogeri, quantus tu fuisti artifex.

Opera ejus Bruxellana.

Idem etiam iconem magni cujusdam Principis tantâ similitudine pinxit, ut canonem quendam annuum emphyteuticum pro illa accipere mereretur. Cumque magnis jam afflueret opibus, multas pro pauperibus constituisse dicitur eleemosynas, lue tandem Anglicana epidemica ferocissima defunctus tempore autumnali anni 1529.

VIII. JACOBUS CORNELII Ostsamensis Pictor,

VIII. JACOBUS Cornelii Ostsamensis pictor.

CUjus nativitas certo quidem temporis charactere caret, sed id tamen, quod circa annum 1512. vixerit, certum est, cum Amstelodami (ubi jus civitatis adeptus est noster, vitamque tandem cum morte commutavit;) & Johannes Schoorel in hac arte celebris esset, variosque etiam è primariis informaret discipulos. Illius manu in templo Veteri Amstelodamensi in tabulâ quadam altaris elaborata erat historia de Christo è cruce ablato, multâ arte atque elegantiâ conspicua, ubi Magdalenæ simul effigies genibus innixa ad vivum, pro more ejus, exemplar, quæ temporibus iconomachicis diruta est. Inter alia & circumcisionem Christi pinxit gratiosissimè, cui annum Christi 1517. adscripsit, undè simul apparet, quâ illius seculi ætate floruerit. Ipse fratrem quoque habebat pictoriâ arte clarum, cui nomen Buys; & filium, qui Dietericus Jacobi vocabatur, & Amstelodami in auctionibus icones pulcherrimas vendidisse dicitur. Celeberrima picturarum ejus est manus cujusdam iconis, quæ tanta arte elevatur, ut omnibus artis peritis miraculo esset, pro quâ Jacobus Rouartus multam obtulit pecuniam. Mortuus est anno 1567. septuagenarius, ad instar patris.

Opera ejus.



Caput II.

MICHAEL WOLGEMUTH, ISRAEL MECHLINIENSIS; & tres artifices alii.

Argumentum.

IX. MICHAEL WOLGEMUTH pictor Norinbergensis. X. ISRAEL MECHLINIENSIS chalcographus. Itali inventionem chalcographiæ & erodendi æris, quin & Xylographiæ sibi attribuunt, quæ tamen Germanis debetur: quod probatur 1. de figuris Xylographicis, quæ circa tempus inventæ typographiæ confectæ sunt. 2. de figuris ære roso exhibitis. 3. de Chalcographia cælatoria. Cælatores quidã antiquissimi. XI. MARTINUS SCHOEN de Calenbach: singulari familiaritate utitur cum Petro Perusino. Opera ejus. XII. ADAMUS KRAFFT statuarius Norinbergensis. Opera ejus Tabernaculum Sacramentarium Norinbergense in templo S. Sebaldi. XIII. PETRUS FISCHER Senior, Faberærarius dictus, fictor Noricus. Opus ejus, monumentum templi S. Sebaldi.

IX. MICHAEL WOLGEMUTH pictor Norinbergensis,

IX. MICHAEL WOHLGEMUTH pictor Norinbergẽsis.



Qui tantam Urbi Noricæ contribuit gloriam pictoriâ & diagraphicâ arte, quantam ulla vel Belgii vel Italiæ urbium ab aliis assecuta est artificibus similibus: unde & Albertus Dürerus in disciplinam eidem traditus est. Quantum autem artifex iste delineando præstiterit, Annales Norinbergenses majores prolixius tradunt. Inter opera ejusdem picta autem tabula quædam in templo Augustinianorum è regione plateæ Sutoriæ notissima est; quam Pœringsdorferus fieri curavit. Certissimum autem porrò est, eum hac in arte peritissimum fuisse, & picturas post se reliquisse omni laude dignas, quas tamen, utpote ante duo jam secula confectas, temporis attrivit edacitas, ut non nisi memoria quarundam supersit. Iconem tamen illius hactenus adhuc conservatam in tabula nostra Aa. benevolo Lectori communicare potuimus.

X. ISRAEL MECHLINIENSIS Chalcographus.

X. ISRAEL MECHLINIENSIS Chalcographus.

Cum inter omnes tam Germanos, quàm Italos antiquiorem haud inveniamus, qui cælaturâ chalcographicâ aliquam adeptus sit nominis sui celebritatem, istudque operib⁹ suis adscripserit, quàm Israëlẽ Mechliniensem, hic jam occasionem nobis offert, de origine nobilissimarũ harum artium, cælandi nimirum & rodendi æris, incidendiq; ligni quædam disserendi.

Itali invẽtionem chalcographiæ & erodendi æris, quin & Xylographiæ sibi attribuunt.

Ut ut igitur omnem moveat lapidem Georgius Vassarius, ut demonstret, istorum inventorum Italis deberi gloriam; eò quod aurifices quidam Florentini, Thomas Finiguerra & Bartholomæus Baldini cingula pro more illorum temporum argentea cælaturis variis sic exornare sint soliti, ut Andreas Mantinea ansam hinc acceperit anno 1506. cælaturam æris inveniendi: Cui deinde accesserit anno 1530. inventum aliud Francisci Parmesanini, erodendi sc. æris; & eodem tempore Xylographia Hugonis de Carpis duobus pluribusve trunculis tentata, quæ omnia ante hæc tempora ignorata fuerint penitus: frustrà tamen hæc inculcat, veritatisque scopum nullatenus attigit.

Quæ tamẽ Germanis debetur, quod probatur 1. de figuris Xylographicis.

Cum enim suimet ipsius oblitus alibi refert, anno 1511. figuras Alberti Düreri Xylographicas triginta sex de passione Domini Venetiis in foro S. Marci primò vẽales à Marco Antonio summâ cum admiratione conspectas, & magno satis pretio coëmtas, ab hoc primò tanta cura descriptas esse, ut apographa huj⁹, ipsis autographis fuerint simillima; quod Dürerum etiam commoverit, ut Venetias profectus à Magistratu tuitionem privilegii sui Cæsarei petiverit, idque etiam obtinuerit, ut ex apographis Düreri nomen eraderetur: annon hoc ipso tacitus jam fatetur illis ipsis temporibus, quibus artem hanc in Italia primò quasi in lucem editam prodit, in Germaniâ eandem summoperè jam excultam vivoq; in flore viguisse. Quin ipsi quoq; apud Xylographicophilos adhuc asservati antiquiores typi satis superque testantur, modum illum tribus utendi trunculis, co-

lore scilicet vel flavo & albo, vel cœruleo & albo, vel etiam nigro & albo pro umbris & lumine adhibito, anno jam 1503. apud Germanos in usu fuisse creberrimo; quinimò hanc ipsam artem subsequentibus annis tantoperè fuisse excultam, ut ab Italis vix post quinquagesimum abhinc annum ad tantum perfectionis culmen elevari potuerit.

Eodemque tempore Albertus Dürerus palmam consummatæ in hoc genere peritiæ jam adeptus figuras plurimas Xylographicas ab anno 1510. usque ad annum 1520. in lucem edidit, prout in vitâ ejus uberius enarrabitur; quæ omnes abundè testari queunt, ad quantũ illo jam tempore gradum ars ista lucis & umbræ exprimendæ in Germania fuerit enixa: ubi vel sola hîc sufficerent exempla Imaginis Deiparæ filiolum ab Anna gremio detentum adorantis, Düreri: item Protoplastarum à Luca Cranichio magna arte incisorum: nec non Johannis Baldungrüni figuræ de Sagis vectura rutabulorum usis, servoque quopiam juxta equos in stabulo dormiente, aliisque similibus, à Dürero editæ.

Ut autem ad ulteriora digrediamur antiquitatis tempora, compertum est, Albertum Dürerum anno jam 1498. figuras Apocalypticas ligno incidisse: imò & ante hunc annum Chronicon jam Germanicum D. Hartmanni Schellii Norinbergensis cum iconibus, mappis Geographicis, urbibus, aliisque figuris variis editum est: ut probabile sit, Xylographiam cum ipsa statim typographia anno sc. 1440. in Germaniâ inventam esse. Cum enim notoriũ sit, characteres metallicos primitus nondum fuisse adinventos, quibus jam utimur; sed integra folia ligno fuisse incisa, hinc luce meridianâ clarius est, artem hanc incidendi ligna illo ipso jam tempore viguisse. Adde, quod in libris primis annis impressis varia jam inveniantur ornamenta, gyrique foliorum & Alabandæa: quodque in Reformatione Norica anno 1488. edita, item in Processu Belialis, qui de ordinatione judicii Augustæ Vindelicorum agens anno 1487. à Johanne Schœnbergero Augustæ impressus est, variæ jam extent imagines, topographiæ, figuræque similes aliæ: quæ omnia sufficientissimum præbent testimonium, istarum artium inventionem à Germanorum exortam esse industriâ, & ab his post multos demum annos in Italiam fuisse delatam: cum ipsimet fateantur Itali, artem typographicam Argentorati inventam, à Sixto Rasingero Neapolim, & abhinc à Johanne Lautenbachio Romam perlatam esse: cum quo egregiè concordat Epitaphium istius, quod Heidelbergæ in Collegio Sapientiæ verbis extat Germanicis, quorum hic est sensus:

Johannes de Lautenbach mihi est nomen:
Primos ego libros imprimebam Romæ:
Ora pro anima mea; Deusq; tibi det prœmium.

Quemadmodum autem circa artem Xylographicam in errore versantur Itali; sic artis quoque rodendi æris inventum falsò iidem Parmesanino circa annum 1530. demum attribuunt: cum eadem diu jam antea in Germania floruisset. Quod ut probemus, vel unicum illud exemplum figuræ Christi à Pilato producti ab Alberto Dürero, jam anno 1515. testantibus exemplaribus, editæ; item figuræ Christi ad olivetum eodem anno ære roso expressæ; in medium proferimus: quamvis idem & anno 1516. Angelos cum Passione Domini; & anno 1518 magnum illud opus de re tormentaria eâdem arte ediderit; eaque omnia tantâ venustate, ut procul dubio vel alium ante se habuerit præceptorem, vel multis antea annis artem hanc exercuisse censendus sit. 2. de figuris ære roso exhibitis.

Similem quoq; errorem illa fovent, quæ supra commemoratus Vassarius de aurifice quodam Florentino Thoma Finiguerra recitat, cujus occasione Andreas Mantinea anno 1505. nobilissimam Chalcographiæ cælatoriæ artem invenerit: cum multis jam annis antè, pulcherrimas Germani figuras hoc genere ediderint. Horum tamen vel primus, vel inter primos, ille fuisse videtur, qui operibus suis has adjecit literas I. V. M. quæ acrosticha sunt horum verborum, ut vulgò exponuntur: Israël van Mecheln; id est, Israël Mechliniensis; vel juxta alios de Mechen; vel, prout alii interpretantur: Israël von Mainz; id est, Israël Moguntinus. Hoc autore edita est, & adhuc hodie conspicitur, chorea quædam frequens ante Herodem, è vicinia mensæ assidentem, cum capite Johannis ante se constituto. Item gyri quidam foliorum pulcherrimi cum hac inscriptione linguâ Germanicâ inferiore adjecta: To Bocholt ist gemact in dem Bisdom von Monster: id est, Bocholti factum est hoc in Episcopatu Monasteriensi; & infra appositum est nomen: Israël. Opuscula similia plura sparsim reperi apud fautores artis hujus, quorum industria satis superque testatur illum sine dubio plurima elaborasse alia, niniâ temporis diuturnitate deperdita. Adde quod imagines etiam longiores & angustiores, earundemque vestimenta, laborisque modus de æta

3. de Chalcographiâ cælatoria.

Cælatores quidam antiquissimi.

... ujus artificis abundantissimum perhibeant testimonium, ut quamvis annus nullibi sit adscriptus, satis tamen pateat, eum ante annos plusquam ducentos & triginta quinq; vixisse, artemque hanc exercuisse.

Quorum nomina sunt incognita.

Eundem secuti sunt alii, fortè discipuli ipsius, quorum opera quidem adhuc extant, nomina tamen haud sunt cognita: sic figura quædam Christi à Pilato producti prostat, cum imagine Deiparæ Virginis & S. Johannis, quæ notata est litera W. Alius quidam cælo expressit senem illum, qui manu mamam puellæ cujusdam pertrectat, cum hæc interea manu sua crumenam istius perquirat; quod opusculum signum habet subsequens ; sive duarum literarum H. & S. sibi invicem innexarum, cum characteribus anni 1455. Sic figuræ quoq; inveniuntur signatæ literis BS. quæ initiales dicuntur nominis Bartholomæi Schœnii. Itemq; aliæ cum characteribus A. G. quod nomen esse creditur Alberti Glockenthonii; à quo artifice singulari venustate expressa est Passionis Dominicæ historia 12. partibus comprehensa. Martinus Zinkius nomen suum literis M. Z. indicare voluit; per quas tamen alii nomen Martini Zazingeri intelligunt: hic autem opusculis suis annos 1500. & 1501. adjecit, majoriq; gratia & rotundiore mole usus est, quàm antecessores ejus, prout è Salomone aliisq; historiis ejus apparet. Certumq; adeò est, & manet, istorum artificum opera diu in Italia nota fuisse, antequam vel Andreas Mantinea, vel Marcus Antonius nati fuissent: qui tamen, prout & Augustinus Venetus, horum opera deindè imitati sunt, donec successu temporis Italia & ipsa harum artium facta fuit particeps.

XI. MARTINUS SCHOENIUS CALENBACHIUS.

XI MARTINUS SCHOEN de Calenbach.

Quemadmodum scaturigines optimæ propterea haud sunt contemnendæ, quod tantâ non abundent undarum copiâ, quàm qui ex illis profluunt & variis modis currendo augentur rivuli: ita nec laudes antiquiorum negligendæ sunt artificum; inter quos etiam Martinus Schœnius, qui Calenbachi in lucem editus, Colmarii deinde larem fixit, & cognomento pulcher appellatus est. Hic omnes quidem antecessores suos Germanos diagraphicâ, pictoria & chalcographiâ superavit, ita tamen, ut ex connatâ animi modestiâ gloriam illis hanc neutiquam invideret, quod ipsius fuissent præceptores.

Singularis familiaris est cum Petr. Perusino.

Cumque singularem coleret amicitiam cum Petro Perusino, ut alter alteri delineationes suas sæpè transmitteret, & quæ in istis optima essent, alter avidissimè imitaretur, quod utriusq; abundè testantur opera: hinc factum est ex laudatissimâ hâc æmulatione, ut sicut Italia perfectionem suam in arte pingendi Perusini debet Scholæ, è qua Raphaël quoq; Urbinas prodiit; ita Germania, artificibus tum satis adhuc egena, divitias suas huic nostro acceptas referat.

Opera ejus.

Et quamvis artificiosæ manus ejus rariora saltem supersint monumenta; paucula hæc tamen, qualia sunt, Imago quædam D. Virginis gratiosissima; eductio quædam Christi ad calvariam quamplurimis mœstitiæ characteribus insignis; tres Magi magna cura elaborati; & tentatio S. Antonii, omni quasi nævo carens (cujus Michaël Angelus in ætate sua juvenili apographa fecit plurima, ut laudes illius nunquam satis decantari posse diceret;) satis undique testantur, quantus iste in studio disponendi & delineandi fuerit artifex, ut nomen ejus immortalitatis meritò inscribendum sit volumini; quamvis anno 1486. cum Albertus Dürerus iter jam ad illum faceret, ut artem hanc ab ipso edisceret, mortalitatis deponere coactus fuerit exuvias: ut nihil jam quasi illius apud nos restitet, quàm sola effigies, in tabula nostra Aa. à nobis proposita.

XII. ADAMUS KRAFT Statuarius Norinbergensis.

XII ADAMUS KRAFT statuarius Norinbergensis.

Schœnium mox secutus, non patriam tantùm Urbem magna illustrabat operum suorum gloriâ; sed famâ per alias quoque Germaniæ provincias undiquaq; innotescebat. Norinbergæ autem illo habitabat loco, quem tramitem vulgò appellant, propè duodecim fratres in aula quadam maxima, ad cujus portam Draco undivomus. Matrimonium iniit 6. Septembris an. 1570. cum vidua quadam, Magdalenâ, quæ tamen in ipsius gratiam Evæ nomen assumsit.

Opera ejus, tabernaculum Sacramentariũ Norinbergense in templo S. Sebaldi.

Opera ejus Norinbergæ adhuc extantia de maxima ingenii ejus subtilitate perennes effundent laudes: inter quæ tabernaculum illud Sacramentarium an. 1500. in templo S. Laurentii summâ arte elaboratum, in quo ipsius & duorum suorum adjutorum icones spectantur. Omnes autem istius operis arcus cavi sunt, & ad majorem perseverantiam contis ferreis suffulti: ipsumq; opus hoc perhibet singulare, quod certâ quadam usus fuerit peritiâ durissimos lapides emolliendi, typisq; ex argillâ & comminuto silice perustis imprimendi atq; efformandi.

In templo S. Sebaldi non tantùm opus aliquod pulcherrimum ad portam ædis sa-

cræ constituit, sed & unà cum tabernaculo Sacramentario, altare, & in isto cœnam Domini multâ arte effiguravit, in quâ icones præcipuorum illius temporis Senatorum; quales erant Gabriel Nützelius; & Hieronymus Schürstabius, ambo Collectarum præfecti: item Paulus Volkamer; Ulmannus Stromer; Antonius Tucher; Marquardus Mendel & Conradus Im Hof; Petrus Rieter; Johannes Harsdörfer; Stephanus Volkamer; Sethus Pfinzing, & Heinricus Wolff. Extra hoc templum autem juxta officinam Bonackeriam, suprà monumentum Sebaldi Schreyeri, cujus etiam liberalitate opus modò descriptum elaboratum fuit, sepulturam Christi confecit arte maximâ spectabilem.

Præterea ædes Andreæ Im Hof ad templum S. Laurentii ornamentis variis pulcherrimis, & imaginibus ex argillâ ustâ plasmatis, condecoravit. Ædes Gabrielis Brommeri salutatione angelicâ gratiosissimè exornavit. In foro ad œcum D. Virginis historiam Passionis vespertinam ornamentis pulcherrimis inclusit. Ad ædes Hieronymi Baumgartneri in plateâ Ægidianâ S. Georgium equitem finxit. In Porticibus monasteriorum S. Ægidii & Augustini varia opuscula minora effecit. Ante portam Therotrophii septem quos vocant lapsus Christi usq; ad Calvariæ montem, è lapide sculpsit usq; ad Sacellum S. Johannis, ubi etiam crucem illam magnam cum duobus latronibus; prout & imagines juxta & ante crucem, unà cum sepulturâ in sacello formavit: ut alia opera artificiosissima plurima, quibus gloriantur Norinbergenses, sicco jam pede prætercam. In perpetuam autem honoratissimæ ejus memoriæ gloriam iconem ejus tabula nostra Aa. exhibuimus.

XIII. PETRUS FISCHER
Senior, Norinbergensis.

XIII PETRUS FISCHER Senior.

Communiter fusor æris dictus, faber ærarius artificiosissimus, prout & diagraphices & scientiæ rerum naturalium peritissimus fuit: cumq; comis insimul esset alloquio, vix aliquis magnatum vel artis fautorum Norinbergam veniebat, qui eundem in officinâ suâ fusoriâ non visitaret, undè operum ejus magna pars in Poloniam, Bohemiam, & Hungariam transportata fuit, præter ea, quæ apud Electores & Principes Germaniæ inveniuntur: quemadmodum ipse quoq; cancellos illos artificiosos, qui adhuc in curiâ Norinbergensi extant, primò pro Fuggeris Augustanis fudit.

Opus ejus monumentum templi S. Sebaldi.

Sufficientissimum autem præstantiæ ejus testimonium præbere potest Monumentum illud æneum in templo S. Sebaldi Norimbergensi, quod anno 1506. inchoatum, & anno 1519. 19. Julii consummatum & collocatum fuit. Opus illud universum pondus habet centum & viginti centenariorum & quatuordecim pondo; pro quo tamen mercedem habuit satis exiguam, nimirum pro centenario viginti florenos, ut adeò pro toto opere bis mille quadringentos & duos florenos, cum quadraginta octo crucigeris acceperit. Citra admirationem autem spectari non possunt statuæ duodecim Apostolorum, aliæq; figuræ partim rotundâ partim simâ fusurâ copiosissimæ, tam accuratâ fusæ industria, ut ulteriore politura non fuerit opus, sed omnia, prout ex officina prodierunt, erecta sint: eaq; omnia non juxta veterem Germanorum modum effigurata sunt; sed tanta undiquaq; ex illis elucet alacritas ingenii, & inveniendi subtilitas, ut labor iste ad summum meritò celebritatis cacumen Fischerum nostrum evexerit, inter nobilissimos omnium temporum fictores connumerandum.

Diu autem in Italiâ & Romæ fuit, & ex illustri hâc Academiâ redux Norinbergæ rem instituit familiarem; fructusque istos peregrinationis suæ rarissimos protulit. Adjutores ipsius fuerunt quinq; ejus filii, matrimonio omnes firmati, Petrus sc. Hermannus, Johannes, Paulus & Jacobus, qui omnes cum uxoribus & liberis in ædibus ejus habitarunt, & laborum ipsius fuerunt socii. In hoc monumento ipse quoq; iconem suam alicubi exhibuit, laboranti nimirum in officina sua similem, cujus apographum in tabula nostra Aa. spectare licet.

CAPUT III.
ALBERTUS DURERUS,
Pictor, statuarius, chalcographus, & Architectus Norinbergensis.

Argumentum.

XIV. ALBERTUS DURERUS Norinbergensis, pictor, statuarius, chalcographus, & architectus. Discipulus est Michaëlis Wolgemuti. Cœlaturæ ejus juvenilibus annis factæ.

Opera ejus alia; Virtutes ante judicium, & alia rariora. S. Bartholomæi imago, quæ Venetiis Pragam translata est. Icones ejus. Scientia ejus laudatissima. Autoritas ejus, quam apud Imperatores habuit. Varia ejus diagraphica. Pictura illius. Opera ejus alia Pragensia, Francofurtensia, Viennensia, Monachiana; quæ in technico Sandrartiano extant. Opus ejus universum Xylographicum & Chalcographicum; cum innumeris aliis. Icones variæ. Artifices Belgii visitat. Virtutes ejus, Epitaphium & encomium. Vita Alberti Düreri Senioris ab ipso conscripta anno 1524. ubi tota familia Düreria enarratur. Extracta quarundam Epistolarum Erasmi Roterodami ad Wilibaldum Birkhaimerum. Fragmentum epistolæ cujusdam Georgii Hartmanni ad Dn. Buchlerum.



Postquam Italia Artificum suorum claritate ad insigne jam gloriæ fastigium ascendisset, Germania quoq; caliginem suam exuere cœpit, ortu nimirum luminis cujusdam fulgidissimi, quod radiis suis omnia diagraphices & pictoriæ genera in diem produxit atque collustravit, nec Italorum nec Græcorum facibus adhibitis: quod eveniebat anno 1471. cum Albertus Dürerus Norinbergæ nasceretur; Patre aurifice peritissimo, à quo Albertus, prout epistolæ quædam ejus testantur, in juventute suâ artem Chrysurgicam, & simul cælatoriam didicit: nihil enim prioribus ætatis suæ annis pinxisse reperitur, donec in arte pictoria præceptore usus esset Michaële Wolgemuto Norinbergæ, cui in disciplinam traditus est anno 1486. in triennium, quod authentica quædam testimonia, de quibus infra, satis superque evincunt: ut adeò Carolus à Mander verâ non usus sit informatione, quando scribit: Albertum fuisse discipulum Martini Schœnii (quem Belgæ pulchri cognomine appellant.) Quamvis enim id propositum ipsius fuisset, Martinus tamen ante Alberti adventum jam obierat, ut deinde informationi Wolgemuti committendus fuerit.

XIV. Albertus Dürerus Norinbergensis.

Discipulus est Wolgemuti. Cælaturæ ejus juvenilibus annis factæ.

Absolutis ergò summa cum industriâ tyrociniis, quadriennium integrum in Belgio consumsit: postque reditum inter alia tres vel quatuor mulieres nudas ære cælato expressit, quas nonnulli pro Gratiis, egò autem pro sagis habui, quod & calvaria cum aliis ossibus humanis, & infernus cum spectris quibusdam diabolicis juxta illas exsculpta sint; quæ omnia ad imitationem Israëlis de Mecken fecisse dicitur. Supra istas fœminas in globo quodam exhibitus est annus 1497. quò tempore ipse annum agebat vigesimum sextum: hæ autem literæ adjectæ O. G. H. initiales dicuntur vocum harum germanicarum: O Gott Hüte! quasi diceret: tu nos, ô Deus, ab incantationibus custodi! In figura viri ejus sylvestris cum capite mortuo in armis annus extat 1503. In figura protoplastarum elegantissima 1504. In figura duorum equorum, 1505. Figuræ Historiæ Passionis argutæ delineationis & accuratissimæ cælaturæ annos exhibent 1507. 1508. & 1512. Ducis Saxoniæ effigies annum habet 1524. Melanchthonis icon 1526. qui annus etiam ultimus est eorum, qui in operibus ejus annotati reperiuntur. Plura autem recensere supervacaneum est, cum apud genuinos istarum artium cultores plus quàm notissima sint. In omnibus autem operibus suis id unicè curabat, ut vitam quàm proximè imitaretur, magnâque sollicitudine quod pulchrum, quodque pulchrius, & quod pulcherrimum certo quodam differentiæ charactere notaret; quod celeberrimi etiam antiquorum facere sunt soliti; unde Italis etiam maturius disparuit glaucoma pristinum.

Opera ejus alia.

Multi autem artifices præclarissimi perfectionem atque curam Alberti nostri, quam cælo suo undiquaque præ se tulit, magnoperè admirati sunt, ita ut & methodum ejus, quoad ejus fieri posset, sequerentur. Unde quamplurimi etiam, & quidem Italorum famigeratissimi, non dispositiones tantùm, historias, vestes, figuras, & alia ornamenta ejus excerpserunt, sed & integras aliquando imagines, imò historias pleniores quasi totas, prout supra jam commemoratum est, juxta Alberti nostri Chalcographica & Xylographica depinxerunt; cum acutissima illa natio, non secus atque aliæ, Artificem hunc majoris æstimaret, quàm omnes Germanos alios: nec citra rationem; cum hic nobilissimæ hujus artis universa præ omnibus exhauserit genera, & in qualibet parte ejus hos ipsos quoque, qui ibidem singulariter excellerent, longè transcenderit; ita ut eundem inventorem quasi perfectionis appellare liceat, qui tanto reliquis præfulserit lumine, ut solus scribendo sufficeret volumini integro.

Ejus methodum sequuntur artifices præclarissimi.

Quamvis autem ob studium brevitatis non omnia illius hîc enarrari queant opera, exempla tamen quorundam commemoranda nobis sunt: Inter quæ præ cœteris maximo præeminet artificio D. Virginis vita viginti constans partibus, quæ singula peculiari gaudent inventione, naturali expressione, & rarissimâ elaboratione, ut præstantiam illarum nemo satis mirari queat. Deinde in Passione illius majore Xylographica fatentibus omnibus

cœna


BB
ALBRECHT DÜRER SENIOR.
ALBRECHT DÜRERUS NORIBERGENSIS IUNIOR.
LUCAS KRANACH SENIOR.
IOHANNES BURGMAIR AUGUSTANUS.
IOHANNES A KULMBACH
ALBERTUS ALTORFFERUS.
I. v. Sandrart del.
Philipp Kilian f.

cœna Domini, juxta Oecolampadii opinionem dispoſita, miram præ ſe fert curam atque induſtriam. Item Redemtor noſter in oliveto agonizans; nec nõ ad inferos deſcẽdens, Patresque liberans. Prout & in Reſurrectionis hiſtoria cuſtodes dormientes quanto pollent ingenio; quanta arte efficti ſunt! Juxta eandem methodum in dimidiâ chartæ plagulâ à Dürero manu delineatam propria Ego poſſedi figuram quandam aliquarum Virtutum coram judicio comparentium; in quâ imagines omnes, imò & ædificia eorumque ornamenta calamo ita erant decuſſatæ, prout ſupra memoratæ partes hiſtoriæ Paſſionis; quam Graphicophili Amſtelodamenſes tantâ cum admiratione ſæpius intuiti ſunt, ut eandem tandẽ Johanni Loſert viro prudentiſſimo Logographo trecentis florenis paratâ pecuniâ exhibitis vendere coactus fuerim; qui quamvis plures tam hujus, quàm aliorum Autorum haberet delineationes ſimiles, hanc ipſam tamen omnium judicabat eſſe optimam. Ita ſilientio quoque prætereunda haud eſt figura S. Hieronymi major in hypocauſto quodam cum Leonibus & vulpibus curioſiſſimè delineatis: nec non Miles ejus Chriſtianus: item Fortuna major terrarum orbi inſiſtens, alata, frenum manu tenens; juxta quam infra in tractu quodam campeſtri Pagus quidam, quem Eytar eſſe volunt, qui eſt locus Hungariæ ſuperioris propè Waradinum, Patris Düreri patria. Porrò & S. Euſtachii commemoranda eſt figura cum melancholiæ imagine, tot raritatibus referta, ut effigies, veſtes, & inſtrumenta quamvis minori forma exhibita ad naturam tam propè accedant, ac ſi viventium quantitate adſtarent. Ubi & lapis quidam polygonus, propter optices artificium multâ effectus eſt ſedulitate. Eodemque modo abacus ille numeris decuſſatus hoc in ſe continet myſterium, ut quælibet linea, ſive verticaliter, ſive horizontaliter, computata, numerum 44. exhibeat: quæ omnia profundæ Düreri ingenioſitatis ſufficientia præbent teſtimonia.

Virtutes ante judicium.

Cum Venetiis eſſet, ob cauſas infra commemorandas, ibidemq; pro mercatoribus quibusdam Domûs emporeticæ Germanorum curioſisſimis tabulam quandam pinxiſſet artificioſisſimã, de S. Bartholomæo, dehinc in templo hujus nominis, iisdem ædibus vicino, erectã; hæc ipſa tantâ mox famæ celebritate innoteſcebat, ut Rudolphus II. Imperator glorioſisſimæ memoriæ haud deſiſteret, donec eadem pictura ipſi concederetur, tanto coëmta pretio, quantum expoſceretur: quæ deindè tapetibus & goſſypio ſæpius obvoluta, linteoq; cerato extus munita, non curru, ob metũ attritionis, ſed bajulis & vecte, mandante ſic Cæſare, per totum illud itineris ſpatium Pragam usq; deportata eſt.

S. Bartholomæus.

Præterea in patriæ ejus curia inter rariora alia adhuc ſpectatur icon ipſius propria, quam in juventute ſuâ in tabulâ ligneâ maximâ pinxit induſtriâ. Sic eadem in Urbe adhuc alia ejusdẽ autoris oſtenditur effigies Senatoris cujusdam Holzſchuheri, in tabulâ ligneâ arte ſummâ depicta, pro qua Ego anno 1651. nomine Principis cujusdam potentiſſimi magnam obtuli pecunię ſumam: nec tamen, cum in perpetuam familiæ memoriâ aſſervari diceretur, obtinere potui.

Icones ejus.

Tantos autem naturæ in artem hanc noſtram inſeruit characteres, prout imagines quædam ejus Deiparæ poſteriores demonſtrant, quarum diſpoſitio, umbræ, lumina, veſtiumq; plicæ nunquam ſatis laudari queunt; ut, teſte Vaſſario, Marcus quidam Antonius Bononienſis hiſtoriæ ejus Paſſionis, cujus triginta ſex extant partes, ſub Alberti nomine fecerit apographa: quod ægrè ferens noſter, Venetias propterea profectus, à magiſtratu id obtinebat, ut Marcus Antonius Düreri nomen expungere cogeretur.

Præterea credibile omninò eſt, Albertum noſtrum tenerioribus annis ſuis ſtudia plurima excoluiſſe, qualia ſunt Geometriæ, Arithmeticæ, Architecturæ, Proſpectivæ & aliorum: quod nonnulli quoq; ipſius Libri magnâ arte & ſedulitate conſcripti ſatis teſtantur: inter quos opus illud de Analogiâ & Proportione corporis humani: item de uſu optices, Architecturâ & rebus bellicis.

Scientiæ ejus.

Hæc omnia non magnam tantùm autoritatẽ apud plebejos ipſi excitabant, ſed & apud eruditos & Principes atq; Magnates. Ita de Maximiliano Romanorũ Imperatore, avo Caroli V. narrat Carolus à Mander, eundem, cum aliquando Alberto adſtans picturam quandam majorem in muro delineaturo, & in pegmate ad locum altiorem non pertingenti, nobili cuidam è miniſterio mandaſſet, ut ſcalam artifici teneret altius aſcenſuro; hic autem humillimè regeſſiſſet, vereri ſe, ne contumelioſum id ſit nobilitati ſuæ; tandem ſubjeciſſe: Albertum ob artis præſtantiam nobili longè eſſe ſuperiorem; ſeq; è ruſtico quidem Nobilem, non autem è Nobili mox artificem efficere poſſe: Statimq; Alberto inſignia conceſſiſſe pictorum, quæ ſunt tria ſcuta argentea in plano aureo. Imò eadem quoq; penes Carolum V. ipſi fuit autoritas.

Autoritas ejus.

Hic Albertus noſter, audita celeberrima Raphaëlis Urbinatis coætanei ſui fama, iconem eidem miſit propriam citra coloris luminoſi appoſitionem, rotundâ tamen mole prominentem, quæ delineationum ejus genera apud Graphicophilos reperiuntur plura alia. Sic apud Dn. Hieronymũ Edmheſton in Urbe Brielana, in libro quodam, tum temporis à Dn. Luca de Heere poſſeſſo, ab Alberto factæ reperiuntur ico-

Varia ejus diagraphica.

nes quædam, & inter alias Cardinalis vel alius cujusdam clerici effigies penicillo exaltata & inumbrata: item imago quædam D. Virginis elegantissima calamo effecta, visu dignissima, cui adscriptus est annus 1526. Ita apud Dn. Arnoldum de Berenstein Harlemi variæ inveniũtur virorũ item brachiorũ & crurũ figuræ proportione optimâ confectæ, quib' usus fuit noster ad Protoplastarum imagines concinnandas; quæ deinde Domino Spiringio concessæ sunt. Quin & in Italiâ multis in locis varia ipsius extant opera maximi æstimata: ita ut difficillimum foret, omnia, quæ ab ipso picta, vel delineata, vel sculpta, vel scripta sunt enarrare.

Picturæ illius.

Ut autem de picturis ejus in gratiam curiosi Lectoris paucas saltem, quæ mihi notæ sunt, enumerem, primò ab ipso elaborati reperiuntur tres Magi cum charactere anni 1504; quorum uni tribuit caput aureum, alteri globum universi gerendum dedit, tertius arculam gestat auream. Deinde sub anno 1506. imago quædam D. Virginis ab ipso confecta extat, ad cujus caput duo advolant Angeli, coronâ roseâ eandem coronaturi. Anno 1507. viventium magnitudine pinxit Protoplastas. Anno 1508. crucifixionem Christi elaboravit; & varia martyria alia, lapidationum, jugulationum, & similia elegantissima. In hoc opere sui ipsius quoq; apposuit effigiem, vexillum manu tenentis, cui nomen ejus inscriptum: juxta sese autem Bilibaldum effiguravit. Postmodum cœli repræsentavit gloriam, inq; ea crucifixi imaginem; infra autem Pontificem, Imperatorem, Cardinales aliosq; Principes magno ingenio dispositos; quod inter opera ejus præstantissima numeratur; inq; hoc in tractu quodã campestri pariter appictus est ipse autor, tabellam manu tenens, cui inscripta sunt sequentia: Albertus Dürer, Noricus, faciebat anno de Virginis partu 1511.

Opera ejus Pragẽsia.

Sic in Palatio Cæsareo Pragensi hujus autoris nostri varia quoq; existunt opera laudatissima in porticu nova, ubi congesta sunt Artificum Germanorũ & Belgarum opera celeberrima. Aliud & quidem de præstantissimis S. Suæ Cæsareæ Majestati Senatus Noricus dono obtulit, historiam nimirum Christi crucem gerentis, cum figuris plurimis aliis; inter quas ad vivum expressi sunt omnes illius temporis Senatores Norinbergenses: quod opus Pragæ etiam in prædictâ porticu extitit.

Francofurtensia.

In cœnobio Dominicanorum Francofurti ad Mœnum Assumtio Deiparæ ab illo picta fuit artificiosissima, in quâ imagines venustissimæ, cœlumque Angelis plenum, quorum capilli tantâ elegantiâ penicillo confecti sunt, quanta usus est in cælaturis suis, ut citra admiratione spectari nequeant. Ibiq; inter alia expressa fuit planta pedis Apostoli cujusdam genibus inniti, cujus gratiâ magna sæpe pecuniæ summa pro hoc opere oblata fuit. Credibile autem vix dicitur, quantum hæc pictura annuatim profuerit monachis illis, si munera sola spectentur pro reclusione & exhibitione illius â peregrinantibus accepta. Hoc autem opus anno 1509. ab ipso pictum est, quod posthac Maximiliano Bavariæ Electori concessum, jam in Porticu Monachiana, ubi pinacophylacium, extat; apographum verò ejus in templo Dominicanorum remansit.

Viennensia.

In Pinacotheca etiam Cæsarea Viennensi tabula quædam illius extat, sesquicubitali saltem altitudine, in quâ summâ cum diligentiâ martyria plus quam trecentorum Christianorũ depicta sũt. Sic & imago quædam Divæ Virginis paulò major: Similiter & Liber quidam in quarto, in quo tota passio Domini in chartâ viridi calamo delineata est, lumine cerussa superaddito; quæ Passionum ab ipso depictarum optima est.

In eodem libro multa etiam extant ad nativa exemplaria ab ipso delineata alia, ut Porta templi cujusdã Antverpiani, & Lugdunensis, cum multis ædibus Ultrajectinis, calami decussationibus undiq; adumbrata; quæ Ferdinandus III. Imperator gloriosissimæ memoriæ ipse in libro isto mihi ostẽdit, ex quibus, cum admiratione cõspectis, collegi, eum in Belgio in servitio Maximiliani Imperatoris fuisse.

Monachiana.

Similiter in Breviario quodam membranaceo apud Maximilianum Bavariæ Electorem Alberti manu delineatos vidi omnes Sanctos, cum variis ornamentis, foliorum gyris, & alabandæis, partim calamo decussante, partim coloribus ingeniosissimè expressis. Ibidem in Pinacothecâ electorali etiam asservatur supra memorata tabula celeberrima major, Assumtæ nimirum Deiparæ cum duodecim Apostolis. Sic ibidem quoq; extat Lucretia quædam illius viventis magnitudine; nec non quatuor Evangelistæ sub forma quatuor complexionum, arte summâ & methodo optimâ coloribus oleariis depicti. Sic multæ quoq; nobilissimarum ejus delineationum centuriæ aliæ apud hæredes Domini de Spiring; & Dn. Silberkron Hagæ Comitis & alibi per totum Belgium & Germaniam reperiuntur.

Quæ in Technico Sandrartiano extant.

Ipse ego in Libro meo Technico ab ipso creta nigra effiguratas habeo icones quorundam Dominorum Fuggerorum viventium magnitudine exhibitorum; cum aliis calami decussatione in chartâ expressis: porrò & iconem Johannis Burckmayeri; item Patris Alberti iconem, cum centum & viginti quinq; aliis autographis verissimis ingenio maximo & sedulitate incomparabili elaboratis.

Præterea notorium est, ipsum opuscula Xylographica & chalcographica ferè qua-

drin-

dringenta edidisse; præter arcum triumphalem majorem Maximiliani Imperatoris gloriosissimi. Quatuor etiam istorum operũ ferro eroso, tria stanno cælato elaborata, cœtera chalcographica sunt, adeoq; si figura crucifixi minor & major, nec non S. Hieronymi simul computentur, ænea, stannea & ferrea simul sumta centum sunt & quatuor (quamvis figura crucifixi minor & S. Hieronymus in deserto rotunda sint:) quæ solummodò apud Dn. Spiringium Residentem Hagæ Comitis vidi, elegantissima omnia & vivacissimæ impressionis; quæq; omnia in Italia, Gallia, & in Belgio, præsertim Amstelodami & Antverpiæ; nec non in Germania superiore non sine ratione maximi æstimantur.

Icones variæ.

In Patriâ autem urbe Iconem Caroli magni clarissimam, ut & aliam Archi Ducis cujusdam Austriæ post se reliquit. Deinde & matris suæ, propriamq; sui effigiem minoris ætatis longâ exornatam comâ anno 1500. elaboravit. Sic effigies ejus quoque spectatur in cælatura quadam ænea sub vultu filii prodigi porcis assidentis. Tandem & Lucretiæ fecit imaginem, quæ apud Dn. Melchiorem Wintgis Mittelburgi extat. Ex quibus omnibus satis superq; apparet, Alberto diligentiâ atq; præstantiâ ingenii vix fuisse similem, unde tanta quoq; ipsius, tam apud Principes, quàm apud alios fuit autoritas.

Belgas visitat.

Idem quoq; Artifices Belgas visitavit, operibusq; eorum, quorum aspectũ diu jam desideraverat, attentè consideratis summopere gavisus est. Inprimis autem Lucam Lugdunensem magnâ cum admiratione contemplabatur; exiguam illius personam, cujus tanta esset nominis celebritas, humanissimè amplexus: quemadmodum & Lucas magno sibi ducebat honori quod clarissimum hunc oculis conspicere liceret virũ, qui per opera tam chalcographica quàm ligno incisa jamdudum ipsi innotuerat. Insignia hæc artis pictoriæ lumina, Germaniç alterum, alterum Belgii, effigies invicem sui pingebant, & familiaritate utebantur peramœna.

Virtutis ejus.

Modestus autem in omnibus erat Albertus; responsisq; ad propositas quæstiones undique comis; unde de Gerhardo ad S. Johannem dixisse fertur; eundem pictorem fuisse ex utero matris. Siq; viliora quædam etiam exhiberentur, de pictore respondere solebat; eum certè optimâ usum intentione: ut adeò nihil contemneret, sua cuique relinquens merita, ne exosus ulli fieret: longissimè in hoc diversus ab illis, quibus omnia carpere & rejicere votum est unicum.

Iter hoc autem Belgicum ex hac instituebat causa, quod uxoris honestæ quidem aliàs morositas & avaritia tamen ut noxia nimiũ sic intolerabilis ipsi existeret, eò quod, licet opibus sat abundarent, expensas erogarent parciores, & improles esset, attamẽ illa maritum suum tot virtutibus præditum, prudentissimumq; & diligentissimum tam noctu, quàm interdiu ad lucri studium continuò impelleret: eundemq; accuratissimo arti incumbentem studio sic indesinẽter affligeret, ut omnes amici ejus, inter quos primarius Bilibaldus Birckheimerus, ipsi consulerent, cum ne seria quidem ipsorum monita durissimum illius animum ullatenus emendarent, eum rectius haud facturum, quàm si per certum aliquod temporis spatiũ ab ipsâ abesset, ignarâ ubi degeret: quo medio citissimè eam corrigi posse opinabantur. Quod consilium amicorũ cum Dürerus sequeretur, inque Belgium clam abiisset, illa quidẽ infinita diu sollicitudine cruciabatur, omnibus modis conata, ut ubi maritus degeret, expiscaretur; donec supra dictum Birckheimerum toties, ut maritum sibi reduceret, interpellasset, cum lachrymis errores anteactorũ deprecata, & humanius atq; benignius eidem cum Viro consortium promittens, ut ille hunc tandem per literas revocaret, spe primò majoris tranquillitatis plenissimum: quam tamen recidiva uxoris inquietudo mox ita interverteret, ut præmaturâ tandem morte, cum summo omnium artificum dolore, multis curis emaciatus abriperetur, anno nimirum 1528. 6. Aprilis, hebdomade passionali: ubi in cœmeterio S. Johannis Norinbergensi sepultus monumento æneo honorabatur, cui inscripta sunt sequentia:

Epitaphium.

ME. AL. DV.

Quicquid Alberti Düreri mortale fuit, sub hoc conditur tumulo: emigravit VIII. Idus Aprilis MDXXVIII.

In perpetuam autem tanti Artificis memoriam Iconem ejus tabulæ nostræ Bb. inseruimus: prout in laudem illius & sequens compositum est Epigramma:

Encomium.

Vir Virtute gravis tumque arte insignis habetur,
Teutonicæ gentis gloria summa suæ.
Contulit huic Cæsar insignia Nobilitatis:
Tantus honos artis, famaque tanta Viri!

Postquam autem (uti jam dictum) illustri laude conspicuˀ Vir, ALBERTVS DVRERVS, Norimbergæ an. MDXXVIII. die VIII. Aprilis, ultimam toleraverat necessitatem, in cœmiterio S. Johannis aggesta contumulatus humo fuit: Sed longinquitate temporum ad terram defluxit monumentum, & in profundum ossa Illius secum traxit: Donec anno centesimo tertio & quinquagesimo, postfuturam instaurari Memoriam Pietas postulavit; atq; ut laus postuma æternaret, æri, quod erat, inscribi imperavit.

VIXIT GERMANIÆ SVÆ DECVS
ALBERTVS DVRERVS,
ARTIVM LVMEN, SOL ARTIFICVM,
VRBIS PATRIÆ NOR. ORNAMENTVM,
PICTOR, CHALCOGRAPHVS, SCALPTOR,
SINE EXEMPLO, QVIA OMNISCIVS,
DIGNVS INVENTVS EXTERIS,
QVEM IMITANDVM CENSERENT,
MAGNES MAGNATVM, COS INGENIORVM,
POST SESQVISECVLI REQVIEM,
QVIA PAREM NON HABVIT,
SOLVS HEIC CVBARE JVBETVR.
TV FLORES SPARGE VIATOR.
A. R. S. MDCLXXXI.
OPT. MER. F. CVR.
J. DE S.

Hier ruhe
Künstler-Fürst!
Du mehr als grosser Mann!
In Viel-Kunst hat es Dir
Noch keiner gleich gethan.
Die Erd war ausgemahlt/
Der Himmel itzt dich hat:
Du mahlest Heilig nun
Dort an der GOttes-Stadt.
Die
Bau-Bild-Mahler-Kunst
Die nennen Dich Patron:
Und setzen Dir nun auf
Im Tod
Die
Lorbeer-Kron.

Alberti Düreri Senioris nativitas, vita atq; mors, descripta à Filio anno 1524. Norinbergæ post festum Natalitiorum.

Vita Alberti Düreri Senioris.

EGo Albertus Dürerus junior è scriptis Patris mei congessi, quæ de patria, ortu, vitaque & obitu suo ipse conscripsit: cui Deus propitius sit, ut & nobis, Amen! Anno 1524.

Albertus Dürerus Senior natus est in Hungaria, haud procul ab oppido Jula, octavo Milliari ab Urbe Waradinensi distante, in pago quodam, cui nomen Eytas, ubi majores ejus Bucolicis & Hippotrophia sustẽtati fuerant. Avus autem meus Antonius Dürerus, cum in ætate puerili in oppidum venisset, ad aurifabrum quendam, artem hanc ab illo didicit. Tandemq; matrimonio contracto cum Virgine quadam, cui Elisabethæ nomen, ex eâdem suscepit filiam unicam Catharinam, & tres filios, quorum natu major Albertus Dürerus, pater meus fuit dilectissimus, aurifex & ipse, arte & curâ politissimus: Filium secundum Ladislaum nominavit, qui frenorum erat opifex; ab isto natus est patruelis meus Nicolaus Dürerus, Coloniæ Agrippinę degens, quem Nicolaum Hungarum vocant, aurifaber etiam; & in arte hac à Patre meo instructus. Filium tertium Johannem ad studia applicuit, qui etiam Parochus fuit Waradinensis per 30. annos. Pater autem meus Albertus Dürerus in Germaniam deindè venit, inq; Belgio artificibus cohabitavit maximis: tandemq; huc Norinbergam scilicet migravit anno post Christum natum 1455. die S. Eulogiæ, quâ nuptiæ celebratæ sunt Philippi Birkhaimeri in Arce, & chorea habita est sub tilia majore frequentissima. Deinde pater meus Albert' Dürerus Hieronymo Hallero Seniori, avo meo, longo satis temporis spatio servivit, nempè usq; ad annum Christi 1467. ut ille tandẽ filiam suam ei matrimonio jungeret, Virginem pulchrâ facie & eleganti corpore. Barbaram, quindecim annos natam, cum quâ nuptias celebravit octiduo ante diem Viti. Cœterum avia mea, mater sc. matris meæ, filia fuit Oellingeri Weissenburgici, Kunigundæ nomen habẽs. Pater autem meus cum uxore sua, matre meâ dilectissima liberos genuit sequentes, id quod sic excerpo, prout ille verbotenus libro suo inseruit;

Ejus liberi.

1. Anno post Christum natum 1468. in vigiliâ S. Margaretæ hora diei sexta, uxor mea Barbara filiam mihi gignebat primam: cui susceptrix erat Margareta Weissenburgica Senior, quæ infantulo Barbaræ nomen indebat, juxta matris denominationem.

2. Anno Christi 1470. festo S. Mariæ quadragesimali, bihorio ante diluculum, uxor mea Barbara filium in lucem edebat, cujus susceptor erat Fridericus Roth Barutensis, qui Johannis nomen eidem imponebat.

Anno Salutis 1471. horâ sexta diei S. Prudentiæ, quæ Parasceve erat hebdomadis sanctæ, uxor mea secundum mihi progignebat filium, cujus susceptor erat Antonius Koburger, qui meum Alberti nomen eidem indebat. 3.

Anno 1472. hora tertia diei S. Felicis, uxor mea Barbara quartam mihi enitebatur prolem, cujus susceptor erat Sebaldus Hölzle, qui suo Sebaldi nomine eum compellabat. 4.

Anno 1473. die S. Ruperti hora sexta, uxor mea Barbara quinta me beabat sobole, cujus susceptor erat Johannes Schreiner juxta portam Lauffensem, qui Hieronymi, juxta soceri mei etymon, eidem tribuebat nomen. 5.

Anno 1474. die S. Domitii hora secunda, sextæ uxor mea prolis mater evadebat, cujus susceptor erat Ulricus Mank, aurifaber; nomen Antonius. 6.

Anno 1476. hora prima die S. Sebastiani septimò uxor mea fiebat puerpera; ubi filiolæ tum natæ susceptrix erat Agnes Bayria Virgo; cujus nomen & filia mea accipiebat. 7.

Post horæ spatium adhuc aliam illa progenerabat filiam dolore maximo, quæ baptismo præmaturo vocabatur Margareta. 8.

Anno 1477. feria quarta post S. Eulogiæ diem, uxor mea nonæ prolis fiebat mater, cujus susceptrix erat Ursula, Virgo: nomen idem. 9.

Anno 1478. horâ tertiâ sequenti post festum Petri & Pauli die, decimam uxor mea pariebat sobolem, cujus susceptor erat Johannes Sterger, Sohmbachii agnatus; à quo filius iste meus Johannes vocabatur. 10.

Anno 1479. hora tertia ante diluculum die Dominica, quæ festiva erat S. Arnoldo, uxor mea undecimo partu me donabat; ubi susceptrix erat Agnes Friderici Fischeri uxor, cujus nomine filia mea vocabatur Agnes. 11.

Año 1481. hora prima festi S. Petri in vinculis duodecimam uxor mea prolem in hunc mundũ edebat, cujus susceptor erat Jodoci Halleri minister Nicolaus, qui filio meo Petri nomen indebat. 12.

Anno 1482. hora quarta feriæ quintę, ante festum Bartholomæi, uxor mea decima tertia vice puerpera erat; ubi susceptrix erat Brintwari filia Catharina, quo nomine & filiola mea appellabatur. 13.

Anno 1484. pridie S. Marci una hora post mediam noctem, decimam quartam uxor mea sobolem emittebat, cujus susceptor erat Andreas Stromayr, cujus nomine filius meus similiter vocabatur Andreas. 14.

15. Anno 1486. circa meridiem feriæ tertiæ, ante diem Georgii, uxor mea Barbara decimam quintam prolem mihi pariebat; cujus susceptor erat Sebaldus de Lochheim, qui suo nomine meum etiam filium appellabat, qui est Sebaldus mihi secundus.

16. Anno Christi 1488. circa meridiem feriæ sextæ ante festum Ascensionis Dominicæ uxor mea Barbara partum enitebatur decimum sextum, cujus susceptrix erat Bernhardi Walteri uxor, quæ suum Christinæ nomen filiæ meæ imponebat.

17. Anno salutis 1490. die Bacchanaliorum Dominica bihorio post mediam noctem uxor mea decimam septimam in lucem prodebat prolem, cujus susceptor erat Dn. Georgius Vicarius ad S. Sebaldum, qui filium meum vocabat Johannem, qui mihi est Johannes tertius.

18. Anno post Christum natum 1492. die S. Cyriaci, bihorio ante noctem, decimum octavum uxor mea edebat partum; cujus susceptor erat Johañes Carolus de Ochsenfurt, qui filium meum vocabat Carolum.

Isti Patris mei liberi, fratres mei atq; sorores mortui sunt omnes, partim in primâ juventâ, partim adulti, ut tres tantùm nunc supervivamus fratres, quamdiu Domino placuerit: Egô scilicet, Albertus; & frater meus Andreas; ut & Johannes frater meus.

Pater autem meus Albertus Dürerus Senior vitam vixit conatu plurimo, & labore durissimo plenam, cum aliundè non sustentaretur, quàm quod manu suâ pro se & familia sua lucraretur: unde res ipsi fuit angusta domi: Præterea multis etiam subjectus fuit mœroribus, adversitatibus atq; ærumnis; quamvis ab omnibus, qui ipsum cognoverant, laudaretur, eò quod vitam ageret honestam Christianæ fidei conformem, multâ patientiâ & mansuetudine decoram; quin & pacificus esset erga omnes, & gratus admodùm erga Deum: gaudia mundana rarò sectatus, verbisq; parcior, societates fugiens, & pietatis ubique studiosus.

Idem Pater meus magnâ diligentiâ in honorẽ Dei suos educabat liberos, cũ nihil desideraret vehementius, quàm ut sub tali adolescerent disciplinâ, quò Deo accepti fierent atq; hominibus: unde quotidiè nos admonebat, ut Deum diligeremus & fideles reperiremur erga proximum. Præ cœteris autem me diligebat, quod sedulum me videbat circa exercitia literarum: unde & in Scholam ab ipso dimittebar. Cum autem legendi scribendiq; jam peritus essem, à Schola iterum abstractum artem Chrysurgicam me docebat. Postquam verò accuratè jam tractarem aurifabrilia, majori voluptate ad pictoriam trahebar, quàm ad Chrysurgica; idq; patri meo etiam proponebam: qui quamvis ægrè id ferret, quod temporis dolere se diceret jacturam, ad Chrysurgica insumti; tandem tamen consentiens, anno post Christum natum 1486. die S. Andreæ in disciplinam me tradebat Michaëli Wolgemuto in triennium: quo temporis spatio Deus hanc mihi largiebatur sedulitatem, ut artem hanc probè edíscerem, quamvis à servis ejus multa mihi sufferenda essent. Finitis autem tyrocinii mei annis, ad peregrinandum me dimittebat Pater, ubi per quadriennium extra patriam versabar, donec ille me revocaret, ubi postquam anno 1490. abiissem post festum Paschatos, anno deinde 1494. post festum Pentecostes redibam. In patriam igitur reverso Johannes Frey, inito cum Patre meo contractu, filiam suam in matrimonium mihi elocabat Virginem, cui nomen Agnes, additis in dotem ducentis florenis & celebratis suo sumtu nuptiis, feria secundâ ante diem Margaretæ anno 1494. Mox casu quodam Dysenteriæ malum corripiebat patrem meum, quod curari à nemine poterat: cum igitur in mortis periculo versari sese persentisceret, magnâ patientiâ & lubenti animo sese submittens, matrem meam mihi commendabat, utq; vitam divinam sectaremur nobis præcipiens, accepto S. Sacramentorum viatico Christiano obibat ritu, prout id alio quodam in libro prolixè descripsi, anno nimirum post natum Salvatorem 1502. post mediam noctem ante profestum S. Matthæi; cui Deus propitius sit. Ex quo fratrem meum Johannem ad me recipiebam, Andreâ fratre ad exteros dimisso.

Post biennium ab obitu Patris mei, matrem quoq; meam ad me recipiebam, cùm non amplius haberet, undè sustentaretur, ut mecum habitaret usq; in annum 1513. Quo currente eadem, die quodam Martis circa diluculum lethali atq; subitaneo corripiebatur morbo, quo per integrum decumbebat annum, ut finito hoc eâdem feriâ tertiâ, quæ erat 17. Maij anni 1514. post usum S. Sacramenti Christianam obiret mortem bihorio ante noctem, cui precibus ipse præivi; & requiem etiam nunc apprecor.

Dehinc anno 1521. die Dominicâ ante festum Bartholomæi, quæ erat 18. Augusti, sub signo Geminorum, socrus mea dilectissima, Johannis Freyi uxor, in morbum incidebat, quo die 29. Septembris post usum Sacramentorum horâ nocturnâ nonâ, juxtà Horologium Noricum, è vivis discedebat; cujus animæ Deus sit propitius.

Porrò anno 1523. festo Oblationis Mariæ, manè ante finitum horologium, diem quoque suũ obibat Johannes Frey socer meus, post toleratum morbum sexennalem, plu-

[Margin notes: Senioris Düreri filius Albertus arti pictoriæ operã dat. — Obitus Senioris Düreri. — Paucula quædam alia de Alberti Düreri Junioris vitâ.]

rimasque in hoc mundo adversitates alias, divino cibatus viatico : qui in pace requiescat. Hæc Dürerus.

Paucula quædam alia de Alb. Düreri junioris vitâ.

Ex his patet, Albertum Dürerum à patre in pietate educatum & in primis Scholarum tyrociniis institutum, deindè in arte Chrysurgicâ fuisse informatum ; ita ut apud illum usque ad annum ætatis suæ decimum sextum delineandi, cælandique, & operis simi exercitiis haud parum profecerit ; undè & illo jam tempore septem Passionis Christi lapsus opere anaglyphico simo expressisse dicitur: quo insigniter gavisus pater ejus, vehementer quidem desiderabat, ut in hac arte pergeret: hic verò picturiæ amore flagrans, à patre tandem Colmarium ad Martinum Schönium, familiariter ipsi notum, ad addiscendam picturam primò dimissus, hoc autem interea mortuo, Michaëli Wolgemuto, cujus ædes sub arce erant, anno 1486. die Andreæ in disciplinam tradebatur. Toto autem hoc tyrocinii sui tempore otio minimè indulgebat, sed in labore sedulus, sibiq; ipse calcar, profectu miro progrediebatur, naturam in omnibus, quantum fieri posset, imitatus; donec anno 1490. circa festum Paschatos extra patriam migraret, ubi facto per Germaniam & Belgium itinere, Italiam quoque adiit, & Venetiis opera quædam pulcherrima pinxit. Connubio tamen infelicior, non improles tantùm fuit, sed uxorem quoque habuit morosissimam, non nisi ad rixas & litigia pronam, & avaritia infami sordidam, cum quâ lætiora raro, sed turbulenta tempora ipsi fuerunt plurima: ut mirum omninò sit, quomodo in tot ærumnis, tantis vacare potuerit laboribus ; de quibus tamen libri ejus inter alia de Geometria, Prospectiva, Fortificatione, item quatuor illa de proportione hominis volumina typis edita ; quin etiam Arcus quidam triumphalis in honorem Maximiliani. I. Imperatoris ab ipso inventus, inque ligno delineatus, atque sic deindè incisus, satis superque testantur. Hic autem Imperator salarium ipsi constituit anuum centum florenorum ; additâ pro labore speciali picturarum, delineationum, & similibus, singulari semper mercede. A Rege quoque Angliæ nec non aliis tam Electoribus quàm Principibus, quorum icones pinxit, munera accepit lautissima.

ejus Præceptor.

Cœterum præter artis excellentiam, dono quoque facundiæ & comitatis præditus erat, ut conversatione ejus quilibet delectaretur : unde etiam artis suæ intuitu inter Numerosioris Senatus adjunctos eligebatur. Ædes ejus hic Norinbergæ illo loco erant, ubi per plateam Ziffeliam ad portam Therotrophicam itur in angulo superno ad sinistram, in quibus anno 1528. 8. Aprilis anno ætatis 57. gloria & honore plenus obiit. Johannes autem Frey socer ejus Musicus erat & citharœdus optimus, quin & imaginum quarundam lignearum, quæ æneis similes erant, sculptor, & fonticulorum proprio motu salientium portatilium structor.

habitatio.

Düreri autem nostri & Erasmus Roterodamus in epistolis quibusdam ad Bilibaldum Pirkhaimerum scriptis cum laude facit mentionem: nimirum cum anno 1522. scribit: Dürero benè se velle ex animo, cum tali polleat arte, ut Parcarum effugere mereatur rigorem. Bruxellis eum inchoasse effigiem ipsius, cujus exoptet consummationem ; & quidem communi utrumque tum pressum fuisse ærumnâ, ut & mortem brevi expectaverit ipse. Item cum anno 1525. Salute plurima impertit Dürerum Virum in arte Apellæa primarium, cujus felicissimâ manu depictam jam expectet iconem suam. Prætereà anno 1527. promittit Alberti Düreri mentionem in scriptis suis se facturum cum debito laudis præfamine ; nec monitu opus esse, cum memor illius jam jam fuerit ipse.

Erasmus Roterodamus de Dürero.

Sic quoque Dominus Georgius Hartmannus de Dürero nostro ad Dominum Buchlerum in hunc ferè sensum scripsit: se Alberti morte unum de charissimis sibi per totum mundum amicis amisisse, nihilque se dolere intimius, quàm quod morte tam asperâ absumtus fuerit; quam ipse, si fata excipiat, nemini imputare queat, quam uxori ejus, quæ cor ipsi usque adeò eroserit, tantoque cruciatu eundem afflixerit, ut stipitis instar exaruerit, nec ullam à labore remissionem quærere, vel societati cuidam interesse potuerit, ob continuas huj' querelas, quibus ad laborandum noctu atque interdiu rigorosè eundem compulerit, ut pecuniam saltem, quam moriens ipsi relinqueret, lucraretur: cum pereundi metus eandem continuò torserit & adhuc torqueat, quamvis ad sex millia florenorum Albertus ipsi reliquerit, nunquam exsatiabili; unde mortis ejus causa unica non fuerit nisi ipsa &c. Cœterum rem omnem DEO committendam. Albertum autem vixisse ut virum pium atque honestum decet, mortuumque etiam morte Christiani beatissimâ, ut de Salute ejus nullum superesse queat dubium.

Hartmannus de Dürero.

Tandem autem in mortem Düreri etiam Bilibaldus Pirkheimerus carmen scripsit, in hunc ferè sensum:

Dürerus totum pingendo ornaverat orbem,

Restat, ait, cœlum; sicq; superna petit.

CAPUT IV.

HERMANNUS FISCHERUS, cum aliis ſeptendecim Artificibus.

Argumentum.

XV. HERMANNUS FISCHER. XVI. PETRUS FISCHER junior. XVII. VITUS STOSSIUS, ſculptor: opera ejus. BOLTZIUS aſper, ſtatuarius. XVIII. PETRUS FLOETNER ſculptor, artifex in parvis. XIX. JOHANNES TESCHLERUS ſtatuarius. XX. VIRGILIUS SOLIS; illuminator & chalcographus. XXI. VITUS HIRSCHVOGEL vitrorum pictor. XXII. DANIEL ENGELHARDUS Inſignium ſculptor. XXIV. LUCAS KRANICHIUS pictor Cranachenſis; pictor aulicus eſt Electoris Saxoniæ. Filius ejus LUCAS KRANICH junior. XXIV. ALBERTUS ALTORFENSIS, pictor & chalcographus, in pingendis imaginibus parvis excellit: opera ejus. XXV. JOHANNES GRIMERUS, pictor Moguntinus. XXVI. JOHANNES BURCKMAYR pictor Auguſtanus. Opera & picturæ ejus Auguſtanæ. XXVII. JOHANNES de Culenbach. XXVIII. BARTHOLOMÆUS BOHEMUS pictor & chalcographus Noricus. Picturæ ejus. Cælaturæ ejus chalcographicæ. XXIX. JOHANNES SEBALDUS BOHEMUS, Chalcographus Noricus. Character ejus. XXX. GEORGIUS PENS, pictor & chalcographus Norinbergenſis. Picturæ & chalcographica ejus. XXXI. JOHANNES BROSHAMER Fuldenſis. XXXII. JACOBUS BINKIUS Chalcographus: Characteres ejus: opera ejus. XXXIII. LUCAS KRUGER chalcographus.

XV. HERMANNUS FISCHERUS;

XV. HERMANNUS FISCHER



PEtri Fiſcheri, de quo ſupra, filius natu major, arte fuſoria, diagraphica, mathematica & iconica, ad inſtar parentis inſignis. Hic poſt mortem uxoris ſuæ, ut in arte ſua melius proficeret, proprio ſumtu Romam proficiſcebatur, unde artificioſa reportabat plurima, partim delineata, partim arte plaſtica elaborata; quæ Patri ejus ſenio jam confecto mirum in modum placebant, fratribus autem illius junioribus ad meliorem exercitationem anſam ſubminiſtrabant plurimam. Idem tamen aliquando tempore nocturno, in flore ætatis ſuæ, in plateâ S. Ægidii ſub trahâ quadam miſerè periit.

XVI. PETRUS FISCHERUS junior,

XVI. PETRUS FISCHER junior.

EJusdem Petri Fiſcheri filius, cum legendis hiſtoriis & Poëtis delectaretur, ex his, Pancratii Schwenteri ope, multa figmenta poëtica hiſtoriasque plurimas delineabat, atque plasmabat: Non minus enim quàm frater ejus Hermannus in his omnibus peritisſimus atque exercitatisſimus erat: prout & florida adhuc ætate è vivio excesſit. Cœteri autem fratres Johannes, Jacobus & Paulus, variique ingenii eorum fructus multâ arte ſpectabiles, ob ſtudium brevitatis, hoc loco à nobis prætereundi ſunt.

XVII. VITUS STOSSIUS Statuarius,

NOn ſculpturæ tantùm, ſed & diagraphices, chalcographices & picturæ peritisſimus fuit, donec tandem in extrema ſenectute ſuâ, quam ad annum usque nonageſimum quintũ extendit, cœcitatis malo laboraret. Vino autem abſtinebat & ſobrietatis atque abſtinentiæ ſtudioſisſimus erat. Operum ejus in regno Poloniæ extant plurima. Portugalliæ Regi Protoplaſtas viventium magnitudine è ligno coloribus inducto, tantâ arte ſculpſit, ut ſpectantium plurimi, cum ſtupore eos vivere judicaverint. Hæredes Domini Chriſtophori Koleri (qui magnus artis fautor ejusque peritus fuit;) imaginem crucifixi habent, ipſius manu elaboratam, ſpithamâ paulò longiorem, quæ maximi ſemper æſtimata fuit, ut ſummum artificis hujus acumen abundè hinc colligi queat. Idem etiam imaginem crucifixi ad S. Sebaldum in choro, Anno 1526. prout & in æde D. Virginis Altare in choro; in templo fratrum Deiparæ autem ſalutationem illam angelicam pulcherrimam elaboravit, quæ nunc in ſummitate chori ad S. Laurentium pendet. Juxta hæc integram quoque mappam Geographicam, in qua montes elevati, fluminumque alvei, urbesque & Sylvæ elegantisſimæ ſculpſit.

XVII. VITUS STOSSIUS ſculptor.

Opera ejus.

Coætaneus ipſi quoque fuit ſtatuarius ille artificioſisſimus Norinbergæ, quem Boltzium vocabant aſperum, ſive malum.

Boltzius aſper, ſtatuarius.

XVIII.

XVIII. PETRUS FLŒTNER Sculptor,

XVIII. PETRUS FLŒTNER Sculptor parvorum.

IN parvis potissimùm præcellens, quod opuscula ejus hodienum adhuc extantia satis superque testantur: inter quæ summam meretur admirationem cornu, quoddam bubulum, in quo centum & tredecim reperiuntur diversissimarum facierum sculpturæ tàm virilium, quàm muliebrium. Ad ramusculos corallinos varia effiguravit animalcula & conchulas tantâ arte, ac si iisdem adnata forent. Potissimum autem & quotidiè ferè in lapide albo varias excavabat historias ad opera sima & fusuras aurificum. In prospectiva & mathematicis aliis tam erat exercitatus, ut procul dubio, si Stossius supra commemoratus diutius vixisset, in magnis operibus tantoperè excelluisset, prout in parvulis: cujus exemplum etiam caminus ille lapideus esse potest in domo Hirschvogelii ad montem Suevicum. Maximam autem artificiosorum operum ejus partem Jacobus Hoffmannus Aurifex ab illo coëmit. Sic & icones plurimas curiosissimas industriâ maximâ cavo effiguravit lapide, quæ in Technophylacio Leopoldi Wilhelmi Archiducis, & apud varios alios spectari possunt.

XIX. JOHANNES TESCHLERUS Sculptor,

XIX. JOHANNES TESCHLER Statuarius.

HIs omnibus jamjam commemoratis haudquaquam inferior erat, ita ut in omni harum artium genere exercitatissimus esset & expertissimus. Præ cœteris autem sculpendo marmore delectabatur, è quo imagines integras tam venustâ elaboravit proportione, ut citra admirationem spectari nequeant. Similiter & in iconibus effigurandis industrius erat admodùm, ut magno eundem favore prosequeretur Maximilianus Archidux. In comitia enim abire solebat, ubi effigies Principum conficiebat optimas. Ut autem adhuc firmiora in arte suâ poneret fundamenta, cum permissione uxoris suæ optimæ biennio per Italiam peregrinabatur; ubi artificiosa plurima & delineationes pulcherrimas è Venetorum Urbe aliisque locis secum exportabat.

XX. VIRGILIUS SOLIS Illuminator & Chalcographus,

XX. VIRGILIUS SOLIS illuminator & chalcographus

SUam quoque his in artibus meretur laudem, quod clarissima opera ejus chalcographica satis testantur. In illuminandis autem imaginibus tantâ præcelluit arte, ut similem vix ullibi reperire liceat.

XXI. VITUS HIRSCHVOGEL Pictor Vitrorum.

TAntâ hac in arte celebritate claruit, ut Urbis magister fieret; prout & quatuor illæ fenestræ majores in choro templi Sebaldini abundantissima de illo perhibent testimonia, in quibus insignia Cæsarea, Episcopalia, Marchionalia & Pfinzingiana depicta sunt. Tres iste post se relinquebat filios, Vitum, Johannem & Augustinum, qui patrem omnes hac in arte æmulabantur: quamvis enim Johannes in ætate adhuc floridâ moreretur, reliqui tamen duo haud minimū artificii hujus consequebantur gradum. XXI. VITUS HIRSCHVOGEL.

XXII. DANIEL ENGELHARDUS Insignium Sculptor

SUo tempore in excavandis insignium, sigillorum lapidumque sculpturis prout & in argento elaborando omnibus fuit superior, ut etiam Albertus Dürerus hoc ipsi perhiberet testimonium, se per omnes Italiæ & Germaniæ terras sculpendis in lapide insignibus neminem vidisse huic similem. XXII. DANIEL ENGELHARDUS.

XXIII. LUCAS KRANICHIUS Senior, Pictor,

KRanachio, quod est oppidum Episcopatus Bambergensis, oriundus, tempore Alberti Düreri celebris fuit, & propter insignem artis suæ laudem in aulam Electoralem Saxonicam evocatus est, ubi quoque opera ejus præcipua permanserunt. Pingendo autem & delineando magna usus est gratiâ atque venustate, indque hoc genere plura præstitit, quàm in imitandis antiquitatibus, figurisve, nec non historiis & Poëmatibus & similibus exprimendis: unde & iconibus potissimum pingendis incubuit, & in repræsentandis imaginibus dimidiatis, quales sunt Lucretia, senumque & vetularum similiumque ritu sui temporis vestitis sese exercuit; quæ suo in genere singula magnâ curâ & sedulitate expolivit, ut picturæ ejus adhuc hodie in aula illa Electorali maximi æstimentur, ipse autem artifex dum viveret à Serenissimâ Domo hâc rarissima gratiæ experiretur exempla. XXIII. LUCAS KRANICH pictor est aulicus Electoris Saxoniæ.

Inter alia autem pro eâdem Lucretiam pingebat nudam viventis magnitudine stantem, quod operum ejus clarissimum est, & nunc in aula Electorali Monachiana

dius, qui plurima quoque cum circumstantiis mihi de operibus ejus retulit; unde ab hisce ibidem multa illius diagraphica pulcherrima coëmi, quæ in honorem illius adhuc asservo.

Picturæ ejus. Serenissimus autem Bavariæ Elector in Pinacophylacio suo icones aliquot ab illo confectas habet, quæ, sive artem, sive venustatem spectes, haud ullis cedunt aliis, quales sunt effigies Caroli V. Ferdinandi I. Ottonis Heinrici Electoris, Wilhelmi Ducis; quibus similes ab ipso factas in Musæo quoque Serenissimi Ducis Neoburgici spectare licet, quæ omnes delineationem emendatissimam, picturam accuratam, colores naturales, & ingenium artificis singulare præ se ferunt.

Chalcographica ejus. Opera ejus chalcographica in se ignota quidem sunt, nisi ipsa laboris substantia eadem prodat, inter quæ præ eminent Carolus V. Ferdinandusque I. ejusdem quantitatis, Wilhelmus Bavariæ Dux, Leonhardus ab Eck; quidam, cui Baldermanno nomen, & alia. Multo autem tempore cum Marco Antonio tam Romæ quàm Bononiæ his laboribus incubuit, ut multa quoque illius opera sub nomine Marci Antonii edita sint; quæ tamen sic à se invicem discerni queunt, quod Antonius cælaturas suas juxta delineationes Raphaëlis Urbinatis instituerit, Bohemus autem noster è proprio suas ingenio elaboraverit, è quibus acumen quoque illius abundè patescit. Inter has autem infans etiam quidam existit moriturus in terra decumbens, penes quem calvaria, cum hac epigraphe: Mors omnia æquat. Item similis alius cum tribus capitibus mortuis: Porrò imago quædam D. Virginis cum filiolo fenestræ assidens: cum aliis quibusdam minoribus, ut sunt miles quidam equo insidens; Cleopatra quædam nuda venustissima; rustici utriusque sexus plurimi; choreæ puerorum; gyri foliorum; item prœlia quædam formâ oblongâ edita fervidissima: variæque figuræ rarioribus gestibus & artibus insignes, è quibus omnibus satis patet, quàm peritus hic noster fuerit in efformandis imaginibus nudis: & huc quoque pertinent Raptus quidam Helenæ; Titus quidam Gracchus, & aliæ; quarum aliquas, de Protoplastis sc. ubi ante arborem vitæ depicta est mors; item D. Virginis imaginem; nec non partum quendam immaturum; judicium quoque Paridis; item Balnea quædam incomposita, nepos ejus ex fratre Johannes Sebaldus Bohemus accurato transsumsit apographo, suoque edidit nomine: quibus omnibus Bartholomæo hoc Bohemo autore Germania nostra insigniter illustrata est, & ars ipsa incrementa cepit haud exigua. Mortuus autem est in Italiâ, quo eundem miserat Bavariæ Dux; & effigiem ejus tabula nostra Cc. exhibuimus.


XXIX. JOHANNES SEBALDUS BOHEMUS Chalcographus Noricus,


XXIX. JOHANN SEBALD BŒHM. Chalcographus. Patrui sui non tantùm discipulus fuit, sed operum ejus accurata quoque fecit apographa, cælandi elegantiâ admodum insignis, & methodi patrui imitator sedulus. Norinbergæ opera multa elaborabat minora rariore invento; ut choreas rusticas in vicinia usitatas, cum tuguriis adjacentibus: quin & xylographica quædam edebat. Quia autem vitam ageret parum honestam & imaginum quarundam obscœnarum, autor esset, ex urbe Noricâ discedere jussus Francofurtum abiit, ibique in porta S. Leõhardi rem familiarem instituit, ubi multa pinxit, cælavitque, & inprimis pro xylographicis elegantissimas fecit delineationes. Tandem autem erectâ tabernâ vinariâ infami turpique vitâ splendorem artis dedecorosè commaculavit, donec circa annum 1545. haud meliori obitu vitam clauderet.

Character ejus. Quidam duos fuisse volunt istius nominis, quia quibusdam typis æneis adjecta est litera B. aliis v. P. quod etiam exhinc confirmari videtur, quod figuræ literâ P. notatæ paulò sint longiores & tenuiores. Verum enim verò si cœtera omnia accuratus considerantur, magna tamen ubiq; apparet similitudo, undè conjicio literâ P. notatas primitus & circa annum 1520. cœteras autem 1540. elaboratas, omnes tamen ab eodem autore confectas esse.


XXX. GEORGIUS PENSIUS Pictor & Chalcographus Noricus,


XXX. GEORG PENS. Cui patria Norinberga ut lac maternum, sic artem pictoriam virtutesque alias instillavit, donec tandem ope ingenii eo usque pervenisset, ut diagraphica illa præstantissima operum Raphaëlis Urbinatis omnibus aliis præponens, Romam ipse abiret, illiusque methodo, quoad ejus fieri posset, assuesceret: ex quo in historiis, imaginibus nudis, aliisque tantam adeptus est artis perfectionem, ut hoc in genere omnibus sui temporis Germanis esset superior: unde chalcographus ille Bononiensis Marcus Antonius multa ab hoc elaborata suo nomine quasi à Raphaële delineata edidit. Cum autem tam pingendo, quàm delineando, dives ipse jam esset inventione, sub suo quoque nomine opera chalcographica edidit clarissima, quorum autographa picta partim in curiâ Norinbergensi, partim in palatio Electorali Landshu-


NORIBERGENSIS.
BB


BINCKIUS.
PICTOR ET SCULPTOR.
IB


GEORGIUS PENS
NORIBERGENSIS.


GRINWALT
ASCHAFFENBURGENSIS.


CHRISTOPF AMBERGERUS
AUGUSTANUS.


IOHANNES
NORIBERGENSIS.
ISB

tensi magnâ in copiâ adhuc extant, multo digna pretio.

Pictura ejus.

Nec sicco prætereundum est pede opus illud, quod in Viridario Volkameriano Norinbergæ in fine porticus cujusdam pinxit noster; ubi in lacunari conclavis colore oleario repræsentata est actio fabrorum quorundam lignariorum, quasi aperto adhuc tecto hic trabes, alibi cantherios vel asseres aptantium, inque structura tecti occupatorum, quæ omnia sub cœlo nudo, nubium transcursu, aviumque volatu spectabili tam videntur viva & naturali, ut multi errore seducti rem verè sic geri primò existimaverint, præsertim si ex illo pictura spectetur statu, ubi artifex noster Horizontem suum prudentissimè fixit.

Chalcographica ejus.

Æris quoque cælaturâ opera edidit laudatissima plurima, à graphicophilis undiquaque magnâ curâ conquisita, summoque in honore pro tyronum informatione meritò habenda. Præcipua autem illorum circa annos 1530. 40. & 50. in lucem emissa sunt, inter quæ Veteris & Novi testamenti historiæ plurimæ; qualia sunt septem opera misericordiæ; historia Josephi in Ægypto; historia Tobiæ; de Samaritano; de divite epulone: & sic quoque ex historia profana Tomiris; Lucretia; Medea; Titus Manlius; Marcus Curtius & similes. In diagraphicâ enim tanto gradu excellebat, ut quatuor ipsius Evangelistarum celeberrimus ille Albertus Aldegrafius summâ industriâ ipse fecerit apographa. Et quia in enarrandis omnibus operibus ejus nimium tereretur temporis, benevolus lector ipsos saltem conspicere poterit typos ejus, præsertim autem opus illud magnum, de Romanis nocturno tempore Carthaginem occupantibus: è quibus facillimè cognoscet, Georgii Pensii opera omnium artium esse Scholam, quarum beneficio ad laureæ gloriam iter panditur cuilibet. Effigiem autem illius Tabula nostra C c. exhibet.

XXXI. JOHANNES BROSHAMER Fuldanus,

XXXI JOHANN BROSHAMER de Fulda.

Patriæ nomen imagini cuidam crucifixi majori pulcherrimæ, anno 1542. typo æneo editæ, adjecit. Quamvis enim operum ejus sive xylo- sive chalcographicorum pauca ad manus meas pervenerint alia, exhinc tamen satis apparet, eum singulari quodam optimoque delineandi usum genere: ubi simùl conjicio, eum floridâ adhuc ætate è vivis excessisse, quod tanta sit operum illius paucitas. Nihil enim mihi restat amplius, quod de illo enarrare possem.

XXXII. JACOBUS BINKIUS Chalcographus

XXXII. JACOBUS BINK chalcographus.

Eodem tempore in vivis erat, cujus tamen patria me latet: hic opera sua chalcographica literis I. B. signabat, quæ magno satis ab ipso edita numero de ingenio ejus insigni, magnâque diagraphices peritiâ ob curam, gratiam, & imaginum nudarum, vestiumque & foliorum gyrandorum perfectionem illustre perhibent testimonium. Si enim septem ejus Planetas tantùm, triumphumque Bacchi, Bacchanalia item puerorum, cum aliquibus longiori forma exhibitis prœliis nudorum minoribus denominavero, hæc sola decantandis laudibus ejus longè sufficient magis, quàm calamus hicce meus: unde effigiem quoque ipsius tabulâ nostrâ Cc. exhibere volui. Namque & hoc Marcus Antonius sub nomine suo in exprimendis cælo Raphaëlis delineationibus usus est plurimum. Locum tamen habitationis & mortis ejus indagare mihi haud licuit, quamvis probabile sit, illum Norinbergæ similiter degisse.

Characteres ejus.

Opera ejus.

Erat autem eodem tempore & alius, qui ad ipsius imitationem typos suos chalcographicos literis I C B. notabat, quod à simplicioribus primò non observatum, deinde suam prodebat differentiam per caput Holofernis, quod Judith portat; item per Davidis figuram Goliathi caput & gladium manu gestantis anno 1530. confectam: nec non periconem Lucæ Gasseli anno 1529. factam & similia. In Jacobi autem Binkii honorem compositum fuit epigramma subsequens:

BINKIUS, ingenio quæ finxit, pinxit & idem,
Et sculpsit, certant ars, manus, ingenium.
Cum tua sint doctè parvis expressa tabellis,
Artis Censori, credito, magnus eris.

XXXIII. LUCAS KRUGERUS chalcographus

XXXIII. LUCAS KRUGER

Inter optimos Germaniæ numerandus, & cum coætaneis hac in arte omnibus tam Italis quàm Gallis superior: eò quod multi tum essent, qui aurificum opera partim cælando, partim erodendo multo exornarent ingenio; prout varia adhuc reperiuntur vasa argentea à Johanne Sebaldo Bohemo & Crugero

hoc no-

hoc nostro cælo insignita, magni undique æstimata. Hic autem circa annum 1516. vixit, & operibus haud nimium abundat: inter quæ primaria sunt crucifixio quædam Salvatoris nostri; ejusdemque nativitas nocturna; nec non historia trium Magorum & similia quædam alia à Graphicophilis huc illuc asservata.

Caput V.

CHRISTOPHORUS AMBERGER, & artifices adhuc sex alii.

Argumentum.

XXXIV. CHRISTOPHORUS AMBERGER Pictor. Opera ejus Augustana. Historia ejus Josephi; effigiem Caroli V. pingit. XXXV. LAMBERTUS, FRIDERICUS & JOHANNES SUSTERUS, pictores Monachiani. XXXVI. PETRUS CANDITUS pictor Monachiensis XXXVII. MATTHÆUS GRUNEWALD Aschaffnaburgensis, pictor. Diagraphica ejus. Opera ejus Francofurtana, Moguntina, & Isenacensia. Imago crucifixi vivida admodū. XXXVIII. JOHANNES GRUNEWALD pictor. XXXIX. CORNELIUS ENGELBRECHT, pictor Lugdunensis Batamus. Opera ejus Lugdunensia & Ultrajectina. XL. BERNHARDUS BRUXELLENSIS pictor. Opera ejus Antverpiana & Mechliniensia.

XXXIV. CHRISTOPHORUS AMBERGER Pictor,

XXXIV. CHRISTOPH. AMBERGER.



ARte quidem & operibus clarissimus, sed quoad patriam, parentes atque præceptorem ignotus omninò; nisi, quia circa Argentoratensium Urbem multa elaboravit, & in pingendo iconumque præcipuè genere Holbenium artificem famigeratissimum secutus est, annorumque charactere in istius ævum coincidit, istius quoque discipulus censendus sit. Certissimum tamen est, Ambergerum hunc non tantùm delineando ingeniosum vitæque æmulum, sed & inveniendo & historias disponendo clarissimum fuisse, cujus testimonia Augustę Vindelicorum extant luculentissima in domibus pluribus picturâ extrorsū in albario recente confectâ ab ipso exornatis.

Historia ejus Josephi

Singulari autem laude digna sunt duodecim ejus opera in linteo colore ovario depicta de Josepho à fratribus vendito; ab uxore Potipharis falsò accusato; carceri incluso; ob somniorum expositionem evecto; à fratribus visitato & honorato, accedente & Benjamine & Patre, nec non hoc ipso ab illo ad sepulchrum conducto; quæ omnia figuris spithamâ paulò majoribus acumine maximo, veritate proximâ, affectu miro, & circumstantiis tam animalium, quàm ædium & subdialium rarissimis ab ipso elaborata sunt; ut id dolendum saltem sit unicè, opus hoc non nisi aquario colore confectum, quam proximè perituro: unde cum pud Steiningeros graphicophilos illud conspicerem, in memoriam artificis perpetuam illud coëmi, meliùs à me asservandum.

Augustæ tamen Vindelicorum plurima sua præstantissimus hic noster fecit opera, quorum aliqua apud Dominum Doctorem Thomam, & Dominum Johannē Sigismundum Müllerum adhuc spectari possūt. Tempore Caroli V. anno scilicet 1530. idem effigiē summi hujus principis pingebat vividā admodum atq; gratiosam; ubi cum sciscitanti, quo pretio laborē hunc æstimaret, Imperatori, de duodena imperialiū respondisset, triplum eidem liberalis iste Princeps cum torque & nummo aureo porrigi jubebat, id subjiciens, nec Titianum, cui pro singulis iconibus centum imperiales numerati essent, meliores illas fecisse. Præterea plurimæ quoque picturæ ejus in Pinacotheca Bavarica asservantur omni laude atque gloria dignisimæ: ut mirum omninò sit, neminem Germanorum Ambergeri nostri ullibi in scriptis suis fecisse mentionem. Cujus famam ut posteritati melius conservem, non ista tantùm de eodem enarrare, sed & iconem ejus, quam ipse manu confecit propriâ, tabulæ nostræ Cc. inserere volui.

Opera ejus Augustana.

Effigiem Caroli V pingit.

XXXV. LAMBERTUS, FRIDERICUS, & JOHANNES SUSTERI

MOnachienses fratres, Christophori Schwartzii pictoris celeberrimi discipuli; quorum primus in historiis pingendis excellebat, quas multâ gratiâ, ordine optimo, & ingenio felicissimo disponere poterat, ut ipsa plus satis id testentur ejus-

dem

dem opera. Reliqui autem monochromate miniato venustissimas pingere solebant inventiones, ut debitam perfectionis meritò consequerentur gloriam.

XXXVI. PETRUS CANDITO pictor Monachiensis.

XXXVI. PETRUS CANDITO. SErvitiis primò Alberto Bavariæ Duci, & postmodùm Maximiliano Electori addictus, ad cujus recenter extructum palatiũ sedulam iste contribuebat operam, varia pingendo tam oleario colore, quàm in albario recente opera, nec non ad ornamenta huc illuc necessaria prototypa delineando, ut in omnibus quasi totius aulæ conclavibus pars quædam optimarum ipsius inventionum spectari queat. Prout & ad splendidissimum illud nec aliàs in Germania reperibile tapetum genus inventiones delineavit idem, nec non pro Johanne & Raphaële Sadlero Chalcographis celeberrimis aliis digraphica plurima, inter quæ præcipuè Eremitæ Bavari; quatuor Doctores Ecclesiæ, cum aliis multis ab Ægidio Sadlero typis æneis expressi. Ex quibus omnibus satis apparet, magnâ eundem sedulitate, summâque & universali pingendi excelluisse peritiâ, Dominisque suis servitia præstitisse haud ordinaria.

XXXVII. MATTHÆUS GRUNEWALD Aschaffenburgensis pictor

XXXVII. MATTHÆUS GRUNEWALD. COmmuniter Matthæus de Aschaffenburg vocatus, inter optimos veterum Germanorum tam diagraphices quàm pictoriæ artifices recensendus, nec postponendus ulli, ut deplorandum ferè sit virum hunc longè præstantissimum oblivionis tantoperè jam immersum esse caligini, ut ne unus quidem viventium de vitâ gestisq; ejus vel tantillam subministrare queat notitiam. Ut tamen aliquantum iterum emergat illius dignitas, Ego, quæ de eo comperi, fideliter hic enarrabo, sine quibus post paucos annos illius omninò intercidisset memoria.

Sexaginta autem jam anni sunt, & quod excurrit, quod pictor quidam Francofurtensis ætate quidem confectus, sed arte multâ insignis Philippus Uffenbach, discipulus quondam Grimeri, cujus Matthæus hic fuerat præceptor, mihi enarraret, Grimerum hunc omnia præceptoris sui diagraphica undiquaque collecta sedulò custodivisse, & post mortem illius, ab ejusdem viduâ potissimum, varia cretâ nigrâ & quædam viventium quantitate delineata accepisse: quæ omnia post Grimeri obitum Uffenbachius iste tanquam vir judiciosus sibi comparaverat; mihique tunc temporis in viciniâ illius Francofurti Scholam frequentanti, singulari libro collecta quandoque exhibere, partesque illorum optimas, quas ipse sedulò imitabatur, demonstrare solebat. Qui liber post mortem Uffenbachii à vidua ejus Domino Abrahamo Schelkens Graphicophilo celeberrimo Francofurtensi carò est venditus, & ab hoc cum variis artificiosissimis aliis, tam picturis sive veteribus sive modernis, quàm libris & chalcographicis rarissimis in technophylacio suo in perpetuam laudatissimæ hujus manus memoriam adhuc asservatur quò Lectorem quoq; benevolũ hîc remitto.

Vixit autem artifex hic noster temporibus Alberti Düreri, circa añum Christi 1505. quod apparet ex altari quodam historiâ Assumtionis Mariæ in cœnobio Prædicatorum Francofurtensi ab Alberto Dürero exornato, cujus valvas quatuor Matthæus hic Aschaffenburgensis monochromate griseo pinxit, in unâ S. Laurentium cum crate; in alterâ S. Elisabetham; in tertiâ S. Stephanum & in quartâ imaginem quandam similem repræsentans, quæ omnia Francofurti adhuc spectari queunt. Præ cœteris autem magnam meretur laudem ejusdem Transfiguratio Christi colore aquario picta, in quâ inprimis nubes illa pulcherrima, in quâ Moyses & Elias apparent, cum Apostolis genibus in terrâ nixis tam elegantem prese fert inventionem, colores tam vividos, & venustatem tam admirabilem, ut rarius nihil dici queat, opusq; verè sit incomparabile.

Deinde & Moguntiæ in æde Dominica ad sinistram chori in tribus sacellis trium ab ipso pictæ erant altarium tabulæ, duabus valvis singulæ utrinq; expictis instructæ; quarum una D. referebat Virginem cum filiolo in nube quadam, sub quâ in terrâ multæ Sanctæ elegantissimè appositæ, quales S. Catharina; S. Barbara; Cæcilia; Elisabetha; Apollonia & Ursula; tam nobili omnes invento, naturam tam proximè imitantes, tantâq; gratiâ delineatæ, coloribusq; tam conspicuæ, ut in cœlo potius, quàm in terrâ apparere viderentur. In tabulâ alterâ exhibitus erat eremita quidam cœcus, quẽ cum puero duce per Rheni glaciem transeuntem duo latrones obrutum occidebant clamanti puero suo incumbentem, tanto affectu, tantâque naturâ, ut admiratione obrueretur spectator: tertia autem tabula paulò quidem erat imperfectior; sed & hæc cum cœteris anno 1631. vel 32. inter alias belli prædas navi quâdam in Sueciam transmittendas, exortâ in mari tempestate, naufragio cum pluribus artificiis similibus absorpta periit.

Sed & Isenaci tabula quædam Altaris ab ipso picta reperiri dicitur, in quâ S. Antonius quidã mirâ arte expressus cum spectris extra fenestras elegantissimè appictis. Porro quoq; Serenissimus quondã Bavariæ Dux Wilhelm' graphicophil' prudẽtissimus artisq; mysteriorum summopere gnarus, imaginem

Diagraphica ejus. Opera ejus Francofurtana. Moguntina. Isenacensia. Imago crucifixi.

quandam crucifixi habebat, cum D. Virgine matre, Sanctoque Johanne, & Mariâ Magdalenâ genibus devotissimè incumbente,. à nostro pictam, quamvis â Serenitate sua ignoraretur Autor: ubi Christus omninò dependet in cruce, ut non nisi pedibus nitatur, situ naturâ verissimè imitante, & expressione penitus admiranda, ut ad mandatum Ducis illius Serenissimi tabella hæc dimidiæ plagulæ quantitatem non excedens anno 1605. à Raphaële Saddlero æri incisa fuerit; gaudente dehinc admodùm Serenissimo Electore Maximiliano, beatissimæ memoriæ, quod autoris nomen à me detectum esset.

Sic typis quoque xylographicis Apocalypsis D. Johannis circumfertur, quamvis rarius inveniatur, quæ & ipsa autore nostro confecta dicitur. Similiter meo tempore Romæ quoque S. Johannes quidam junctis manibus, elevatâ facie, quasi Christum in cruce aspecturus, reperiebaur, viventis magnitudine devotione maximâ & affectu expressissimo multâ gratiâ depictus, qui Alberto Dürero autore confectus credebatur: cum autem autorem ego agnoscerem differentiâ methodi demonstratâ, parti aversæ colore oleario (quo eo ipso momento Pontificis pingebam iconem) nomen autoris mihi apponendum fuit his verbis: Matthæus Grünewald Alemannus fecit. Plura de Artifice hoc clarissimo quæ superadderem non habeo, nisi quod Moguntiæ potissimum degerit, vitam agens solitariam, atque melancholicam, nec matrimonio felicem: locus autem tempusque mortis me latent; quamvis circa annum 1510. eundem obiisse conjiciam. Iconem verò illius tabula nostra Cc. exhibet.

XXXVIII. JOHANNES GRUNEWALD pictor,

XXXVIII. JOHANN GRUNEWALD.

EOdem tempore vixit eadem arte insignis admodùm: de quo tamen exigua pariter superest notitia, nisi quod valvas illas tabulæ Dürerianæ supra commemoratas, quas Matthæus Aschaffenburgensis extrorsum pinxerat, hic noster interius magnâ industriâ atq; elegantiâ pinxerit. Deinde & diagraphica quædam ab illo facta supersunt; nec non xylographica quædam, ubi mulieres quædam pingues igni assidentes ollam penes se habent unguentariam cum furcis & hircis, quasi jamjam ad choreas suas nocturnas advolaturæ: cum pluribus similibus aliis. Cœtera quæ de vita & morte illius superaddenda essent, me latêt.

XXXIX. CORNELIUS ENGELBRECHT pictor Lugdunensis

XXXIX. CORNELIUS ENGELBERTIADES.

ANno 1468. Lugduni Batavorum natus primusque inter hujus urbis incolas, qui coloribus oleo subactis usus est, postquam iidem jam ante sexaginta annos à Johanne ab Eyk inventi essent. Quisnam præceptor ejus fuerit, & an ipse quoq; pater ejus pictoriam exercuerit, non constat; id tamen certum est, pictores illius temporis Belgas certis in pingendo haud usos regulis, sed Italos saltem methodo antiquariæ insistentes imitatos esse, ut mirandum omninò sit, illos non nisi docente naturâ & prælucente ideâ tam feliciter progredi potuisse, & Cornelium nostrum ad tantum artis hujus ascendisse fastigium. Sed & id communiter statuitur, Lucam Hugonidem Lugdunensem, de quo mox dicetur, præmaturâ patris morte orbum, ejusdem Cornelii fuisse discipulum: prout & duos Cornelius habuit filios pictores, ejusdemq; Lucæ socios, quorum natu major Petrus Cornelides, cognomine Kunst, vitrorum pictor fuit, cujus familiaritate Lucas usus, artem hanc & ipse dehinc didicit.

Hic igitur Cornelius Engelbertus, diagraphicâ inculpabilis, & picturis tam aquario quàm oleario subactu factis admodùm erat insignis, prout adhuc aliqua operum illius exempla, in procellâ iconomachicâ nō destructa, & in memoriam tanti artificis à Senatu Lugdunensi in Curia illius Urbis asservata, satis superque testantur: ubi tamen dolendum, quod operum ejus quasi palmarium alto nimis loco suspensum ab oculis spectatoris nimium est remotum, ut elegantia & cura illius haud satis considerari queat. Sunt autem hæc, duæ altarium tabulæ valvatæ, quondam Lugduni Batavorum in templo cœnobii ad Mariam lacustrem collocatæ; quarum altera imaginem crucifixi cum utroque latrone, D. Virgine, Johanne & aliis circumstantibus tam equis insidentibus, quàm peditibus magnâ sedulitate elaboratis; valva autem illius dextra sacrificium Abrahami, sinistra historiam serpentum in deserto exhibet; altera vero tabula historiam de Christo è cruce sublato, & in valvis icones orantium quorundam multâ arte exprimit. Opera ejus Lugdunensia.

Pulcherrimum autem ex operibus ejus, pictura est duabus valvis clausa, quondam pro monumento Domini de Lochorst in memoriam familiæ ejus in templo Petrino Lugdunensi supra sepulchrum ejus in sacello Lochorstiano collocata, deinde Ultrajectum in domum Domini de Baugart qui gener erat Domini de Lochorst, trāslata; Ultrajectina. quæ historiam quandam Apocalypticam de Agno ante thronum divinum librum illum septem sigillis munitum aperiente repræsentat, ubi totus cœlorum exercitus vario gestu, faciebus admirandis, & alia inventione nobilissimâ tanta arte & venustate propōitur, ut omnes artis periti citra admirationem eandem intueri nequeant. Et ut paucis omnia comprehendā, nō ingenio

hic tan

hic tantùm sed & industriâ nobilis fuit, affectu potissimum pro more priscorum, nullibi non expresso. Mortuusque est Lugduni Batavorum anno 1533. anno ætatis sexagesimo quinto.

XL. BERNHARDUS BRUXELLENSIS
Pictor,

XL. BERNHARD DE BRUSSEL.

Quem communiter Bærnt vocabant, & ipse in serie virorum celebrium locandus, tam colore sive oleario sive aquario, quàm diagraphica & dispositione similiter excellebat. Primò autem in servitiis erat Margaretæ Provinciarum Belgicarum Gubernatricis; & postmodùm à picturis aulicis Caroli V. Imperatoris. Antverpiæ in Sacello Eleemosynarum illius manu pictum spectatur extremum judicium, cujus tabulam ante inductos colores totam auro tegi curavit, ut omnia splendidiora & durabiliora manerent; quod & felicissimè successit in repræsentandâ perspicuitate cœli. Mechlinii tabulam Altaris pictorum pinxit, de S. Luca D. Virginis iconem pingente, quod opus est artificiosissimum colore oleario factum; & à Michaële Coxice deinde valvis pictis munitum. Sed & pro Margareta Domina sua & principibus aliis, quin etiam pro Imperatore, multas delineavit pro tapetibus ideas pulcherrimas, quo in genere mirâ utebatur promtitudine, multis ob id muneribus ditatus. Deinde pro Imperatore varias quoque pingebat venationes, nemora sylvasque circa Bruxellam sitas, venatuque Imperatoris nobiles repræsentans iconib' etiam tam Imperatoris quàm Principum utriusq; sexus variè exhibitis, undè tapetes contexti sunt multâ elegantiâ insignes.

Opera ejus Antverpiana.

& Mechliniensia.

Porrò quoque Hagam Comitis ad Mauritium Comitem sedecim ideæ tapetum deferebantur, ab hoc artifice inventæ; inter quas figura quędāequestris viventis magnitudine, quam propter elegantiam singularē Comes iste colore oleario à Johanne ordano Antverpiensi Delphis tum habitante depingi curavit: ubi anni ideis illis adscripti ætatem earum, quæ plusquam seculi erat, exhibuit, unde & quo tempore artifex iste vixerit colligi poterat, quem ad plures annos ætatem extendisse probabile est. De ortu autem & morte ejus nihil mihi innotuit, cum nemo scriptorum ullam ejus faciat mentionem.

Caput VI.

LUCAS LUGDUNENSIS
& artifices adhuc undecim alii.

Argumentum.

XLI. LUCAS LUGDUNENSIS Chalcographus, pictorq; tam tabularum, quàm vitrorum. Anni tyrocinii ejus. Opera ejus juvenilia: Comparatio illius cum Alberto Dürero. Chalcographica ejus alia. Typi ejus anei caro venduntur pretio. Picturæ ejus Lugdunenses. Opera ejus alia Amstelodamensia. Alios visitat artifices in Belgio. XLII. QUINTINUS MESSIS, vulgò Quintinus faber dictus, pictor Antverpiensis; fabrilem primò exercet artem; miro casu pictoriam prosequitur. Opus ejus est historia de Christo è cruce sublato, quæ Antverpiæ extat. Epigramma. XLIII. HIERONYMUS BOS, Pictor Boscoducensis. Opera ejus. Ludovicus Johannides de Bosco. XLIV. CORNELIUS CORNELIDES pictor Lugdunensis, opera ejus. XLV. JOHANNES de CALCHAR pictor; discipulus est Titiani. Opera ejus. XLVII. PETRUS KUKIUS pictor & Architectus Alostanus, Constantinopolim venit; historiasq; varias Turcias delineat. Scripta ejus. XLVIII. ALBERTUS ALDEGRAF pictor & Chalcographus Soëstensis. Opera ejus picta; Chalcographica ejus. XLIX. JOACHIMUS PATENIERUS Pictor Dinantensis; in subdialibus excellit. Discipulus ejus Franciscus Mostert. L. HEINRICUS de BLES, Bounia propè Dinantum oriundus, Pictor. Opera ejus. LI. JOHANNES de MABUSE pictor; novam ex Italiâ methodum in Flandriam defert; Opus ejus, quod Mittelburgi est; historia alia de Christo è cruce ablato. E papyro undulaturas damascenas efformat. LII. JOHANNES SCHORELIUS pictor. Discipulus primò est Mabusii: iter per Rhenum facit in Germaniam superiorem. Ad Albertum Dürerum venit. Hierosolymas abit, loca omnia itineris sui delineans. Opera ejus Rhodi, Romæ & in Belgio facta; in Galliam vocatur: à Rege Sueciæ amatur.

XLI. LUCAS LUGDUNENSIS chalcographus, pictorque tam tabularum quàm vitrorum.

XLI. LUCAS de Leyden.



Nter omnes Belgii artifices quasi solus in primis jam ætatis suæ annis arte floridus, ut tam ad cælum quam ad penicillum natus videretur. Prout enim quoscunque natura solers ad singularem quandam destinavit perfectionem, matura quondam ætate egregiis factis præ aliis ostentandam, ipso statim pueritiæ flore primoque annorum vere ferendorum virilitatis suę autumno fructuum rariora quædam præbent indicia, ut quidam ad sessionem in Senatu Romano admissi, alii serpentum jam in pueritiâ victores fuerint, unde tritum illud: Urit maturè quod vult urtica manere: sic fidem fermè superare videtur, quod Lucas hic noster, anno jam ætatis nono, typos ediderit æneos, propriâ manu suoque ingenio elaboratos, in se tamen elegantissimos probeque confectos; quorum quidam adhuc extant, anni quidem charactere carentes, sed aliis, quibus añi appositi sunt, omninò similes: è quib' ætas illius satis colligi potest.

Natus autem fuit Lugduni Batavorum anno 1494. circa Maji finem Juniive initium, Patre Hugone Jacobide, qui & ipse pictor erat suo tempore celeberrimus, cujus discipulus primò erat Lucas noster, quamvis naturâ docente jam ferè magister & à Cornelio Engelberto deinde ad absolutum usque numerum informatus. Hic igitur manuducente naturâ primis jam annis suis omnem in hoc studio addiscendo navabat operam, ut multas sæpè noctes lucubraret, & inter ludicra sua non nisi carbones, cretam, pennas, penicillos, cælum & similia ad artem hanc requisita organa numerans, pro sociis tantùm ejusdem genii ephebos, aurificum nempè, pictorum vitri & pictorum ordinariorum tyrones sibi adsciscceret; ut mater ipsius ob continuatam sedulitatem noctu sæpè à lucubrationibus ipsum abstraheret, periculum verita sanitatis. Ubi tamen haudquaquam ipse desistebat, naturales omnium rerum formas delineans, sive vultus essent, sive manus, sive pedes, sive domus, & provinciæ & subdialia, sive vestium genera, quibus singulariter delectabatur, sive alia, ut hoc modo in universo picturarum genere maximos faceret progressus, seu colores spectentur non olearii minus quam ovarii, seu objecta, ut sunt historiæ, icones, subdialia, imaginesque aliæ; seu species, quales sunt pictura vitrorum, chalcographia & similes: eaque omnia à primis jam ætatis suæ annis.

Anni tyrocinii ejus.

Anno ætatis suæ duodecimo colore aquario in tela quadam S. Huberti pingebat historiam mirâ elegantiâ, quæ tantoperè ipsum commendabat, ut à Domino de Lochorst tot pro illa acciperet aureos, quot años natus esset. Anno ætatis decimo quarto typo æneo repræsentabat historiã de Muhamede, ebrio Monachũ occidente. Anno sequente varia elaborabat, inter quæ historiæ quædam Passionis Dominicæ formâ rotundâ ad pingenda vitra editæ, ut sunt: captura Christi in horto oliveti; ductio ejusdem ad Hannam; Illusio; flagellatio; Coronatio; Exhibitio publica; crucis gestatio; & crucifixio; eleganti omnes ordine exhibitę. Eodem anno opere chalcographico publicabat artificiosissimam Pauli conversionem, cœcitate sc. percussi & Damascum ducti, ubi cœcitatem quàm verissimè expressit. In figuris his æneis facies spectantur pulcherrimæ miraque varietate spectabiles; similiter & vestium antiquiora genera, mitris & thoracibus ita variegata, ut nullum alteri appareat simile, unde magni nostrorum temporum artifices Itali figuris ejus magnâ cum utilitate utuntur, easdemque operibus suis exiguâ variatas discrepantiâ inserere solent. Deque hac Pauli conversione mentionem quoq; facit Vassarius, in variis eundem vel Alberto Dürero præferendo dum inquit: Istius opera tantam præ se ferre artem, ut inter primaria omnium cælo unquam exaratorum numeranda sint: tamque laudabilem esse historiarum ejus coaptationem, ut ipsa res gesta oculis obversari videatur: eundem quoque tam exactè in omnibus observare artis regulas, tantamque è ductibus ejus elucere industriam, ut impossibile sit colore eos melius effingere; unde eodem præeunte multis pictoribus haud parum aperti sunt oculi. Hæc de Luca nostro testatur Vassarius, quæ partim vera quoque sunt, cum tantus ordo tamque accurata opticarum regularum observatio in operibus Alberti Düreri, præsertim subdialibus non conspiciatur.

Opera ejus juvenilia.


Comparatio ejus cum Dürero.

Anno sequente 1510. æri admirandam illam exhibiti à Pilato Christi incidebat historiam, ut mirum revera sit, tanto eum tam tenerâ ætate polluisse judicio, ut figurarum dispositionem, vestium variationem, nationum distinctionem ædiumque structuram magnificam juxta prospectivæ regulas tam accuratè observare potuerit. Sic rusticum quoque efformabat & rusticam cum tribus vaccis, & hanc quidem à mulgendo surgentem, curvatique sedendo dorsi lassitudinem detegentem; quod opus est clarissimum & maximi æstimatum. Porrò & Protoplastas pingebat è Paradiso ejectos; nec non Evam Cainum primogenitum suum ulnis tenentem, quod opus pariter laudatissimum est. De-


Chalcographica ejus alia.

hinc

DD













I. v. Sandrart del: *P. Kilian s*

hinc mulierem quoque parvulam nudam effiguravit, è villis catelli cujusdam pediculos quærentem: quæ opera propterea saltem enarro, ut appareat, quantos fructus tam tenellus jam tulerit ramulus: cœtera enim omnia, quę vel pinxit vel cælavit, vel sculpsit, vel vitro inussit, enarrare impossibile esset.

Ex his verò omnibus apparet, eum non tantum in picturis multâ curâ colores applicuisse, sed & in typis æneis tantâ usum sollicitudine, ut nullam ediderit figuram, in quâ vel minima fuisset macula: unde & de ipso testata est filia ejus, ipsum figuras æneas combussisse plurimas, quæ vel tantillum impressionis præ se tulissent vitium: quæ causa fuit, ut vel vivente ipso opuscula ejus magni essent valoris, & folia ejus majora singula, ut sunt figura Magdalenæ, Crucifixi; Christi exhibiti populo; trium Magorum, &c. aureo venderentur Rhenano. Post mortem verò illius longè majori eadem æstimata sunt valore, præsertim cum Batavi sympatriotæ ejus, inter quos graphicophili curiosissimi plurimi, licitando pretia tantoperè augerent, ut Dominus de Spiring Legatus Suecicus apud Batavos, pinacophylacio consummatissimo clarus pro unica plicaturæ quartæ figura, quam Bubonis vocabant Speculum, quamque nullibi aliàs vidi, quadringentos numeraret florenos; & pro aliâ, de Agare ab Abrahamo cum Ismaële dimissa, quam Agarem majorem vocant, (cum & aliam minori forma fecerit:) priore haud multo grandiorem, quingentos; Similesque Amstelodami tum temporis fuere plures, ut Johannes Ulricus Mayerus Augustanus mihi retulerit, præceptorem suum Rembrandum pro quatuodecim foliis istius autoris, impressione mundissimâ publicatis, inter quæ, Christus ecce homo! Paulus conversus, crucifixio major, chorea Magdalenæ & similia in auctione publicâ mille & quadringentos florenos expendisse.

Opera ejus caro veneunt.

Sed & matrimoniũ iniit Lucas noster pręstantissimus cum Nobili quadam uxore de familia Boshusiana, ubi multum temporis cum nugis insumsit Nobilium, pro ditiorum more. Quidam etiam volunt, eum cum Alberto Dürero in perpetuo fuisse laborum certamine, ita, ut quotiescunque Albertus quædam typo æneo edidisset, hic æmulando ediderit similia, ut alterius laborem semper miratus fuerit alter: unde tanta tandẽ utriusque exorta sit familiaritas, ut cum Albertus Lugdunum venisset, alter alterius pinxerit iconem, tempore reliquo amœnissimâ conversatione insumto. Erat autem minori staturâ Lucas atque tenerâ, prout effigies ejus, quam ipse imberbis adhuc mitra instructam plumata fecit, caput mortuum sinu occultantem, demonstrat.

Picturæ ab ipso confectæ, quæ adhuc extant, pauciores sunt, sed admiratione dignę omnes & gratiosissimæ: inter quas tamen præeminet Altare quoddam bivalve, quod ante mea tempora Goltzius Harlemi habuit Lugduni an. 1602. magno coëmtum pretio; in hoc depicta extat historia Bartimæi cœci à Christo sanati, labore pulcherrimo, ordine accurato, delineatione inculpabili, valvis etiam utrinque picturâ exornatis. Hîc nudas videas figuras venustissimas, facies vivida hilaritate spectabiles, vestes singulares, ornamenta capitum egregiè distincta; vultum Christi laudatissimâ simplicitate, benefica pronitate, & verissimâ commiseratione conspicuum: cœci conatum surgendi extensa manu verè naturalem; porrò campum circa postrema picturæ nemoribus obsitũ, mirâ amœnitate notabilem: & in recessu historiam Christi maledictione suâ ficum perdentis, cum domibus quibusdam pro tractus illius complemento. Hoc autem opus pictum est anno 1531. & extrinsecus vir quidam cum fœmina insignia quæpiam tenent, venustate plurimâ spectabiles. Et hoc ultimum fuit operum ejus colore oleario pictorum, in quo omnem quasi artis energiam exhibere, nominique suo hoc ipso immortalitatem conciliare voluit, cum biennio tantùm supervixerit.

Picturæ ejus Lugdunenses.

Postmodùm & Lugduni Batavorum in curia opus quoddam illius prostat nobilissimum, quod extremum repræsentat judicium, & inter optima numeratur: in hoc cum nuda occurant plurima tam mulierum quàm virorum corpora, exactissimè patescit quãtoperè vitam ipse secutus sit, & quidem in exprimendâ potissimũ membrorũ fœmininorum teneritudine. Extrinsec⁹ duo sedent Apostoli majori formâ, Petr⁹ nempè in unâ, & Paulus in alterâ valvarum. Quod opus tantâ innotuit celebritate, ut multi Principes exteri illud emere voluerint, renuente Semper senatu, qui tanto civis sui mnemosyno privari noluit. Similiter in ædibus quoq; Nobilis cujusdã Francisci Hoogstraeti Lugduni opus quoddam illius manu factum extitit, arca nempè valvis clausa cum imagine D. Virginis pectoretenus conspicua, tegente partem inferiorem quasi lapide quodã: puellulus autem uvam manu tenet admirandâ venustate, quod symbolum quasi esse debuit illius Christi dicti, ubi sese vitem profitetur. Ex altero latere fœmina erat orans, cum Magdalena Christum huic in gremio Virginis commonstrante. Posteriora nemora continebant & arboreta pulcherrima: exterius autem annunciationis historia depicta erat figuris integris, vestibus pulcherrimis: quod opus Rudolphus Imperator deinde coëmit. Adjectus autem & annus erat nempè 22. cum ordinario Artificis charactere L.

Sic elegantissimum quoq; illius opus Am-

Amstelodamenses.

stelodami extat apud Johannem Loffert, quæ est historia filiorum Israël circa vitulum aureum choreas ducentium & lascivientium, juxta verba textus: Sedebat populus ad edendum & bibendum, ad ludendum mox surgens. In his lasciviendi generibus vividè admodum expressi sunt obscœni quidam gestus illius populi, ex oculis emissi, ut dolendum saltem sit, totum opus ab imperito quodam nimio vernice quasi corruptum esse. Porrò opus & aliud colore aquario pictum ejusdem autoris in ædibus Domini de Sonnenfeld, graphicophili insignis extat, historia nimirum Rebeccæ & Servi Abrahami, ab illâ ad fontē potati: ubi mulieres & puellæ sunt expressæ variæ diversis gestibus, hydriisq; variis conspicuæ. Ita quoq; effigies quædam ab illo picta Lugduni existit apud Consulē quendā Nicolaum Arianium, vitam ipsam exprimens & naturam exhauriens universam. Dehinc Lugduni pariter imago D. Virginis minor ab ipso facta conspicitur apud Pictorem quendam Bartholomæum Ferrerium: Ut & Davidis imago citharâ ludentis, & à Saule hastâ impetiti: item rusticus quidam odontalgia laborans, qui dum linimento quodam utitur, præ dolore non percipit mulierem quandam nummos ipsi è crumenâ furto abripientem. Porrò & figura quædam æri incisa major superest, Senis cujusdam, cum fœminâ quadam instrumenta musica concinnantis; natura quàm proximè expressa. Primarium autem operum ejus fuit Effigies Maximiliani Imperatoris, cum hic Lugdunū venisset, ab illo confecta, quætam est augusta, ut melior fieri non potuisset. Unde dicere haud possem, utrum pictura, an chalcographia, an vero diagraphica vitraria præstiterit.

Alios visitat artifices.

An. ætatis suæ 33. Artifices quoque Belgas alios, Seelandos sc. & Brabantos visitaturus, navi propriâ nummisque haud paucis provisus Medioburgum veniebat, ubi visis Johannis de Mabuse operibus omnibus artificiosissimis, eidem & pictoribus aliis convivium apparabat, quod & Gandavi, Mechliniæ, Antverpiæ, & alibi fecit, inque locis hisce singulis sexagenos pictoribus florenos hilariter consumendos erogavit: Præ cœteris autem cum Johanne Mabusæo, qui splendido semper utebatur vestitu, aurea plerumque indutus tela, magnâ utebatur familiaritate, vestitus & ipse veste serica splendidiore. Tandem autem plus nimio hoc iter ipsi constitit, quod venenum ab invidis sibi propinatum suspicaretur, quoniam ab illo tempore integrâ nunquam amplius usus est sanitate. Idque sive verum, sive ex imaginatione saltem exortum fuerit, hoc tamen effecit, ut sexennium vitæ suæ ultimum grabato plerumq; affixus transegerit, quod quidam tabis cujusdam diuturnæ crediderunt effectum.

Sed ne in lecto quidem æri quædam incidere cessabat, facto in hunc finem apparatu quodam singulari, magisque semper ac magis hoc laboris genere delectatus. Ingravescente autem malo & prævalente vi morbi nec ullo succurrente medicamine, horam mortis appropinquare persentiscens, biduo ante obitum auram semel adhuc vivam haurire, magnificumque cœli opus exactius contueri desiderabat: quo facto, die confestim alterâ an. 1533. ætatis 39. expiravit. Ultima illius imago Pallas quædam erat minori forma; quam consummatam ante sese reposuisse dicitur, summâ cum voluptate consideratam, quasi hoc jam opere verè contentus. Filia ipsi erat unica, quæ nono ante obitum ejus die nepotem ipsi pariebat, de quo à Baptismi lavacro domum jam reportato cum quæreret Lucas, quonam ipsum compellassent nomine, responsumque esset: Lucam eum vocari Lugdunensem; indignabundus hic replicabat: pernosse se, quod abitum suum desiderarent, cum alium jam sibi surrogassent. Hic autem nepos ejus Lucas Damesius mortuus est Ultrajecti an. 1604. ætatis 71. arte pictoriâ & ipse illustris: ut & Frater ipsius Johannes de Hooy, qui servitiis R. Galliæ addictus fuit.

Artifici autem huic nostro Lampsonius Epitaphium quidem latinum composuit; quod tamen cum virtutes ejus haud omninò pro meritis evehat, hoc loco potius omittere, fautorique artis benevolo, iconem saltem ejus in tabulâ nostrâ Dd. communicare volui.

XLII. QUINTINUS MESSIS, vulgò Faber, pictor Antverpiensis,

XLII. QUINTINUS MESSIS faber dictus.

Non scripta tantùm eruditorum, sed quotidiana etiam testatur experiētia, illos, qui sive paupertate, sive belli injuriis, sive aliis incommodis pressi, ad artes primò naturæ suæ contrarias appliciti, tandem tamen inclinationis suæ ductum sequuntur, citato cursu ad fastigia abripi: unde & qui ad picturam naturâ inclinante ducuntur, si ad alia asperiora declinaverint opificia, quāvis serò satis ad artem hanc naturalem sibi redeant, confestim tamen proclivitate genii sui adjuti profectus edunt haud ordinarios quod inter alia non Polydori tantùm supra commemorati, sed & Quintini Messisii pictoris Antverpiani historia abundè comprobat.

Fabrilem primò exercet artem.

Hic enim Quintinus fabri propterea nomen retinebat, quod opificio fabrili per vicennium integrum incubuisset, donec tandem morbo quodam vehementiore impeditus, hoc vitæ genere sese amplius sustentare haud posset, & ad matrem suam se-

nio jam

nio jam confectam se conferre cogeretur; quæ tamen, quod paupertate jam ipsa plus nimiâ premeretur, curas ipsius potius mirum inmodum augebat, quàm sublevabat, cum omni spe lucri vacuus oneri tantum eidem esset, de quibus omnibus, si qui eum visitabant familiares, conqueri solebat anxiè. Et quamvis morbi tandem rigor aliquatenus remitteret; virium tamen interea tantam passus erat jacturam, ut durioribus illis operis fabrilibus vacare amplius haud posset. Interea cum die Bacchanalium (quo Antverpiæ pro veteri more, qui in Xenodochiis & Nosecomiis vivût, per urbem candelam gestantes ardentem stipem colligere solent, imagines pueris xylographicas offerentes) quidam amicorum ipsum inviseret, oblatâ ejusmodi imagunculâ, hic ejusdem primò apographum sedulò faciens, nativum illum pingendi amorem tantoperè in sese excitabat, ut obstetricante naturâ insignis tandem evaderet artifex; huic artium generi dehinc per omnem vitam inhærens, ita tamen ut quamvis mallei pondera cum penicilli levitate commutaret, illius tamen charactere semper in picturis uteretur; quod & Lampsonius Epigrammate latino, subter effigiem ejus apposito, confirmat. Præterea haud exiguum ipsi calcar ad prosequendam artem hanc, puella quædam formosa Antverpiana ipsi addebat, cujus amorem unà cum ipso & pictor quidam rivalis ejus captabat: cumque Quintinus hic haud quidem eidem displiceret, sed gratior potius pictore esset, & opificium saltem illius asperum nimis ipsi videretur & inquietum, quo cum arte pictoria permutato, spes ipsi connubii foret haud vana; mox relicto penitus malleo noster ad periculum omninò sese applicabat, ubi amore magistro ad artis hujus culmen brevi emergebat, toro dein sociatâ sibi puella amata. Et quamvis hæc relatio priori contradicere videatur, fieri tamen facilè potuit, ut ansam primò dante imaguncula, ulterius ad artis complementum eundem compulerit amor.

Miro casu picturiam prosequitur.

Inter omnia illius opera notatu dignissimum est illud, quod Antverpiæ in templo D. Virginis extat: historia nempe de Christo è cruce ablato, ubi corpus Domini nudum colore oleario artificiosissimè expressit; Matremq; Virginem cum aliis circumstantibus gestu mœstissimo repræsentavit. Interior valvæ unius superficies S. Johannem in se continet, cum figuris quibusdam equestribus elegantissimis. Valvam alteram historia decollati Johannis occupat, ubi Herodes & Herodias magnâ curâ atq; gratia exhibentur; quamvis si è vicinia spectetur pictura, ductus videantur aliquanto asperiores. Pro hac tabula Philippus II. Hispaniarum Rex magnam offerebat pecuniæ summam; nec tamen venalis tum erat ullo pretio, servata enim fuerat in turbis iconomachicis. Cum autem anno 1577. arculariorum tribus (quæ eandem possidebat:) eandem vendere vellet, Martinus Vossius id efficiebat, ut ab ipso illius Urbis Magistratu emeretur mille & quingentis florenis, ne tam nobili patria privaretur opere. Hac autem pecunia tribus hæc domum sibi emit pro opificio suo.

Opus ejus de Christo è cruce sublato.

Sed & alia fecit opera longè nobilissima, in exteras provincias translata, & jam in pinacothecis hinc inde thesaurorum instar asservata. Prout & Bartholomæus Ferreris graphicophilus insignis imaginem quandam D. Virginis ab illo pictam possidebat, gestu gratiosissimo conspicuam. Filius quoque ipsi erat & discipulus, cui nomen Messis, qui & ipse pictor evasit optimus. Sed Quintinus vitam ipsam naturamque rerum vividissimâ exprimebat proprietate quamvis autodidascalus esset, nec ullo usus fuisset præceptore. Similiter & Musicus erat rarâ arte nobilis, & ad senium pervenit satis annosum. Iconem ejus in tabulâ nostrâ Dd. exhibuimus, ad quam subsequens pertinet Lampsonii Epigramma:

Epigramma.

Arte faber fuerum Cyclopeus, ast ubi mecum
Ex æquo pictor cœpit amare procus;
Seque graves tuditum tonitrus postferre silenti
Peniculo, objecit cauta puella mihi,
Pictorem me fecit Amor, tudes innuit illud
Exiguus, tabulis, quæ nota certa meis.
Sic ubi Vulcanum nato Venus alma jogaret,
Pictorem è fabro summe Poëta facis.

XLIII. HIERONYMUS BOS, Pictor Boscoducensis,

XLIII. HIERONYMUS BOS.

Miris inventionibus insignis, prout varia sunt hominum cogitata, & artificum alius in hoc, in alio alius excelluit. Furias enim noster hic & spectra infernalia tam horrẽdo effingere solebat vultu, ut horrorem incutere spectatori viderentur.

Opera ejus.

Patria ejus erat Boscumducis; de tempore autem sive nativitatis sive mortis ejus haud constat. Operum ejus plurima Amstelodami adhuc extant, qualia sunt, fuga in Ægyptum, ubi Josephus à rustico quodam viam exquirit, Mariâ asino insidente: è longinquo autem rupes est miræ elegantiæ, speluncam simul & quasi diversorium exhibens. Deindè & limbum Patrum pinxit cum liberatione istorum; ubi Judas & ipse evolaturus, à fune detinetur: dici autem vix potest, quantâ argutiâ in opere hoc colludant flammæ, fumusq;, & ignis ardores. Sic Amstelodami ab ipso etiam pictus con-

ſpicitur Chriſtus crucem geſtans, in quo majori uſus eſt induſtriâ, quàm aliàs ſoleret. Harlemi in ædibus Johannis Dieterici graphicophili inter alia ſpectatur hiſtoria de monacho quodam cum variis diſputante hæreticis, omnesque tam illorum libros quàm ſuum quoque in ignem conjiciente, hac ſpe, quod, qui veritatem contineret, violari non poſſit; ubi liber hujus monachi evolaſſe dicitur, cœteris in cineres combuſtis: quæ omnia eleganter admodùm ab ipſo ſunt expreſſa.

Ludovicus Johannides de Boſco.

Sed & alius fuit Ludovic' Jāſonius de Boſco Boſcoducenſis, picturis fructuum atque florum inſignis, quos interdum tanquam vitro aquâ pleno impoſitos multa curâ expreſſit atq; patientiâ, ut natura meliores non produceret. Sic & guttulas floribus plerumq; apponebat & herbis, quaſi roridas, nec non animacula quædam, ut ſunt papiliones, muſcas, apes & inſecta ſimilia, prout talia adhuc apud artis cultores nonnullibi inveniuntur. Præterea tamen & imaginibus excellebat, prout Hieronymus quidam ab illo pictus teſtatur. Medioburgi apud Dominum Melchiorem Wyntgis conſpiciendus.

XLIV. CORNELIUS CORNELII, pictor Lugdunenſis,

XLIV. CORNELIUS CORNELIDES.

QUamvis Ars ipſa hæreditatis titulo à parentibus in filios transferri nequeat hic tamen Cornelius, cui ab arte inditum eſt cognomen Kunſt, patrem & præceptorem ſuum Cornelium Engelbertum in arte usq; adeò imitatus eſt, ut Brugas, quæ Flandriæ urbs eſt, profectus, ubi tum temporis ob florentia ibidem commercia magno pretio æſtimabantur picturæ, operibus ſuis pulcherrimis haud parvâ ditatus ſit nummorum congerie. Inter opera ejus potiſſimùm laudatur hiſtoria Chriſti crucem geſtantis, cum duobus latronibus, affectu mœſtiſſimo depictis; cum cœteris, quæ Lugduni, partim pro monaſterio quodam, partim pro civibus, & in ſpecie pro Jacobo Vermio, tum temporis ſpectatiſſimo, pinxit Mortuus autem eſt anno 1544. poſt natum Salvatorem; ætatis ſuę 51. Inq; honorem ejus ſubſequens compoſitum eſt Epigramã:

Opera ejus.

Peniculum ſtudio teneris tractavit ab añis,
Qui docuit, quantum cura loborque queant.
Ante alios dictus fuit hic cognomine pictor
Quàm benè cognomen congruit artifici.

XLV. LUCAS CORNELII coquus, pictor Lugdunenſis.

XLV. LUCAS CORNELIDES Coquus.

COrnelii modò deſcripti frater, Cornelii Engelberti filius, & diſcipulus, qui cum vitâ artem quoq;, ad inſtar fratris ſui à patre adeptus eſſe videbatur. Natus autem erat Lugduni Batavorum An. 1495. & cum ars iſta in patriâ tum temporis parum valeret, artem quoq; coquinariam addidicerat; quamvis in picturis tam oleario quàm aquario ſubactu conficiendis excelleret, prout relicta ejus teſtantur opera. Obſervato igitur in patriâ artis ſuæ neglectu, in Angliam tranſibat, ubi ab Henrico VIII. pictoriæ fautore maximo, cum uxore & liberis ſeptem vel octo humaniter excipiebatur, ut poſt abitum ejus plura de illo haud ſint recognita, niſi quod ibidem in magnâ fuerit autoritate: undè cum Leyceſtrius Comes Gubernator Lugduni fieret, mercatores quidam Anglicani omnia illius opera, quotquot ibidem reperiri poterant, cum eadem in Anglia tantopere æſtimarentur, coëmebant. Plura de illo reſcire haud licuit.

In Angliam abit.

XLVI. JOHANNES de CALCHAR pictor,

XLVI. JOHANNES de CALCAR.

OMnium illorum, qui maximo uſi ſunt naturæ favore inter Belgas, illamq; Italorum jactantiam, quâ neminem Belgarum hâc in arte ſibi ſimilem dicebant, apertiſſimè retūdere potuerunt, primus fuit Johannes Calcharenſis, cujus laudibus nulla ſufficiet fama: ut certè inſigniter doleam, tam pauca mihi de artifice tam claro innotuiſſe. Natus autem erat in Ducatu Clivenſi, in urbe Calchar; quo verò præceptore artem didicerit, haud conſtat. Hoc tamen certum eſt, illum an. 1536. vel 1537. Venetiis habitaſſe, ibidemq; Titiani diſcipulum fuisſe digniſſimum; cujus methodum non imitatus tantummodò eſt, ſed ita in ſeſe tranſtulit totam, ut utriusq: picturæ tandem haud amplius diſcerni poſſent: prout Goltzio, qui aliàs in arte peritiſſimus erat, aliquando Neapoli id accidit, ut viſis quibusdam iſtius iconibus, Titiani manu eas elaboratas diceret: certum enim revera eſt, ne centeſimum quidem, artis gnarum, opera illorum omninò diſcernere potuiſſe.

Diſcipulus eſt Titiani.

Præterea rariſſimo iſte quoq; utebatur ſucceſſu in genere diagraphico, ſive cretâ, ſive calamo exercito. Inter alia autē opera ejus picta, tabella quoq; fuit ſpithamæ majoris quantitate, quadrata, de nativitate Chriſti, & paſtoribus noctu in ſtabulum venientibus âque Joſepho exceptis, ad radios à puerulo in cunis evibratos: quod opuſculum tam delineatione, quàm diſpoſitione & coloribus incomparabile eſt, ut Rubens illud ipſum, quantumvis parvulum, ad obitũ ſuum usq; poſſederit; è cujus bonis auctione venditis in meas idem pervenit manus; donec cum an. 1652. Ferdinandus III. Imperator glorioſiſſimæ memoriæ illud penes me conſpexiſſet, à me translatum in pinacothecam Pragenſem, tanquam opus rariſſimum, collocaretur.

Opera ejus.

Tandem

Tandẽ nobilissimus hic artifex Raphaëlem Urbinatem tam sedulò imitabatur, ut multa ejus opera pro Raphaëlicis habita fuerint. Et hic noster idem est ille, qui librum illum celeberrimum Vesalii Anatomici delineavit, cujus figuræ tantam præ se ferunt artem, ut laudis illius sufficientissima esse queant testimonia. Sic omnes quoq; pictorum, sculptorum & architectorum Italorum effigies, quæ in opere Vassarii continentur, & meliores haud facilè fieri possent, ab isto confectæ sunt: ut dolendum id saltem sit, quod morte tam præmaturâ Neapoli è vivis excesserit, anno scilicet 1546. Iconem tamen illius tabula nostra DD. exhibet.

XLVII. PETRUS KOEKIUS, Pictor & Architectus Alostanus.

XLVII. PETRUS KOKE.

ALostum patriam suam tanta nobilitavit celebritate, ut aliis hoc ipso famæ genere clarioribus oppidis eidem haudquaquam sit cedendum. Hic igitur istius oppidi civis præceptorem habuit Bernhardum Bruxellensem, à quo tam in diagraphicis quàm picturis sive oleario sive glutinario subactu faciendis, mirum in modum profecit. Deinde per Italiam aliasq; Academias pictorum Romanas peregrinatus summam ubiq; adhibuit diligentiam, è quibus dehinc in Belgium redibat. Cumq; interea uxoris obitu ad viduatum reductus esset statum, mercatorum quorundam Bruxellensium persuasione Constantinopolin quoque ad Imperatorem Turcium cum illis iter faciebat, ut tapetum quorundam pulcherrimorum, quos ipsi confieri curabant, eidẽ delinearet ideas. Quamvis autem religione ductus Muhammedana Imperator, artificia ista nullatenus æstimaret, ut re infecta, sumtu licet expenso haud exiguo redeundum esset eidem societati; hic noster tamen eodem anno non Turcicam saltem addiscebat linguam, sed urbem quoq; cum locis circumjacentibus variis delineabat, quæ figuræ deindè ligno incisæ editæ fuerunt. Iisdem autem inserti sunt varii Turcarum actus, v. g. de Imperatore equo per publicum vecto, stipantibus Prætorianis & aliis: de ritibus illorum nuptialibus, sponsaq; præeuntibus Musicis, & comitantibus aliis deducta: de ritu illorum mortuos suos extra Urbem sepeliendi: de festo Neomeniæ; de ritu illorum comedendi; de ritu iter facientium; & cubitum euntium: in quibus omnia distinctè gratiosè, & naturali ordine proposuit, artisq; suæ haud exigua edidit specimina: adjectâ etiam icone propriâ sub personâ quadam habitu Turcarum induta, digito alium quendam tenentem hastam commonstrante.

Constantinopolin venit.

Historias Turcicas delineat.

Sed & libros edidit de sculpturâ; Geometriâ; & Prospectivâ: cumq; linguæ pariter Italicæ esset peritus, librum quoq; Sebastiani Serbii Architectonicum in linguam transtulit Belgicam; ut ea, quæ de his Pollio Vitruvius scripsit, jam facilè exhinc possint intelligi; adeoq; per Koekium hunc vera Architectura in lucem iterum prodierit. Erat autem hic à picturis Caroli V. aulicis, in cujus servitio Antverpiæ quoque mortuus est, ubi circa annum 1550. rem habuit familiarem.

Scripta ejus.

XLVIII. ALBERTUS ALDEGRAF, pictor & Chalcographus Soestensis

XLVIII. ALBERTUS ALDEGRAEF.

PRiorem meritò locum occupare debuisset in hoc meo opere, nisi prius ulterior è Westphalia, quæ patria ipsi fuit, mihi expectanda fuisset informatio, quæ tamen nullius fuit momenti. In Urbe igitur Soestensi, octavo à Monasterio lapide, in templo multa extant illius opera picta; & inter alia tabula altaris cujusdam, quod opus nocturnum est, nativitatem Christi mira arte exhibens. Sic & Norinbergæ in templo quodam duas idem pinxit valvas tabulæ cujusdam Dürerianæ: & sic alibi alia.

Opera ejus picta.

Sed & arte chalcographica nobilis erat, ut multas & Principum & aliorum cælo expresserit icones pulcherrimas, quibus annumeranda quoq; est effigies ejus propria ab ipso facta, unde ejusdem, ut reor, colligi poterit ætas. Præ cæteris autem notabilis est imago Johannis Lugdunensis, quem Anabaptistæ Monasterii Regem sibi præfecerunt; unà cum socio Knipperdollingo, quæ icones ambæ artificiosissimè ab ipso elaboratæ sunt.

Chalcographica.

Sic ejusdem quoque extat historia Susannæ in quarto; & historia Herculis, cum duodecim saltatoribus majoribus, quibus additi sunt anni 1538. & 1551. Hæc omnia ordine grato & vestitu elegante nitent, digna omninò, quæ serventur: ubi tamen notandum, eum circa vestes aliquantulum fuisse confusum. Interea magni tamen artificis haudquaquam privabitur gloria, cum inter primos meritò recensendus sit, præsertim, quod ad chalcographica attinet, in quibus sive puritatem, sive industriam spectes, magna sanè præpollebat peritia.

Similis ipsi præterea erat perfectio in diagraphicâ calamo instituendâ, ubi dispositione quasi incomparabili utebatur; cujus testimonium præbet sufficientissimum libellus quidam ipsius à Domino de Spiring, Legato apud Batavos Suecico, ob qualitates suas rariores magno emt' pretio, sexaginta circiter foliis constans, calamo de-

cussatis, idearum procul dubio loco ab Aldegrafio factis, quæ majorem præ se ferunt perfectionem, quàm ipsæ figuræ Chalcographicæ. Inter has autem continentur historiæ de pugnis Herculis, nec non virtutum & vitiorum imagines, cum similibus aliis, mirâ perfectione concinnatis tantâq; curâ elaboratis, ut eâ copiâ & industriâ à nemine unquam sint editæ. Dolẽdumq; saltem, lumen hoc fulgidissimum in regione hac verâ artis notitia parum illuminatâ exortum fuisse, ubi citra omnem usum atque agnitionem tenebris patriis offuscatum occasu tandem suo rursum abreptum est, in Urbe sc. patriâ, ubi viliore quoque elatus est sepultura, donec pictor quidam Monasteriensis illius familiaris, eundem visitaturus, adveniret, qui, in honorem ejus, lapide quodam, cum inscriptione nominis atq; characteris ejus ordinarii, tumulum ipsius contegi curavit. Iconem autem illius tabula nostra DD. benevolo Lectori communicat.

XLIX. JOACHIMUS PATENIERUS, Pictor Dinantensis,

XLIX. JOACHIM PATENIER in subdialibus excellit.

Felicissimus erat in subdialibus, quibus arbores & imagines elegantissimas inferebat, ut diligenter conquiri & citissimè vendi solerent opuscula ejus. Hanc tamen artis suæ gloriam vita haud comitabatur æquè laudabilis, cum potui usq; adeò indulgeret, ut per totum sæpè diem in tabernis hærens, lucellum suum turpiter dilapidaret, donec necessitate urgente ad penicillũ rediret. Discipulus ejus erat Franciscus Mostert, quem ille ebrietate & furore percitus ex ædibus sæpè fugabat, patientem tamen, & ob insigne discendi desiderium hæc omnia tolerantem. Medioburgi apud Melchiorem Wyntgisrei, monetariæ in Seelandiâ præfectum, prœlium reperitur hoc autore pictum, imaginibus plurimis refertum, tantâq; sedulitate & argutiâ cõfectum, ut simile eidem vix inveniatur monochroma ullum.

Discipulus ejus.

L. HEINRICUS DE BLES Bovinensis.

L. HENRIC DE BLES.

A Patria, qui pagus est propè Dinantum cognominatus. Joachimi Patenieri, ut videtur, imitator, nec non autodidascalus & ipse, ut Lampsonius testis est. Illius manu factum est opusculum illud, quod Amstelodami apud Dominum Melchiorem Moutheron extat, historiam Emaunticam repræsentans, cumulatis ibidem partibus minori formâ pluribus; ita ut Castellum ipsum, & peregrinantes anteriore loco exhibeantur majori figurâ; dehinc iidem mensæ accumbentes: quibus accedit & Urbs Hierosolymarum, & historia passionis ibidem gesta, & in specie Christi exhibitio à Pilato facta; nec non mons Calvariæ cum crucifixo. Sic & in aulâ Cæsareâ, & in Italiâ operum ejus major invenitur copia, æstimatorum plurimi; quod in subdialibus pro optimo haberetur. Notissimum enim, multos reperiri, qui minoribus potius campestribus quàm imaginibus majoribus delectentur.

Opera ejus.

LI. JOHANNES DE MABUSE, Pictor.

LI. JOHANN DE MABUSE.

IN oppido quodam Hannoniæ, cui nomen Mabuse, natus, Lucæq; Lugdunensis coætaneus & familiaris, vir alias sedulus atq; prudens, vitæq; primùm inculpatæ, & in omni opere suo ad miraculum patiens, cùm non ipsi per ventos, ut assa columba, advolaret ars ista, sed post multa demum juventutis suæ exercitia ad perfectionem pervenisset, prout duriora plerumq; & asperiora sunt virtutis initia.

Peregrinatus autem est per Italiam aliasque provincias, primusq; illorum fuit, qui aliunde in Flandriam veram detulit methodum ordinandi; historiasq; imaginibus nudis exornandi, variaq; poëmata conficiendi, id quod ante hujus tempora nostris in terris usitatum haud erat.

Novam methodũ in Flandriam defert.

Inter opera ejus multivaria præcipuum atq; laudatissimum erat tabula quædam summi Altaris Medioburgi, molis maximæ, valvis duplicibus munita, quibus aperiendis substructiones faciendæ erant, quam Albertus Dürerus visam, singulari honoravit encomio. Facta autem erat curante Maximiliano Burgundo Abbate, qui mortuus est anno 1524. inq; eâ historia Christi è cruce oblati proponebatur, in quâ pingendâ multum temporis impenderat noster arte maximâ: cum postmodùm fulmine perculsa unà cum templo exusta sit.

Opus ejus Mittelburgense.

Sic opus quoq; aliud singulare ab ipso factum conspicitur Delphis in ædibus Domini Magni, quæ & ipsa est ablatio è cruce, demisso hinc corpore Domini, ubi figuræ sesquispithamam circiter attingunt, ordine omnes nobilissimo, curâ maximâ, situque ingenioso locatæ, vestibusque decoris & gestu mœstissimo conspicuæ. Dehinc apud Wyntgisum Graphicophilum Lucretia quędam ipsius extat pulcherrima: & apud Martinum Papenbroek opus nobilissimum in alto locatum, Protoplastas exhibens, viventium fermè magnitudine, quod tantâ præcellit venustate, ut magna sæpè pro illo oblata sit pecuniæ summa. Porrò & Johannes Nicker Amstelodamensis decollationem Jacobi ab ipso factam possidet, monochromate griseo tanto lævore pi-

ctum

pictam & mollitie, ut nullus ferè appareat color, & tela undiq; conspici atq; palpari queat. Postmodum inter alia & imaginem D. Virginis pinxit, cum adhuc in servitiis Marchionis Verensis esset, in quâ iconem uxoris & filioli sui expressit; quod opus tam est politum, ut cœtera ipsius opera omnia, cum hoc collata, aspera videantur; prout & pallium D. matris cœruleum tanto expictum est decore, ut melius fieri haud potuisset. In Arce Withal Londinensi, ejusdemq; porticu, duæ erant icones ephebo-rum nobilium, multâ laude pictæ.

Cumque jam per aliquot annos in servitiis Marchionis istius fuisset, & intereà ille Carolum V. Imperatorem apparatu quodam magnificentiore excipere vellet, quem in finem omne famulitium suum aulicum telâ Damascenâ candidâ sericâ vestiri curabat; Mabusæus noster compotationibus jam deditus, pecuniam conquirens ad bibendum, id efficiebat, ut telæ sibi debitæ portio præ cœteris ipsi exhiberetur, spem faciens novi cujusdam vestitus generis. Vendito autem serico & consumtâ pecuniâ, circa introitus Cæsarei tempus chartam sumens candidissimam Stolam sibi confieri curabat talarem, quam floribus depingebat elegantissimis. Hac indutus unà cum Philosopho & Poëta, quos in aulâ suâ similiter sustentabat Marchio, eodem incedens ordine, ante fenestram illam, è quâ cum Marchione apparatum hunc spectabat Imperator, prætleribat : ubi interrogatus à Marchione Imperator, quænam è tribus his vestibus potissimum arrideat suæ Majestati; pictoris, respondit, quod & candore & florum majestate præcelleret. Donec à Cæsare tactu, curante sic Marchione, detegeretur argutia; ridente summoperè, istoq; joci genere insigniter delectato. Tandem autem ob proterviam multiplicem in carcerem conjectus est, in quo delineationes elegantissimas confecit plurimas. Quo tempore autem sive natus, sive mortuus sit, compertum habere non potui. Effigiem tamen illius in perpetuam ejus memoriam in tabula mea Dd. exhibere volui.

E papyro telam Damascenam format.

LII. JOHANNES SCHOREL, Pictor,

LII. JOHANN SCHOREL.

QUi optimam artis nostræ methodum ex Italiâ in Belgium delatam popularibus suis primus detexit, & à Francisco Floris, aliisque Fax & anteambulo Belgarum vocatur, quod primus esset eorum, qui in Italiam peregrinati essent.

Natus autem fuit anno Domini 1495. Kalendis Augusti in pago quodam propè Alcmariam in Batavia, cui nomen Schorel, unde & ipse cognominatus erat. Cumque eodem tempore Johannes Mabuse in servitiis Philippi Burgundi Episcopi Ultrajectini esset, vir hac in arte multæ celebritatis, eidem Ultrajecti, ut aliquid disceret, sese associabat hic noster : cum autem artifex ille inordinatam tandem ageret vitam, plus compotationibus ludisque vacans, quàm picturæ, ut Schorelius sæpè pro illo solvere cogeretur, quin & illius causâ in periculum vitæ incideret; hic postmodum eodem deredicto Coloniam Agrippinam abibat, & abhinc Spiram; ubi initâ familiaritate cum religioso quodam, qui sculpturæ & Catagraphorum erat peritissimus, hanc artem similiter addiscebat, picturas quasdam eidem elaborans. Abhinc Argentoratum proficiscebatur, & porrò Basileam, quibus in locis multum lucrabatur ob promtitudinem manus suæ, quod unâ hebdomade plura consummaret, quàm alii integro sæpè mense. Nullibi tamen diu moram trahebat, nisi Norinbergæ apud Albertum Dürerum, cui pro assequendâ majori hac in arte perfectione, aliquando cohabitabat diutius, donec publicato Lutheri dogmate Albertus eidem pariter applicitus, in suam sen tentiam, & Schorelium trahere conaretur: ex quo Stiriam iste petebat & Carinthiam, & hinc, confectis operibus quibusdam, Venetias, ubi cum Daniele de Bambergo pictore Antverpiano familiaritatem contrahebat.

Discipulus est Mabusii.

Ad Albertum Dürerum venit.

Convenientibus autem interea è variis nationibus Venetiis quibusdam, in terram Sanctam & Hierosolymas profecturis, inter quos religiosus quidam Batavus, vir prudentissimus & graphicophilus insignis, istius suasu & Schorelius annos tum 25. natus huic societati nomen dabat, ubi assumtis omnibus ad picturam necessariis in navi semper laborabat, confectis quorundam itineris sociorum effigiebus: quin & delineatis in libro quodam omnibus tractibus quotidiè occurrentibus, ut & Cretâ, Cypro & provinciis aliis, cum historiis quibusdam, urbibusque, castellis & promontoriis, prout ipsa prostabant, mirâ elegantiâ conspicuis. Hierosolymis autem cum Guardiano cœnobii Sionitici, qui magnæ ibidem apud Judæos & Turcas est autoritatis, innotuisset, facto cum hoc itinere, per omnes regiones circumjacentes etiam Transjordaniticas, totam illam provinciam, tractusq; loci juxta naturalia delineabat exemplaria, quæ pictura magno ipsi dehinc usui erat ad opus illud colore oleario pictum in Belgio de transitu Israëlitarum per flumen Jordanis, Josuâ duce.

Hierosolymas abit.

Et quamvis Guardianus hic libenter eum per annum integrum apud se detinuisset, consulente tamen religioso illo Batavo, picturam quandam Guardiano in navi conficiendam promittens, domum redibat; elaboratam hanc interea picturam Venetiis Hierosolymas remittens, quæ hodierno adhuc die eodem in loco conspici dicitur, ubi Christum natum ajunt: eratq; per illam exhibita historia Thomæ, digitos suos lateri Christi inferentis, quam peregrinantes plurimi ibidem se vidisse adhuc testantur. Sic topographiam quoque Urbis Hierosolymitanæ delineavit, quâ deinde sæpius in operibus suis usus est, v. g. in opere de Christo per declivitatem montis olivarum asello Urbem versus vecto; item in historiâ de Christo in monte illo Sermonem habente, inq; similibus. Dehinc & Sepulchri Dominici figuram, unà cum effigie propria, & iconibus plurium Equitum Hierosolymitanorum sive peregrinantium colore oleario operi cuidam majori inserebat, quod Harlemi in cœnobio Jacobitarum, sive aulâ Ducali, adhuc asservatur.

Opera ejus.

In reditu ex hoc itinere anno 1520. biennio antequam Rhodus â Turcis expugnaretur, eâdem in Urbe noster apud Summum Teutonici Ordinis Magistrum, qui in Melitensium insula jam resident, situm illius loci delineabat. Venetias autem reversus, itinere per Italiam adhuc alia faciens, inter Urbes cœteras & Romam adiit: ubi indefesso labore detentus antiquorum statuas, nec non ruinas & alia autoptes delineabat, factis etiam è picturis Raphaëlis & Michaëlis Angeli, aliorumq; apographis. Cumq; circa hoc tempus Adrianus VI. Ultrajectinus ad sedem Papalem elevaretur, Schorelius eidem innotescens toti structuræ Belvederianæ præficiebatur, ubi elaboratis operibus quibusdam, ipsius quoque Pontificis iconem pingebat, quæ Lovanii in Collegio, ab eodem Pontifice fundato, adhuc conspicitur. Mortuo autem postquam annum unum & septimanas quadraginta quinque sedisset Papa; artifex noster in Belgium redibat.

Ultrajectum ergò reversus, postquam præceptoris sui filiam Aurifici cuidam Amstelodamensi nupsisse cum dolore intelligeret, spe sua ob moram nimiam frustratus, Ultrajecti apud Lochorstium Decanum monasterii veteris, graphicophilum insignem commorabatur: pro quo varia tam aquario, quàm oleario subactu elaborabat opera, & inter alia historiam illam, cujus jam supra mentionem injecimus, de Christo Hierosolymas ingressuro, ubi multi Judæorum, cum pueris ramos descant, vestibusque viam sternunt, cum circumstantiis aliis. Deindè & in domo Beldensi pro Henrico Comite Nassoviensi, & Renato Catalaunensi quædam etiam pinxit. Postquam enim ex Italia primùm rediret, à Rege Galliarum Francisco I. vocatus, nec munerum pollicitatione, nec aulæ splendore movebatur, humillimâ excusatione servitia aulica penitus evitans.


In Galliam vocatur.

Sed & Gustavo Suecorum Regi cum Architectum quendam recommendasset, imaginem simùl D. Virginis per eundem Majestati suæ mittens, Rex hac ipsa mirum in modum delectatus, in gratitudinis suæ testimonium, unà cum literis manu propriâ subscriptis, annulum eidem mittebat pulcherrimum, nec non quadragenam pellium Martiarum, apparatumque omnem pro equo trahæ glaciali jungendo, quo ipsa Majestas Sua uti solita fuerat, & præterea caseum Suecicum ducentarum librarum: è quibus literæ quidem eidem reddebantur, sed Sigillo privatæ, muneribusque orbæ. Apud omnes igitur Magnates Belgarum Schorelius acceptissimus erat, cum Musicus simùl esset & Poëta, atq; Orator, nec non linguarum, Latinæ sc. Italiæ, Gallicæ, & Germanicæ superioris gnarus quiq; præterea arcum manu peritissimè tenderet, & humore hilaris, atque conversatione affabilis admodùm esset: quamvis tandem ob senii incommoda vitæ propriæ tædio ferè absumeretur.

à Rege Sueciæ amatur.

Antequam autem finem huic faciam narrationi, monendum adhuc, Harlemi etiam apud Dn. Gerhardum Wilhelmum Schoterbosch opus quoddã artificis nostri extare præstantissimum, de Christo in templo à Mariâ oblato, âq; Simeone suscepto; in quo Architectura insignis & ornamenta varia aurea colore expressa cum figuris elegantissimis. Iconem ejus biennio ante obitum ipsius faciebat Antonius Mor', Philippi Hispaniarum Regis pictor, quondam discipulus ejus; quâ factâ anno 1560. ipse deinceps ex hac vitâ migrabat anno 1562. 6. Decembr. anno ætatis 67. Sub effigie ejus autem, quâ tabula nostra DD. exhibemus, hi adscripti sunt versiculi.

Addidit hic arti decus; huic ars ipsa decorem,
Quo moriente mori est hæc quoque visa sibi.



Caput VII.

LAMBERTUS LOMBARDUS, LUCAS GASSEL, ET JOHANNES HOLBEIN.

Argumentum.

LIII. LAMBERTUS LOMBARDUS, pictor & Architectus Leodiensis. Discipuli ejus, & itinera. Figuræ reperiuntur chalcographicæ ab ipso inventæ. LIV. LUCAS GASSEL, Helmontiensis, subdialium pictor. LV. JOHANNES HOLBEIN junior, pictor Basileensis. Johannes Holbein pater ejus, pictor Augustanus. Istius opera Augustana: Holbeinii junioris opera Basileensia. In Angliam venit. Opera ejus ibidem elaborata. Magnâ fruitur Regis gratiâ. Opera ejus Anglicana, & alia. Currus divitiarum atq; paupertatis. Nonnullæ illius effigies. Varia post se relinquit diagraphica, quin & Passionem Dominicam minori forma; unà cum aliis. Picturæ illius adhuc aliæ. Ipsi eundem imitantur Itali. Mors ipsius.

LIII. LAMBERTUS LOMBARDUS, pictor & Architectus Leodiensis.

LIII. LAMBERTUS LOMBARDUS



De quo si mihi ad manus fuisset Libellus Lampsonii, quem de illo tempore, cum Secretarius fuit Episcopi Leodiensis, conscripsit, plurima enarrare possem, cum singularis inter hos intercesserit amicitia: jam verò ea saltem referam, quæ aliundè rescivi. Quod nempè patria ejus fuerit Leodium; quodq; tam picturâ, quàm sculpturâ & architecturâ, præsertim autem operibus opticis clarissimus extiterit: ut quemadmodum è Schola Chironis Heroes plurimi, sic & ex ipsius informatione artifices haud pauci prodierint, inter quos Franciscus Floris, Wilhelmus Keye, Hubertus Goltzius & alii. (Discipuli ejus.)

(Itinera.) Factis autem per Belgium, Germaniam & Galliam itineribus variis, omnia, quæ ad artem pertinere videbantur, sedulò conquisivit, eq; statuis Antiquorum tantam sibi conciliavit peritiam, ut è nudo aspectu de genuinâ cujusvis operis ætate judicare potuerit. Sic nec ex Italiâ, Urbeve Romanâ vacuus rediit, sed ibidem tanto progressus est artis profectu, ut Pater istius & nutritius meritò dici valeat; eò quod methodus incondita omnis atq; barbarica per ipsum cessaverit, & antiqua venustior introducta sit; pro quibus omnibus grates eidem debentur immortales. Cæterùm & Philosophiæ studiis imbutus, & Poëta erat multo acumine insignis: inq; picturis suis dispositione utebatur ingeniosissimâ, & ordine decoro, historiasque seligebat argutas, & affectus, cum circumstantiis reliquis, planè exprimebat naturales.

(Chalcographica.) Nonnulla ipsius opera typis æneis impressa conspiciuntur, inter quæ majori formâ Cœna Dominica, quo solo charactere inter Lumina Belgarum sive hujus, sive pristini temporis numerari meretur. Hæc autem chalcographica dum diligentiùs contemplor, quædam ex illis hac notâ insignita conspicio, L. Suavius Inventor. Unde cum aliis eâ sum opinione, primis temporibus eum usum fuisse nomine Lamberti Sutermanni, quod cognomen latinâ voce Suavii exprimere voluit. Ut in errore versatum putem Carolum de Mandern, qui, ob nomen istud, duos exhinc statuit artifices diversos, cum certum omninò sit, eas laudes, quas ille ambobus tribuit, Lombardo deberi unico: cujus effigiem in perpetuum ipsius honorem tabula nostra exhibuimus.

LIV. LUCAS GASSEL Helmontiensis, subdialium pictor,

Semper enim hac gloriâ claruit Belgium præ Italia, quod in pingendis campestribus, illius artifices his præemineant: quod ipsi quoque fatentur Itali, qui proindè popularibus suis alia tribuunt, quodq; in pingendis figuris majoribus, historiisq; pulcherrimis præ cæteris clarescant, pro potissimo laudis eorum momento referunt. Gasselius igitur noster, qui Bruxellis vixit, ibidemq; sepultus est, natus aliàs Helmontii, inter illos potius numerandus est, quibus minora arrident, quorum similiter haud exigua est copia. Quamvis autem in pingendis subdialibus excelleret, labori tamen haud usque adeò de- (LIV. LUCAS GASSEL.)

ditus erat: cumq; amicus Lampsonii esset singularis, hic in illius honorem pöemata quædam ingeniosissima composuit, quæ ob studium brevitatis hoc loco omittimus.

LV. JOHANNES HOLBEIN junior, Basileensis pictor,

LV. JOHANN HOLBEIN.

HAud levis inter antiquos extitit controversia, de origine humanæ indolis, quibusdam astrorum hic influxum feliciorem; quibusdam & aërem hujus vel illius regionis temperatiorem ad id concurrere opinantibus, ut aliqui tam feliciter quædam addiscant, ad quæ alii non nisi magnâ pervenire queunt industriâ. Cum autem quotidiana testis sit experientia, quibusdam in Urbibus vel provinciis nonnullos quidem reperiri artifices, sed & inertes alios quàm plurimos; aëris autem usus omninò sit universalis: & similiter sub uno eodemque cœlorum influxu homines tamen nascantur diversissimi: rectius, juxta Christianorum Philosophiam, habilitas humanæ indolis soli creaturarum conditori adscribitur, cujus gratia majorem huic, minorem alii perfectionis gradum tribuere solet.

Cujus exemplum celeberrimus ille Johannes Holbeinius præbet, qui quamvis crasso natus esset sub aëre Helvetico, quod Carolus Manderensis factum esse dicit Basileæ anno Christi circiter 1498. ingenio tamen præcelluit acutissimo & arte maxima. Distinctior tamen de ipso notitia è libro pictorum Basileensium tributi eruitur, ubi traditur: Johannem Holbeinium seniorem, qui & ipse pictor fuerit præstantissimus, supradicto tempore adhuc civem fuisse Augustanum, & postmodum Basileam demum translato domicilio, ibidem eadem in arte Johannem Holbeinium juniorem, filium suum, informasse, eundemque ceu discipulum suum protocollo prædictæ tribus inseri curasse. Hic autem Johannes Holbeinius junior iconem patris sui, ejusdemque fratris, qui & ipse pictorum haud postremus fuit, propriâ manu fecit (quarum autographa ego possideo, & in tabulâ nostrâ EE. benevolo lectori communico, cum signo Johannis Holbeinii junioris, annum 1512. exprimente) ubi inscriptio prioris ita se habet: Effigies Johannis Holbeinii Senioris, pictoris: Posterioris autem ita: Sigismundus Holbein, pictor, & senioris frater.

Pater ejus

Istius opera.

Opera autem Holbeinii Senioris Augustæ Vindelicorum quæpiam extant, quorum unum à Domino de Walberg graphicophilo præcipuo aliquot millibus florenorum cöemtum est. In monasterio S. Catharinæ ipsius manu in tabulâ prægrandi depicta extat Salutatio Angelica: inque opere quodam alio magnæ pariter molis, vita S. Apostoli Pauli figuris dimidiam viventiũ quantitatem æquantibus, curâ depicta est maximâ, cum hac inscriptione: Præsens opus complevit Johannes Holbein civis Augustanus. Sic & historiæ cuidam alii, in quâ campana visitur, hæc ipse adscripsit: Johannes Holbein 1499.


Holbeinius autem junior, ad quem nunc redeundum est, Basileæ opera varia confecit nobilissima, quorum aliqua in curiâ ibidem spectantur: inter quæ Passionis Dominicæ historia octo partium inventione admirandâ, subdialibus elegantissimis, acutissimo discrimine luminis diurni atq; nocturni, colore integerrimo & arte, quantum excogitari queat, summâ elaborata est, ut illius manu nihil unquam confectum sit perfectius. Unde cum anno 1644. Serenissimo Bavariæ Electori Maximiliano gloriosæ memoriæ, dum ejusdem pingerem effigiem, sedenti, fallendi temporis gratia, istius operis consummatissimam perfectionem enarrarem, Serenitas sua tanto illius videndi exarsit desiderio, ut misso illuc expresso nuncio, tanto illud emi pretio juberet, quantocunq; venale esset. Ubi tamen, qui deputatus fuerat, cum negotium minori tentasset prudentiâ, re infectâ redire coactus, magistratus autem illius Urbis de summo istius operis pretio eò certior factus est. Sed & in foro piscario ibidem illi' manu picta extat chorea rusticorum artificiosissima: nec non publicâ similiter editione evulgata chorea mortis, ubi figuris pluribus ostenditur, nemini parcere mortem, sive Pontificum, Imperatorum, Regumq; potentia; sive divitum aliorum opulentia; sive paupertas rusticorum, sive simplicitas embryonum; sive mœstitia parentum; sive militum audacia eidem opponatur, prout in opere ipso figuræ testantur Xylographicæ elegantissimæ. Deinde & pictura quædam ibidem conspicitur ab ipso confecta de corpore Domini è cruce ablato, pro quâ, quamvis tantâ non sit elaborata sollicitudine, quàm cœtera ejus opera præ se ferunt, mille tamen oblati sunt Ducati. Sic Basileæ quoque visuntur effigies uxoris & liberorum ejus ab ipso factæ, ut unâ in summâ viginti ibidem reperiantur opera picta, unà cum pluribus tamen diagraphicis in chartâ delineatis, quæ omnia magni ibidem æstimantur, & à magistratu illius Urbis multo coëmta sunt pretio, ut graphicophilis inter rariora Urbis ostendi queant.

Opera Filii.


Italiam, quantum mihi pernosse licuit, non vidit: Erasmi autem Roterodami occasione iter Anglicanum elegit. Hic enim cum Basileæ insignem Holbeinii præstantiam cognovisset, quippè qui iconem ejus tantâ pinxerat arte, ut melior à nemine fieri potuisset, de il-



IOHANNES HOLBEIN
SENIOR AUGUSTANUS.



SIGISMUNDUS HOLBEIN
AUGUSTANUS.



IOHANNES HOLBEIN
IUNIOR BASILEENSIS.

Sandrart delinea.



NICOLAUS MANUEL
BERNENSIS.

R. Collin sc. Ant.

de illius promotione meditatus, Thomæ Moro magno Regni Angliæ Cancellario, condiscipulo quondam suo, jamq; amicorum suorum intimo eundem, ut ad servitia Regia promoveretur, commendabat, cum præsertim Henricus VIII. tum temporis Angliæ Rex, singulari erga artem hanc propensione inclinaret: traditâ eidem simùl hac ipsâ icone suâ, unà cum literis de veritate expressionis plus satis testantibus; quam occasionem Holbeinius etiam, quod uxorem haberet rixosam & inquietam, avidissimè amplectebatur. In Angliam igitur ad Thomam Morum unà cum literis istis & icone supradictâ perveniens, gratissimus huic erat Regni Cancellario, qui effigie ista Erasmi insigniter delectabatur; unde Rege inscio per triennium circiter eundem in ædibus suis detentum laboribus privatis destinabat, ne fortè, si Rex interea, cognitâ ejusdem præstantiâ, eum ad se adscisceret, ipse suum haud assequeretur scopum. Confectis igitur tam Cancellarii, quàm uxoris, & omnium quasi agnatorum ejus iconibus, cum operibus pluribus aliis, Thomas Morus tandem, invitato ad convivium in ædes suas Regi, omnes artificis hujus picturas exhibebat, quibus similes confestim Rex unquam se vidisse negabat, quod personas optimè sibi cognitas plurimas quasi vivas coram sese contueretur. Quo cognito Morus omnia hæc dono Regi offerens, in illius gratiam eadem confecta afferebat. Quæ grato recipiens animo Rex, & simùl, annon haberi queat artifex ipse? percontatus; annuente Thomâ, productoq; Holbeinio, illicò gavisus autore horum, dona omnia Moro restituit; quod, obtento fonte, rivulis sese haud egere diceret.

In Angliam venit.

Opera Anglicana.

Assumtus igitur in servitia Regia Holbeinius, multas primò, jussu Regis, pingebat icones, quæ Londini adhuc spectari queunt: Quin imò tantâ superabundabat Regis gratiâ, ut sequenti in casu feliciter, è periculo evaderet. Accidit enim, ut Comes quidam Anglicus Holbeinium, sive artis illius videndæ, sive operis tum pingendi curiositate ductus visitare vellet, quod Holbeinius tamen, ad vivum tum exemplar secretò aliquid pingens, omni civilitate declinare studebat, bis vel ter eũdem rogans, modò hac vice ipsum haud interpellaret, se alio quovis tempore ad servitia ejus promtissimum fore, atque paratissimum. Cumque excusationibus hisce non attentis Comes haud tamen desisteret, sed violenter per scalam sursum properaret, tantum personæ suæ respectum à pictore expectans, quantum præ se ferret titulus ejus, hic è contrario re aliter pensitatâ, cum ad monita ulteriora ille continuò pergeret, prehensum tandem per gradus deturbabat, ut delapsus sermone suo Anglico misericordiam Dei imploraret. Occupatis intereà nobilibus & famulis Comitis, quos lapsus iste plan reddiderat attonitos, circa Dominum suum, Holbeinius pessulo januæ sua objecto, per summam tecti fenestram descendens, festinabundus ad Regem properabat, veniam facti cujusdam rogans, quod tamen non enarrabat, vel iteratis vicibus interroganti, donec tandem impetratâ veniâ rem omnẽ, prout gesta erat, exponeret. Ubi Rex quasi pœnitentiâ ductus concessæ tam inconsideratò veniæ, an in posterum simile quid tentaret, monitum, in cubiculo tamen vicino præstolari jubebat, donec, quid de Comite evenisset, narraretur. Qui brevi post lecticâ vectus obligatis vulneribus ad Regem perveniens pictorem accusabat, causam suam pro virili in sui favorem exaggerans, veritate in multis, quod facilè Rex observabat, celatâ: in fine orationis suæ id tandem desiderans, ut sua Regia Majestas Holbeinium pro merito puniret, quod nisi fieret, coactum iri sese, ut tantas injurias ipse ulciscatur. Quo petito, respectui Regio haud parum derogante, ad iram commotus Rex, quod judicem ille in propriâ causa, decisione Regiâ haud contentus, semetipsum constituere vellet, sic tandem inquit: Non jam cum Holbeinio rem ipsi fore, sed cum ipsamet Regia Majestate suâ, cui haud parvæ sit curæ Holbeinius: eò quod è septem rusticis septem creare Comites facillimum ipsi sit, cum è septem Comitibus ne unicum quidem Holbeinium efficere queat. Quibus territus Comes, veniamque rogans, nutui regio omnia submittebat, iteratò monitus, ne vel per se vel per alios ullam ab Holbeinio sumeret ultionem, quam erga se exercitam interpretatura aliàs esset Majestas sua.

Durantibus his servitiis suis, Heinrici VIII. Regis sui effigiem fecit viventis magnitudine, tantâ artis consummatissimæ sedulitate, ut citra stuporem eadem conspici nequeat, cum vivere videatur imago insensata, caputque quasi & omnia membra movere velle. In eodem palatio Withallensi adhuc aliud ipsius opus extat, quod revera Apellem ipsum sui temporis fuisse prædicat. Eâdem artis perfectione icones quoque pinxit liberorum regiorum, Eduardi sc. Mariæ & Elisabethæ, quæ pariter ibidem adhuc extant: ut alias magnatũ utriusq; sexus effigies plurimas, artificiosissimâ manu ejus elaboratas jam sicco prætercam pede. Sic Londini quoq; in œco Chirurgorũ opus quoddã illius extat præclarũ, de præfecto illi' tribus, confirmationẽ

à Rege privilegiorum suorum petente: ubi Rex ipse Henricus viventis magnitudine throno cuidam insidet magnificentissimo, tapetem pedibus terens: ante quem genibus innixus procumbit tribunus ille, privilegia sua Regi porrigens, quæ alius quidam ministrorum summâ cum reverentiâ recipere videtur. Et quamvis quidam ab Holbeinio hoc opus haud consummatum esse existiment, sed ultimam eidem ab alio impositam credant manum; certissimum tamen est, eundem, quisquis ille tandem fuerit, tam proximè ad Holbeinii ductus accessisse, ut haud facilè discerni queant utriusq; labores.

Sed & in aliis magnatum palatiis tot ab illo confectæ conspiciuntur icones præstantissimæ, ut mirum omninò sit, quâ ratione tanta ab illo proficisci potuerit copia; unà cùm iis, quæ pro aurifabris, pictoribus, Xylographicis & chalcographicis laboribus, nec non pro aliis sive delineavit, sive cera plasmavit. Cœterùm tam oleario quàm aquario in picturis utebatur subactu; nec minori facilitate in monochromaticis miniatis utebatur; quod exercitii genus nondum quidem callebat, cum ad Regem perveniret; in æmulationem tamen alterius cujusdam, cui Lucæ nomen erat, hac arte præcellentissimi, eandem & ipse excolebat; cumq; delineando, disponendo, judicandoq; illo longè esset melior, hunc Lucam statim tanto post se relinquebat intervallo, quanto à Luna Sol distat. Porro Londini adhuc duo ejusdem supersunt opera alia colore aquario confecta, triumphus nempè divitiarum, & status paupertatis. Opulentiam repræsentat Pluto sub formâ senis cujusdam calvi in curru quodam juxta methodum antiquorum deaurato sedentis, qui alteram manum in corbem quendam nummis plenum immittit, alterá autem numismata tam aurea quàm argentea dispergit. Haud procul ab isto absunt Fortuna & Fama, & juxta eum in curru thesauri & nummi extant varii; post currum autem quidam dispersam ab illo pecuniam corradunt. Ponè currum tandem ditissimi veteris ævi conspiciuntur principes, quales sunt Crœsus, Mydas, atque similes. Ipsumq; currum quadrigæ trahunt candidæ, cæcitate notabiles, quibus comites adsunt quatuor mulieres, quarum nomina vel capitibus vel pedibus illarum adscripta visuntur. Imagines autem omnes naturali sunt quantitate; facies porrò, manusq; & pedes colorem præ se ferunt carneum elegantem, vestes autem varietatem undiq; jucundam.

Emblema divitiarū,

Opus alterum, quod Paupertatem delineat, vetulam exhibet fame emaciatam plaustro insidentem vilissimo, substrato straminis fasciculo, sub tecto pertuso atq; lacero, miserando vultu, detritâ indutam veste: cujus currui asinus atque bos juncti sunt, præcedentibus viris quibusdam & fœminis vilissimo quoq; habitu vestitis; & rustico præsertim rastrum, nec non opifice malleum gestante cum similibus. Anteriorem currus partem Spes occupat, vultum attonita ad cœlos elevans, cum variis circumstantiis aliis, ut opus hoc, ut in se artificiosum, sic poëticum reverà sit & philosophicum, diagraphica accuratissimum, & ordine miro conspicuum. Ambo hæc opera ab illo elaborata sunt, cum Fridericus Zuccherus in Anglia esset, circa annum Domini 1574. qui ob insignem, quam ostentant, industriam, hoc de illis protulit elogium, quod æquè sint artificiosa, ac si ab ipso Raphaële Urbinate picta forent.

& Paupertatis.

Cumq; & Comitissæ cujusdam effigiem Holbeinius pinxisset viventis quantitate, panno Attalico tam candido quàm nigro vestitæ, in ædibus quondam Domini de Pembrock locatam, & Fridericus eandem similiter cum pictoribus quibusdam aliis contuitus esset, tantopere illâ delectatus est, ut ne unicam quidē vel Romæ se vidisse diceret picturam, sive arte, sive curâ huic similē; cum admiratione discedens maximâ. Erat autem quondam Londini graphicophilus quidam arti nostre addictus Andreas de Loo, qui quæcunq; ab Holbeinio elaborata venalia coëmerat, ut miram possideret elegantissimarum iconum ejus copiam: inter quas effigies Magistri cujusdam Nicolai Astronomi Regii, dimidiâ viventis mole cum variis instrumentis Astronomicis expressa artificiosissima. Germanus iste fuerat sive Belga, qui postquam vel triginta annis in Anglia commoratus esset, nec linguam tamen Anglicanam satis calleret, interrogatus à Rege, quî id factum esset? tantillo, respondit, temporis spatio linguam tantam se discere haud potuisse. Porrò idem de Loo Iconem quoq; habebat Domini Crauwel sesquipedalem, ab Holbeinio factam; nec non Effigiem Erasmi Roterodami, antea comemoratam: sic quoque opus majus aliud colore aquario pictum idem possidebat, in quo ordine elegantissimo viventium mole considere videbantur Thomas Morus, & uxor ejus cum filio & filiabus: quod verissimum erat artis ejus specimen, ut supra jam retulimus. Similiter Comes Arondelius omnivario laudis genere meritò extollendus, qui nulli sive auro sive argento pepercit, si Holbeiniana quædam venalia essent, integram ex meris picturis istius congessit pinacothecam, ut & diagraphicorum ejus libros integros; sive calamo eadem circumducta & monochromate nigro inumbrata; sive ad ritum chalcographicorum calami ductibus decussata, sive cretâ nigrâ in chartâ albâ majori formâ delineata essent: quæ cuncta tanto constant artificio, tantâ-

Effigies ejus.

Diagraphica ejus.

que

que effecta sunt sedulitate, ut nisi sæpiùs eadem ipse manibus meis trivissem, propriisque usurpassem oculis, vix credidissem, hominem unicum manu suâ tam nobilia, tamque copiosa, sive biblicarum, sive profanarum historiarũ nec non poëmatum inventa elaborare potuisse: unde supernaturali quasi usus videtur in omnibus tum promtitudine, tum felicitate. Idemque Comes de Arondel adhuc alium pluries mihi exhibuit libellum decimæ sextæ plicaturæ, nobilissima hac manu delineatum, in quo tota Passionis Dominicæ historia foliis viginti duobus exhibita erat, omni figurarum genere referta, quarum parvitas è forma libelli satis colligi potest: & omnia tamen quàm diligentissimè & accuratissimè consummata erant, cum speciali hac observatione, ut imago Salvatoris nostri semper sub figurâ monachi cujusdam nigro habitu induti repræsentaretur. Hujusq; libelli occasione Architect' Regius Inigo, Johañes Server Eques, mihi aliquãdo in Musæum Regium introducto, alium monstrabat librum, delineationibus istius Artificis plenum, ubi variæ pro pugionibus, capulis, ornamentis, imagunculis, gyris foliorum, armaturis vaginarum, baltheorum, cingulorum, item pro globulis Togæ Regiæ, pro spirâ pilei, pro clausuris calceorum tum temporis usitatis, itemque pro vasis sive aureis, sive argenteis tam majoribus quàm minoribus, pro manubriis cultrorum, fuscinulis, salinis, libellisque seu majoribus seu minoribus projectæ erant ideæ, cum aliis ornatus Regii partibus plurimis, quæ omnia enarrare prolixum nimis foret.

Præterea Amstelodami in Pinacothecâ celeberrimâ Domini Michaëlis le Blon coronæ Suecicæ Ministri inter alias hujus artificis picturas, delineationes, & figuras Chalcographicas, etiam pictura extabat Viri cujusdam eruditi, postquam mors adstans cum Clepsammidio, unà cum ædificio elegantissimo: nec non icones quædam, item Venus & Cupido admirandæ venustatis, cum aliis similibus. Ubi & Ego eidem Domino Le Blon ipsius Johannis Holbeinii effigiem, figurâ rotundâ mirâ arte confectam in gratam variorum beneficiorum memoriam eidem valedicens inque Germaniam jamjam abiturus dono dabam. Idem autem Le Blon jam antehac Johanni Löffert Logographo pro tribus florenorum millibus instantissimè roganti vendiderat imaginem D. Virginis in tabulâ pictam stantis, filiolumque ulnis gestantis, substrato eidem tapete, cui genibus flexis incumbunt quidam iconicè depicti, quorum omnium in Libro nostro Diagraphico Sandrartiano ideæ extant autographicæ, è quibus quanta sit istius operis dignitas, plus satis perspici potest. Juxta quæ Ego adhuc alia præstantissima hujus manus opera, & inter alia Passionis historiam in folio possideo, è quâ duæ quidem partes absunt, sed quas inter graphicophilos huc illuc delitescere necesse est, pro quibus tamen, si eas adipisci liceat, ducentos florenos offerrem, ut in honorem Holbeinii opus hoc consummatum fautoribus artis exhibere possem. *Passio Domini.*

Ut autem in unum cumulum quicquid est laudum ejus congeram, tanta fuit illius adhuc viventis celebritas, ut ne primarii quidem Italorũ ex Inventionibus ejus multa operibus suis inserere erubescerent, inter quos Michaël Angelus Caravagiensis in historiâ suâ Matthæi e telonio à Christo vocati: item in pictura lusoris pecuniamè mensâ reducentis; cum similibus aliis. *Itali eum imitantur.* Sic memini pariter, cum anno 1627. Paulus Rubenius Ultrajectum Hundhorstium visitaturus pervenisset, & à curiosis quibusdam pictoribus tam adiens quàm rediens Amstelodamum deduceretur, in itinere autem in scaphâ de libello Holbeinii choream mortis exhibente sermo incideret, quod Rubenius hic insigniter eundem laudaverit, me tum adhuc juvenem admonens, ut commendatum hunc libellum habeam, cujus ipse invenilibus suis annis, prout & Tobiæ Stimmeri libelli fecerit apographa: quorum etiam occasione per totam quasi viam, de Holbeinio, Alberto Dürero, Stimmero, aliisque Germanis veteribus pulcherrimè differebat. Et tandem cuivis opera ejus contuenti fatendum omninò erit, eum in omni labore suo inventione semper & dispositione usum rarissimâ, & picturarum suarum fundamenta longè aliter jecisse, quàm facere solent alii. Adde, quod argumenta operum ejus potissimum sint historiæ veteres & rariores, verbi gratiâ, de Annâ, Samuelis matre, & Elcanâ marito ejus; De morte Uriæ cum Davidi nunciaretur. De Abisaga ad Davidem veniente; de nuncio Hirami Salomoni literas exhibente, ubi Salomonem in throno sedentem vestitu regio indutum magnificentissimo, nudisque brachiis antiquorum more, repræsentavit: in quam picturam Nicolaus Barbonius Poëta clarissimus versus composuit plures elegantissimos latinos. Sic multa quoque Holbeinii diagraphica à Wenceslao Hollardo nostrate magnâ curâ æri incisa, nec non alia à pictore Regis Angliæ aulico, quem de Burgo vocant, erosione æris expressa & publicè edita sunt: præsertim de Regina Sabæa Salomonem visitante.

Postquam autem ornatu superfluo hic artifex mundum per artem suam condecorasset, via tandem corruptibilium omnium & ipsi terenda fuit, dum Londini año ætatis

Mors ejus. suæ 56. Christi 1554. peste mortuus est, æternitati quidem nomen, sed incertæ sepulturæ corpus suum derelinquens: ut Comes ille supra commemoratus de Arondel, Mareschallus Regni Anglicani, omnem quasi moverit lapidem, ut quo in templo terræ mandatus fuerit, experiretur, quod ibidē splendidiore eum honorare constituisset monumento. Cum autem pestis tempore decessisset, & juxta gentis hujus morem unà cum aliis in foveam quandam communem projectus esset, de loco quodam singulari nihil resciri potuit. Publicum tamen eidem benè merenti in graphicophilorum omnium memoriam erectum est epitaphium, quod omni marmore constantius nullo non tempore perennaturum ad canam usq; posteritatem immarcescibilem illius propagabit gloriam.

CAPUT VIII.

NICOLAUS MANUEL,

& adhuc viginti artifices alii.

Argumentum.

LVI. NICOLAUS MANUEL Bernensis: Opera ejus. LVII. JODOCUS MAURER, pictor Tigurinus Matheseos peritissimus est. LVIII. CHRISTOPHORUS MAURER Tigurinus: Opera ejus. LIX. JODOCUS AMMAN Tigurinus. LX. GEORGIUS KELLER Francofurtensis. LXI. TOBIAS STIMMER Schafhusanus: Opera ejus Xylographica: Figuræ ejus Biblicæ. LXII. JOHANNES CONRADUS GEIGER, artem colore oleario vitra pingendi invenit. LXIII. JOSEPHUS FLEPPUS, pictor Bernensis. LXIV. DIETERICUS MAIR Tigurinus, novum æris erodendi fundum invenit. LXV. RUDOLPHUS MAIR. LXVI. JOHANNES JACOB MAIR. LXVII. CONRADUS MAIR Tigurinus. LXVIII. JOHANNES CORNELIUS VERMEYEN Beverovicensis pictor: cum Carolo V. Imperatore per multas peregrinatur provincias, nomenq; etiam habet Johannis Barbati. LXIX. AUGUSTINUS JORIS, seu GEORGIDES, pictor Delphensis. Itinera ejus. Undis suffocatur in fonte quodam. LXX. JOAS CLIVENSIS, pictor Antverpianus. Præ nimia ambitione in amentiam incidit. LXXI. JOHANNES SCHWARTZ Groningensis, aliàs JOHANNES NIGER: Johannem Schorel imitatur. LXXII. JOHANNES MOSTERT pictor Harlemensis: undè hoc ipsi nomen. Opera ejus plurima ex parte comburuntur. LXXIII. ADRIANUS DE WERT, pictor Bruxellensis. Coloniam venit. Opera ejus. LXXIV. HEINRICUS CLIVENSIS, pictor Antverpiensis. LXXV. MARTINUS CLIVENSIS, pictor Antverpiensis. LXXVI. WILHELMUS CLIVENSIS: Filii ejus.

LVI. NICOLAUS MANUEL Bernensis.

LVI. NICOLAUS MANUEL.



PRædicto Artifici, ne inter asperrima illa Alpium juga solus hæreat, cum aliis à nobis meritò jungendus, quamvis è familiâ quadam Anglicanâ nobilissimâ oriundus esset, & propter varias ob religionem adversitates Bernam saltem commigrasset. Pictura insigniter excelluisse dicitur, magnamq; propterea famæ celebritatem assecutus. Inter alia autem innotuit chorea Lethi ab ipso colore oleario picta, in quâ viventium quātitate varii status exhibuit homines, suamque simùl inter illos effigiem, argutiâ elegantissimâ: ut dolendum sit saltem, opus tantum, ex omni parte suâ ab artis peritis summoperè laudatum, hujusq; Urbis celebritati haud parvum contribuens monumentum, tam negligenter fuisse conservatum, ut plura de illo mihi superaddere haud liceat, nisi quod adscripti fuerint rythmi quidam Germanici sequentes: (Opera ejus.)

Manuel aller Welt Figur,
Hastu gemahlt uf diese Mur:
Nu must sterben da, hilft kein Fund:
Bist nit sicher Minut noch Stund.

Quorum hic est sensus:

Cunctorum in muris pictis ex arte figuris:
Tu quoq; decedes; etsi hoc vix tempore credes.

Manuelis responsum:

Hilf einiger Heiland! drū ich dich bitt:
Dann hie ist gar kein Bleibens nit.
So mir der Tod mein Red wird stellē,
So bhüt euch Gott, mein liebe Gsellē.

Id est:

En tibi me credo, Deus, hac dum sorte recedo.
Mors rapiat me, te; reliquos sociosque, valete!

Præterea adhuc unum ab hoc artifice elaboratum reperi opus figuris Xylographicis editum, de quinque Virginibus prudentibus & quinque stolidis, ubi figuræ singulæ singulis impressæ sunt foliis in quarto, adjectis his Characteribus N. M. D. 1518. Plura me de illo conspexisse non recordor. Iconem autem illius tabula nostra EE. spectandam exhibet.

LVII. JODOCUS MAURER Tigurinus pictor,

LVII. JODOCUS MAURER

Mathematicus est.

SEnator patriæ suæ (cujus effigiem in tabula nostra FF. conspicere licet :) vir erat vario virtutum & studiorum genere politissimus, inque Geometriâ pariter atque Poësi exercitatus, & simùl arte pictoria clarissimus, quod laudatissima ejus opera, præsertim quæ in domo jaculatoriâ Tigurinâ extant, satis testantur : ubi Signiferos laudatissimi Fœderis Helvetici in fenestris hypocausti depinxit. Sic Urbis quoque Tigurinæ ichnographiam delineavit formâ maximâ, sex plagulis regalibus opere Xylographico editum, unà cum toto Tigurinorum territorio circumjacente. Deindè ex fundamentis quoque Astronomicis Horoscopia gnomonica conficiebat optima, cum ornamentis variis aliis, circa quæ semper occupatus erat. In Poësi autem Sacrâ tantoperè profecerat, ut Psalmos Davidicos versibus expresserit elegantissimis. Quas ob scientias in ordinem assumebatur senatorium, in præfectum deinde electus : cui officio tanquam vir bonus amansque patriæ præfuit usque ad annum 1580. ubi anno ætatis suæ quinquagesimo ex hac vita discessit.

LVIII. CHRISTOPHORUS MAURER Tigurinus,

LVIII. CHRISTOPHORUS MAURER.

FIlius istius Jodoci artem hanc à præmemorato patre suo didicit, quam per institutas postmodùm peregrinationes ad ulteriorem deduxit perfectionem : quo tempore potissimum apud celeberrimum illum Tobiam Stimmerum Argentoratensem commoratus est: unde methodus utriusq; diagraphica quàm simillima est, ut opera illorum haud rarò confusa sint. Tiguri, ubi in conjugio quidem, sed improles, vixit, icones multas pingebat optimas;

Opera ejus.

unà cum picturis ædium in albario recente institutis, quibus varias hinc inde exhibuit historias arte plurimâ. Sic Topographiam totius Helvetiæ delineavit ingeniosissimè, coloribus dehinc expictam: adjectâ historiâ de origine confœderationis : quæ omnia in armamentario Tigurino majore conspicere licet. Sed & vitri picturis excellebat: multasq; pro typographis aliisque delineationes elaborabat; nec minus ære eroso emblemata publicabat acutissima; poëseos quoque studio delectatus, quæ omnia unà cum pluribus aliis longè majori consummaturus fuisset perfectione, nisi in Senatum pariter majorem assumtus, præfecturâ Winterthürensi oneratus esset : ubi anno 1614. beatâ excessit morte.

LIX. JODOCUS AMAN Tigurinus,

ANte hunc Maurerum eadem ex Urbe clarus, optimo prognatus stemmate, sed picturâ potissimum vitrariâ & delineationibus calamo factis admodùm celebris, ita ut diagraphica plura quàm ullus alius typis ligneis circa annum potissimum 1588. ediderit. Integri enim ab ipso editi conspiciuntur libri, nimirum figurarum Biblicarum majorum & minorum : historiarum Romanarum Titi Livii : historiarum Taciti ; unà cum ingenti venationum copiâ, nec non piscationū & aucupii generib' plurimis. Adde, quod varios quoq; tum temporis usitatos religiosorum ordinum habitus ; Urbium plurimarum topographias; historias tam veteres quàm recentes ; opera tam opificum quàm rusticorum, nec non animalium varia genera calamo in ligno & papyro delineata publici iuris fecerit. E vivis autem excesit Norinbergæ.

LIX. JODOCUS AMAN.

LX. GEORGIUS KELLER Francofurtensis,

AManni prædicti discipulus, vir prudentissimus, meusque in arte Diagraphicâ circa annum 1615. præceptor : qui Francofurti de Amanno illo cum admiratione mihi narrare solebat, eum durante tyrocinii sui quadriennio Norinbergæ tot confecisse diagraphica, ut vix fœni plaustro vehi potuissent, quibus potissimum Sigismundus Feyrabend Biblio & Iconopola Francofurtanus celeberrimus in libris historiisque suis elegantissimis usus sit plurimum. Kellerus autem hic mortalitatem Francofurti ad Mœnum exuit.

LX. GEORGIUS KELLER.

LXI. TOBIAS STIMMERUS Schaffhusanus,

LXI. TOBIAS STIMMER.

VIr celebris & in arte pictoriâ peritissimus, quod variæ non tantùm in patria ejus, & circumjacente viciniâ, sed & Francofurti ad Mœnum testantur ædes, quarum exteriorem faciem manu propriâ ingeniosissimis tam sacris, sive veteris, sive novi Testamenti, quàm profanis exornavit historiis. Sed & tabulas Argentorati pinxit plurimas optimas, quò à Serenissimo Marchione Badensi vocatus fuerat, ubi potissimùm pictis inventione optimâ iconibus Marchionum priscorum, unà cum illorum familiâ pro cujusque temporis ratione cataphractatis, magnam promeritus est laudem, ut dolendum id saltem sit, quod præmaturâ ibidem adhuc cœlebs obierit morte. Sic typis quoque Xylographicis opera multa edidit clarissima, à graphicophilis omnium nationum celeberrimis maximi æstimata: inter quæ præcipua Figuræ Biblicæ majores; ut & in Flavii Josephi opere figuræ tam biblicæ, quàm aliæ; deindè & Novum quoq; testamentum unà cum Apocalypsi Johannitica, Argentorati anno 1588. impressa. Sic veteres etiam novosque tam Gothorum quàm Italorum & Germanorum heroës, ut & Principes clarissimos; itemque magno quodam libro Theologorum Germanorum celebratissimorum icones figuris Xylographicis edidit, impressione Argentorati anno 1587. curante Bernhardo Jobio Bibliopolâ famigerato, facta: Cum innumeris quasi opusculis aliis præclarissimis, de variis venationum, operumque œconomicorum generibus, nec non historiis, & inter alias quoque Pantagruelicis atque similibus.

Xylographica ejus.

Figuræ ejus biblicæ.

Porrò quod ad figuras attinet biblicas speciatim delineatas, & anno 1586. Basileæ à Thomâ Guarino editas, verissimè illas Academiam diceres tyronum, cum ne celeberrimi quidem pictores imagines atque historias integras pro studio suo singulari ex illis excerpere atque picturis suis inserere erubuerint. Sic famigeratissimus ille Petrus Paulus Rubens anno 1637. mihi in itinere ejus Batavico eidem inservienti in scaphâ tractili Amstelodamo Ultrajectum petente, cum super hoc libello sermo incidisset, fatebatur, se in juventute suâ plurimarum illius figurarum fecisse apographa; illumque libellum cimelion meritò Artis nostræ dici posse. Nec minorem merentur laudem Emblemata ejus, quæ Icones affabræ ab ipso vocantur, impressa Argentorati apud Bernhardum Jobium supra commemoratum anno 1591. Ut hac ratione Germania nostra Tobiæ Stimmeri ingenio, acumine, promtissimaque industriâ gloriari meritò queat. Inter omnia autem illius opera Marcus quidam Curtius, Schaffhusii ab ipso pictus, singulariter deprædicatur, qui terrorem injicere videtur omnibus prætereuntibus, quod equus ille ceu omni momento in ipsos desulturus appareat. Unde pro immarcescibili illius gloriâ iconem quoque illius tabulâ nostra FF. exhibere voluimus.

Tobiæ hujus frater natu major erat Abel Stimmerus, picturâ vitrariâ sive encausticâ clarus, cujus opera Schaffhusii adhuc conspiciuntur plurima.

Frater ejusdem natu minor Christophorus Stimmerus erat, Xylographus insignis, cujus manu figuræ biblicæ minores, nec non Josephus, item Libellus emblematum, & alia similia à graphicophilis adhuc asservata opera, ligno incisa sunt.

LXII. JOHANNES CONRADUS GEIGER,

QUi, dum hæc scriberem, adhuc vivebat, annum tunc agens septuagesimum quartum; pictor inter plurimos celeberrimus: qui id simul invenit, qua ratione colore oleario vitrum pingi queat: prout & pocula vitrea encaustica paravit elegantissima: item specula majora magno acumine picturis exornata, ut dono talia oblata fuerint Regi Galliæ, Magno Hetruriæ Duci, & Reipublicæ Venetæ, tamque curiosa rarissima. Idem topographiam delineabat totius Helvetiæ, quam deinde Conradus Mayerus tantâ perfectione æri incidit, ut in ea omnes montes, valles, atque Sylvæ, prout in se suâque naturâ extant, appareant. Sic, alias quoque territorio Tigurino adjacentes delineavit ditiones, ut piscinæ omnes atque ponticuli inibi exprimantur, cum omnibus illius status limitibus, prout opus ipsum in curiâ Tigurinâ adhuc extat. Iconem autem ipsius tabula nostra FF. repræsentat.

LXII. JOHANN CONRAD GEIGER.


Colore oleario vitra pingit

LXIII. JOSEPHUS FLEPP Pictor Bernensis,

LXIII. JOSEPH FLEPP.

IN patriâ suâ celeberrimus, quod icones humanas arte exprimeret maximâ; nec non Architecturæ, Geodæsiæ & Prospectivæ insigniter gnarus esset, Pingendis au-


IOOS MAURER TIGURINUS



TOBIAS STIMER SCHAFHU-SANUS.




DIETRICH MEYER TIGU-RINUS.




HEINRICH WÄGMAN TIGU-RINUS.



CONRAD GYGER TIGU-RINUS.



CONRAD MEYER TIGU-RINUS.



tem fructibus potissimùm inclarescebat, ut haud sine dolore plurimorum è vivis excederet, quod contingebat anno 1641.

LXIV. DIETERICUS MAYR Tigurinus,

LXIV. DIETERICH MAIR.

Optimâ progenitus familiâ, iconum picturâ, naturam quàm proximè imitante clarissimus, multâque industria & universali studio laudandus, quod non saltem vitra depingeret artificiosissimè, juxta morem ibidem usitatum; sed & fundum repererit pro ære erodendo ingeniosum admodum, quo in genere non propriam tantùm effigiem, sed Librum quoque Insignium Tigurinorum, aliosque libellos publici juris fecit: unde ansam Matthæus Merianus Senior arripuit, ut pro addiscendâ hac Chalcographiæ methodo Tigurum abiret, plenamque in hoc studio ab ipso peteret informationem: quo facto eidem Artifici non tantùm Partem quandam Chronici sui dedicavit Merianus, sed multis quoque aliis libris suis eundem donavit elegantissimis. Intuitu tot virtutum anno 1600. Mayrius iste in senatum adscifcebatur, Officio simùl Camerario & Cellario præfectus: donec & in minorem Senatum eligeretur, ad ulteriora promotus honorum genera, in quo anno 1658. anno ætatis 87. è vivis excessit, relictis post se quinque filiis, de quibus paucula jam subjicienda sunt.

LXV. RUDOLPHUS MAYR,

LXV. RUDOLPHUS MAIR.

Unus filiorum Dieterici præmemorati, diagraphica insignis, nec non exhibendis ære roso iconibus celebris, quarum exempla Francofurti Matthæus Merianus edidit egregia. Quibus jungi queunt 80. Emblemata Domini Danielis Crameri anno 1630. publicata. Idem quoq; pro libello illo de Chorea mortis, de qua mox plura dicemus, 26. elaboravit figuras; quo facto in flore adhuc ætatis, anno nimirum trigesimo tertio, qui post natum Salvatorem erat millesimus sexcentesimus trigesimus octavus, non sine dolore graphicophilorum ultimum suum obiit diem.

LXVI. JOHANNES JACOBUS MAYR,

LXVI. JOHANN JACOB MAYR.

Frater istius natu minimus artis Chyrurgicæ amore ducebatur, cujus laboribus elegantissimis usque adeò etiam proficiebat, ut anno ætatis suæ quinquagesimo ad majus Collegium Senatus Tigurini assumeretur, in quo, quantum mihi pernosse licuit, virtute plurimâ adhuc existit spectabilis.

LXVII. CONRADUS MAYR Tigurinus,

Et ipse Dieterici prædicti filius, natus anno 1618. & à teneris in studiis paternæ artis multa cum sedulitate exercitatus picturâ & Chalcographiâ rosoriâ Tiguri haud parum inclaruit, non iconibus tantùm optimis, sed aliis quoq; pingendi generibus laudandus. Extant enim & historiæ ab ipso adinventæ, resq; gestæ Biblicæ ære publicatæ egregiæ, præter icones magnâ in copiâ ære eroso expressas: quibus addi potest libellus ille, quem Choream mortis appellavit, ubi varia omnium statuum genera ingeniosissimè in scenam producuntur; opus omni inventionis parte, rosique æris sedulitate maximâ commendabile, qualia adhuc plura ab ipso haud immeritò desiderant plurimi. Effigiem ipsius, cum quinque præcedaneis ipsius manu factis, benevolus Lector in tabula nostra FF. spectare poterit. LXVII. CONRAD MAYR.

LXVIII. JOHANNES CORNELIUS VERMEYEN Beverovicensis,

Pictor sua ætate inter perfectissimos, à Carolo V. Imperatore magni æstimatus. Natus est anno 1500. Beverovici, quod est Oppidulum haud procul Harlemo distans, patre Cornelio. Itinera cum prædicto principe instituit varia, & inter alia in regionem Barbariæ Tunetanam, quod ab Imperatore ad delineanda gesta illius bellica, depingendosque triumphos adhiberetur, unde postea tapetes contexebantur admirandæ venustatis: quod multa juxta viva expressisset exemplaria; inter quæ obsidio Tunetana tractusq; illius regionis integer; quo in genere, quod Geodæta simùl esset insignis, plura ipse præstitit, quàm ullus alius. LXVIII. JOHANN CORNELIS VERMAYEN. Cum Carolo V. peregrinatur.

Opera ejus multa Atrebati extant in Cœnobio ad S. Gervasium multâ laude evecta, nec minori arte conspicua: qualia etiam Bruxellis & alibi reperiuntur haud pauca, quamvis & iconomachicis tumultibus perierint plurima. In templo S. Georgii, quod Bruxellis est, Epitaphium idem sibi confecit ipse, quod historiam Resurrectionis Dominicæ referebat, cum imagine Dei Patris in supernis conspicua: hoc opus filius ejus Johañes Vermayen Pragam detulit, ubi ipse aurifex erat egregius, multæq; apud Impe-

ratorem autoritatis. Ibidem opus quoq; illius extabat aliud nocturnum de nativitate Christi, longè clarissimum: nec non imago quædam Christi, manum alteram pectori applicantis. Effigies ejus, propriâ ipsius manu elaborata Medioburgi in Seelandia existebat apud filiam ejus Mariam, cujus posteriora tractum quendam subdialem exhibebant pulcherrimum unà cum Urbe Tunetana è naturali exemplari transsumta, quasi ipse coram illa assidens, certo quodam satellitio stipatus, eandem depingeret. Ibidem inter alia fœmina quædam conspicitur pulcherrima, quæ in brachio vulnus acceperat gladio cæsum: nec non ambarum uxorum ejus icones elegantissimæ, quarum alteri cum sex digitos habuisset in utraque manu, ob abscissos minimos, cicatrices appinxit suo loco argutissimè. Quin & filiam suam ibidem apposuit habitu Turcico venustissimo vestitam: nec non filiolum natu minorem capillo pulcherrimo decorum; item victoriam quandam navalem, imaginibus nudis variis ingeniosè refertam.

Multâ autem cum voluptate prædictus Imperator Principibus aliis ostendere solebat istius Artificis iconem ob insignem formæ ejus lepidæ singularitatem: cum enim staturâ esset pulchrâ atque procerâ, barbam tamen alebat non latissimam saltem, sed & tam longam, ut etiam erectus adstans pedibus illam calcare posset. Propter istam barbæ ejus prolixitatem, multi illum Johannem barbatum vocabant; & propterea effigies ejus publicis edita est typis. Mortuus autem est Bruxellis anno 1559. anno ætatis circiter 59 sepultus in templo Georgiano, ubi supradictum ejus Epitaphium locatum fuerat.

Johannes barbatus dicitur.

LXIX. AUGUSTINUS JORIS, pictor Delphensis,

LXIX. AUGUSTINUS GEORGIDES.

DElphis Batavicis natus anno 1525. & postquam ex ephebis excesserat, in disciplinam traditus à patre cuidam Jacobo Mondi, artem nostram per triennium didicit. Abhinc Mechliniam profectus, sociam & hic pictori cuidam exhibuerat manum. Unde porrò in Galliam profectus, Lutetiæ Petro Cluffæo sese adjunxit Chalcographo insigni, qui inter alia tria spectra Rossi & lacunar aliquod pertusum elaboravit ab infra conspiciendum; quiq; licet picturam ipse non excoleret, pictores tamen & aurifices semper alebat, adeoque & Augustinum hunc ad labores suos applicabat. Ubi cum hic noster per quinquennium commoratus esset, patriam repetiit, in qua, confectis quinq; minuti generis operibus, magnam sibi conciliabat nominis

Itinera ejus.

celebritatem. Imaginibus enim insigniter excellebat & ordine. Exactis autem domi vix quinque mensibus, in puteo quodam mortuus inveniebatur, casu nemini cognito, nisi quod suspicio esset, eum fallente ob lubricitatem pede illapsum, undisque adeò suffocatum esse: cum insigni omnium dolore, quod initia perfectionis in eo jam apparerent tam admiranda. Factum id est anno 1552. ætatis illius 27.

Undis suffocatur.

LXX. JOAS CLIVENSIS, Pictor Antverpiensis,

MAgno ardore hanc artem profecutus, ut brevi ad statum ascenderet consummatissimum. Fieri enim haud posset, nisi peculiaris quidam humanum animum impelleret motus, quo ceu calcari ad ardua hæc, plerisq; inimitabilia adigerentur, ut tot ac tanta infinitarum quasi difficultatum juga, primo statim obtutu quemcunque terrentia, superare possent artifices. Quamvis autem hic Joas methodo in figuris uteretur elegantissimâ, tanto tamen insimùl occœcabatur ambitionis glaucomate, ut opera ejus omnibus præferri vellet aliis, imò pretio vix exhauriri posse crederet: quâ ex causâ mentis quoq; dehinc privatus fuit sanitate, qui superbiæ haud rarò effectus esse solet luctuosissimus.

LXX. JOAS CLIVENSIS.

Contracto enim inter Philippum Hispaniæ Regem & Mariam Angliæ Reginam matrimonio, cum ad vendendas Regi picturas suas eodem & Joas se conferret, implorato in hunc finem Antonii Mori pictoris Regii auxilio; hic autem, ob opera alia plurima præstantissima, præsertim Titiana, ex Italiâ allata, quæ quod Regi magis placerent, emenda fuerant, Joæ auxiliatricem manũ, pro voto suo, porrigere non posset: iste præ impotentiâ animi iracundiâ effervescens ad jurgia convertebatur; Morum pictorem nauci esse, exclamans, qui nihil intelligat, cui melius foret, si Ultrajectum rediret, ad pudicitiam uxoris contra Canonicos defendendam. Cumq; Mori insimùl minas tamen metueret, ipse non tantùm sub mensa latebras quærebat, ut ulteriori commotione eundem non dignaretur Morus; sed paulo pòst in hoc amentiæ profundum demergebatur, ut proprias vestes suas Terebinthina, vernice, aliisq; oblinens, per plateas fatui instar incederet: corruptis etiam picturis antehac manu suâ magnâ cũ laude elaboratis, quascunq; arripere poterat, quasi easdem emendaturus, donec ab amicis tandem secretius custodiretur. Inter omnes tamen sui ævi artifices applicatione colorũ palmã promerebatur ipse, cũ imagines suas verè carnosas exhiberet, adjecta colore ipso carneo exaltatione, ut

Amens fit.

opera

opera ejus à graphicophilis maximi æſtimarentur. Quin & filium habebat, arte hac eidē haud imparem, ut, juxta Lampſonii aſſertum, utriusq; fama meritò ſemper ſit perennatura.

LXXI. JOHANNES SCHWARTZ Groningenſis.

LXXI. JOHANN SCHWARTZ.

QUi communiter Johannes Niger cognominabatur, Friſius patriâ, & Groningæ tum temporis degens, haud exiguo annorum tractu, cum Schorelius ex Italiâ redux eſſet, quod circa annum 1522. vel ſequentem contigerat. Hic in ſubdialibus & nudis corporibus Schorelii ſectator erat, Italiamq; & ipſe petebat: cumq; diu Venetiis commoratus eſſet, illius inſtar, novam & ipſe methodum in terras noſtras deferebat, ab impolitis modernis multum diſcrepantem, operibus Italorum ſimiliorem. Sed & Xylographica quædam edidit idem.

LXXII. JOHANNES MOSTARDUS pictor Harlemenſis,

LXXII. JOHANN MOSTERT.

QUemadmodum enim apud Græcos ob picturæ cultum Sicyon, & apud Italos poſtmodum Roma atq; Florentia fama præ cœteris inclareſcebant, ſic apud Batavos vetuſta illa Urbs Harlemenſis; quæ inter alios ex antiquâ & nobili illius loci familiâ & Johannem hunc in lucem edidit. Hic cum in tenerâ adhuc ętate, inſtinctu ipſius naturæ, amore hujus artis flagraret, præceptore utebatur Jacobo Harlemenſi, artifice optimo, qui altare bajulorum in templo Harlemenſi majore pinxerat. Moſtardi nomen quidam anteceſſorum ejus in expeditione illâ Saracenicâ obtinuerat, cum Fridericus Imperator exercitum in terram ſanctam duxiſſet; ubi ille ſub Floride Comite Hollandiæ in obſidione Peluſii, cui tunc Damiatæ nomen, inſigne fortitudinis ſuæ documentum ediderat, confractis ad capulum usq; tribus gladiis: quam ob cauſam ab acredine roboris cognomen, & ab Imperatore tres gladios aureos in campo rubeo pro inſignibus acceperat. *Unde hoc nomen?*


Hic autem Johannes Moſtardus non tantùm pictor erat artificioſiſſimus, ſed & morum ſimùl civilitate commendabilis, affabiliſq; alloquio; unde non magnæ tantum autoritatis erat apud pleroſq; de Nobilitate illius Regionis, ſed & à Margareta, Philippi Archiducis, qui pater erat Caroli V. ſorore, picturis aulicis præficiebatur, cui officio cum magnâ apud omnes exiſtimatione, in annum usque decimum octavum præerat, factis interea iconibus principum aliorumq; variis, in quibus tantâ pollebat arte, ut vivos adeſſe dixiſſes: unde dolendum magnoperè, quod in magno illo Harlemenſis Urbis incendio, unà cum domo ejus, pleraq; etiam illius opera igne abſumta ſint. Ob iſtam in arte pictoriâ peritiam Martinus Hemskirch hoc de ipſo edidit elogium, quod in operibus ſuis omnibus artificibus aliis, eidem notis fuerit ſuperior. Sic & Johannem Mabuſium auxilium ejus expetiiſſe narrant in Abbatiâ Medioburgenſi, quod tamen Moſtardus renuerit, quod tantæ Principis jam eſſet miniſter. Mortuus eſt anno 1555. vel ſequenti, grandævus ſatis. *Opera ejus comburuntur.*

LXXIII. ADRIANUS DE WERT pictor Bruxellenſis,

LXXIII. ADRIAN DE WERT.

AXioma illud artificum quorundam ſecutus, quod, qui in arte quadam excellere velit, unum ſibi proponere debeat magiſtrum: ſic enim Parmenſem imitari ſtuduit, ut illius methodo ſola delectari videretur. Primò autem præceptore uſus eſt in teneris adhuc annis ſuis Antverpiæ Chriſtiano de Quecborne, qui erat pater Danielis pictoris aulici Hagenſis, in ſubdialibus exercitatiſſimus. Abhinc Bruxellas redux ſolitarius admodum vivebat, multa in his ſtudiis adhibitâ diligentiâ atq; conatu; cumq; parentes ejus domum haberent in loco quodam ſolitario extructam, ipſe per totam æſtatem ſolus huic arti ibidem vacabat, relictis omnium juvenum conventiculis aliis.


In ſubdialibus igitur methodo quidem Moſtardi utebatur: ſed poſtquam itinere in Italiam inſtituto, Parmenſem, ut dictum ſupra, ſibi propoſuiſſet, abinde reverſus, modum pingendi priorem omninò immutaverat. Cumq; paulò poſt reditum ejus, anno nimirum 1566. exortis in Belgio turbis bellicis, cum matre ſua Coloniam Agrippinam abiiſſet, quædam ibidem edebat Chalcographica, inter quæ reſuſcitatio Lazari; Hiſtoria libri Ruth; opus nocturnum de nativitate Domini, item quatuor venationes ſpirituales, Avari cujusdam ſectati nummos; ambitioſi, honores; laſcivi, voluptates Veneris; & devoti, Deum: cum ſimilibus aliis: Quæ opera cuncta juxta methodum Franciſci Mazzoli Parmenſis optimam confecta erant. Videtur autem Coloniæ prævaturâ morte diem ſuum obiiſſe. *Coloniam venit.* *Opera ejus.*



LXXIV. HEINRICUS CLIVENSIS, pictor Antverpiensis,

LXXIV. HEINRIC DE CLEEE.

Martini frater, in subdialibus exercitatissimus, facto itinere in Italiam & in alias provincias, multarum rerum delineationes juxta naturalem illarum situm confecit, quibus deinceps in operibus suis hinc inde usus est. Quamvis non omnium illarum ruinarum, & antiquitatum, quæ inter diagraphica ejus reperiuntur, & partim typis æneis editæ sunt, ipse fuerit autor, sed aliquæ eidem communicatæ fuerint, à Melchiore Lorchensi, qui diu Constantinopoli commoratus fuerat. Hic igitur Henricus exactissimè viventium formas exprimebat, colorumque applicatione multis erat præstantior. Imo hic ipse pleraque Francisci Floris opera nondum absoluta consummavit, quæ cum illius picturis tam exactè concordant, ut unâ eademque manu omnia facta videantur. Antverpiæ in tribum pictorum receptus est anno 1533. & mortuus anno 1589.



LXXV. MARTINUS CLIVENSIS, Pictor Antverpiensis,

LXXV. MARTIN DE CLEEF.

Discipulus Francisci Floris, primùm megalographicis deditus, sed deinceps & minorum generum pictor, qui opera excellentissima plurima propriâ inventione elaboravit, quæ apud Graphicophilos adhuc spectantur. Sic & Ægidius de Kœnigsloo & alii subdialium pictores celeberrimi ejusdem auxilio in campestribus & historicis suis plurimum usi sunt; haud exiguum abhinc mutuati in operibus suis decorem.

Filii ejus fuerunt Ægidius, Martinus, Georgius, & Nicolaus, omnes pictores optimi: inter quos Martinus per Hispaniam in Indias profectus, minoribusq; picturis potissimum delectatus, sed quod lascivæ Veneri nimium tribueret, in flore adhuc annorum mortuus est. Nicolaus autem Antverpiæ larem habuit.

LXXVI. WILHELMUS CLIVENSIS.

LXXVI WILHELM DE CLEEF.

Tertius illorum frater, pictor & ipse majorum figurarum accuratissimus, qui insigni longævitatis usus est privilegio.

Caput IX.

ANTONIUS MORUS, & quatuor alii Artifices.

Argumentum.

LXXVII. ANTONIUS MORUS, pictor Ultrajectinus. Discipulus est Johannis Schorelii: Iconibus præcellit, multisq; propterea donis ditescit. In Hispaniam redit. Opera ejus. LXXVIII. PETRUS BREUGHELIUS; quo præceptore usus sit. Antverpiæ habitat: Opera ejus. LXXIX. ARTUS LUGDUNENSIS, pictor, discipulus est Cornelii Engelberti: discipulos & ipse habuit. Opera ejus. Gesta quædam illius lepida. LXXX. JOHANNES BOCKSBERGERUS, pictor, opera ejus. LXXXI. JOACHIMUS BUCKELARIUS, pictor Antverpiensis: fructuum & rerum culinariarum pictor.



Duo plerumq; sunt, quæ homini ad artium studia calcar addere solent, Gloria nimirum & lucri cupiditas. His ipsis tyrones, sicubi alios hoc vel illo professionis genere ad insignem sive opum sive honorum splendorem pervenisse videant, tantoperè alliciuntur, ut magno impetu simili decurrere stadio annitantur, quod etiam accidit



LXXVII. ANTONIO MORO pictori Ultrajectino,

LXXVII. ANTONIUS MORUS. Discipulus est Schorelii.

Qui conspectis Johannis Schorelii pictoris longè præstantissimi vestigiis, informationi ejusdem sese commisit, tantâque sedulitate rem ipsam aggressus est, ut successu usus prosperrimo veritatem viventium potissimum quamproximè assequeretur.

Madritii in Hispania cum esset, Regis primò Philippi iconem anno 1552. confecit;

cumq;

Iconibus præcellit.

cumque à Cardinali Granvellano in servitia promotus esset Cæsaris, ab hoc primò in Portugalliam mittebatur, ut effigiem Mariæ Principissæ Lusitanicæ, quæ sponsa erat Philippi Hispaniarum Regis, pingeret; unà cum icone Johannis III. Portugalliæ Regis, & Catharinæ Reginæ, quæ soror erat Caroli V. Imperatoris natu minor: pro quibus iconibus tribus sexcenti eidem numerati sunt Ducati, præter salarium ejus ordinarium, & munera alia splendidissima, inter quæ torques aureus mille florenorum pretii, quo Status regni Lusitanici eum donabant. Cumque & nobiles illius Regionis plurimos depingeret, singuli pro suâ effigie centum ipsi Ducatos unà cum torque aureo, juxta cujusvis facultates, eidem porrigebant. Postmodum cum in Angliam ab Imperatore mitteretur ad Mariam Reginam, alteram Philippi Regis uxorem, pro conficiendâ ipsius icone, propter hanc iterum torquem accipiebat aureum & centū libras Anglicanas sterlingicas; unà cum salario annuo centum librarum sterlingicarum. Cumque Regina illa facie esset pulcherrimâ, ejusdem iconis hic noster apographa faciebat haud pauca, quæ dono offerebat variis Magnatibus, interque alios & Cardinali Granvellano & Imperatori ipsi, qui ducentos ei propterea numerari jubebat florenos.

In Hispaniam redit.

Compositâ dehinc pace inter Hispaniæ & Galliæ Regem, hic Morus cum Rege iterum in Hispaniam abibat, ubi omnibus aulicis acceptissimus erat, Regisque & aliorum Magnatum plurimorum varias pingebat icones. Ubi tantâ interea utebatur Regis familiaritate, ut pulsanti aliquando manu suâ humerum ejus, idem replicaret baculo suo pictorio: quæ quidem actio alibi haud careret periculo, cum vix impunè jocis peti soleat Leo. Quin & hæc ipsa familiaritas haud adeò proficua ipsi fuisset, nisi quidam de Ministris Hispaniæ maximis patronus ejus singularis, contra judices Inquisitionis eundem protexisset, suspicatos eum de provinciis Belgicis multa persuadere Regi, ut parum abfuerit, quin ab iis in carcerem conjectus fuisset. Præmonitus igitur, varios obtendens prætextus, veniam à Rege abeundi petebat, reditum simul promittens indubitatum. Quo obtento, de reditu quidem à Rege, qui illum ob artem suam maximo prosequebatur favore, per literas sollicitabatur varias; cum autem humillimo semper respectu sese excusaret, quod & Concubinarum Albani Ducis effigies ipsi pingendæ essent; Rex interea liberos ejus variis beneficiis, quales erant Canonicatus & similia, egregiè providit: quamvis & Dux Albanus filiæ ejus residuæ reditum telonii cujusdam concederet satis annuatim congerentem, ut splendidissimè hinc vivere, & aliquot per annum vicibus multis equis stipatus Bruxellas petere posset. Unde, ut paucis multa comprehendam satis apparet, Morum ex arte suâ haud exiguum cepisse emolumentum. Unde dictum etiam, eundem, cum à Duce Albano Bruxellas vocaretur, omnes machinas suas combussisse, & è reculis suis plurimas aliis dono dedisse. Cœterum honesti erat, atque constantis animi, nec non in alios beneficus; qui & Italiam Romanamque Urbem in juventute suâ visitaverat: & quoad artem suam iconum picturis insigniter excellebat, ut non tantùm, ope diagraphices, physiognomiam hominis emendatissimè repræsentaret, sed & colorum, vultuumq; varietatem, unà cum certo quodam animi charactere, eleganter atque venustè exprimeret, naturamque ipsam in singulis suis partibus quasi vivam oculis exponeret, ut opera ejus ab omnibus graphicophilis maximâ cum industriâ conquirantur.

Opera ejus.

Præter icones enim viventium, opera quoque interdum pinxit alia, inter quæ Christus quidam resurgens, unà cum duobus angelis: item duo Apostoli Petrus & Paulus, colore elegantissimo exhibiti; cū visum coloris peritia tā argutè fallere posset, ut cum admiratione vivere omnia censerentur. Sic Regi quoque apographum pingebat Danaës cujusdam Titianæ, laudem hoc ipso commeritus plurimam: ut alia plura siccoq; prætereamus pede. Postremum operum ejus, in cujus elaboratione è vivis quoque excessit, circumcisio Christi erat, pro Æde D. Virginis Antverpiana; quod multis laudibus elatum fuit. Obiit autem Antverpiæ Anno ætatis suæ 56. anno unico ante turbas Gallicas ibi exortas; nomenque ejus viridante apud posteros nunquam non florebit memoriâ.

LXXVIII. PETRUS BREUGEL, Pictor Breughelensis,

LXXVIII. PETRUS BREUGHEL.

AB ipsâ quasi naturâ inter rusticos excitatus, ut ne deesset, qui ipsam quoque rusticorum naturam penicillo exprimeret, Natus enim erat in pago Breughel, haud procul ab urbe Bredana distante, unde nomen hoc suum omnibus post se reliquit descendentibus suis. Artem nostram à Petro Koekio didicit, cujus filiam quoque deinceps in matrimonium duxit, quam parvulam olim, in tyrociniis apud patrem ejus versatus, ulnis sæpissimè gestaverat. Ab hoc ad Hieronymum Koekium pervenit; & mox Galliam, nec non postmodum Italiam percurrit. Multa autem juxta Hieronymi istius methodum elaboravit, & pauca ab illo reperiuntur confecta, quæ seria dici, & absque risu conspici possent. In

Quo præceptore usus sit.

multis naturam ipsam oculis exposuit, ut quidam de illo dicerent, eundem per Alpes Tyrolenses transgressum, montes omnes atque petras in sese deglutivisse, in tela dehinc domi rursus evomitas, tanta erat ipsius in plurimis naturæ expresſio.

Antverpiæ habitat.

Rem suam familiarem Antverpiæ habebat, ibidemque in tribum pictorum recipiebatur Anno 1551. multa elaborans pro mercatore quodam Johanne Frankherto, qui erat vir bonus, & Breughelii conversatione delectabatur. Cum hoc iste sæpius ad rusticos egrediebatur, encœnia celebrantes vel nuptias, habitu indutus rustico, & dona, ad instar cœterorum, erogans, tanquam cognatus sive sponsi sive sponsæ. Quâ occasione Breughelius id potissimum intendebat, ut rusticorum mores, actusque edendi, bibendi, saltandi, & tripudiandi, aliaque ludicra accuratius observare posset, quæ omnia dehinc argutissimè tam aquario quàm oleario colore (quod in utroque genere excelleret) exprimere poterat. Artificio enim miro & curâ indefessâ inventiones suas penicillo adumbrabat. Antverpiæ degens negotia sua domestica cum ancilla quadam curabat, quam etiam uxorem duxisset, nisi mendaciis nimium fuisset assueta: unde Petri Koekii tandem derelictam filiam connubio sibi jungebat, ut supra jam dictum; ubi tamen Antverpiâ deserere & Bruxellas commigrare cogebatur, ut prioris puellæ memoria in ipso obliteraretur.

Cœterum taciturnus erat, nec verbosus, quamvis habilis admodùm, inque societatibus ludicra semper interferens, unde & ancillas famulosque suos tumultu & clamore quodam in terrorem quandoque conjicere solebat. Quædam illius operum in aulâ extant Cæsareâ; ut historia de extructione turris Babelicæ, in quâ notabilia plurima. Sic Amstelodami apud Hermannum Pilgrim Graphicophilum insignem nuptiæ rusticorum quorundam colore oleario pictæ elegantissimæ, ubi vultus rusticorum, & partes ipsorum denudatæ fulvo furvoque colore, quasi ex æstu solari tinctæ spectantur, ut differentia, quæ inter illos & urbanos existit, accuratè pateat. Porrò quoque opus quoddam pinxit, de pugnâ jejunii cum Bacchanalibus: item aliud de variis pro avertendâ morte adhibitis mediis: deinde & ludicra varia puerorum, & ferè innumera similia. Sic duæ quoque picturæ illius colore aquario factæ apud Wilhelmum Jacobi Graphicophilum propè templum novum Amstelodamense conspici possunt, nimirum Encœnia rusticorum & nuptiæ similes, in quibus jocosa plurima, verusque ruricolarum observari potest genius. Inter alia enim ritus quoque appictus est donorum sponsæ offerendorum, ubi rusticus quidam senior marsupium collo suo appensum gestat, manusq; nummos exhinc extracturus videtur, argutia admiranda.

Opera ejus.

Cœterum duos post se relinquebat filios, qui & ipsi pictores erant egregii, quorum alter Petrus discipulus fuit Ægidii Coningslohii, iconibus deindè potissimùm inclarescens, vitam ipsam insigniter referentibus: alter verò Johannes primò apud aviam suam, quæ erat vidua Petri Alostani, colore aquario; deinde apud Petrum Gockindium colore quoque oleario pingere didicit: mox Coloniam Agrippinam & hinc porrò in Italiam abiens, ex quo ob insignem in subdialibus peritiam magnâ postmodùm inclarescebat autoritate. Venusta enim simul erat facie, prout ex effigie ipsius, quam tabulâ nostrâ HH. exhibuimus satis apparet.

LXXIX. ARTUS Lugdunensis Pictor,

LXXXIX. ARTUS, Lugdunensis.

Minoris quidem ob vulgi opinionem cõsiderationis, sed arte tamen haud vulgaris. Natus autem erat Lugduni Batavorum anno 1498. & à patre suo anno ætatis decimo sexto ad artem corii concinandi applicabatur, unde coriarii nomen ad obitum usque suum gerere cogebatur: cum autem ad pictoriam magis inclinaret, anno 1516. in disciplinam Cornelio Engelbertiadæ tradebatur, ubi docilitatem præ se ferens maximam confestim proprio Marte quædam elaborabat, operam suam tam in oleario, quàm in aquario colorum genere aliis elorans. Poëtica autem vel moralia rarissimè seu potius nunquam; plerumque autem historias Novi vel Veteris Testamenti pingere solebat: ad quas deinde & discipulos suos mãuducebat, quos magnâ solertiâ, mirâq; humãitate informasse dicitur: quamvis diebus lunæ rarius ad labores sese accingeret, sed cum discipulis his suis in tabernâ quadam cauponariâ hilaritati indulgeret; licet ebrietati haud usque quaque peditus. Cœterum autem humilioris, suâ naturâ erat indolis, pauca sibi & plurima semper aliis tribuens. Methodus ejus diagraphica prior vestigiis præceptoris sui Cornelii Engelbertiadæ insistebat: conspectis autem Schorelii & Hemskerkii operibus, hos potius sectatus est, præsertim in Architectonicis, quibus insigniter inclaruit; cum præcipuè inventione semper ingenium, & ordine decorem, quamvis colore asperitatem quandam præ se ferret, ob quam tamen laudi ejus nihil detractum fuit.

Discipulus est Cornelii Engelberti.

Discipulos & ipse habuit.

Opera ejus.

Multa autem delineare solebat pro pictoribus vitrariis, aliisque; prout Lugduni Batavorum adhuc multa diagraphica ab illo facta reperiuntur: ubi plerumq; pro singulis chartæ foliis septem grossi eidem nu-

merabantur, licet multum operæ iisdem impẽderet, undè facilè colligere licet, quãtâ lautitiâ idem exhinc frui potuerit. Sed & adhuc hodie Lugduni in ædibus Johannis Geritii Buyteweg tria extant ab ipso elaborata opera optima, colore cœteris meritò præferenda, & quoad historiam magnâ curâ expicta: primò nempè imago crucifixi cum duobus latronibus, & D. Virgine, nec non fœminis & discipulis aliis mœstissimis, quibus adest & Maria Magdalena, crucem Domini brachiis amplexata. Secundò Christus crucem gestans, quem magna populi copia consequitur, unà cum Mariâ & mulieribus atq; discipulis aliis. Tertiò historia Abrahami Isaacum immolaturi, qui ligni fascem humeris suis gestat. Sic porrò in Ædibus Dieterici de Montfort conspicitur pictura extremi judicii ab illo facta, ubi in animalibus sacris icones Dieterici & Jacobi de Montfort exhibitæ sunt. Item Harlemi quoque Dn. Goltzius historiam Maris rubri colore oleario ab illo pictam possidet, quæ tamen turpissimè corrupta est, ut non nisi indicia quædam rariorum vestium, pileorum & aliorum ornamentorum adhuc residua sint.

Gesta quędam illius lepida.

Laborem suum cuiquam locaturus, cauponam cum illo petebat, ut de pretio convenirent: quibus sub noctem discedentibus, ipse tamen domum haud remeabat, sed vel aliam quærebat societatem, vel fistulâ per plateas canens divagabatur; cujus sonitu sic abripi solebat, ut bis vel ter in undas prolapsus sit, haud sine extremo vitę periculo. Aliquando è tabernâ domum abeunti & apud fossam coriariorum consistenti ebrius quidam ex improviso accurrens scalpro genam dilacerabat, quod in ebrietate suâ jurasset, id se facturum primo occurrenti. Ubi cum respiciens noster, quis istud audeat, interrogaret: alter ille, agnitâ voce veniam rogabat, qua mox etiam impetratâ ad Chirurgum eundẽ deducebat. Ex illo tempore hic noster per illam viam intempestivè haud amplius permeare cupiebat. Et nihilominus cum paulò post in societate civis cujusdam Lugdunensis Quirini Nicolai, ob pretium pro ultimâ suâ picturâ bibisset, profundâq; nocte domum iturus, sollicitante alvo ad murum fossæ coriariorum consedisset, pallio in murum reposito, fallente, dum pallium repeteret, pede in fossam, pro aqua haurienda tum apertam, incidebat, undis suffocatus anno 1564. ætatis ejus 66.

LXXX. JOHANNES BOCKSBERGER pictor,

LXXX. JOHANNES BOCKSBERGER.

A Patre ejusdem nominis pictore Salisburgensi tempestivè ad artem applicitus, ut eidem socius præstò esset, contra ordinarium axioma, eundem mox superabat, cum tanta esset ingenii ejus vivacitas, ut vix aliquid excogitasset, quod agillimâ manu suâ non etiam quàm celerrimè depingeret. Sed picturis tamen albarii recentis, prę sertim venationibus & prœliis tam equestribus, quàm pedestribus, potissimum incumbebat; undè plurimæ adhuc domus Augustæ Vindelicorum, Salisburgi, Monachii, Ratisbonæ, Ingolstadii & Passavii laudum ejus testimonia perhibent apertissima, elegantissimis picturis suis præstantiam istius artificis incessabili præconio deprædicantes. Præterea tamen apud Dn. Baronem de Mayr Graphicophilum insignem tam Monachii quam Ratisbonæ, picturas etiam quasdam istius Bocksbergeri vidi excellentissimas, tam oleario quàm aquario colore factas, magno in honore, & meritò quidem ab excellentissimo hoc Domino Possessore habitas. Vixit autem circa annum 1560. effigiemq; ipsius in perpetuam ejus memoriam in tabulâ istius operis GG. exhibuimus.

Opera ejus.

LXXXI. JOACHIMUS BUECKLAER pictor Antverpiensis,

LXXXI. JOACHIMUS BUCKELAER.

NAturæ simul & fortunæ commodis pro hac arte sufficienter instructus, cum non tantùm ad id natus videretur, ut naturam quàm accuratissimè imitaretur, sed matertera quoque ipsius Petro Aertsen pictori celeberrimo nupsisset, quem Petrum procerum appellare solebant, qui veram eidem ad ipsissimam artis consummationem viam dexterrimè commonstrabat. Ubi sub initio quidem difficultates circa verum colorum usum expertus est haud exiguas, cum præceptor ejus juxta naturæ exemplaria omnia eundem pingere juberet: deindè autem continuatis in exprimendo vario fructuum, florum, carnium, avium, piscium & similium genere exercitiis tantoperè proficiebat, ut inter primarios numeraretur, qui & mirâ promtitudine, & multâ celebris esset venustate. Quemadmodùm autem haud raro inter hæc mundana contingere solet, ut præsentia vilescant, præterita autem vel futura pluris æstimentur: sic istius quoq; artificis opera suo quidem tempore vili satis pretio coëmebantur, quæ post mortem illius multò majori, imò vel duodecuplo carius veneũt.

Fructuum & rerum culinariarum pictor est.

Cumque inter alia picturis potissimum culinarum elegantissimarum incumberet, sic aliquando pro Monetario Antverpiensi opus quoddam rarius picturus, exiguo quidem satis pretio illud pollicitus erat, sed quoniam nova semper ille requireret, quæ insererentur, ut variis piscibus, avibusque, nec non carnibus & fructibus tota quasi referta esset tabula, vix panem noster cum caseo hoc ipso labore lucrabatur. Deinde

Antverpiæ quoque in æde D. Virginis illius manu pictum erat festum Dominicæ Palmarum, mirâ elegantiâ, quæ tabula in turbis iconomachicis confracta est. Sed & adhuc duo illius opera extant Amstelodami, apud Dn. Simonem Luz, quorum alterū forum est piscarium; oporeticum alterum, variis simùl imaginibus instructa, & colore atq; argutia naturali maximè conspicua. Nec minus apud Melchiorem Wyntgis Monetæ Medioburgensis præfectum culina quædam illius extat elegantissima, ubi figuræ viventium quantitatem referunt: nec non ceremoniæ Dominicæ Palmarum alia monochromate nigro elaborata. Sic apud Jacobum Raenwart Amstelodami forum quoddam illius conspicitur minori forma elegantissimum, inque prospectu optico historia Christi à Pilato producti, magnâ venustate laudabilis. Mortuus autem est Antverpiæ temporibus Albani Ducis, cum labores quosdam pro Chiliarchâ aliquo Vitello conficeret: ubi sub ipsum mortis articulū indoluisse dicitur, quod tam vili semper operam suam elocasset; circa annum ætatis suæ quadragesimum.

Caput X.

FRANCISCUS FLORIS cum Artificibus adhuc tribus aliis.

Argumentum.

Pictorum Italorum & Belgarum differentia. LXXXII. FRANCISCUS FLORIS Pictor Antverpiensis. Judicium Italorum de ipso. Genus ejus. Discipulus est Lamberti Lombardi. In Italiam abit, domumq; revertitur. Matrimonio infelix est. Promtissimus est, sed magnum satis pretium pro laboribus suis requirit. Opera ejus. LXXXIII. CHRISTOPHORUS SCHWARTZ, pictor Ingolstadiensis: in laboribus albarii recentis excellit. Opera ejus in tectorio humido. Opera ejus olearia. LXXXIV. WILHELMUS CAJUS Pictor Bredanus. Opera ejus: terrore moritur. LXXXV. HUBERTUS GOLTZIUS pictor, Chalcographus & Historicus Venloënsis. Discipulus est Lombardi. Opus ejus de Iconibus Imperatorum Romanorum. Varios edit libros alios. In ordinem Equitum Romanorum recipitur. Pictura ejus. Epigramma quoddam in illum compositum.

Pictorum Italorum & Belgarum differentia.



Pictores Itali, præsertim qui de communiore sunt sorte, imaginibus suis nudis parum tribuunt plenitudinis, quod selecta faciliore methodo, ingenioso musculorum nexu cerebrum sibi disturbare haud affectent; quo ipso veræ tamen artis gratiæ mirum quantum detrahunt. E contrario autem Belgæ nostri dum studium nervorum atque venarum excoluisse videri volunt, macilenta nimium pingunt corpora sua. Quisquis autem magni illius Bonarotti opera contuetur, plenissima eadem musculis reperit, carneamque undiquaq; deprehendit molem, quod maximi opus est ingenii, & summi decoris, cujus excellentissimus iste artifex semper fuit studiosus. Atq; sic inter antiquorum etiam statuas genuina debitæ ætatis conspicitur discrepantia, ut alio corporis habitu appareat juvenili adhuc & macilento magis statu Antinous; alio virili magis robore conspicuus carnosiorq; Hercules; alio iterum senio jamjam confectus & tabidus quasi Laocoon. Unde illi quoque, qui in Laocoontis statua nihil habebat quod carperet, quàm quod macro nimis fictus esset corpore, id fuit responsum; pinguedinem accrescente senio diminui, maciemque senibus omninò esse naturalem. Istamque ob macritudinem à quibusdam etiam vituperari solitus est.

LXXXII. FRANCISCUS FLORIS, Pictor Antverpiensis,

Qui vera tamen Belgarum nostrorum fuit gloria. Sed isti tantùm fuerunt Itali magnâ ex parte, qui ex operibus ejus chalcographicis saltem id judicarunt, quæ tamen picturis ejus minimè sunt similia: cum è contrario Vassarius ipse fateri coactus fuerit, eundem omnium Belgarum fuisse præstantissimum, qui internos animi motus, quales sunt, tristitia, dolor, ira, atque similes alii, optimè expresserit omnium, ut Raphaëli quoq; Urbinati pictorum principi eundem comparaverit; quamvis typi illius ænei haud satis id arguant, cum chalcographus venustatem delineationum ejus parum admodum sit assecutus. Cumq; hoc suum de Floride nostro judiciū etiā Vassarius è figuris tantū chalcographicis desumserit,

LXXXII. FRANCISCUS FLORIS.


Judicium Italorum de ipso.

GG



JOHANNES POCKSBERGERUS


FRANZ FLORES ANTVERPIENS


WILHELM CAIO BREDANUS


CHRISTOPH. SCHWARTZ INGOLST


CAREL VERMANDER MEILEBECK.


MARTIN HEMSKIRCH HARLEMENS

quarum maxima tamen pars juxta discipulorum ejus saltem delineationes, vel juxta picturarum ejus apographa desumta fuit; quid quæso laudum in eundem congesturus fuisset idem, si ipsam penicilli ejus gratiam propriis conspicere licuisset oculis?

Genus ejus.

Ut autem & specialiora quædam de illo recenseam, de stemmate ejus notandum: Antverpiæ civem quendam fuisse honestissimum atque prudentissimum, cui nomen Johannes de Vriendt, cognomen, Floris, quem in causis hæreditatum adhibere solebant varii; qui relictis post se duobus filiis Cornelio & Claudio Floris, mortuus est An. 1400. Claudius iste statuarius erat laude dignissimus, qui multa Antverpiæ sculpsit opera clarissima, ex parte ibidem adhuc conspicua; mortuusq; est an. 1540. relicto post se Francisco Floride hoc nostro, tribusque filiis aliis Francisci hujus fratribus, qui in variis diagraphices generibus excellebant singuli. Cornelius enim Statuarius erat Architectusque insignis; Franciscus corona pictorum; Jacobus pingendorum encausticâ arte vitrorum celeberrimus artifex; Johannes autem pingendis urceis vitreatis tantoperè præcellens, ut nemo Belgarum testaceum hoc genus vasorum candicantium sive historiarum lepore, sive imaginum simplicium venustate expingeret elegantius: quorum Franciscus Floris sat magnam domi suæ habebat copiam, visu dignissimorum. Cornelii autem opera architectonica, quæ Antverpiæ erant plurima, inter alia sunt Palatium Regium, Curia, Domus emporetica, quam Osterlingorum dicunt, & alia similia, qui mortuus est Anno 1575.

Franciscus autem noster, quem natura ad id destinasse videbatur, ut alios in pingendi arte longè post sese relinqueret, in statuariâ primùm sese exercuit, sive statuas, sive monumenta in templis sculpendo: cum autem ad genuinam ejus & continuandam ipsi artem natura eundem, impelleret, annō ætatis vigesimo Leodium veniebat, Lamberto Lombardo ibidem famigeratissimo in disciplinam sese committens, cujus etiam methodum tam arctis consectabatur vestigiis, ut per totam vitam suam eidem inhæreret. Undè Lambertus cum discipulos suos Antverpiæ aliquando inviseret, & inter opera varia haud postremæ laudis, & Francisci hujus picturas longè artificiosissimas contueretur, hunc furem à teneris fuisse nobilem dicebat: quod cum bilem moveret condiscipulis reliquis, deinde sic interpretabatur, ut de Zeuxide dixerat Apollodorus, eum nempè mirâ dicendi solertiâ artem omnem sibi suffuratum esse: unde plausus inter omnes exoriebatur amœnissimus.

Discipulus est Lamberti Lombardi.

In Italiam abit.

Franciscus igitur amore artis exardescens in Italiam tendebat, Romæq; summâ cum industriâ apographa faciebat omnium quæ genio ejus maximè arridebant: potissimum tamen cretâ rubrâ delineationes suas peragebat, præ cœteris imaginum illarum nudarum extremi judicii & fornicis Michaëlis Angeli, aliorumq; antiquiorum apographa instituens. Reversus igitur in Belgium, ob insignes suos in arte profectus diu haud delitescebat, sed post exposita publicè opera sua egregiam nominis mox assequebatur celebritatem. Primis enim temporibus, ut quanto artificio excelleret eò magis pateret, diligentiam ubivis adhibebat insignem, quin & colloquiis magnum prodebat ingenii acumen, discursibus institutis de rebus sacris atque profanis, tam Philosophicis quàm Poëticis, aliisq; variis: unde & opibus mox affluebat haud exiguis, quod magna pro templis & palatiis principum sæpius conficeret opera. In quâ tamen rerum omnium abundantiâ à sociis quibusdam ad compotationes nimias usq; adeò seducebatur, ut in vulgare illud totiq; Belgio tum commune ebriositatis vitium planè provolutus tantus jam evaderet potator, quàm simùl erat pictor. Unde & modestè eundem ab hoc dehortabantur amici quidam, inter quos Dietericus Volkart Poëta, & Coornhertus; qui epistola quâdam & carmine singulari acutissimo eundem monebat, quasi somnio quodam detectum sibi esset, in hoc vivendi genus Franciscum illabi; item Albertum quidem Dürerum artificem illum famigeratissimum jam senem, magnis eundem ob artis elegantiam evexisse laudibus, sed ob asotiam hanc minùs tamen honestè de eo sentire. Ubi circa carminis finem id adjecerat, revera quidem haud ita se somniasse, sed famam de eo undiquaq; sic dispergi publicam. Quæ invitus omninò recenseo, id potius exoptans ut narratiunculâ hac supersedere mihi licuisset: quamvis immodicus iste bibendi excessus apud Germanos ferè haud amplius pro vitio habeatur, cum cœteræ nationes aliique prudentes non tantùm inter peccata id connumerent enormia, sed & ceu brutale quid rejiciant atque damnent.

Domum revertitur.

Matrimonio infelix est.

Interea familiaritatem cum ipso, tanquam artifice incomparabili, inibant singularem ex magnatibus plurimi, inter quos Princeps Auriacus, Comesque Egmontan⁹ & Hornensis, qui frequenter in ædibus ejus conveniebant compotandi & convivendi gratia: quod tam ægrè plerumque ferebat Uxor Francisci Clara, ut nullo habitu respectu & ipsos hos magnates quandoque maledictis incesseret, litigiique serram non cum famulis tantùm illorum traheret, sed & in illorum uxores con-

vicia sæpius evomeret, cum dolore mariti maximo. Quamvis & in aliis eadem causa fuerit malorum ejus plurimorum, quod nimirum in domo ejus parvula quidem sed tranquilla commorari noluerit, sæpius id reiterando, non posse se vitam suam in casa hac anachoretica transigere: ut Franciscus tandem emto fundo quodam palatium extruere cogeretur splendidius, in quo erigendo Cornelius frater ejus architectus erat, qui antiquorum more portas & parietes cum antis è lapide pullo adornans non paratas tantum fratris sui pecunias, sed & mutuò sumtas haud paucas consumebat; ut non media tantum sui sic disperderet, sed & labores negligeret plurimos, quod cum operariis suis quotidiè compotationibus indulgeret, eosdemque à laboribus nimium quantum abstraheret: nimis enim benigno erat animo, rerumque suarum exindè negligentior, undè compotatores habebat plurimos, qui ad prodigenda bona ejus, quicquid etiam non uxor tantum, sed & frater ejus Jacobus Floris crebrius quererentur & rixarentur, omnes nervos suos intendebant.

Promtissimus est. Cum Carolus V. Imperator Antverpiam ingrederetur, Francisco nostro picturæ majores conficiendæ erant, quarum indies septem consummabat, quamvis septem tantum horas per diem laborando insumeret; & tamen pro singulis libra Flandrica eidem numerabatur, quod sic per quinque septimanas integras continuabatur. Si autem pro aliquo discipulorum suorum unica die laborabat, hic octodecim vel viginti eidem florenos persolvebat: & quamvis in multas usque diei horas sterteret, nec ante nonam matutinam cubile relinqueret, multa tamen postmodùm optimè peragebat. Sic etiam cum deinde Philippus Rex Hispaniarum Antverpiam veniret, unica die tabulam quandam ingentem absolvit, in quâ victoriâ, cui captivi & vincti varii ad pedes advoluti essent, una cum trophæis antiquis plurimis aliis exhibuerat; quæ pictura dehinc ære roso ab ipso publicata est atque cælata, magnâ cum admiratione omnium. Domum suam extrinsecus colore fulvo & quasi orichalceo depinxit, effiguratis ibidem Pictoriâ & aliis liberalibus artibus. Inter opera ejus postrema, quibus & immortuus est, pro summo Priore Regni Hispaniæ elaboratis unum è rarioribus imago erat crucifixi, & aliud historia resurrectionis Dominicæ, singula viginti septem pedum altitudine, quæ ante mortem ejus adhuc absolvebantur: alia autem post obitum ejus ab aliis absoluta sunt, quædam nimirum à Francisco Pourbusio; quædam etiam à Crispiniano & aliis. Sic Medioburgi quoque opus quoddam illius reperitur longè clarissimum apud Dominū Melchiorem Wyntgis, quod novem continet Musas dormientes. Apophthegma ejus hoc fuisse dicitur: Dum laboro, vivo; dum ludo, morior; quod tyrones artis nostræ præ cœteris notare deberent. Tribui pictoriæ inserebatur Anno 1539. annus autem obitus ejus erat 1570. ætatis ejus quinquagesimus; & dies sepulturæ ejus, honestissimæ sanè, erat dies S. Francisci. Effigiem autem illius tabulâ nostra GG. conspiciendam præbet.

Opera ejus.

LXXXIII. CHRISTOPHORUS SCHWARTZ,

LXXXIII. CHRISTOPH SCHWARTZ.

INgolstadiensis, suo quoq; tempore gemma quædam Artis nostræ erat pretiosissima, & quidem à picturis aulicis Serenissimi Bavariæ Ducis. Quantus hic fuerit colorum artifex, magnifica ejus testantur, quæ Monachii & alibi in templis extant, opera. Inventionum ejus quasdam Johannes Sadeler chalcographus celeberrimus typis publicis edidit, inter quas historia aliqua Passionis Dominicæ, in quâ Christ. ad pedes aliorum plerumque, vel in terrâ prostratus exhibetur, è quibus ingenium ejus in ordinandis & disponendis imaginibus argutissimum satis patescit. Inter alia autem Monachii in albario recente faciem domus cujusdam majoris in veteri platea Castrensi integram picturis exornabat, exhibitis ibidem historiis plurimis Romanis de Camillo & similibus, quæ omnes ordine optimo, curâ singulari, & colore tam vivido depictæ sunt, ut colore oleario meliores haud fieri potuissent: prout omnia illius in tectorio humido confecta opera colorum ratione omnia superant reliqua; imò propriæ ejusdem colore oleario elaboratæ picturæ istorum respectu plerumq; aquario saltem subactu peractæ videntur; quod tamē contra omnem artis indolem & rarum est admodum, cum colores olearii vitæ aliàs imitationem promoveant, & albarium recens haud usque adeò admittat illam: unde cum ipse præstiterit contrarium, id meritò laudum assecutus est fastigium, ut vel celeberrimos ætatis suæ longè post se reliquerit intervallo.

In albario recente excellit.

Sic ejusdem manu ad Braxatoris etiam cujusdam in eâdem plateâ habitantis domum ejusque murum quendam ingentem depicta est historia resurrectionis Dominicę cum omnibus circumstantiis viventium quantitatem referentibus imaginibus, ubi ordo undiquaque decorque elucet maximus. Porrò in Platea, quæ mercatorum dicitur, in domo quadam, ubi mercatores, quos Clivenses vocant, habitant,

fastigium est pulcherrimum, ex omni parte picturis ab ipso refertum, ordine optimo, ubi fenestræ opere gypsato, adjectis figuris quibusdam aliisque ornamentis inclusæ sunt, historia autem raptum Sabinarum refert, quæ omnia tam quoad inventionem & diagraphicen, quàm quoad colores tectorii recentis, tam sunt magnifica, ut haud absque ratione graphicophili id in tabulâ depictum exoptarent, magno pretio æstimandum; cum certissimum sit, nec in Germania, nec in Italia in albario recente pulchrius quicquam aut nobilius ullibi pictum esse. Similiter in Collegio Societatis JESU, ejusque œco majore D. Virgo ipsius manu depicta est, filiolum gestans, imagine dimidiatâ, viventis mole, venustate admirandâ, magno in honore, & meritò quidem, habita; quod non tantùm robore pleno & colore optimo quàm vividissima sit, sed pudorem simul virgineū & pulchritudinem maximam præ se ferat, & reliqua omnia de summo artificis ingenio testimonia perhibeant luculentissima.

Opera ejus olearia.

Ejusdem pretii Altare quoque aliquod minus ab ipso pictum fuit, colore oleario, duabus valvis instructum, sedulitate incomparabili, ubi in tabulâ internâ Pater cœlestis in gloriâ residens, sinu suo Christi fovet corpus nudum demortuum, circa quem angeli cum instrumentis passionis Dominicæ plurimi tristi vultu & dolore maximo fungentes officio suo. In valvâ autem primâ intus in gloriâ spectantur Adamus, Abel, Noe, Moses & Henoch, cum omnibus Apostolis atque Evangelistis, nec non Doctoribus Ecclesiæ recentioribus, quales sunt Augustinus, Hieronymus, Gregorius & similes. In alterâ autem Eva, nec non uxor Noachi, cum cœteris Patriarcharum uxoribus, nec non Prophetissæ & Sibyllæ, cum Sanctarum aliarum numero haud exiguo, quales sunt S. Catharina, Barbara, Ursula, Helena, & è recentioribus Catharina Senensis, Teresia & similes; omnes tam diagraphicâ quàm chromaticâ consummatissimâ conspicuæ. Extrinsecus autem historia Annunciationis exhibita est monochromate pullo; quæ duo opera, imago nimirum supra commemorata D. Virginis, quæ Monachii apud Patres Soc. JESU, & altare hoc, quod in Pinacophylacio nostro Sandrartiano, tanquam cimelium aliquod rarissimum asservatur, unà cum diagraphicis ejus plurimis, inter olearia illius nobilissima recensentur. Et hæc de viro hoc longè præstantissimo nunc sufficiant.

Quod autem ad rem ipsius œconomicam attinet, negligentius nimirum ab ipso curatam, plura quidem de illâ enarrari possent, cum optimus iste artifex illius administratione nullatenus par fuerit, ut sœpius, imò semper etiam, maximæ subjectus fuerit rei familiaris difficultat haec lubens tamen omitto, cum artem ipsius, meritamque propterea laudem neutiquam diminuant, cujus in sempiternam ejus memoriam undiquaque adhuc testimonia extant clarissima. Monachii autem ab Heinrico Goltzio, qui Anno 1591. illàc iter fecerat, coloribus siccis effigies ejus depicta est, quam tabulâ nostrâ Gg. spectandam exhibemus. Ipse autem inter vivos esse desiit anno 1594.

LXXXIV. WILHELMUS CAJUS Pictor Bredanus,

LXXXIV. WILHELM KAY.

Inter laudatissima illa ingenia numerandus, quibus præter artis excellentiam, studium etiam cœterarum virtutum, & præcipuè comitatis, affabilitatis, urbanitatis, homileticarumque similium tribuendum est, undè tanta illius plerumque subnascitur autoritas, ut inter miracula sui ævi recenseri soleant. Hic enim Antverpiæ institutâ re familiari, vestitu utebatur splendido, domumque incolebat magnificam, ut in omnibus actibus suis hominem senatorii potius, quàm pictorii ordinis referret. Natus autem fuerat Bredæ, cumque Francisco Floris discipulus extiterat Lamberti Lombardi Leodiensis: in tribum autem pictorum Antverpiensium recipiebatur Anno 1540. sedulus ob lucristudium atque industrius admodùm in laboribus, ut haud parvâ etiam augeretur opum affluentiâ.

Opera ejus.

Iconum autem è vivo exemplari artifex erat insignis, inque omnibus operibus suis naturam quàm proximè imitabatur, nec minus singulari ubivis venustate atque gratiâ laudandus erat: & quamvis tanto non esset ingenii acumine ac Franciscus Floris, in disponendis tamen historiis non minori utebatur felicitate, unde pretia quoque pro laboribus suis semper recipiebat satis ampla, quamvis eosdem haberet cumulatissimos. Illius manu Antverpiæ in curia elaboratum erat opus quoddam præclarum, curante Christophoro Pruym thesaurario confectum, in quo Senatorum omnium icones viventium quantitate, in summitate autem Christus cum Angelis Sanctisque variis; quod Anno 1576. cum milites Hispani flammas admovissent curiæ, incendio absumtum est. In templo D. Virginis ab ipso pictum similiter erat altare mercatorū tabernariorum, inq; eo historia de Christo, omnes ad se vocante oneratos: ubi multi appicti erant è mercatorio ordine, factâ deductione è verbis Prophetæ Jesaiæ: quid

emitis

emitis, exhibitis nummis? cum lac atque vinum gratis veneant. Quod opus in tumultu iconomachico pariter cõfractũ fuit. Sic eodem in templo laudatissima quędam illius extabat pictura alia de Christo trumphante.

Idem iconem pingebat Cardinalis Granvellani habitu Cardinalitio, pro quâ iste quadraginta eidem porrigebat imperiales non postulanti. Factis autem operibus plurimis, tandem & effigies Ducis Albani ipsi pingẽda erat: ubi cum linguas exoticas non intelligere simularet, interea autem è colloquio Ducis istius cum Assessore quodam judicii criminalis, certitudinem supplicii Comitis Egmontani & Hornensis, aliorumque magnatum perciperet; res ista, ipsius, qui Nobilium parti favebat, sic percellebat animum, ut domum regressus in morbum incideret, eademque cum Comite Egmontano & Hornensi die debitum naturæ exsolveret, anno nimirum 1568. 5. Junii, profesto Pentecostali (quamvis alii mortem ejus per dies aliquot anticipare velint.) Quidam eundem vultu Albani Ducis iracundo sic territum fuisse scribunt, ut contracto hinc morbo, diem suum obierit. De illo hi divulgantur Versiculi: (Terrore moritur.)

Quas hominum facies, ut eos te cernere credas,
Expressit Caji pingere docta manus.
Si tamen excipias unum, me judice, Morum,
Culpari Belgæ nullius arte timent.

Iconem ejus tabulâ nostrâ G g. exhibuimus.

LXXXV. HUBERTUS GOLTZIUS Pictor, Chalcographus & Historiographus Venloënsis.

(LXXXV. HUBERTUS GOLTZIUS.) (Lombardi discipulus.)

Cognitâ singulari Lamberti Lombardi in arte pictoriâ famâ, in disciplinam eidem cum aliis sese tradidit, natus aliàs Venloæ, sed educatus Herbipoli, quæ parentum ejus fuerat patria. Cum igitur apud Lombardum varia diagraphica pulcherrima secundum Antiquorum statuas tam Romanas, quàm quæ in Germaniâ à veteribus Gallis relictæ fuerant, conspexisset, amore Antiquitatum exardescens, historiam Romanam perquirere cœpit, peritiâ rei historicæ aliarumque scientiarum egregiè adjutus; ubi adminiculante Domino de Wasserfluß opera rarissima & clarissima in lucem protulit.

Magno enim Volumine typis publicis omnia Numismata vultusque Imperatorum Romanorum edidit, labore duodecim annorum maximo, & impensis plurimis: Xylographica enim erant omnia à Joã Gietleughen pictore Cortracensi, viro præstantissimo, nominis sui omine haud culpando, confecta. Effigies istæ pulchræ sunt admodùm & ingeniosæ, magnæque satis, à Julio Cæsare incipientes, & usque ad Carolum V. & Ferdinandum Imperatorem deductæ: ita ut vix ullum inveniatur numisma Imperatorium, cujus ipse non exhibuerit apographon rotundâ exhibitum figurâ. Magno autem hic usus est ingenio & industriâ maximâ, præsertim in accuratâ vultuum cum numismatibus similitudine: Liberque ille variis ab ipso editus est linguis, Brugis tùm in Flandriâ habitante, ubi officinam habebat typographicam propriam, typis elegantissimis commodissimè instructam, quamvis non publicam.

Deindè alios quoque edidit libros magni apud Eruditos nominis atque existimationis, inter quos primò anno 1563. publicatus latino idiomate Cajus Julius Cæsar, seu Historia Imperatorum Romanorum ex antiquis numismatibus eruta, cui adjecta in specie est vita Julii Cæsaris, Ferdinando Imperatori dedicata. Sic Anno 1566. idiomate latino edidit Fastos, sive historiam triumphorum & victoriarum Romanarum ab urbe conditâ, usque ad mortem Augusti numismatibus propriâ manu delineatis refertam, unà cum descriptione elegantissimâ, Senatui Romano dedicatâ; pro quâ dedicatione Anno 1567. in Capitolio Romano diplomate Nobilitatis donatus, in Nobilem Urbis Romanæ Civem recipiebatur, quod ob tantam plurimarum rerum scientiam dignissimus judicaretur, qui Privilegiis equestris Romani ordinis uteretur. Anno 1574. alium publicabat Librum, cui nomen Cæsar Augustus, numismatibus & antiquitatibus variis illustratum, unà cum historiâ Augustâ latinâ in tomos duos divisâ. Sic Anno 1576. Siciliam quoque suam & Magnam Græciam edidit, numismatibus antiquis Græcis variè instructam; ut plures taceã libros alios, quæ omnia opera sunt typo elegantissimo excusa & ingenii ejus consummatissimi testimonia clarissima. (Opus ejus de iconibus Imperatorum.) (Libri ejus alii.) (Inter Equites Romanos recipitur.)

De operibus autem ipsius pictoriis non multa habeo, quæ recenseam, nisi quòd sciam, eum Antverpiæ quædam pinxisse, pro Osterlingis, cum festum illud Aurei velleris celebraretur. Cœterum in omni opere suo sedulus admodùm erat atque indefessus: uxoremque primò duxerat Uxoris Petri Koekii Alostani ultimæ sororem, cùm qua aliquot etiam liberos procreavit, quibus, ceu Romanus, Romana etiam indebat nomina, Marcelli scilicet, Julii, & similia. Hanc ut Romam perduceret, matrimonio scilicet sibi jam copulatam, instituto isto itinere, hoc pellexit astu, (Picturæ ejus.)

quod

quod Coloniam ſaltem Agrippinam ſe petere affirmaret. Brugis cum habitaret, concionibus monachi cujusdam diſcalceati, quem Fratrem Cornelium vocabant, ita delectabatur, ut illas calamo exceptas prælo ſubjeciſſe diceretur; unde coloribus etiam oleariis iconem illius veriſſimè expreſſit.

Tandem autem ad ſecunda vota converſus, uxorem ſibi jungebat, haud de laudatiſſimis, quod in opprobrium non ipſius tãtùm, ſed & liberorũ, & totius cognationis ejus cedebat; quamvis & aliis quibusdam Viris prudentibus aliàs & eruditiſſimis ſimile quid acciderit, quibus uxorum ſuarum vehementia alicubi adhuc toleranda eſt. Idem cum Antonio Moro elegantisſimum aliquando librum de numiſmatibus pulcherrimè compactum dono obtuliſſet, ab eodem pari, & ex eadem arte profluente donabatur munere, cum nempè ſedentem unicâ horâ vividiſſimè depingeret, prout effigies illa adhuc Brugis apud agnatos viduæ ejus reperitur; & hujus deinde iconis arte chalcographicâ fiebat apographum, cuidam librorum ejus præmiſſum, cum adjecto Epigrammate ſubſequenti:

In Effigiem HUBERTI GOLZII ab Antonio Moro expreſſam, Danielis Rogerii Angli Epigramma. Epigramma.

Goltzion arte parem pingendi cernis Apelli;
Sculpendique parem, culte Lyſippe, tibi:
Notitia Imperii Graji, pariterque Latini,
Varroni ſimilem, Pauſaniæque ſimul.

Hancque effigiem tabula noſtra 4. exhibuimus.



Caput XI.

ANTONIUS MONTFORTENSIS,
& artifices adhuc ſeptem alii.

Argumentum.

LXXXVI. ANTONIUS MONTFORTENSIS, de Blockland cognominatus, pictor: Diſcipulus eſt Franciſci Floris; majorumq́, operum ſtudioſus eſt. Methodus ejus pingendi: Opera ejus. In Italiam abit. Opera ejus alia. Diſcipuli ejus. LXXXVII. LUCAS de HEERE, pictor & Poëta Gandavenſis, Diſcipulus eſt Franciſci Floris. In Galliam peregrinatur. Opera ejus: Antiquitatis ſtudio delectatur. LXXXVIII. JACOBUS GRIMMERUS, pictor ſubdialium Antverpienſis. LXXXIX. CORNELIUS MOLINAER, vulgè ſtrabo cognominatus, Antverpienſis: in ſubdialibus excellit. Johannes Nagel Harlemenſis pictor. XC. PETRUS BALTON, pictor Antverpienſis. XCI. JOAS LIRANUS, pictor Antverpienſis. XCII. PETRUS & FRANCISCUS POURBUS, pictores Brugenſes: Opera Petri. Opera Franciſci. Johannes Jordan pictor. XCIII. MARCUS GERHARDUS pictor Brugenſis.

LXXXVI. ANTONIUS MONTFORTENSIS, de Blockland, Pictor,

LXXXVI. ANTONIUS MONTFORT. PAtre Cornelio Montfortenſi de Blockland, qui eſt locus propè Montfortum, genitus Montforti, ubi pater ejus Præturam gerebat, anno 1532. in pictoriâ autem primò informatus ab Henrico Aſſvero avunculo ſuo, Delphenſi pictore communioris quidem generis, ſed qui icones egregiè pingeret: poſtmodùm in diſciplinam traditus Franciſco Floris tum temporis famigeratiſſimo, ubi intra biennium miris profecit greſſibus. Discipulus Franciſci Floris. Anno 1552. igitur Montfortum reverſus uxorem ducebat civis cujusdam è primariis, cum quâ tamen improles manebat. Dehinc Delphis habitabat in aggere lõgo, ubi artis noſtræ ſtudiis magis ſemper magisq́; invigilabat, varia inveniendo, pingendo, & delineando, juxta viva nudorum exemplaria tam virorum quàm fœminarum. Multa autem conficiebat opera majora, qualia erant altaria magna, tabulæq́; & valvæ ibidem requiſitę, nec nõ lintea majora & ſimilia alia. Magnis ſtudet. Icones autẽ vivorum rarius pingebat, cũ hiſtoriis magis incũberet:

quăvis & ob illas famâ publicâ celebraretur, quod Patris sui matrisq; icones multâ cũ laude efformasset: ubi barbam inprimis paternam artificiosissimè expinxerat, prout utraque effigies adhuc Amstelodami in plateâ olitoriâ in ædibus Assveri avunculi ejus extat.

Methodus ejus pingendi. In picturis suis Franciscum Floris imitabatur: in diagraphicis calamo uti solebat, peniculo umbras decussatim, tam in vestitis quàm in nudis, adjiciendo: ubi vestes potissimum, manusq; & pedes multâ curâ absolvebat, quin & in capillis multâ utebatur venustate, unde miram faciebus suis conciliabat elegantiam: quod pariter & in barbis Senum observare solebat. *Opera ejus.* In templis Delphensibus varia ab ipso confecta existebant altaria, inter quæ historia alicubi decollati Jacobi præstantissima; quæ in turbis iconomachicis omnia confracta sunt. Ultrajecti tamen multæ adhuc illius extant tabulæ; & præsertim in ædibus Virginis cujusdam Hundhorstianæ post Ædem Dominicam ipsius quædam spectatur tabula major bivalvis, ubi intus depicta est Assumtio D. Virginis, in valvis interioribus nativitas Domini, & similia, in exterioribus Annunciatio Mariæ exhibita est. Sic Dordraci quoq; extat opus quoddam illius, crucifixio nempè Domini.

Cœterum in vitâ communi tranquillus erat atq; sedulus, splendorem quidem externum haud affectans, sed vestitu tamen mundiore semper delectat⁹, famuloq; ubivis stipatus incedebat pedissequo, & familiam suam ordine optimo gubernabat, unde haud exigua apud concives ipsi suboriebatur autoritas. In applicando colore pallido, methodo utebatur optima, quod ex opere quodam illius, Lugduni Batavorum in domo Petri Huyghesseri sub insigni campanæ aureæ extante, satis apparet: ubi Bathscheba lavans, cum nudis quibusdam mulieribus aliis, ab ipso depicta est; quæ pictura, quăvis non absoluta, majoris tamen æstimatur, quàm aliæ.

In Italiam abit. Romana & Italica alia visurus opera tam antiqua quàm moderna, cum aurifabro quodam Delphensi anno 1572. ex oppido Blockland iter ingrediebatur, ubi conspectis picturis artificum celeberrimorum clarissimis, vehementer easdem admiratus est; fassus quoq;, ut plures dicunt, se nudas illas imagines in fornice Michaëlis Angeli, argutissimas non minus quàm difficillimas, imitari haud posse: quod pluribus etiam accidit aliis, quoniam talia non nisi usu addiscuntur longissimo. Insumto sic quasi semestri spatio, ab Aprili scilicet in Septembrem usq;, Montforti primò, deindè Ultrajecti larem figebat, ubi, mortuâ uxore suâ priore, ad secunda vota properabat, ex alterâ hac uxore tres procreans liberos.

Opera ejus alia. Ultrajecti altare pingebat pulcherrimum, quod Boscoducum transferendum erat, in quo Catharinam exhibuerat jacentem: deindè & aliud quoddam simile, de Spiritu S. in Apostolos demisso; in cujus valvis Ascensio Domini cum similibus aliis conspiciebatur; quod deindè Ultrajecti in templo S. Gertrudis collocatum fuit. Amstelodami tabulam quandam elaborabat pro Altari Fratrum minorum de morte & sepultura Francisci: quæ tempore iconomachico etiam destructa fuit. Porrò pro quodam, cui nomen Keghelinger, Venerem pingebat nudam, non admodùm magnam, quæ apud istius viduam adhuc existit, maximi semper æstimata. Ultimum ejus opus Amstelodami adhuc apud Wolfartum de Byler existere dicitur; partes nimirum aliquæ de vita Josephi Patriarchæ, nondum consummatæ. Ultrajecti in domo quadam Cœnobii S. Catharinæ habitabat, ubi etiam anno 1583. post natum Salvatorem, ætatis suæ 49. è vivis excessit.

Imaginibus nudis pingendis excellebat, quod inter alia ejusdem opera etiam æra quædam, quæ Goltzius cælavit, testantur, Christus nimirum mortuus, ejusdemque sepultura. In faciebus muliebribus, perigraphiis & similibus, Parmensis methodum sectatus est. *Discipuli ejus.* Inter Discipulos ejus, quos optimos habebat, etiam Adrianus Cluyt Alcmariensis reperiebatur, qui iconibus pingendis præstantissimus erat, anno Christi 1604. demortuus: cum & Pater ejus Petrus Cluyt in pingendis insignibus excelleret. Deindè discipulum quoq; habebat nobilem quendam, qui, neglecto nomine Patrio, pictorium sibi assumebat, amore artis usq; adeò effervescens, ut icones viventium dexterrimè exprimeret. Porrò Scholam ipsius quoq; frequentabat Petrus quidam Delphensis, filius fabri cujusdam ditioris; qui, referentibus pluribus, ingenio & arte præceptorem superaturus fuisset, nisi præmatura morte abreptus in flore ætatis suæ decessisset. De Discipulo ejus Michaële Mirefeld Delphensi deindè quædam dicentur.

LXXXVII. LUCAS DE HEERE pictor & Poëta Gandavensis,

LXXXVII LUCAS DE HEERE. Francisci Floris discipulus, filiusq; Johannis de Heere statuarii hoc ævo inter Belgas celeberrimi, & Annæ Smitteriæ pictricis in monochromate miniato, nec non penicilli usu clarissimæ, cuj⁹ hoc fuit opus singulare, mola nẽpè alata, in quâ molitores saccis onusti hic descendũt, alibi ascendũt, infra autem equus quidam carro junctus, cum prætereuntibus quibusdam conspicitur; quod opusculum tamen granum tri-

tici di-

tici dimidiatum contegere poteſt. His parentibus natus eſt noſter Gandavi anno Domini 1534. à teneris ſtatim in diagraphicis informatus à patre, qui Architectus ſimùl erat inſignis, & multa ex Alabaſtrite, Marmore & Lapide Lydio elaboravit opera; ubi cum iſtius rei gratiâ ſæpius Namurcum & Dinantum abire cogeretur, eodemque filium hunc ſuum aliquoties ſecum adveheret, hic varias ibidem ruinarum antiquorum fecit delineationes, mox caſtellorum, mox oppidorum & ſimilium juxta nativa exemplaria exhibitas.

Diſcipulus eſt Franciſci Floris.

Cumque ſic in Diagraphicâ excelleret, Franciſcus Floris, qui Patris ejus amicus erat intimus, eundem in ſuam ſuſcipiebat diſciplinam, in quâ tantoperè hic proficiebat, ut confeſtim inſigniter prodeſſet Præceptori, quod ſub illius nomine varia pro pictoribus vitrariis, nec non pro tapetiariis delinearet. Deindè in Galliam profectus, multa & ibidem tapetum prototypa pro Reginâ, Regiâq; matre elaborabat: conſpectisq; rarioribus illis, quæ Fontanis bellaquenſibus extant, tam ſtatuis antiquis, quàm picturis domum regreſſus; matrimonium inibat cum Eleonorâ Carbonieriâ, Quæſtoris filiâ virgine.

In Galliam abit.

Opera ejus.

Cœterùm in iconibus pingendis tantâ excellebat veritate, atq; gratiâ, ut ex illius picturâ ſtatim agnoſceretur perſoa ipſa. Sic Gandavi in Æde D. Petri valvæ quæpiam ab illo pictæ extant, in quibus hiſtoriam exhibuit Pentecoſtalem, veſtibus Apoſtolorum laudatiſſimam. Ibidem in templo S. Johannis Epitaphium quoddam illius extat magnum, in cujus medio, hiſtoria Reſurrectionis, in valvis hinc iter Emaunticum, illinc hiſtoria Apparitionis Chriſti in horto ſpectatur.

Antiquitatis ſtudio delectatur.

Inter alia magni ejusdem judicii argumenta & ho c erat, quod Antiquitatum tam numiſmaticarum, quàm rariorum aliarum inſignis eſſet cultor, totumque Muſæum ſuum ſimilibus adornaſſet reliquiis: Inter quas Mercurii quidam æneì parvuli elegantiſſimi, Velbeci in Flandria, reperti. Similiter & calceum quendam aſſervabat antiquum, in Seelandia alicubi effoſſum, cujus ſolea, corrigiis plurimis, quales & Romæ in ſtatuis antiquis apparent, inſtructa erat. Proque cumulo ſimilium, Carolus de Mandern diſcipulus ejus, dentem ipſi molarem quinque librarum, monſtroſum admodum, è ſingulari affectu dono miſit; qui in campo quodam inter pagos Mülbeck & Engelmünſter, quem terram mortuorum dicunt, cum aliis oſſibus, nec non armorum variorum generibus, inventus fuerat. Symboli loco anagrammate quodam nominis ſui Lucas de Heer, his verbis Belgicis utebatur: Schade leer u; quaſi diceret: nocumenta tibi ſint documenta. Mortuus tandem eſt an. 1584. die 29. Auguſti, anno ætatis ſuæ quinquageſimo.

LXXXVIII. JACOBUS GRIMMER, Pictor ſubdialium Antverpienſis,

Lxxxviii. JACOB GRIMMER. Subdialium pictor

IN tribum Antverpianam receptus anno 1546. diſcipulus fuit primò Matthiæ Koch; & deinde Chriſtiani Queburg Antverpiæ, & ſubdialia plurima ad nativa expreſſit exemplaria, in quibus tantâ progreſſus eſt felicitate, ut in quibusdam parem illi vix noverim; præſertim ſi aërea illius ſpectentur. Quid autem circa imagines præſtiterit alias, nihil habeo, quod referam. Hoc tamen ſicco haud prætereundum eſt pede, quod & eloquentiæ fuerit ſtudioſiſſimus & in ludis Comicis perſonæ ſuæ ſatisfecerit ſummo cum applauſu. Mortuus autem eſt Antverpiæ, immortali ſuo ob opera varia pulcherrima nomine adhuc ſuperſtes.

LXXXIX. CORNELIUS MOLINAER, pictor Antverpienſis,

Lxxxix. CORNELIUS MOLINAER: In ſubdialibus excellit.

STrabo dictus communiter ob oculos diſtortos; in ſubdialibus ita ſpecialiter excellebat, ut elegantiora vix alius quis folia effingeret & arbores: quamvis & diſpoſitio operum ejus in cœteris eſſet amœniſſima. Imaginum humanarum ſtudio haud ita ducebatur: quin & aquariorum more baculo haud utebatur; & tamen in picturis ſuis tantâ prævalebat promtitudine, ut integram ſæpè ſubdialium tabulam unâ die expingeret, ubi diurnum ejus pretium eſſe ſolebat thalerus; quamvis interdum pro aëre ſolo, vel fundo quodam ſupponendo ſeptem ſaltem acciperet Stüveros. Acceptus autem ubivis erat, multisq; pictoribus, cum magno ipſorum emolumento, auxiliares porrigebat manus. Ipſe tamen non egenus tantùm vivebat, ſed in egeſtate quoq; moriebatur; quod uxor ejus, referentibus quibusdam, verum non noſſet uſum pecuniæ, nec ad rem ſatis eſſet attenta. Pater ejus & ipſe quidem pictor fuit, ſed de communiore genere, & poſt iſtius mortem vitrico ſuo, ordinariæ quoque ſortis, uſus eſt præceptore. Mortuusque eſt Antverpiæ, tanti ſaltem nominis, ut opera ejus apud graphicophilos magni ubivis æſtimentur.

Johannes Nagel.

Poſt ipſum in ſubdialibus, quamvis minori longè formâ, excellebat Johannes

Nagel Harlemensis, vel Alcmariensis, imaginum tamen picturâ priore melior, qui Hagæ Comitis mortuus est anno 1602.

XC. PETRUS BALTON, Pictor Antverpiensis,

XC. PETRUS BALTON.

ANno Domini 1579. in tribum pictoriam Antverpianam susceptus, in subdialibus multum excellebat, methodum Petri Breughelii cum laude sectatus, & in usu calami exercitatissimus. Hic variè quoque peregrinatus juxta nativa exemplaria delineaverat plurima. Utroque autem colorum, tam oleariorum, quàm aquariorum genere promtissimus atq; gratiosissimus, ut & circa encœnia rusticorum experientia haud careret, unde opera ejus mirè desiderabantur. In specie autem in manibus S. Cæsarei Majestatis opus quoddam illius erat de S. Johanne Baptista in deserto prædicante: cujus loco deinde, nescio quam ob rationem, ab Imperatore substitutus est Elephas, à magnâ populi multitudine spectatus. Sed & orator insignis hic noster erat & Poëta & Actor Scenicus; unde cum Cornelio Ketelio Goudensi commercium poëmatum atque carminum instituebat haud infrequens. Mortuusque tandem est Antverpiæ, ibidemq; sepultus.

XCI. JOAS LIRANUS, Pictor Antverpiensis,

XCI. JOAS LIRANUS.

TAm oleario, quàm glutinario subactu clarus, nec imagnium minus quàm prototyporum pro tapetibus picturâ celebris, patriâ aliàs Bruxellensis; qui tamen in ultimis Belgii turbis patriam omninò deseruit, dictoq; & Pictoriæ Vale Franckenthalii in senatum assumtus fuerat; unde postmodum, ceu Religioni reformatæ addictus, minister verbi divini factus est Schwindrechti in provincia Waasensi secundo ab Antverpiâ lapide: Mortuusque ibidem est uno circiter ante obsidionem Antverpiensem anno, Christi nimirum 1583. tanta post obitum adhuc superstes fama, ut opera ejus pro merito magni æstimentur.

XCII. PETRUS & FRANCISCUS POURBUS, Pictores Brugenses,

XCII. PETRUS & FRANCISCUS POURBUS.

QUorum ille in Urbe Bataviæ Goudâ satus, Brugis autem à teneris unguiculis educatus fuerat, ubi & matrimonium contraxit cum Landsloti filiâ. Insignis hic erat circa imaginum gratiam, inventionum curam, & iconum veritatem artifex, quod varia ejus Brugis adhuc extantia testantur opera. Inter optima autem illius numeratur historia S. Huberti, in magno templo Goudensi collocata, cujus tabula interior Baptismum exhibet duorum catechumenorum ab Episcopo quodam peractum in templo scenographiâ elegantissimâ projecto, præsentibus duobus aliis cereos tenentibus. In valvis hinc tentatio istius Sancti spectatur, in quâ maligni spiritus variè eundem impetunt, sed strenuè tamen ab eo abiguntur: Illinc quædam ab eodem conversæ depictæ sunt fœminæ: & extrinsecus monochromate nigricante historia visitationis B. Virginis per gradus quosdam ad Elisabetham ascendentis: quæ opera Delphis adhuc extant omnia. Opera Petri. Præterea idem & Topographus erat & Geodæta insignis, proque Senatu Brugensi telam elaboraverat oleario subactu, cum pagis illius districtus, locisq; omnibus: quamvis ob crassam nimis colorum applicationem convoluto linteo alicubi subortæ fuerant rupturæ atq; hiatus. Deinde iconem quoq; fecerat Ducis Alenzonii, quod opus erat longè præstantissimum: cujus occasione & hoc adjiciendum, quod vix ullibi repertum sit conclave pictorium, commodius isto, quo hic utebatur. Mortuus autem est anno circiter 1583.

Eundem secutus est Franciscus Pourbus filius ejus; Patris primò, & post mortem ejus, Francisci Floris discipulus, apud quem tantos in arte nostrâ fecerat profectus, ut Floris ipse sæpius diceret: hic mihi magistri loco est: quâ in laude tantâ tamen semper usus est humanitate, ut in conversatione amabilis atque comis esset maximè. In tribum pictoriam receptus est Antverpiæ anno Domini 1564. & opera elaboravit præclara admodùm, præter icones venustissimas, in quibus conficiendis mirâ utebatur dexteritate. Cumque extra patriam nunquam abiisset, anno tamen 1566. amore ducebatur Italiæ visendæ; sed vix amicis Antverpianis valedixerat, cum detentum se nescio quo persentisceret nodo amoris, quo retractus, uxorem postea duxit Cornelii Floris, qui frater erat Francisci, filiam.

Opera Francisci.

Singulari autem curâ atque veritate animalia pingebat; & in specie Paradisum alicubi pinxerat, animalibus variis nec non arboribus elegantissimis refertum: ubi pyri, pomi, & juglandes arbores dexterrimè distinctæ erant, quamvis adhuc tenerâ tum fuisset ætate. Sic & Gandavi in templo S. Johannis quædam pinxerat pro Vigilio Præside; Baptismum scilicet alicubi, & circumcisionem in valvis; cum

similibus. Nec minus Oudenardæ in cœnobio tabula quædam illius spectatur, in quâ historia trium Magorum: item historia nativitatis Christi, opus nocturnum, & alia exactissimè confecta. Prætereà & Brugis in domo Patris ejus altare extat valvatum, in quâ historia S. Georgii spectatur: intrinsecus nimirum ejusdem decollatio, cum emblemate in tractu remotiore apposito, de occiso ab ipso Dracone. In valvis historiæ conspiciuntur istius Sancti aliæ, quâ ratione nimirum ad idololatriam vi fuerit compulsus; &c. quod sanè opus est vario artis gradu commendabile.


Ejus mors. Cœterum cum inter cives Antverpianos esset Signifer, & aliquando ad excubias commeando vexillum gyrans nimium quantum incaluisset; deindè autem in tugurio excubitorum recubans tetro quodam fœtentis cujusdam paludis odore fuisset correptus, exhinc ita malè habuit, ut confestim moreretur, anno nimirum Domini 1580. Ubi in ipsius honorem hoc compositum fuit Epigramma:

Patre fuit pictore satus Pourbusius, arte
Verum Patre prior: Sic monumenta docent.
Vivunt, quas pinxit, pecudes, pictæque volucres,
Pictoris lugent quæ simul interitum.

Johannes Jordan. Uxor illius altera secundis pariter votis nubebat pictori cuidam alii, Johanni scilicet Jordani, Martini Clivensis discipulo, & artifici insigni tam in imaginibus, quàm in subdialibus & historiis pingendis: quamvis præterea & jocosus esset in delineandis rusticis, militibus, nautis, piscatoribus, cymbis, incendiis, rupibus & similibus. Et hic in tribum pictorum Antverpiensium recipiebatur anno Domini 1579. moriensque filium relinquebat cognominem, qui & ipse in pingendis viventium effigiebus admodùm erat celebris.

XCIII. MARCUS GERHARDUS, Pictor Brugensis,

XCIII. MARCUS GERHARD. Dignus & ipse, qui in Catalogo artificum locum obtineat; quod in omni pictoriæ genere, sive id diagraphicam, sive subdialia, sive architectonica, sive monochromatica, sive alia quævis ad artem facientia concernat, peritissimus esset, & præsertim pro pictoribus encaustis delinearet plurima. Anno 1566. cum novorum præconum monitu artis hujus cursus haud parum sisteretur, fabulas Æsopicas ære roso edebat pulcherrimè, quemadmodum & antea fecerat. Et sic quoq; Urbem Brugensem eâdem Chalcographiæ methodo tanta delineavit sedulitate, ut melior fieri non potuisset. Tandem in Angliâ mortuus est; quo autem ætatis anno & mortis genere haud constat.



Caput XII.

MICHAEL COCXIE,
& artifices adhuc alii quinq;.

Argumentum.

XCIV. MICHAEL COCXIE, Pictor Mechliniensis. Opera ejus Italica & Belgica; Raphaëlem Urbinatem sectatur. XCV. DIETERICUS BARENT, Pictor Amstelodamensis: discipulus est Titiani: Opera ejus. XCVI. LUCAS & MARTINUS de FALCKENBURG, Pictores Mechlinienses. Opera Lucæ. XCVII. JOHANNES BOL, pictor Mechliniensis. Opus ejus, Dædali fabula & alia. Opera ejus Antverpiana: monochromati miniato indulget. Discipuli ejus. XCVIII. FRANCISCUS & ÆGIDIUS MOSTARTI, pictores Hulstani, Opera eorum. Ægidius Hispano cuidam argutè illudit. Testamentum ejus. XCIX. MARTINUS HEMSKIRCHEN pictor; à patre ad agriculturam adhibetur: artem discit à Johanne Schorel. Opus ejus. Romam abit. In Belgium redit. Picturæ ejus ibidem factæ. Testamentum ejus. C. NICOLAUS NEUFCHASTEL pictor, è Comitatu Bergensi Hannoniæ oriundus. Nicolaus Juvenellus Senior: Paulus Juvenellus junior.

XCIV. MICHAEL COCXIE, Pictor Mechliniensis,

XCIV. MICHAEL COCXIE.



Mechliniæ natus an. 1497. inque disciplinam traditus Bernhardo Bruxellensi, tanto ardore naturę impetum prodidit, ut omnes in artis cultura post se relinqueret cōdiscipulos. Deinde in Italiam profectus, diu ibidem vixit, delineatis magnâ sedulitate operibus Raphaëlicis aliorumque artificum celeberrimorum. Cœterùm in albario recente jam Romæ quædam pinxit in templo D. Petri Veteri: atque sic etiam in templo Germanico, quæ D. Mariæ Pacis dicitur; historiam nempè Resurrectionis Dominicæ & alia. Ex Italiâ autem domum reversus uxorem secum adducebat, cujus intuitu tam in Italiâ, quàm domi honoris assequebatur plurimum, quod illa ad labores eundem continuò admoneret, undè in arte suâ exercitatissimus fiebat, ad perfectionis culmen omni nisu adspirans.

Opera ejus Italica.

Post mortem uxoris primæ, alteram quidem ducebat, sed improlem. Primum inter opera ejus & maximè singulare locatum erat Salsenburgi, secundo vel tertio Lapide extra Urbem Bruxellanam eratque imago crucifixi in tabulâ summi altaris maximâ, tantâ arte elaborata, ut multi artifices Bruxellani eodem abirent, ut illam contemplarentur. Et hoc ipsum opus in tumultu illo Belgico à mercatore quodam Bruxellensi Thoma Werry in Hispaniam abductum Cardinali Granvellano pro Philippo Rege cum multis similibus aliis vendebatur.

Belgica.

Hic noster autem gratiosissimus erat in picturis suis mireque facilis, nec non in ornamentis suis admodùm curiosus, inque pingendis fœminis magnâ excellebat venustate: propriis tamen inventionibus rarius, & operibus Italicis plurimis sæpiùs utebatur; undè cum Hieronymus Koek Scholam Raphaëlis typis æneis publicaret, ægrè id iste ferebat admodùm, quod exhinc plurima suis inseruisset, præsertim operi de morte D. Virginis ad S. Godelam Bruxellanam, quæ jam, undè fluxissent, omnibus innotescebant.

Raphaëlē sectatur.

Responsis autem argutis velox erat admodùm: undè cum pictor aliquis junior opera quædam sculpta Româ secum apportasset, hic noster ad illa conspicienda advocatus, conquerenti de nimio illorum pondere, humerorumque suorum exhinc nato dolore, hic regerebat: cur illa in sinu non exportasset? id innuens, si memoriâ artisque habitu eadem vel similia asservasset, non opus fuisse, ut operibus aliorum gravasset humeros. Tandem cum in curiâ Antverpiana opus quoddam elaboraret, de pegmate prolapsus paulò post obiit anno Domini 1592. ætatis suæ 95.

XCV. DIETERICUS BARENT, Pictor Amstelodamensis,

Naturâ quasi obstetricante ad consummationem hujus artis natus, & magni illius Titiani discipulus, de quo verissimè dici potest, quod tum temporis veram Italorum methodum puram & incontaminatam in Belgium detulerit. Natus autem fuit Amstelodami anno 1534. Patre etiam pictore, & quidem haud de postremis, cujus manu in curiâ Amstelodamensi depicta extat historia Sectæ cujusdam furentis, anno 1535. hanc Urbem armis impugnaturæ; quæ pictura horrorem spectatori incutit, & pro illorum temporum modulo magnâ cum laude elaborata est. Hic noster autem anno circiter ætatis suæ 21. in Italiam profectus, Venetiis apud Titianum commoratus est, cui etiam acceptissimus fuit, ut filii loco haberetur. Cumque optimi esset ingenii, cum ingeniosis etiam libentissimè, & cum illis præsertim, qui in linguis exercitati erant, quas & ipse excoluerat, conversabatur, inter quos Dominus de Aldegonde, cum quo deinde & in Belgio magnâ utebatur familiaritate. Eademq; ratione & cum Lampsonio familiaris erat, ut epistolis latinis crebrius sese invicem inviserent. Sic quoque Musicus erat insignis, varioq; instrumentorum musicalium usu exercitatissimus.

XCV. DIETERICUS BARENT.

Discipulus est Titiani.

Postquam autem absens jam fuisset per septennium, per Galliam in Belgium redux, Amstelodami matrimonium inibat cum virgine quadam omnium pulcherrimâ anno ætatis suæ 28. ex quo & sui & uxoris suæ confecit icones, quæ deinde apud filiam ejus Amstelodami ambæ adhuc extabant, mirâ elegantiâ elaboratæ; quod hoc pingendi genere admodum delectaretur, inque eo manu uteretur promtissimâ. Inter alias illius tabulas pulcherrimas potissimùm laudantur primò pro Centurione quodam Amstelodamensi confecta effiguratio Lapsus Luciferiani, ob multas imagines nudas artificiosissima, quæ in turbis tamē iconomachicis cōfracta fuit. Deinde pictura Judithæ, quæ Amstelodami adhuc extat, & pro palmario ej' opere celebratur.

Opera ejus.

Porrò Venus quædam, quæ Lugduni Batavorum in domo Sisbrandi de Buyk exiſtit. Sic hiſtoria nativitatis Dominicæ, opus nocturnum, Goudæ adhuc extans in domo Fratrum, more Italico elaboratum,& ſummâ cum admiratione ſpectabile. Item Amſtelodami in domo Jacobi Bazet tabula quædā illius extat ex imo cōſpicienda,quæ eſt imago crucifixi,cum Mariâ Magdalenâ crucem amplexante, elegantisſima. Poſtmodum & apud Isbrandum Wilhelmi Amſtelodami,aliisq; in locis,plura illius extant opera ſimilia pulcherrima: in ſpecie autem Amſtelodami in foſsâ jaculatoriâ, ubi ſocietates quædam ab illo depictæ ſunt, & primò quidem in domo ſagittariorum cohors quædam, in quâ ahenorum faber aliquis elegantisſimè expreſſus eſt: item in domo balliſtariorum cohors alia menſæ accumbens appoſito piſcium ferculo: ſic & in foſsâ jaculatoriâ S. Sebaſtiani cohors alia, in quâ nautarum quorundam ſeniorum vultus furvi, è cornu argenteo bibentium, multis undiquaq; argutiis plena, ut Titianum ubivis & Italicum abundè exhinc eluceat acumen. Deinceps & Titiani confecit effigiem,quæ Amſtelodami adhuc apud Petrum Iſaaci pictorem reperitur. In linguâ Italicâ dialecto utebatur Venetâ: cœteroquin agriculturâ potius delectatus quàm re nauticâ, unde Harlemum & alias Urbes maritimas ne viderat quidem. Habitu autem corporis tam erat obeſo, ut nec curru nec equo vehi poſſet. Tandem & extremum judicium ab ipſo inchoatum adhuc Amſtelodami ſpectatur cum ſeptem operibus miſericordiæ, quod nondum conſummatum in Xenodochio extat, cum huic labori immortuus ſit, anno ætatis circiter 48.

XCVI. LUCAS & MARTINUS de FALKENBURG, pictores Mechlinienſes,

XCIV. LUCAS & MARTINUS de FALKENBURG.

Quos in annis ſuis juvenilibus extra patriam quidem abiiſſe haud invenio, ſed Mechliniæ potisſimùm vel Antverpię commoratos eſſe notum eſt. Hi tempore primarum Belgii turbarum, circa annum nimirum 1566. cum Johanne de Vries Aquisgranum abibant & Leodium, ubi multa juxta viva exemplaria pinxerunt; fiſtula transverſa, quâ omnes, & Lucas potisſimum ludere docti erant, in ſocietatibus ſæpius delectati. Pacatis autem per Principem Auriacum Belgii rebus, in patriam reverſi ſunt, ubi Lucas non ſubdialibus tantùm, ſed & parvis picturis, iconibus & monochromate miniato tam celebris evadebat, ut & Matthiæ ArchiDuci innoteſcens, cum eodem Lincium ad Danubium abiret, & varia ibidem pro iſto elaboraret. Exorto autem paulò pòſt in Hungaria bello Turcico, diſcedens abinde Norinbergam petebat, inſtitutâ ibidem re familiari: Ubi opera varia nobiliſſima, qualia erant prœlia diverſi generis; excidium Trojæ; turris Babelica; excidium Hieroſolymitanum; Convivium Belſazaris Regis, & ſimilia difficiliora, multoq; labore referta, propriâ inventione in lucem edidit; quorum adhuc quædā in palatio Archiepiſcopali Salisburgenſi; item Pragæ, & Auguſtæ Vindelicorū, & quidem ſub picturis Comitis de Wahl; item Norinbergæ & in aliis Principum palatiis conſpiciuntur. Cœterùm erga uxorem & liberos ſerius erat; & egomet ipſe eundem Norinbergæ anno 1622. viventem adhuc vidi. Opera Lucæ.

Frater ejus Martinus Falckenburgicus vir pariter erat multo artificio inſignis, & Francofurti ad Mœnum potiſſimum degebat: iisdem ferè, quibus frater ejus, pingendi generibus occupari ſolitus; cum & utriusque methodus in multis concordet. Potiſſimum autem pro mercatoribus Belgis, qui graphicophili ſunt ſingulares, egregias pingere ſolebat hiſtorias: Mortuus tandem ibidem, relictis filiis quibusdam, iisdem, quantum ego memini, addictis pingendi ſtudiis.

XCVII. JOHANNES BOL pictor Mechlinienſis,

Anno 1534. 16. Decembris ex optimâ familiâ Mechliniæ natus, & anno ætatis 14. in informationem pictori cuidam ibidem traditus, ita profecit, ut poſt biennium in Germaniam abiens, Heidelbergæ apud Electorem Palatinum, graphicophilum inſignem, duobus annis operam ſuam elocaret: unde Mechliniam reverſus, nullo adhibito præceptore alio, ad praxin hujus artis ulteriorem ſeſe accinxit; varia in veniendo ſubdialia & ſimilia, colore potisſimùm aquario ingenioſiſſima, multaque cura elaborata. In ſpecie autem apud Johannem de Mander dehinc Penſionarium Gandavenſem, in tela majore colore aquario ab ipſo depicta extat Dædali & Icari fabula; unà cum caſtro in rupe quadam è mari extante extructo elegantiſſimo, reflectentibus & undis iterum conſpicuo; quibus accedunt tractus quidam campeſtres cum opilione quodam, & aratore, volatum hunc inconſuetum cum ſtupore ſpectantibus: in quibus omnibus tot argutiæ, ut & cerarum è liquefactis Icari alis prolabentium guttulæ undis innatare videantur. XCVII. JOHANN BOL. Opus ejus Dędali fabula.

Talia, deſiderantibus inſtantiſſimè mercatoribus, pingebat plurima, haud parvo divendita, donec anno 1572. Mechliniæ à

Opera eius Antverpiana.

militibus omnia ipsi diriperentur, ut quasi nudus Antverpiam se reciperet; ubi à Domino Antonio Couvreur Bellensi Flandro graphicophilo insigni susceptus, vestibus iterum aliisq; necessariis instructus est. Inter alia autem Antverpiæ picta, & liber erat monochromate miniato ab ipso elaboratus, varios pisces, avesq; juxta nativa exemplaria exhibens, visu certè dignissimus. Cumq; tabularum ejus lintearum quidam facerent apographa, quæ pro suis venderent, id genus pingendi deserens, non nisi miniatis deinceps vacabat picturis historiarum potissimum & subdialium, quæ illis imitari fas non erat. Sed anno 1584. ob exortas turbas Antverpianas & abhinc profugus, Montanam Hanoniæ Urbem petebat, ubi per biennium in sede cathedrali commorabatur; unde Delphos primò, mox Amstelodamum abiens, monochromate miniato plurima exprimebat elegantissimè; & in specie Urbem Amstelodamensem tam è parte marinâ unà cum navibus, quàm è parte terresti; cum pagis locisque vicinis aliis, undè nummos lucrabatur haud paucos.

Extant autem operum illius miniatorũ adhuc aliqua Amstelodami apud Jacobum Razet; & in specie historia crucifixionis Dominicæ formâ grandiore, in qua cumulavit plurima summâ cum industriâ, hic hominum genera varia, partim nudorum, partim vestitorum; illic equos, ibi ædificia, tractus campestres alibi ingeniosissimè coordinando atq; exhibendo. Adde, quod magna quoq; typorum æneorum copia juxta ipsius delineationes circumferatur. Tandem autem è vivis excessit Amstelodami anno 1593. 20. Novemb. relictâ uxore suâ alterâ, quam viduam duxerat, & ejusdem filio, privigno suo.

Discipuli ejus.

Huic nomen erat Francisco Boëts, qui & ipse illius discipulus fuerat, & in subdialibus atq; monochromate miniato imitator singularis; quâvis paulo post vitricum suũ & ipse inter vivos esse desierit. Sed & alius Bolio fuerat discipulus Jacobus Saverey Dordracenus, anno 1602. Amstelodami peste extinctus; pictor aliàs optimus; cui haud dissimilis erat & frater ejus Rolandus Saverey. Effigies Bolii à Goltzio sub forma Epitaphii edita est, quæ veritatem præ se fert satis accuratam.

XCVIII. FRANCISCUS & ÆGIDIUS MOSTARTI, pictores Hulstani:

XCVIII. FRANCISCUS & ÆGIDIUS MOSTART.

Fratres gemelli non vultu tantùm, sed aliàs quoq; ita sibi similes, uti sæpè à parentibus vix internosci possent. Pater autem illorum pictor erat communioris generis, Hülstæ in Flandria habitans, quamvis aliàs à Johanne Mostarto Harlemensi descenderet. Erat autem in hac arte Ægidii Præceptor Johannes Mandinus; & Francisci Heinricus Blefs; ita, ut ambo insigniter proficerent, & Franciscus quidem in subdialibus & Ægidius in Imaginibus humanis, præsertim minutis. Hique fratres in tribum Pictoriam Antverpianam recipiebantur anno 1555. ubi Franciscus in floridâ adhuc ætate, contagio aëris venenati extinguebatur, relictâ tamen celebritate nominis ob opera sua clarissima haud exigua; ut & discipulo Johanne Soens artifice maximo, qui deinde Parmæ in Italia larem fixit, & in subdialibus picturisq; parvis tantoperè excelluit, ut per totam Italiam nemini cederet.

Ægidius autem non in conversando tantùm affabilis, sed & in pingendis historiis & figuris humanis artificiosissimus erat. Aliquando igitur cum Hispano cuidam (quãvis huic nationi parum aliàs faveret;) imaginem D. Virginis pinxisset, qui nimis parum tamen pro eadem numerare volebat, ille colore aquario habitum istius imaginis, appictis nimirum collo mammisque nudis, sic immutabat, ut procacissimæ mulieri similior esset, quàm S. genitrici Domini. Quod cum reversus ad pictorem tum absentiam simulantem vidisset Hispanus, tantâ mox commovebatur iracundiâ, ut apud Marchionem, Ægidium nostrum accusaret; eò adactum, ut ipse visurus hocce scandalum ad pictorem accederet; qui tamen interea deletis coloribus aquariis rem totam in pristinum restituerat statum. Institutâ igitur inquisitione cum nihil eorum, quæ Hispanus narraverat, inveniretur, hic non pudore saltem confundebatur extremo, sed & ut omnia, quæ Ægidius petierat, persolveret, à Marchione condemnabatur. Et talia ludicra de ipso tot narrantur alia, ut integrum de iis conscribi volumen posset. Moribundus testamenti loco liberis suis totum legabat mundum, satis hic illos pecuniæ inventuros asserens, si illam saltem sudore suo acquirerent. Decedebat autem anno 1598. 28. Decembr. senio gravis; & opera ejus apud graphicophilos magni adhuc æstimantur. Medioburgi enim apud Dominum Wyntgis grande aliquod illius opus extat, de Dominis jaculatoribus à rusticis magnificè exceptis. Sic aliud quoq; de Christo crucigero; item aliud nocturnum de Petro ab Angelo è carcere liberato, cum quibusdam aliis laudatissimis.

Testamẽtum ejus.

XCIX. MARTINUS HEMSKERKEN, Pictor,

XCIX. MARTINUS HEMSKERKEN

IN pago Hollandiæ Heemskerken anno 1498. natus patre Jacobo Wilhelmo de Veen rustico, qui filium hunc suum in disciplinam quidem primò, ob singularem ad artem pictoriam inclinationem, tradiderat Cornelio Wilhelmi Harlemensi, qui pater erat Lucæ & Floridis, duorum artificum præstantissimorum, ob peregrinationes in Italiam Romamq; factas celeberrimorum; sed quod rustico huic pictoria nihil in se habere videretur solidi, ad agriculturam filium repetiit, quamvis invitum.

A Patre ad agriculturam adhibetur.

Hic igitur cum inter Bucolica cum tædio versatus mulctram aliquando lacte plenam ad arborem offendens effudisset, irato exinde patri effugiturus, accepto à matre viatico Delphos primùm abiit, Johanni cuidam Lucæ sese iterum submittens, ubi brevi tam delineando, quàm pingendo mirum in modum proficiebat. Divulgato autem tum temporis præ cœteris Johannis Schorelii nomine, hic noster id tandem efficiebat, ut ab eodem in disciplinam susciperetur: ubi solitâ suâ sedulitate eousque mox progrediebatur, ut præceptori omninò æqualis esset. Cumq; utriusque opera non amplius internoscerentur, Schorelius, ne umbram quandam hinc conciperet gloria nominis sui, veritus, eundem à se dimisit: Ubi Harlemi intra ædes Petri de Fopsen, ubi & Cornelius de Berenstein commorari solebat, suscipiebatur. Hîc inter varia alia & Phœbum atq; Dianam in posteriore cubiculo suo viventium quantitate; & deinde Protoplastas quoque eadem mole nudos pingebat, ut hospita ejus magistri eum deinceps nomine compellari vellet. Abhinc ad Joam Cornelii aurifabrum Harlemi similiter perveniens, inter alia & altare quoddam S. Lucæ elaborabat, quod Romam discedens pictoribus Harlemensibus dono dabat: in hoc S. Lucam exhibuerat sedentem, Divamq; virginem cum filiolo in gremio detento depingentem, tantâ venustate atq; gratiâ, ut melius vix effici posset. Lucæ autem faciem ad exemplar pictoris cujusdam vivum, quasi naturalem expressit; cum Poëta quodam retrò adstante laureato, (quasi utriusque artis affinitatem innueret,) & angelo facem tenente; item Psittaco in caveâ, cui agglutinata videtur schedula, inscriptionem quandam Belgicam continens. Quæ tabula deinde à Magistratu Harlemensi emta, & in palatio Principis publicè collocata est; factaq; eadem est anno ætatis ejus 34. prout annus ab autore appositus innuit.

Artem discit à Johanne Schorel.

Opera ejus.

Dehinc Romam profectus in servitiis Cardinalis cujusdam, variorum apographa faciebat operum, à celeberrimis artificibus elaboratorum. Cum autem absenti aliquando, Italus quidam aliàs notus, reserato clam cubiculo ejus duo è quadris abscissa, nec non plura alia è cistâ ejus exemta abstulisset opera, hic suspicatus furem, pleraq; quidem recipiebat; aliquas tamen illius insidias metuens, in Belgium redire meditabatur, postquam integro triennio Romæ commoratus esset. Ditior igitur non diagraphicis saltem variis, sed & nummis, quàm fuerat, iter ingressus, in hospitio quodam, quod vera latronum erat fovea, in extremum vitæ periculum incidisset, nisi navis cujusdam occasione ante noctem illinc abiisset. Cui periculi generi & Venetiis eripiebatur, à pictore quodam artificioso in ædes receptus.

Romam abit.

Hemskerkius igitur in patriam redux, pristinum pingendi morem valdè mutaverat: cumq; à discipulo quodam suo hoc ipsi diceretur, ille, se antea non intellexisse quæ pingeret, regessisse dicitur. Inter opera ejus altare quoddam fuit, in cujus interioribus nativitas Domini, nec non historia trium Magorum cum iconibus plebejorum variorum, nec non & propria: extrinsecus autem Annunciatio D. Virginis, cujus facies pariter ad vivum exemplar confecta; angeli autem labia inferiora purpurea à Jacobo Rauewart, qui tunc apud ipsum degebat, expicta sunt. Sic ab illo quoq; confectum fuit altare summum Medenblicanum. Item pro Domino de Assenfeld duæ valvæ altaris cujusdam, quarum altera resurrectionis, altera ascensionis Dominicæ historiam continebat. Similiter & Hagæ Comitis in templo majore Sacellum Domini de Assenfeld pinxerat. Imò cum suâ naturâ sedulus esset & promtissimus, omnium tabularum, epitaphiorum & iconum ejus quis recensere posset historiam? Inter alia tamen illius artificiosa quatuor numerantur ultime multâ curâ expicta, Mors scilicet; extremum judicium; cœlum; atq; infernus; quæ exornata dicuntur quatuor imaginibus nudis diversorum gestuum.

In Belgium redit.

Pictura ejus.

Harlemi autem habitabat per annos viginti duos, ibidemq; & mortuus est anno 1574. Calendis Octobribus, anno ætatis 76. sepultusq; est ibidem in sacello templi majoris versus latus septentrionale. Cœterùm naturâ suâ quidem ingeniosus erat, & parcus; sed & pavidus admodùm atque pusillanimis, ut processionem die corporis Christi visurus, ob metum displosorum sclopetorum in summam templi turrim ascenderet. Sic etiam quod in senio paupertatem metueret, coronatos quosdam aureos vesti suæ semper insutos ad mortem usque suam gerebat. Occupatâ urbe plurima illius opera in manus perveniebant Hi-

ſpanorum, ut pauca jam in his terris reſtitent.

Teſtamẽtum ejus.

Quamvis autem multorum liberorum eſſet pater, multas tamen ante mortem ſuam erogabat eleemoſynas, quod divitiis inſigniter afflueret. Inter alia prædium quoddam ſuum pauperibus quibusdam legabat, qui diem mortis ſuæ anniverſariam colerent. Sic Hemskerkii ſupra tumbam patris ſui pyramidẽ erigi, curabat è lapide cœrulo, in cujus ſummitate icon patris ejus, cum epitaphio latino Belgico, nec non emblemate memorandæ mortis, puerulo ſcilicet, flammas oſſibus admovente, adjectâ hac inſcriptione: Cogita mori! Ubi inter alia adjecta erant inſignia ejus, ſuperius nempè aquila dimidiata à dextris, & à ſiniſtris leo, ſub quibus brachium nudum penicillum tenens alatum, cubito in clypeum quendam directum, quaſi emblema ſit mediocritatis inter laboris exceſſus atq; defectus. In cujus Pyramidis conſervationem reditus ſimiliter quosdam legaverat noſter, à cognatis niſi conſervaretur mox retrotrahendos.

Cœterum methodo quoq; utebatur elegantiſſimâ tam calamo delineandi, quàm ære roſo exhibendi quæpiam: Et Effigies ejus Alcmariæ extat colore oleario propriâ illius manu facta, diverſæ ætatis in domo Jacobi Heckenſis avunculi ejus; quâ etiam benevolo lectori tabulâ noſtrâ G. G. exhibere voluimus.

C. NICOLAUS NEUFCHASTEL, pictor è Comitatu Montano Hanoniæ,

C. NICOLAUS NEUFCHASTEL.

Communiter dictus Lucitellus, artem pictoriam diſcebat in Urbe Montenſi circa annum 1540. pictorq; iconum evadebat celeberrimus, quarum adhuc exempla Norinbergæ extant plurima. Vultum enim delineabat quaſi vividum, colores applicabat non niſi naturales, elevationem ſuperinducebat quaſi carneam, ut ſuo tempore æqualem non haberet. Hiſtoriæ ab ipſo pictæ haud reperiuntur, nec plura de eo reſcire licuit, niſi paucula hæc, quæ Manuſcripto quodam Juvenelli Senioris nobis ſuppeditata fuerunt.

Hic Juvenellus autem è Belgio Norinbergam venit, artisq; tam pictoriæ quàm ſcenographicæ plurima ibidem reliquit opera clariſſima. In ſcriptis autem ſuis inter cœtera id annotavit, ſe tertio ab Urbe Montana lapide in oppido Bins regium inveniſſe Palatium, cui nomen Mariæ-Mons, ubi Maria Hungariæ Regina, Caroli V. Imperatoris Soror, ſuam habuerit ſedem; ibidemq; ſe reperiſſe apographa nobiliſſimarum ſtatuarum Romanarum optima, cum ornamentis & picturis aliis rariſſimis, inter quas Titiani Prometheus, à Cornelio Court typis æneis publicatus; nec non Tantali fabula; quæ omnia paulò poſt à Gallis diruta eſſent funditus. Nicolaus Juvenellus Senior.

Iſtius Juvenelli filius Paulus multa quoque, quæ à Patre didicerat, poſt ſe reliquit laudabilia, quæ Norinbergæ & alibi adhuc reperiuntur. Præ cœteris autem apographa faciebat prototypis quàm ſimillima, cujus exemplum præbet hiſtoria Aſſumtionis D. Virginis Francofurti apud Prædicatores ab ipſo juxta picturam Alberti Düreri transſumta: unà cum variis aliis Düreri, quæ ab hujus manu deſcripta à multis pro prototypis habentur. Inter cœtera autem illius opera etiam numeratur domus illa Norica, quæ viridium dicitur puerorum. Paulus Juvenellus junior.

CAPUT XIII.

CAROLUS DE MANDER, & artifices adhuc quinq; alii.

Argumentum.

CI. CAROLUS DE MANDERN, pictor & Poëta Meulebreckanus: anni tyrocinii ejus: Opera ejus Italica; Belgica; Scripta ejus. CII. MARTINUS DE VOS, pictor Antverpienſis. CIII. JOHANNES STRADANUS, pictor Brugenſis: Opera ejus. CIV. ÆGIDIUS DE CONINXLOY, pictor Antverpienſis: Opera ejus. CV. BARTHOLOMÆUS SPRANGER, pictor Antverpienſis, picturis aulicis Pii V. Pontificis præficitur. Opera ejus Italica. Viennam venit; Opera ejus hoc loco facta. Magnâ utitur gratiâ Rudolphi Imperatoris. Belgas viſitat. CVI. JOAS DE WINGEN, pictor Bruxellanus: Opera ejus Belgica. Adhuc aliæ picturæ ejus. Jeremias de Wingen filius ejus iconibus excellit.

CI. CAROLUS DE MANDERN, Pictor & Poëta Meulebrecanus,

CI. CAROLUS DE MANDERN.



Nobili satus familiâ optimâ filiusque Cornelii de Mandern, qui prædium suum nobile Meulebreck dictum in Flandria incolebat, filiumque hunc suum in omni virtutum & studiorum genere informari curabat, ubi in vitâ tali rurali hic noster ludicra exercebat plurima, nobilissimumque ingenium suum ad Poësin potissimum & picturam applicabat. Tanta autem futuræ perfectionis suæ adhuc juvenis edebat indicia, ut ad omnes domus patriæ muros, inque chartis variis delinearet varia, & inter alia quosdam Parentis sui ministros, hunc capitonem, brevioribus pedibus, vel gibbosum illum, & sic quoque pedissequas depingeret, naturali veritate omnes, adjectis & versibus jocosis, partim risum, partim jurgia excitantibus, præsertim si vestes ipsis adjiceret ludicras, & colore aquario in chartâ ipsas depingeret.

Anni tyrocinii ejus. Cum igitur juxta studia ordinaria picturæ simul continuò incumberet, parentes tandem in disciplinam eum tradebant Lucæ de Heer tum temporis celeberrimo, & post egregios in hac Scholâ profectus, Petro Udalrico, penes quem multas Veteris Testamenti historias ingeniosè depinxit: ubi simul in Poësi, componendisque Comœdiis strenuè sese exercebat. Exortis autem interea turbis intestinis, parentes ejus, quod hoc torrente & prædia illorum abriperentur, Brugas sese conferebant, quorum consensu hic noster 26. tum annorum in Italiam cum aliis nobilibus junioribus peregrinabatur, quamvis quod delineando rariora quædam hîc illîc reperta, ubivis detineretur, eundem haud expectaret societas. Romam igitur perveniens anno, qui Jubilæus erat, 1575. rarissima ibidem conspiciebat plurima; magnoque cum emolumento per integrum triennium ibidem commorabatur.

Opera ejus Italica. Interea pro Comite Ternensi, qui est locus haud procul ab Urbe Romanâ dissitus, in folio majore lanienam depingebat Lutetianam; Item in societate Italorum quorundam juniorum, nec non Sprangeri, varias pingebat icones, nec non foliorum gyros & Alabandæa varia in albario recente, quod promtus esset in omnibus. In reditu autem Basileæ in cœmiterio fugam Jacobi pingebat, quod opus Sprangerus admodùm laudabat; quo cum dehinc Viennam abiit, ubi pro introitu triumphali Rudolphi Imperatoris, auxiliante Johanne Month, statuario optimo, opera quædam elaborabant elegantissima.

Belgica. Desiderio autẽ patriæ ductus Meulebrecam tandem revertebatur, ubi à totâ societate Comica rurali, ministrisq; patris & vicinis salutatus, inq; domũ patriam deductus summo cum gaudio recipiebatur. Facto autẽ ibidem pingendi initio, Protoplastas primùm pulcherrimè exhibebat nudos: deinde historiam diluvianam variis hominum actibus ingeniosissimè refertam; unde mira confestim nomini ejus exoriebatur celebritas, ut opera plurima pro templis & palatiis elaboranda ipsi offerrentur.

Adauctis autem illis in locis magis semper magisque turbis Hispanicis, unà cum tumultibus religiosis, nec non iconomachicis, bona quoque parentum ejus per milites penitus diruebantur: & quamvis ipse per militem quendam Italum, cum quo ipsi Romæ quædam intercesserat familiaritas, à majoribus malis protegeretur, salvandi ipsi tamen erant parentes morbis quoque miserè correpti, unà cum sororibus atque fratribus ejus Cortracum; quibuscum à monachis illius loci discalceatis tam habitatione quàm alimentatione provideretur; hic noster in grati animi sui testimonium varia illis pingebat opera pulcherrima: juxta quæ & alia quædam Cortraci elaborabat altaria, inter quæ illud, quod ad S. Catharinam dicitur, multis laudibus effertur. Cumque uxorem interea duxisset, altera ibidem illi pronascebatur proles. Exorto autem paulò pòst his in locis pestilentis morbi contagio, anno 1582. cum uxore & liberis Brugas commigrabat: atque exhinc porrò cum supellectile quadam, Meulebrecam: ubi spoliatus in itinere à militibus, nudusque in Urbem dimissus, cum hîc securitatem nullam speraret, ita miser cum suis navem conscendens in Hollandiam abibat, cumque Harlemi appelleret, benevolè receptus, necessariaque supellectile instructus, opibus mox iterum abundabat: unde postquã diluvii historiam iteratò pinxisset, Goltzio quoque & Cornelianis innotescebat; ut inter hos tres Academia dehinc ibidem erigeretur ad delineationes juxta viva exemplaria instituendas; docente eos Italorum methodum Carolo.


Pingit historiam passionis. Hic Passionem Domini pingebat duodecim partibus magno cum ingenio, prout eandem De Geyn typis æneis vulgavit, quæ tam argutis referta est inventionibus, rariore industria secundum textum historicum expictis, ut melior haud facilè fieri posset. Atq; sic & alia ibidem conficiebat opera tam celebria, ut quilibet Graphicophilorum Batavorum aliquem artificiosæ manus ejus partum possidere desideraret.

Scripta ejus.

Similique felicitate & rem poëticam tractabat idem, prout ingeniosissima ejus testantur Poëmata, inter quæ Homeri opera tam ligato quàm soluto styli genere translata; Bucolica & Georgica Virgilii; Domus Panis; Novus Orbis, sive descriptio rerum Americanarum; Olivetum, de Urbe Harlemensi; item Amstelodamensi: Liber pictorius; Metamorphosis Ovidii cum explicatione fabularum; præter carminum, odarumque & similium genera alia plurima, linguâ Belgicâ edita; quibus accedit Comœdia de Sichemo & Dina, à Comicis ruralibus Flandris publicè exhibita; & alia nondum prælo submissa. Sic notissima quoque est cithara ejus aurea Davidica, sive Psalmi & cantica sacrà alia, à Christianis Belgis summâ cum devotione adhuc cantari solita. Nullâ autem satis laude decantari potest magnum illud & illustre volumen ejus Pictorium, in quo Pictorum vitas, artemque & virtutes atque encomia tantâ descripsit dexteritate, ut immortalem ipse nominis sui propterea meritus sit gloriam. Inque hoc genere & ipse Ego gratias eidem debeo immortales, quod tantâ curâ tantoque ingenio facem mihi præluxerit opus hoc paulò auctius edituro, cum eodem si caruissem, tot sanè Belgarum artificiosissimorum encomia tam perfectè describere nunquam potuissem.

Tandem autem cum in morbum aliquem incidisset, imperitiâ medici, loco confortantiarũ, medicamina ipsi propinabantur omninò nociva, ut mortem jam effugere haud posset: quo comperto, paratum sese omninò perhibebat, & sermone quodam valedictorio eleganter id testabatur, omnem spem suam unico Jesu Christi merito fundari. Post obitum igitur laureâ viridante redimitus, Amstelodami in templo Veteri magnâ cum solenitate terræ mandabatur anno 1607. Effigiemque illius tabula nostra G.G. spectandam exhibuimus; subnexo & hoc, quod in honorem ejus compositum fuit, epigrammate:

Peniculo vivunt pictores ingeniosi,
Et vivunt calamo, Carole docte, tuo,
Pictor, Pictorum censor, tu candidus idem:
Pulchrum est artificis pingere judicio.



CII. MARTINUS DE VOS, Pictor Antverpiensis,

CII. MARTIN DE VOS.

Celebrioribus artificibus aliis & ipse annumerandus, quod arti huic magnâ cum industriâ invigilaverit, & propterea Romam, Venetias, aliasque Italiæ Urbes visitaverit. In Tribum pictorum Antverpianorum receptus est anno 1559. ex quo tempore varia elaboravit opera præstantissima, iconesque vividissimas quàm plurimas. Sic quoque quæ juxta inventionem ejus copiosè satis editæ sunt figuræ æneæ abundè testantur, quàm decoro ordine atque dispositione in concinnandis historiis ubivis usus fierit, ut summum illius ingenium non satis deprædicari valeat. Et quamvis frater quoquè illius Petrus de Vos in arte nostrâ haud imi fuerit subsellii; Martinus tamen picturarum copiâ præeminuit; vel Hemskerkio in hoc longè superior. Cœteroquin corpore erat obeso atque crassiore, & in summâ ætatis crepidine anno Christi 1604. inter vivos esse desiit: ubi in honorem ejus subsequens compositum fuit Epigramma:

Qui se offert oculis Martinus Vossius ille,
Cujus erat frater pictor, & ipse pater.
Arte hic Martinus sanè est Hemskerkius alter,
Nam simili ductu pinxit uterq; modo.


CIII. JOHANNES STRADANUS, Pictor Brugensis,

CIII. JOHANNES STRADANUS Brugensis.


Tanta fuit patriæ suæ, Brugensium scilicet Urbi, in arte pictorum gloria, quanta Johannes de Bononia eidem fuit in statuario: quamvis utrumque Hetrusca illa Circe Florentia, à patria sua abstractum sinu suo in ultimum usque senium foverit. Natus autem fuit Johannes iste Stradanus anno 1536. è celebri quondam Stradanorum familiâ, quæ dehinc tamen, quod anno 1127. eadem curante Carolus Goudensis Comes Flandriæ decimus tertius Brugis in templo S. Donaës, tanquam injustus istius comitatus usurpator, occisus esset, dispersa omninò & tantum non extirpata fuit. Hic igitur amore artis nostræ stimulatus, in Italiam sese conferens, Florentiæ pedem figebat, ubi opera plu-


HH



IOHANNES BOLONIE.


PETERUS BREUGEL BREDANUS.


BARTHOLOMEUS SPRANGER ANTV.


IODOCUS A WINGEN BRUXEL.


IOHANNES AB ACH COLONIENSIS.


IOSEPH HEINZ BERNENSIS.

rima pulcherrima partim in albario recente, partim colore oleario confecit, tanquam Vassarii in magno œco Ducali, alisque in locis adjutor laudatissimus, quorum causa celeberrimi artificis assecutus est famam.

Opera ejus. In templo ibidem Annunciationis cognomine claro imaginem crucifixi pinxit præstantissimam, in quâ tabulâ præcipuè notantur milites spongiam aceto immergentes, prout & typis æneis id vulgatum est. Sic pro Magno illius loci Duce prototypa plurima pinxit in usum peristromatariorum, quæ omnia de excitatissimo ejus ingenio testimonia præbent insignia: Undè & in meritam illius laudem subsequens compositum fuit Epigramma:

Stradano Belgâ Florens Hetruria gaudet,
Quæ tantum Belgis invidet Artificem.
Cujus & ipse Mycon opera, & miratur Apelles,
Quem doctæ & pulchræ progenuére Brugæ.

CIV. ÆGIDIUS DE CONINXSLOY, Pictor Antverpiensis,

CIV. GILLIS DE CONINXLOY. Antverpiæ nascebatur anno 1544. 24. Januarii parentibus Bruxellanis: postmodumque discipulus fiebat Petri Alostani junioris, quod matertera ejus uxor esset Petri Alostani senioris; abhinc autem in disciplinam tradebatur Leonhardo Kröso, qui tam humanas imagines, quàm subdialia colore & oleario & aquario pingere solebat. Deinde ad mensam accedens Ægidii Mostarti operas elocabat proprias, donec peracto itinere Gallicano, visitatisque Parisiis, Aurelianensibus & aliis Galliæ locis, Franckenthali in Germaniâ larem poneret, ibique per decennium commoraretur; & postea demum Amstelodamum peteret.

Opera ejus. Inter alia opera ejus celebria unum elaboratum erat pro Rege Hispaniarum: juvenem autem quendam morientem Jacobus Rolandus Advocatus ibidem in auctione quadam emerat. Multa enim elaborabat pro mercatoribus, qui picturas ipsius huc illuc transvehebant. Amstelodami apud Abrahamum de Maret opus adhuc extat magnum, ab illo factum: similiterque & apud Johannem Icket aliud, in quo Martinus Clivensis figuras humanas expinxit: præter quæ innumera quasi alibi adhuc supersunt alia, cum suo tempore pro celeberrimo subdialium pictore haberetur, præsertim quoad arbores atq; rupes.

CV. BARTHOLOMÆUS SPRANGER Antverpiensis Pictor.

Natus est Antverpiæ 21. Martii anno 1546. Patre Joachimo Sprangero Viro è Præcipuis: artem autem nostram à variis addidicit & in Italia potissimùm. Romæ, cum illuc venisset, hospitium nanciscebatur apud Eminentissimum Cardinalem Farnesium, in cujus Palatio S. Laurentii Damasini per triennium commorabatur: & quamvis deindè à Cardinali in Palatium illius Caprarolense, quod unius diei itinere ab Urbe Romanâ distat, mitteretur, ut ibidem subdialia quædam in albario recente pingeret, ex improviso tamen revocabatur, ut cum Cardinali & Domino Julio, Pontifici Pio V. pedes oscularetur & benedictionem acciperet: ubi cum à Pontifice ad picturas aulicas susceptus esset, extremum judicium, sex pedum altitudine, quod in Palatio Belvederano è regione Laocoontis locabatur, pingendum ipsi erat; quo in opere facies quasi quingentæ, prout illud in Monasterio Nemorali inter Papiam & Alexandriam super Monumento Pii V. adhuc extat: illudque mensibus triginta quatuor consummavit. CV. BARTHOLOMÆUS SPRANGER. Pictor evadit aulicus Pii V. Pontificis.

Et quamvis à Vassario è merâ invidiâ apud Pontificem deferretur, quasi inutiliter tempus suum tereret: id tamen hic noster mox eo ipso diluebat, quod in laminâ æneâ plagulæ chartaceæ magnitudine, Christum ad olivetum nocturno opere depictum Pontifici offerret, quod tantoperè huic arridebat, ut & reliquam Passionis Dominicæ partem ab eo pingi vellet; hac tamen conditione, ut singulas delineationes prius exhiberet, quo debito adhuc tempore, sicubi displicerent, corrigi possent. Quamvis autem Sprangerus (qui aliter quàm carbone vel creta delineare haud consueverat, invitus id faceret; in gratiam tamen Pontificis duodecim efformabat partes in charta cœrula monochromate pullo, quas deinde urgente Papâ calamo elimare cogebatur: ubi cum circa ultimam versaretur historiam, Pontifex è vivis excedebat. Quæ sanè partes admirandæ sunt Opera ejus Italica.

elegantiæ, prout una ex illis, quæ in Aula Cæsareâ adhuc existit, satis & abundè testatur.

Opera majora,

Deinde cum ad megalographica sese converteret primo in templo S. Ludovici Gallico, ad murum colore oleario pingebat S. Antonium, Johannem Baptistam, & Elisabetham; & desuper in aëre imaginem D. Virginis, in consortio Angelorum elegantissimè omnia. Deindè ad S. Johannem propè Portam Latinam historiam pingebat S. Johannis colore oleario, imaginibus viventium magnitudine paulò minoribus. Postea in templo apud Fontanam de Treves S. Annæ partum dimidiâ viventium mole, cum variis fœminis circa Mariam modò genitam occupatis & similibus; prout figuræ æneæ id edocent.

& Minora.

Minora opera quasi innumera conficiebat, quæ quamprimùm consummata essent, vel etiam citius, suos jamjam habebant emtores. Post mortem Pontificis plurimum temporis inaniter trivit, quod in consortio Mercatoris cujusdam Belgæ juvenis amici sui viveret, qui venationi continuò vacabat, in cujus societate otio pariter indulgebat, manum operi haud admovens, nisi cum nummis careret.

Viennam venit.

Interea cum Maximilianus II. Imperator Romanorum à Johanne Bononiensi Statuario Florentini Ducis Belga celeberrimo pictorem quendam pereximium & statuarium desideraret, quos ipse ad opera majora judicaret idoneos; hic Sprangerum, cujus picturas in Palatio Papali sæpè viderat, & Johannem Mont, è discipulis suis, summâ cum Imperatoris satisfactione illuc mittebat.

Cumq; interim Imperator in Comitiis esset Ratisponensibus ob coronationem filii sui Rudolphi II. statuarius iste Mont ideas quasdam cereas vel gypseas, & Sprangerus delineationes & picturas conficiebat pro camerâ quadam in ædificio novo extra Viennam, in turri quadam è regione horti Phasianorum. Dehinc & Epitaphium quoddam elaborabat, in quo sepultura Christi, quæ in Xenodochio Cæsareo Viennæ adhuc conspicitur.

Coronato interea Rudolpho & mortuo anno 1576. mense Octobri Maximiliano, cum duo hi artifices circa opera quædam gypsata & picturas albarii recentis versarentur, mandatum tamen ad Quæstorem Aulicum emanabat, ut non attento sive frigore, sive luctu ob Imperatoris obitum, duos hos exoticos haud dimitteret, sed usque ad adventum novi Cæsaris menstruum ipsis salarium suum debitè porrigeret. Interea Sprangerus Mercurium pingebat, Psychen in Deorum consilium introducentem. Item in lamina ænea Romam sedentem cum Tyberi fluvio Lupaque lactante puellos: quarum picturarum prior ad Imperatorem recentem mittebatur. Appropinquante autem post semestre spatium adventu ingressuque Cæsareo, magistratus Viennensis Artificibus nostris ad erigendam in foro rustico Vetere portam triumphalem magnificentissimam utebatur: ubi Montanus Architecturam, Sprangerus imagines octo novemque pedum curabat. Exhibebantur autem utrinque Maximilianus atque Rudolphus, & inter alia Neptunus quidam nudus curâ maximâ elaboratus: in summitate autem Portæ super arcu quodam Pegasus, circa quem Musici adventantem Imperatorem harmoniâ elegantissimâ excipientes. Imagines autem hæ partim colore oleario albo, tanquam è marmore candido essent; partim fulvo, ut virtutes & circumstantes figuræ aliæ, omnes viventium quantitate expictæ erant. Opusque hoc, maximis illius fori domibus longè erat altius, quod singularem Senatus hic ostentare vellet magnificentiam; & cum magnâ tamen universorum admiratione die vigesima octava consummatum erat, quamvis & pluviæ interea ingruentes eosdem haud parum impedivissent.

Opera ejus Viennensia.

Postmodum autem recens hic Imperator, quod primò arti nostræ haud adeò faveret, Viennâ Lyncium abiens, alterum ex his artificibus aulam sequi, alterum Viennæ subsistere volebat, quod postremum Sprangerus observabat.

In summâ est gratiâ apud Rudolphum Imperatorem.

Anno dehinc 1582. Imperator Sprangerum Pragâ Viennam vocabat, ut Augustam Vindelicorum in Comitia, & abhinc iterum Viennam aulam sequeretur: ex quo Sua Majestas Sprangerum alibi haud pingere volebat, quàm in conclavi quodam cubiculo Cæsareo proximo, quod sæpissimè summâ cum delectatione laboribus ejus interesset; unde fiebat, ut Sprangeri opera tam rarò jam invenirentur; cum præcipuè socios non haberet, nec nisi propria voluptate stimulatus labori manum admoveret: tot enim jamjam affluebat opibus, ut lucrandi panis causâ laborare non cogeretur, sed in gratiam Principis ac Domini sui omnia tantummodò faceret: quod in decimum septimum usque ita continuabat annum. Interea tamen opusculum quoddam Domino Pilgrim graphicophilo insigni amico suo è peculiari favore mittebat, nimirum Mercurium, præsente Venere, Cupidinem literas docentem;

quod sive inventionem, sive picturæ sollicitudinem spectes, quasi inæstimabile est.

Incomparabilis in Diagraphicis.

In Diagraphicis similem non habebat, fatente non tantùm Goltzio, sed docente id etiam celeberrimo illo Deorum convivio, ob matrimonium Psyches instituto, quod Goltzius typis æneis publicavit, in quo officia singuli habent argutissima, ut Hercules prætorium; Apollo cum Musis Harmonica; Ceres, culinam; Bacchus cellam &c. curet. Singulari enim Sprangerus ubivis pollebat acumine, unde & haud minore eundem prosequebatur favore Imperator, quàm Apellem Alexander.

Belgium visitat.

Cumque ferventissimo semper videndæ semel patriæ ureretur desiderio, permittente tandem Imperatore post triginta septem annorum absentiam in Belgium abiit: & quoniam in Comitia non Cæsareis, (quod facere potuisset.) sed propriis sumtibus profectus esset, Imperator pro itinere hoc Belgico mille ipsi numerari jubebat florenos: ipse autem ab omnibus graphicophilis summâ cum comitate recipiebatur, ut & Senatus Amstelodamensis Vini eundem exciperet munere; & Harlemenses artifices liberali eundem cum suis honorarent hospitio, additis & à quibusdam donis singularibus; Antverpia autem patria, peculiari eundem prosequeretur honore; donec per terram Coloniensem, Pragam iterum reverteretur, ubi suum habebat domicilium, quod tamen paulò pòst cum æternâ permutavit mansione. Iconem autem illius tabulâ nostrâ H. H. exhibuimus.

CVI. JOAS DE WINGEN Bruxellensis pictor,

CVI. JOAS DE WINGEN.

Opera ejus Belgica.

ARto Mytenio artifici celeberrimo coævus Bruxellis natus est Anno 1544. indque pictorem evasit longè clarissimum, ut & à picturis esset Parmensi Principi. Opera autem pinxit varia præstantissima, & in specie in templo S. Godelæ Bruxellensi Sacram Cœnam, in altari quodam, pro quo Paulus de Vries ornamenta gypsata adornavit, quod optimum dicitur operum ejus, quæcunque in Belgio existunt. Deinde Bruxellis apud Doctorem quendam Johannem Mytens Historia Samsonis spectatur, cui capilli præscinduntur: & Pauli conversio alibi in domo civis cujusdam. Postmodùm aliò transmigraturus suo loco Principi Parmensi Octavium de Veen recommendabat, ipse autem anno 1584. Francofurtum abibat, ubi Belgii pressi emblema argutissimè depingebat, fœminam exhibendo nudam, catenâ quadam gravissimâ rupibus affixam, cujus capiti superimminebat figura temporis, quasi eandem liberaturi, catenasque diffracturi; pedibus autem illius prostrata adjacebat Religio cum Scriptura S. quam Tyrannis sub habitu militis, districtum manu tenentis gladium, pedibus conculcabat: quod opus adhuc Francofurti apud Dominum de Neufville Graphicophilum celeberrimum, unà cum picturis aliis longè præstantissimis spectari potest.

Adhuc alia ejusdem.

Unius deinde historiæ duas expinxit partes pulcherrimas, de Apelle, scilicet, Campaspis pingente iconem; & illius interea amore exardescente: quarum partium una Hanoviæ existit in Neopoli apud Danielem Sorreau mercatorem & graphicophilum maximum; alteram autem Rudolphus Imperator Pragam misit. Sic Francofurti quoque apud Doctorem quendam elegantissima illius conspicitur Andromeda; unà cum iconibus quibusdam: item Epitaphium quoddam pulcherrimum in pinacothecâ Domini Schellekens, ibidem, Medioburgi apud Melchiorem Wyntgis ab ipso facta quoque extat historia Pinehæ Sacerdotis, lancea scortatorem & Madianitidem nudos transfodientis, quod opus magnificum admodum est, ob figuras viventium quantitate exhibitas. Sic & Amstelodami apud Cornelium de Voort magna existit Justitiæ figura, quasi innocentiam contra injustitiam defendens. Similiter & figuræ quædam æneæ ab ipso vulgatæ reperiuntur: inter quas Convivium aliquod nocturnum; societas quædam larvatorum; Imago Crucifixi, & alia, ex quibus arguta ejus dispositio, summumque ingenium & delineandi venustas satis apparent.

Cœterum sodalitiis insigniter delectabatur, haustulum vini neutiquam abhorrens, & colloquiorum inter pocula institutorum sedulus cultor, ita tamen, ut nec pergræcatoris nec helluonis nomine notaretur.

Ieremias de Wingen filius ejus iconibus excellit.

Post sese filium relinquebat, cui Jeremiæ nomen erat, quique ob naturalem erga hanc artem inclinationem, in illâ tantopere proficiebat, ut in Italia plurimùm celebraretur, & opera aspiceret laudatissima varia. Quamvis deinde Francofurtum reversus iconibus potissimum pingendis inclaresceret, quod historiarum picturis minùs delectaretur. Cum autem morum civilitate polleret singulari, ejusque beneficio

morem virginis cujusdam ditissimæ, Annæ Mariæ Martens, sibi acquisivisset, quam & uxorem duxit; in medio hoc opum affluxu, artis suæ usum sic omninò negligebat, ut per multos annos penicillum haud contingeret, sed equis tantùm pulcherrimis aliisq; voluptatum genere tempus consumeret. Auctâ autem interea sobole & decrescentibus magis magisq; opibus, necessitate tandem urgente, & ingravescente ætate, picturæ iterum studia reassumsit, ut per paucos quosdam annos iconibus pingendis rursum vacaret, quas tamen tantâ elaborabat curâ, ut prototypo omninò essent similes: donec anno ætatis suæ 70. & æræ Christianæ 1648. è vivis excederet: cum Pater ejus Joas Francofurti mortuus esset anno Domini 1603. ætatis suæ 61. cujus effigiem tabulâ nostrâ H. H. exhibuimus.

Caput XIV.

CORNELIUS KETTEL,

& artifices adhuc tres alii.

Argumentum.

CVII. CORNELIUS KETTEL, pictor Goudensis: in Galliam venit: in Angliam abit, & varia ibi pingit opera. CVIII. HEINRICUS GOLTZIUS, pictor, Chalcographus, & encaustes Mülbrechtanus: juvenilibus annis matrimonium init: per Germaniam in Italiam abit. Apographa facit statuarum Romanarum antiquarum: Neapolin abit. Typi ejus ænei: picturæ ejus. Apophthegmata quædam illius. CIX. HEINRICUS CORNELIUS VROOM, pictor Harlemensis: primò plastes est vasorum Porcellanorum: itinera ejus: Rebus nauticis pingendis incumbit. CX. JOHANNES SOENS, pictor Boscoducensis, in subdialibus celebris est.

CVII. CORNELIUS KETTEL; Pictor Goudensis,

CVII. CORNELIUS KETTEL.




Natus anno 1548. Dominica Judica, tanto fervore in tyrociniis hanc artem prosequebatur, ut omnes condiscipulos suos post se relinqueret; anno igitur ætatis suæ 18. ad Antonium de Blockland Delphos se conferebat, annum ibidem commoratus integrum. Anno 1566. In Galliam profectus Fontanas bellaquenses adibat, ubi in consortio Hieronymi Frank, Apri Fransen, Johannis de Maye & Dionysii Ultrajectani, Belgarum juvenum, vivens, per aliquot menses certaminibus intererat suæ artis variis amicissimis, donec adventante Rege societate solutâ ipse Parisios abiret, ubi sumto apud Johannem de la Hame, encaustâ Regis, hospitio, nonnullas pro sese historias pingebat.

In Galliam venit.

Ejectis autem edicto regio paulò pòst peregrinis omnibus, qui non per biennium ibi jam commorati essent, in patriam, deficiente conditione aliâ, redeundum ipsi erat, ubi, quamvis per sexennium integrum occasiones coñubii haud paucas haberet, ob turbas tamen bellicas cælebs manens Annoque 1573. in Angliam profectus Londini ad statuarium quendam sympatriotam suum sese conferebat: ubi benevolè acceptus, emergente ob vendita quædam mox fama ejus, ad icones varias pingendas confestim adhibebatur; ut & uxorem ibidem duceret, & per octennium ibidem commoraretur. Inter alia opus quoddam ibi pingebat figurarum viventes exæquantium, de providentia, sapientia & fortitudine, quod à mercatore quodam Anglo coëmtum, summo Angliæ Cancellario dono dabatur. Dehinc anno 1578. effigiem conficiebat Reginæ Anglicanæ, & Comitis Oxfortensis, cum variis aliis viventium mole expressis. Anno 1581. in Hollandiam redux, Amstelodami pedem figebat, ubi labores habebat plurimos. Tandem & Venetias abibat; ubi postquam anni spatio degisset, Romam quoque tamdiu circiter incolebat: quo in loco sic porrò proficiebat, ut ad summum perfectionis fastigium ascendisse dicendus esset. Postremò autem febris ardentis malo abripiebatur floridâ adhuc ætate, dum Regis Danici effigie pingenda occupatus esset.

In Angliam abit,

Et opera quædam ibi conficit.



CVIII. HENRICUS GOLTZIUS, Pictor, Chalcograpus & encaustes Mülbrechtanus,

CVIII. HEINRICUS GOLTZIUS.

Cujus patria pagus quidam erat Ducatus Juliacensis, nomine Mülbrecht, parentes autem clarissimi; ibidemque nascebatur Anno 1558. Cumque Harlemum venisset, paulò pòst magnum istius Urbis incendium, circa diem Johannis Baptistæ, in disciplinam Leonhardi susceptus, hâc in arte fideliter informabatur; profectisq; interea Parentib' ejus in Germaniâ, ipse eodẽ in loco subsistens, uxorem tandem ducebat viduam quandam, cui filius erat Jacobus Matthan, quem in Chalcographicâ informabat. Cum autem juvenilem suam ætatem, quod annum vigesimum primum demum attigisset, & varias insimul matrimonii ærumnas maturiùs perpenderet, tantò propterea obruebatur mœrore, ut in morbum exhinc incideret phthisicum, sanguinisque vomitu, quicquid adhiberent medici, per integrum conflictaretur triennium.

Juvenilibus adhuc annis matrimonium init.

Cumque nulla jam ipsi spes esset reconvalescendi, in Italiam proficisci statuebat, ut inibi, si non restitutionem sanitatis, majorem tamen in arte suâ perfectionem assequeretur. Assumto igitur in hunc finem famulo, relictisq; domi discipulis plurimis, circa finem Octobris anni 1590. Amstelodamo Hamburgum primò, quamvis procellis & tempestate adversâ graviter quassatus, abibat, & deinde pedes quasi totam Germaniam peragrans, de die in diem ob mutatum aërem, sanitatis suæ statum in melius converti sentiebat: quô & id haud parum conducere videbatur, quod non tantùm tot provinciarum nationumque mirè delectaretur varietate, sed & cum apud artifices, tam pictores quàm chalcographos, ignotus esse vellet, famulumque domini loco substitueret, insigniter gauderet, cum ab imperitis alicubi reprehenderetur, à peritioribus alibi laudaretur ipse præsens, nec agnitus tamen: quod ita alterabat statum animi ejus, ut morbus pristinus omninò cederet, & ipse plenariæ sanitati restitueretur.

Per Germaniam proficiscitur.

In Italiam itaque progressus, visis Venetiis, Bononiâ & Florentiâ, 10. tandem Januarii anni 1591. Romam perveniebat, quod tam diu desideraverat: ubi assumtis veste Alemanicâ, & nomine Heinrici Brachtensis, per menses aliquot incognitus manebat, tanquam tyro statuas antiquas delineaturus: Undè tyrones alii ipsum ferè contemtui habuissent, nisi exhibito specimine confusi & in admirationem conversi essent, ex quo amicitiam deinceps illius ambitiosè quærebant. Et quamvis præter magnam hujus temporis annonæ caritatem febribus quoque ardentibus Romæ aliquot millia abriperentur, ut fora omnia, cunctique vici cadaveribus contegerentur, Goltzius tamen periculo hoc insigni à proposito suo prædictas delineandi statuas neutiquam dimovebatur; ut ut etiam propè has ipsas statuas, circa quas ipse tunc occupabatur, corpora quædam jacerent, tetrum jamjam spirantia fœtorem.

In Italiam

Ubi statuas antiquas delineat.

Sub finem autem Aprilis anni sequentis Neapolin abibat in societate viri cujusdam juvenis Johannis Matthiadæ aurifabri, & Philippi de Wingen nobilis Bruxellensis ditissimi, ubi tres isti ob latronum pericula sepositis vestibus ordinariis, viliori induti erant habitu. Wingensis autem, qui diligentissimus erat antiquitatum scrutator, Abrahamique Ortelii Historici illius celeberrimi amicus singularis, exhibitis Goltzio epistolis quibusdam, docentibus Goltzium in Italiâ nunc versari, adjectâ & icone ejus, non tamen eundem agnoscebat. Imò nec à Matthiade monitus, hunc ipsum esse Goltzium illum, cum quo loqueretur, ob vilem illum habitum id credebat: donec per alias iterum literas monitus, visoque brachio Goltzii læso, inque hoc nominis illius characteribus H. G. quæ cum effigie ejus omninò conveniebant, exsiliens eundem amplexaretur. Postquam igitur non Neapoli tantùm, sed & Puteolis omnia vidissent notatu digniora; quin & in Urbe Neapolitanâ Goltzius statuam illam Herculis antiquam elegantissimam delineasset, triremibus tandem Papalibus Romam revehebantur, unde Goltzius cum socio suo Matthiade, post elaborata opera quædam artificiosissima, magnoque rarissimarum delineationum numero onustus domum quoque iterum abibat. Ubi cum paulò post, malum ipsius pristinum eundem invaderet, consulentibus medicis lac primò caprinum per multos annos bibere, quin & ubera fœminina exsugere cogebatur, quo remedio tandem iterum reconvalescebat.

Neapolin proficiscitur.

Opera autem ejus præsertim chalcographica de promtitudine manus & acumine judicii ejus testimonia perhibent abundãtissima; ut vel sola sufficeret historia ejus de Lucretia, ad ipsius inventionem æri quoque ab ipso incisa, ubi convivium simul quoddam pro exornando hoc opere tantâ vestium varietate abundat, ut revera hic demum ea eluceat differentia, quæ inter illum & Belgas antiquiores. Et quamvis aliorum quoque artificum opera veluti Hemskerkii, Francisci Floris, Blocklandii, Friderici & Sprangeri quædam ære exprimeret, inter quæ convivium Sprangeri cœleste; plurima tamen laudatissima manu invenit propria, quæ ob brevitatis studium hoc loco recenseri nequeunt; cum aliàs per sese integrum requirerent Volumen

Chalcographica ejus.

Silentio tamen præteriri non possunt sex illa opera pretiosissima, Serenissimo Bavariæ Duci ab ipso dedicata, pro quibus etiam torquem aureum unà cum numismate gratioso dono accepit. Quibus etiam similis est Passio ejus Dominica juxta methodum Lucæ Lugdunensis, quamvis in multis emendatior: item Imago D. Virginis Christum mortuum gremio sustinentis, opus parvum quidem, sed arte plurimâ refertum, & juxta methodum Alberti Dürreri omninò elaboratum, quod apud D. Beernstein Graphicophilum maximum Harlemi asservatum fuit, è quibus omnibus satis apparet, quantus hic noster in arte pictoriâ fuerit Proteus, & quàm facilè modò hanc modò illam pingendi formam assumere potuerit.

Picturæ ejus.

Cum autem juxta cælandi artē & colorum usum mirè fuerit insignis, de picturis quoque ipsius quædam subjicienda sunt. Postquam enim ex Italiâ domum fuisset reversus, artificiosissimas illas picturas Italicas tam firmiter memoriæ suæ impresserat, quasi eædem ob oculos ipsi adhuc versarentur. Semper enim memor erat ditissimæ delineationis Raphaëlicæ; propriissimæ vividitatis Correggianæ, floridissimi coloris Titianei, ut mirè delectarentur artifices plurimi, cum Goltzium de arte hâc saltem audirent differentem. Non enim cretarum saltem usu mirè pollebat, sed easdem & coloribus egregiè illustrare solebat: ut de eo id diceretur paradoxum, eum ad consummatissimam penicilli & colorum oleariorum praxin pervenisse vix biennio post ablactationem suam, quamvis tum jam natus esset annos 42. Primum ejus opus in gratiam Gisberti Ryckersen Harlemensis fiebat, quod erat nocturnum figuris minoribus in laminâ æneâ confectum de Christo sepeliendo, ubi è longinquo Urbem Hierosolymitanam adjecerat.

Apophthegmata ejus.

Nihil autem majoris æstimabat, quàm libertatem & honorem, ut & pro Symbolo ipsi esset hoc dictum: Aurum æquat honor. Ambitiosior enim erat, quàm avarior, quamvis vestium luxui haud nimium indulgeret. Cœterùm & in naturali Philosophiâ insigniter erat peritus, & dictorum argutiorum haud parum studiosus. Sic cum factis iconibus duorum Nobilium Polonorum, horum loco Mercator quidam Amstelodamensis, qui pecuniam numeraturus erat, summam pro illis ab ipso postulatam judicaret esse nimiam, quod hoc modo ipse plus lucraturus esset, quàm Mercator quidam: subridens, Eheu! supponebat Goltzius: quantum ab Artibus differt mercatura! cum datis nummis facilè quis mercator, non autem tam facilè evadere queat artifex. Sic ad alios Nobiles vocatus ad conficiendam iconem quandam, cum vino hi eundem obruerent, in quem finem vocatus esset, interrogabat? regerentibusque, quod res erat; quid ergò, inquit, impedire conamini scopum istum? cum ebrius bestia potius fierem, quàm desiderio vestro arte meâ satisfacere possem. Similiter cum quempiam audiret sese collaudantem: divitem illum satis affirmabat, satisque felicem: cum dives sit ille, qui contentus est, & felix, qui felicem se opinatur. De semet ipso autem sæpius dicere solitus est, nunquam sese proprio labore suo penitus fuisse contentum.

Ejus discipuli.

Discipuli ejus fuerunt Gheynius & Jacobus Mattham privignus ejus; Vitamque tandem cum morte commutabat Harlemi, summo cum dolore non graphicophilorum minus quàm cognatorum, quamvis nomini ejus immortalitatē conciliare fama adhuc allaboret.

CIX. HEINRICUS CORNELIUS VROOM

Pictor Harlemensis.

CIX. HEINRICUS CORNELIUS VROOM.

Natus est Harlemi Anno 1566. Vitricus ejus erat Cornelius Henrici statuarius, & plastes artificiosorum illorum vasorum Porcellanorum: avus Heinricus Vroom statuarius insignis. Ipse autem à vitrico ad plasticam primò Vasorum illorum artificiosorum adhibebatur, quâ in arte quoque multâ progrediebatur industriâ.

Primò plastes est;

Itinera ejus.

Cum autem ad altiora aspiraret, Roterodamum primò, & hinc in Hispaniam ad Urbem Lucarensem, mox Seviliam adibat, ubi ad pictorem quendam Belgam, communioris generis, quem Pintemony i. e. pictorem simiarum vocabant, sese conferebat: abhinc Romam veniebat in servitia Eminentissimi Cardinalis Medicæi, cui intra biennium multa elaborabat opera, ubi Paulus Bril sæpius eundem visitabat, in pluribus eundem hic illic informans. Hinc Venetias abiens ad plasticam Vasorum Porcellanorum revertebatur, sed uno tantùm ibidem moratus anno Mediolanum, Genuam, Arbizziolum, & porrò Turinum, & Lugdunum visitabat, ubi in arce quadam Domini Bottoini res bellicas istius & parentum ejus, in Italiâ circa Pisam terrâque marique gestas picturis illustrabat, quibus triremes plurimæ, aliæque naves, nec non equi & milites varii tam pedites quàm equites inserendi erant; non

conces-

concesso tamen nisi semestri pro tanto labore spatio. Tandem autem per Parisios & Rotomagenses in Hollandiam redibat, uxoremque Harlemi ducebat. Post annum verò Dantiscum abibat, in auxilium cognati cujusdam sui tabulā quandam pro Jesuitis in Poloniâ inchoaturus. Hinc cum uxore domum quidem, sed statim cum picturis quibusdam artificiosis in Hispaniam navigabat, cum insigni commodo suo, quamvis inter extremas tempestatum procellas domum reversus.

Rebus nauticis pingendis incumbit.


Ubi consulentibus amicis ad picturas nauticas sese applicabat, circa quas brevi insignem adipiscebatur perfectionis famam. Cumque interea Franciscus Spiring peristromatarius insignis pro Navarchâ Anglicano, Domino Haubert, prœlium illud navale, quod inter classem Anglicanam & Hispanicam Anno 1588. gestum erat, tapetibus intexendum suscepisset, nec circa naves exprimendas sufficientem haberet peritiam, opus hoc nostro relictum artifici, ab hoc cum laude quoque consummabatur; pro quo, præter mercedem ordinariam, ab Admiralio centum insuper florenorum donum accipiebat. Et hoc opus à Mauritio Comite, & Admiralio Justino summâ cum admiratione conspiciebatur, quod non tantùm circa naves, sed & circa subdialia alia, ceu sunt tractus campestres, rupes, arbores, castella, pagi, urbes, pisces & similia multa contineret rariora.

CX. JOHANNES SOENS Pictor Boscoducensis.

CX. JOHANNES SOENS.

Prima quidem Parmæ in Italia, apud Ducem illius Urbis, hujus artis jecit fundamenta, deinde autem Antverpiam profectus, primò pro sese, deinde & apud Ægidium Mostartum laboravit, ubi elegantissimorum Francisci Mostarti operum fecit apographa, quem magno quoque ingenio laudabiliter æmulabatur. Opera ejus quæpiam Amstelodami extant apud Dn. Heinricum Louwers, inter quæ campus quidam frugibus jam maturescentibus abundans. Alia autem in Italia extant, & plurima Romæ in Oeco Papali; inter quæ pictura de S. Augustino & puero maris undas cochleari minuto in foveolam quandam exhausturo: ubi mare illud multo claret artificio, sive umbræ omninò naturalis, sive solis reflexio, sive fluctuum undulaturæ, sive alia spectentur. Quamvis nec minori cura & imagines humanas pingeret, quarum multæ adhuc Romæ conspici possunt: ut adeò artificibus aliis celebrioribus haud immeritò annumerari queat.

Subdialibus excellit.



Caput XV.

JOHANNES AQUISGRANENSIS, cum quatuordecim artificibus aliis.

Argumentum.

CXI. JOHANNES AQUISGRANENSIS pictor Coloniensis. In Italiam venit, Venetias sc. Romam & Florentiam: deinde Monachium & in aulam Cæsaream. Epigramma. CXII. JOSEPHUS HAINZ Bernensis pictor: Romam venit: opera ejus: Balneum Dianæ, & alia. CXIII. PETRUS de WITT pictor Brugensis. CXIV. MATTHÆUS BRILL, pictor Antverpiensis. CXV. PAULUS BRILL Pictor Antverpiensis: subdialibus studet. CXVI. CORNELIUS CORNELIDES Pictor Harlemensis: Opera ejus: Cohors militum; Charitas; Diluvium & alia. Nocturnis incumbit. Discipuli ejus. CXVII. JACOBUS de GHEYN Pictor Antverpiensis. Filius ejus operibus miniatis & Chalcographicis studet. CXVIII. ADAM de ORT Pictor Antverpiensis. CXIX. OCTAVIUS de VEEN, Lugdunensis pictor Antverpianus. Opera ejus præcipua. CXX. JOHANNES ROTENHAMMER, pictor Monachiensis: Opera ejus Augustana. Vita ejus. CXXI. JOACHIMUS UTENWALIUS, pictor Ultrajectinus.

ctinus. CXXII. TOBIAS VERHOECH, subdialium Pictor. CXXIII. PETRUS CORNELIUS de RYK, Pictor Delphensis: Opus ejus. CXXIV. FRANCISCUS BADENS, Pictor Antverpiensis. CXXV. DAVID VINKEBOOM pictor Mechliniensis; Opera ejus.

CXI. JOHANNES AQUANUS Pictor Coloniensis,

CXI. JOHANNES de AKEN.



Natus est Coloniæ Agrippinæ Anno 1556. parentibus honestissimis, & patre quidem Aquisgranensi, unde cognomen filio, qui post jacta in Trivialibus fundamenta, ad diagraphica applicitus, methodum Sprangeri statim imitari conabatur. Profectus autem circa annum ætatis 22. Venetias, ut apud pictorem quendam Belgam Casparum Rems ulteriora artis comprehenderet, cum ab hoc ob patriæ vitium, quæ ingeniosos non produceret, ad Morettum pictorem communioris sortis dimitteretur, factis primò picturarum quarundum in templis suspensarum apographis, deinde & Magistri sui effigie, ridente & extra speculum prospiciente, ob insignem circa hanc adhibitam argutiam atque curam à prædicto Casparo Rems tantoperè æstimabatur, ut effigiem hanc per totam vitam suam asservatam cum laude pluribus exhinc ostenderet.

Venetias abit.

Deinde Romam profectus pro Patribus Societatis JESU noctem Nativitatis Dominicæ pingebat cum choro Angelico, inventione acutissimâ, quæ in templo illorum propè Capitolium adhuc extat. Postmodum & sui ipsius confecit iconem, quasi à tergo Fidicinæ cujusdam, quæ Madonna Venusta vocabatur, adstantis, vinoque plenum tenentis vitrum, de quo opere, quod nunquam melius quidpiam vidissent, afferebant artis periti. Porrò & Florentiam est digressus; ubi præter Magnatum utriusque sexus variorum effigies, iconem quoque Francisci Magni Ducis pingebat. Venetias autem redux Illusionem Christi pingebat, ubi Dominum ferè nudum exhibuit, sed magno artificio. Deinde & Danaen viventis magnitudine pinxit pulcherrimam. Item Imaginem D. Virginis & S. Catharinæ, quæ à Raphaële Sadlero æri incisæ sunt. Coloniam porrò regressus, ab Ottone Henrico Comite Schwartzburgensi Serenissimi Bavariæ Ducis Aulæ Magistro Monachium vocatus in Sacello ejusdem Sepulchrali Epitaphium quoddam pingebat, quod in cœmiterio Franciscanorum ibidem adhuc extat, de inventa ab Helena S. cruce; quâ picturâ tantoperè delectabantur Dux ipse atque Ducissa, ut utriusque necnon Principis & Principissarum icones ipsi pingendæ essent, pro quibus, unà cum mercede laudatissimâ, aureum simul dono accipiebat torquem.

Romamq;

& Florentiam.

Dehinc Monachium.

Ex Bavaria Pragam discedebat, in aulam scilicet Imperatoriam, quo jam ante quadriennium vocatus fuerat: ibi pro Imperatore Venerem pingebat & Adonidem, quibus hic ob recentem ejus gratiosumque colorandi modum admodùm contentus erat. Ob certas tamen causas Monachium rursus abhinc, & mox Augustam Vindelicorum abibat, ubi Comitis cujusdam Fuggeri conficiebat iconem. Sed statim ab Imperatore revocatus, non iterum dimittebatur, cum quotidiè, ceu Alexander Apellem, eundem visitaret, unde hic innumera quasi opera artificiosissima in gratiam S. Suæ Cæs. Majestatis, partim pro pinacothecâ porticus; partim pro Oeco majore elaborabat.

& ad aulam Cæsaream.

Prætereà Amstelodami apud Dominum Henricum de Ot graphicophilum insignem ab ipso picta extat imago pacis, sub specie fœminæ nudæ venustissimæ, olivæ ramum gestantis, ad cujus pedes arma varia: ad denotandum tranquillum sui ævi statum, sub quo artes omnes floreant. Inter omnes autem Germanos & Belgas hic noster singulariter conatus est apographa facere omnium operum artificiosorum, tam Romæ quàm Venetiis existentium; eaque omnia tantâ curâ atque sedulitate, qualis unquam adhibita fuit: undè ab ipso Imperatore Romam mittebatur, ut pro Majestate Suâ omnes statuas antiquas delinearet.

Tantâ autem affluebat opum copiâ, ut nemo sui seculi pictorum ipsi æqualis esset: imò tanta etiam in Aulâ Cæsareâ ipsius erat autoritas, ut eodem mediante apud Rudolphum Imperatorem gloriosissimæ memoriæ multi admitterentur. Unde in videntibus quasi Parcis è terris sublatus, hoc honoratus est Epigrammate:

Epigramma.

Picturæ Aquanus primis se tradit ab annis:
Quæ præstat juvenis, vix potuére viri,
Germanum juvenem cum temneret Itala tellus,
Mox artem observans Roma Magistra stupet.

Iconem autem ipsius tabulâ nostrâ H H exhibuimus.

CXII. JOSEPHUS HAINZ Bernensis Pictor;

CXII. JOHANNES HAINZ. Sub eodem Rudolphi Imperatoris graphicophili maximi regimine cum Johanne Aquisgranensi, Bartholomæo Sprangero, Hufnagelio, Brügelio, Rulando, Saverio, Johanne & Ægidio Sadlero, & aliis inclaruit. Romam venit. Cum enim ab Imperatore in Italiam, & præsertim Romam, mitteretur, non tantùm statuas antiquas pulcherrimas, sed & omnes picturas elegantiores tam Venetiis, quàm alibi tantâ curâ delineabat, ut singulari propterea gauderet Imperatoris gratiâ.

Opera ejus. Inter opera ejus, laudatissima omnia, singulariter tamen eminuit Leda nuda cum cygno inclusa; quo in opere delineationem, colorem, omnemque elegantiam Antonii de Corregio tam accuratè observavit, ut si ipsissimum fuisset ejus apographum, similius fieri haud potuisset.

Balneum Dianæ. Deindè Balneum Dianæ pingebat, cum nymphis nudulis plurimis, ob Actæonis adventum partim sese occultantibus, partim vestibus sese contegentibus. Porrò pro eodem Imperatore magnam pingebat tabulam de raptu Proserpinæ; quæ ob gratiam admirandam & venustatem singularem tantoperè arridebat Imperatori, ut aliâ formâ eandem iterum pingere cogeretur fabulam; quod iterum tanto cum successu præstabat, ut annuum S. Majestas eidem numerari juberet stipendium, præter singularem pro quolibet opere mercedem. Unde tantoperè indies inclarescebat fama ejus, ut opera ejus anxiè conquirerentur: quorum plurima Ægidius Sadler, Lucas Kilian, Johannes Sadler, & Isaac Mayer Francofurtensis typis edidêre æneis. Cœterùm autem in conversatione civili tanta erat illius comitas atque affabilitas, ut multos undique sibi acquireret amicos. Mortuus autem tandem est Pragæ, magnoque cum dolore tam Imperatoris ipsius quàm Graphicophilorum omnium in Æde S. Johannis terræ mandatus. Filiusque ejus, quantum ego memini Venetiis adhuc vestigiis insistit paternis. Iconem autem ipsius tabula nostra H H. in gratiam benevoli Lectoris exhibere volumus.

CXIII. PETRUS de WITT Pictor Brugensis

CXIII. PETRUS de WITT. Quem inter varias artis pictoriæ gemmas Florentia mater protulit, unde postmodum Brugas in Flandriam abiit, multo artificio sive in albario recente, sive in opere oleario inclaruit; præsertim cum arte plasticâ ceras argutissimè tractare nosset, quod in arte pictoriâ multum ipsi proderat. Non enim pro Georgio Vassario Equite tantùm Romæ in Palatio & Oeco Papali multa elaboravit, sed Florentiæ quoque pro Magno Duce ad peristrom ita prototypa pinxit pulcherrima: ut & Monachii in Bavaria, quibus omnibus haud exilis percrebuit nominis illius fama.

CXIV. MATTHÆUS BRILL Pictor Antverpiensis

A magnâ illâ artium Altrice Roma, unà cum fratre Paulo attractus, in Palatio Papali, ejusque porticu & œco varia edidit artis suæ specimina, præsertim in porticu superiore, ubi tam subdialia quàm historica, nec non processiones Romæ usitatas depinxit varias. Mortuusque ibidem est anno Domini 1584. ætatis suæ 34. CXIV. MATTHÆUS BRILL.

CXV. PAULUS BRILL Pictor Antverpianus,

Autem in patriâ jactis apud pictorem quendam communiorem Danielem Wortelmann fundamentis, colore aquario panduras, & alia instrumenta musica primùm pingebat, quo genere per quatuordecim annos vitam sustentare cogebatur. CXV. PAULUS BRILL. Antverpiâ autem Bredam primo, & abhinc insciis cognatis suis Lugdunum in Galliam, tandemque Romam ad fratrem suum abibat, apud quem in arte varios faciebat progressus. Inter opera ejus autem potissimum eminebat opus quoddam subdiale maximum, in albario recente ad planum 68. pedum altum in Oeco Papali novo anno 1602. expictum, de S. Clemente anchoræ alligato & in undas projecto, cum Angelis quibusdam in aëre. Subdialibus studet. Sic in æstiva Pontificis conclavia sex pingebat tractus campestres, sex in montibus vicinis in territorio Papali circumjacentia monasteria exhibentes. Sic pro Cardinali Matthæo & fratre ejusdem Asdrubale Matthæo sex topographica alia pingebat, de castellis totidem ipsi subjectis, cum prospectu in longinquum amœnissimo.

Sic Henricus de Os laminam quandam cupream ab ipso pictam possidet, ruinis & figuris elegantissimis refertam, qualem sese campus Vaccinus Romæ spectandum exhibet. Et talia subdialia hic noster elaborabat plurima, tam minori quàm

majori formâ, naturali situ omnia, artificio maximo, & ingenio hactenus inusitato, arboribus præsertim, omnibusque illarum speciebus argutissimè expressis: unde hæc typographica ejus magno sæpè in auctionibus certamine desiderata, inque regionibus variis sollicitè quæsita, & à magnatibus & Principibus ingentibus pecuniæ summis coëmta sunt. Tandem autem Romæ è vivis excedebat Anno 1622. multâ laude cumulatus, dolentibusque eundem omnibus artis peritis.

CXVI. CORNELIUS CORNELII Pictor Harlemensis.

CXVI. CORNELIUS CORNELII.

NAtus est Harlemi Anno 1562. Patre Petro Cornelii pictore quoque (ut dictum ante) expertissimo, unde stimulante naturâ ad idem studii genus excit⁹, primoribus statim annis tantoperè proficiebat, ut pictor jam in teneriore adhuc ætate cognominaretur. In Disciplinam autem traditus Anno ætatis 17. Antverpiæ Ægidio Coigneto, fluidum istius modum tantâ arripiebat promtitudine, & vasculum aliquod floribus plenum tanta ibidem pingebat veritate, ut multi quosdam decerpere conarentur: unde Præceptor ejus diu eosdem, antequam venderet, asservavit, quamvis magnum sæpius ipsi offerretur pretium. Harlemum dehinc abiens Anno 1588. Cohortem ibidem pingebat militum ordine & dispositione singulari, quasi in foro Veteri existentium, ut cuilibet actio quædam esset propria, aliis ob familiaritatem dextras sibi porrigentibus; bibentibus cantharumque vel vitrum tenentibus aliis, aliis tabaci spirantibus fumum; talos vel similia tractantibus aliis: quin & vestibus, vultibus, crinibusque tantâ proportione tantâque similitudine verorum exhibitis, ut opus hoc eodem in loco multis aliorum præferatur centuriis.

Opera ejus

Cohors militum.

Dehinc in telâ majore Charitatis pinxerat imaginem, infantulis circumdatam, quorum unus cum felem caudâ prehenderet, unguibus bestiæ vulneratus tam argutè videbatur, ut rem ipsam spectare dixisses: quod opus in itinere ejus in Galliam quidam sociorum eidem surripuit, ut nec tabulam nec præmium dehinc viderit unquam. Deinde admirandum illud maximumque diluvii opus pingebat, quod postmodum Comes Lycestriæ in Anglia accepit. Inque optimo hoc studiorum ejus incremento historiam quoque Serpentum in deserto; Lapsusque Luciferiani pro Jacobo Raccaerto Amstelodamensi elaborabat: quæ ambo opera tantam undique spirant perfectionem, ut calami arte satis nunquam decantari valeant: unde meritò in loco quodam collocari deberent publico, cum inibi, quicquid valere potest & ordo & symmetria, & gestus, & ars tota, adhibitum sit dexterrimè. Post innumera autem alia longè clarissima Nocturnis in specie operam dabat; ubi circa verum colorum usum tantam promerebatur admirationem, ut opera ejus ab aliorum picturis similibus facillimè dignoscerentur: prout è pulcherrimâ illâ historiâ resuscitati Lazari apparet, quam Harlemi Anno 1602. pro Johanne Matthiâ confecit, ubi omnia tam sunt naturalia tamque plausibilia, ut meliora fieri non potuissent. Similiter & in iconibus humanis pingendis excellebat, quamvis easdem haud libenter tractaret, quod animus ejus majori voluptate circa sublimiora occuparetur.

Charitas.

Diluvium, & alia.

Nocturnis studet.

Discipulos etiam quosdam habebat egregios, interque alios fratrem Johannis Petridæ, Organœdi Amstelodamensis celeberrimi, Gerhardum; qui rudimenta artis apud Jacobum Leonhardum Amstelodamensem Encausten vitrarium posuerat, ubi tantâ etiam profecerat sagacitate, ut nihil quasi quod ulterius disceret ipsi superesse videretur: donec à Jacobo Rauwaerto commendatus huic nostro, unius anni spatio tantam assequebatur consummatæ peritiæ perfectionem, ut penicillum suum, ne cum Regio quidem Hispaniæ sceptro se commutaturum diceret.

Discipuli ejus.

CXVII. JACOBUS de GEYN Pictor Antverpiensis;

CXVII. JACOBUS de GEYN.

NAtus est Anno 1565. parentibus Ultrajectinis nobili stemmate oriundis: primumque in encausticâ vitrariâ singulariter clarus evadebat, quod opera quædam illius in fenestris templi Arcis Antverpianæ extantia abundè testantur. Deinde singulari quoque pollebat gratiâ in pingendis iconibus minoribus colore gummato. Porrò & colores olearios dexterrimè tractabat, ita ut prototypa sua, quæ antehac in charta depinxerat, postmodum colore oleario in lintea transferret. Mortuus autem est in statu ætatis medio, annoque circiter quinquagesimo, filium post se reliquens quasi septendecim annorum, qui opera patris sui inchoata omnia consummavit; mandatum simùl patris sui

Filius ejus.

gummatis ſtudet & chalcographiæ.

agonizantis ſedulò obſervans, quod ſcilicet cælaturæ operam dare deberet. Quamvis enim gummatis magis delectaretur, ad Goltzium tamen denique ſe conferebat, ubi chalcographicam intra biennium perfectè ſatis abſolvebat: ut & uxorem propterea duceret. Ad priora tamen ſtudia retractus, aliqua in illo genere præſtitit inſignia admodum, prout adhuc liber quidam ejus floribus elegantiſſimis refertus apud Dn. Heinricum Os Amſtelodami exiſtit: ut & vitrum aliquod pictum pulcherrimis floribus plenum, quod S. Cæſarea Majeſtas emit. Deindè cum Mauritius Comes equum quendam Turcicum generoſiſſimum dono accepiſſet, illiusque iconem hac arte expreſſam deſideraret; ejusdem voto hic quoque pleniſſimè ſatisfecit. Sic caput quoddam mortuum: item Venus dormiens illius, nec non Cupido dormiens, ad cujus pedes duo Satyri, Amſtelodami apud Dn. Wilhelmum Jacobi adhuc aſſervantur, quæ ſingula omnimodam perfectionem præ ſe ferunt. In chalcographicis tamen quoque diſcipulos quosdam habuit egregios, ceu ſunt Johannes Sanredam; Zacharias Dolendo, Robertus, & Cornelius quidam, qui omnes ſurculi fuerunt celeberrima hâc radice neutiquam indigni.

CXVIII. ADAMUS de ORT Pictor Antverpienſis.

CXVIII. ADAM de ORT.

Natus eſt Antverpiæ A. 1557. Patre Lamberto de Ort, qui & ipſe Præceptor erat hujus filii ſui in arte pictoria. Excellebat autem megalographicis, multisque operibus rariſſimis inclareſcebat, quæ adhuc de magna ingenii ejus perfectione reſtantur. Mortuus tandem eſt anno 1641. Antverpiæ, ubi vitam continuò egerat: ejusque effigies tabula noſtra II. exhibita eſt.

CXIX. OCTAVIUS de VEEN Pictor Antverpienſis,

CXIX. OCTAVIUS de VEEN.

Lugduni Batavorum natus eſt è bono ſtemmate: cumque naturali inclinatione ſuâ ad artem noſtram duceretur, in patriâ eandem apud Iſaacum Nicolai didicit. Profectus autem Romam, & peragratis cœteris quoque Italiæ Urbibus, apud Taddæum & Fridericum Zuccarum ad longè ſublimiores perfectionis gradus aſcendit, ut Princeps Parmenſis cum plurimâ Nobilitatis ejus parte magni eum æſtimarent. Abhinc in ſervitia Alberti Archiducis admiſſus, ejusdem & Archiduciſſæ conjugis conficiebat effigies optimas, quæ deinde ad Jacobum Angliæ Regem transmittebantur.

Et quamvis eodem tempore à S. Cæſareâ Majeſtate, nec non ab Archiepiſcopo Salisburgenſi, item ab Hiſpaniæ, nec minus à Galliæ Rege deſideraretur; cum Alberto tamen Archiduce in Belgium abibat picturis ejusdem aulicis præfectus, & ab omnibus Aulicis magni habitus. Hic varia elaborabat opera pulcherrima, inter quæ potiſſimum celebratur feſtum aliquod Bacchi, quod juxta prototypum Hemskerkii diſpoſuerat, prout illud Medioburgi apud Dominum de Wyntgis adhuc ſpectari poteſt. Similem laudem & Zeuxis ejus promerebatur in medio quinque nudarum conſiſtens. Adde, quod & celeberrimus Petrus Paulus Rubens rudimenta artis ſuæ huic debeat, quæ haud minima eſt laudum ejus portio.

Opera ejus.

Frater ejus Gisbertus de Veen chalcographus erat clariſſimus. Petrus autem alter illius frater pictor erat ſummâ pariter laude digniſſimus, quamvis opera ejus pluribus haud facta fuerint communia. Iconem autem Octavii tabulæ noſtræ II. inſeruimus.

CXX. JOHANNES ROTENHAMMER Pictor Monacenſis.

CXX. JOHANNES ROTENHAMER.

Natus fuit Anno 1564. & Monaci à Donawero quodam, communioris generis pictore artem didicit. Romam autem profectus laminis pingendis incumbebat, quod in more poſitum erat & Belgis quibusdam aliis: quamvis ipſe ob proprias inventiones pulcherrimas ſingulari hic uteretur ſucceſſu. Celebris autem fiebat picturâ quadam majore, in loco ſublimi facta, de Sanctis omnibus, Sanctisque Virginibus, nec non Angelis, tam inventione, quàm veſtium raritate, vultuumque gratia, & colorum amœnitate maximè ſpectabili.

Opera ejus.

Venetiis dehinc uxorem ducebat, ibidemque opera tam majora quàm minora elaborabat plurima, per omnes mundi angulos diſperſa atque divendita. Inter alia autem Dn. Johannes Ultrajectinus Aſſumtionem quandam B. Virginis ab ipſo factam poſſidebat; item Actæonem & Dianam multâ arte conſpicuam; quorum operum causâ in Belgio celeberrimis annumeratus eſt artificibus.

Præcipuè tamen Auguſtam Vindelicorum operibus exornavit plurimis laudatiſſimis: inter quæ in templo S. Crucis altare magnum omnium Sanctorum: nec non in æde S. Udalrici tabula ſimilis alia. Sic porta quoque Diſcalceatorum ab ipſo

Opera ejus Auguſtana.

elegan-

elegantissimè expicta est. Deindè domum integram Domini Hopferi in loco, quem Grottenaviam dicunt, recenter tunc extructam, nunc autem à Domino Eberts, graphicophilo maximo, possessam, picturis à summo fastigio usque ad imum plateæ, nec non quoad cœtera latera tam cortis quàm horti exornavit rarissimis. Similiterque porticum ibidem singularem, & Pinacothecam majoris Oeci, partim fabulis poëticis, partim historiis, partim Alabandæis variis, nec non subdialibus aliisque inventionibus ingeniosissimis, inter Architecturę ornamenta in albario recente sic illustravit, ut opus hoc adhuc indies à magnatibus & graphicophilis visitetur, & pro pulcherrimâ, ob tot albarii recentis picturas optimas, totius Augustæ domo habeatur: unde eandem quoque Dominus Possessor reparatione sedulâ in optimo statu hactenus conservavit. Nec minori industriâ nobilissima hæc manus domum Steiningerianam in calce humidâ exornavit, ut & hujus picturæ ab omnibus artis peritis cum admiratione considerentur.

Vita ejus. Quamvis autem per tot opera illustria tam oleario colore, quàm in albario recente facta ingentem pecuniæ summam tam Imperatoris atque Regum, quàm aliorum artis fautorum liberalitate lucratus esset; tanta tamen bonorum copia nullatenus ipsi sufficiebat, cum omnia tam citò rursus consumeret, ut in magna semper viveret egestate. Undè pro certo asseverarunt quidam familiarium ejus, eum plus, quàm octoginta millia florenorum lucratum, è contrario supra octoginta duo millia consumsisse, ut plura semper prodigeret quam acquisivisset, & post obitum ejus Amici ipsius quædam congerere cogerentur, quo honestè sepeliri posset. Alia ipsius gesta dolẽda sanè silentii potius peplo involvuntur, quàm ut recensendo eadem famæ illius ob artem eximiam gloriosissimæ, tam lurida ob nimiam vitæ ataxiam obducenda sit caligo.

CXXI. JOACHIMUS UTENWAL pictor Ultrajectinus,

CXXI. JOACHIMUS UTENWALL. Natus est Ultrajecti Anno 1566. Patre encauste vitrario, viro honestissimo, quem ipse ego anno 1626. tempore studiorum meorum ibidem sæpius visitavi, ætate jam gravem, sed benevolum admodùm, qui opera sua artificiosissima, quorum haud pauca asservabat, libenter conspicienda præbebat. Istius filius alius eandem professus artem, plurimum jam in ea profecerat, & procul dubio ad sublimiores gradus ascendisset, nisi lini mercimonio, cui non fine insigni rei familiaris augmento vacabant, distractus, commodo potius, quàm gloriæ studuisset.

Joachimus autem postquam artem suam apud Joam Baer pictorem Ultrajectinum didicisset, Patavium in Italiam profectus apud Episcopum de Malo per biennium commorabatur; cum quo dehinc tamdiu & in Galliâ permanebat, interea è propriâ suâ inventione pro eodem plurima elaborans. Post reditum varia pingebat, tam magna, quàm parva, ut dubium sit, utrum minoribus an majoribus picturis præva luerit. Antverpiæ apud Graphicophilum quendam tabula quæpiam ipsius reperitur sex pedes alta, decemque longa, de Lotho ejusque filiabus, in quâ figuræ quædam nudæ pulcherrimæ viventium magnitudine, nec non arbor quædam ardens elegantissima, & similia alia. Sic apud patruelem ejus Lucam Amstelodami Apelles quidam ipsius extat: Item Nocturnum de nativitate Christi, Angelisque pastoribus apparentibus; quæ sola, quantum ipse valuerit, sufficientissimè commonstrant; ut plura de iis adjicere supersedeamus.

CXXII. TOBIAS VERHOECH, subdialium Pictor.

Natus est Antverpiæ Anno 1566. ubi subdialibus deinde magnam affecutus est nominis sui celebritatem: quæ non parum & hinc aucta est, quod Petrus Paulus Rubens pictorum illud Lumen eundem primum suum appellavit præceptorem. Mortuus autem est Antverpiæ anno post natum Salvatorem 1631. CXXII. TOBIAS VERHOECH.

CXXIII. PETRUS CORNELIUS de RYK Pictor Delphensis


Fundamenta artis suæ in patriâ jaciebat apud Jacobum Wilhelmum, quamvis post duos tyrocinii menses ab arte hac iterum abstractus, ad alia applicaretur. Ductus autem inclinatione quadam naturali, ad priora redibat, discipulus factus Huberti Jacobi, icono-poëtæ optimi; à quo intra semestre spatium veram colorum & simul iconum pingendarum notitiam assequebatur. Cumque hoc præceptore suo & in Italiam abibat, per quindecim annos ibidem commoratus. Anno autem 1604. qui erat ætatis ejus trigesimus sextus, Harlemum redux, larem ibi figebat; pictoq; mox opere quodam præstantissimo de Lazaro & Divite, quod in Nosocomium transferebatur, undique innotescebat. Quicquid autem conficiebat, ingenio abũdabat, Bassani modum referens: ut verè de ipso dici queat, eum artificum haud fuisse postremũ.

CXXIII. PETRUS CORNELIUS de RYK. Opus ejus.

CXXIV. FRANCISCUS BADENS, Pictor Antverpiensis,

CXXIV. FRANCISCUS BADENS.

Quinquennis erat tempore turbarum Hispanicarum, anno 1576. exortarum. Pater ejus, qui Amstelodami mortuus est anno 1604. quò, brevi ante hoc tempus, sese contulerat, pictor erat communior, & Francisci hujus præceptor. Hic autem cum Jacobo Matthan dehinc in Italiam abibat, undè modum planè alium, multoque laudabiliorem, Amstelodamum reportabat, ut ab aliis pictoribus vulgò saltem pictor Italus diceretur; quod tam in historis, quàm faciebus & iconibus pingendis felicissimus esset. Hujus tabulam quandam obtinebat Cornelius de Voort pictor Amstelodamensis, pulcherrimam, in quâ duo amantes, alter chely ludens, cantansque altera. Eodem artificio insignis quoque erat Johannes Badens frater ejus: cum quo postquam nummos lucratus esset haud paucos, domum abiturus, ab Hispanis captus, omnibus bonis liberisque suis spoliabatur, ut anno 1603. præ mœrore moreretur.



CXXV. DAVID VINKEBOM, Pictor Mechliniensis,

CXXV. DAVID VINKEBOOM.

Natus est an. 1578. & ut infans Antverpiam, septennis autem Amstelodamum delatus est, ubi pater ejus, qui coloribus aquariis haud inter postremos erat, anno 1601. moriebatur. Hujus quidem primò discipulus erat David hic, sed qui colores oleariós deinde adjungeret ipse, in parvis sed elegantissimis pericula faciens opusculis, prout pulcherrima illa pictura ejus de Christo crucigero, quæ Amstelodami in plateâ vitulorum apud Dn. Johannem de Bruyn graphicophilum insignem exitit, satis testatur. Ubi simul etiam asservatur opusculũ ejus aliud, quod encœnia ruralia refert, variis equis, currib⁹, domibus, arboribus, armis, similibusq; argutiis plenum. Sic Francofurti illius manu elaborata extat historia de Christo Bartimæo visum restituente; cum aliis subdialibus quasi innumeris, quorum plurima à Nicolao de Breun typis æneis edita sunt. Quemadmodum autem in pictura sublimiore noster hic artifex erat autodidascalus, sic artem quoque chalcographicam, & encausticam vitrariam, absque magistro, studio proprio didicerat; ut suâ laude nullatenus fuerit indignus.

Opera ejus.



Caput XVI.

PETRUS PAULUS RUBENS, cum pictoribus adhuc tribus aliis.

Argumentum.

Antverpia in proferendis pictoribus Româ felicior est. CXXVI. PETRUS PAULUS RUBENS, pictor Antverpiensis: Præceptores ejus: in servitia Alberti Archiducis assumitur: dehinc Romam abit. Opera ejus Romana. In Belgium redit, magnamque ibidem sibi conciliat autoritatem. Opera ejus. Artifices Hollandos visitat. Judicium ejus de pictoribus Batavis. Methodus ejus discipulos suos informandi. Inventum ejus ditescendi. Abrahamus Jansonius fortunæ ejus invidet. In Angliam mittitur tanquam Legatus Regius. Ob concreditâ negotia status periclitatur. Magnum colligit operum artificiosorum thesaurum. Opera ejus in Germaniâ superiore extantia. Sepultura ejus. CXXVII. PHILIPPUS UFFENBACHIUS, pictor Francofurtensis. Opera ejus. CXXVIII. ADAMUS ELZHEIMER, pictor Francofurtanus. Romam venit. Operibus minoribus incumbit, pingitque Iter Tobiæ: Latonam, & alia. Nocturna ejus. Opus ejus Francofurtanum. Desiderii impletio. Fuga Christi in Ægyptum. Differentia chalcographiæ & picturæ. Ingeniositas ejus, genusq; vivendi. CXXIX. JACOBUS ERNESTUS THOMAN de HAGELSTEIN: Subdialium pictor est ingeniosissimus. Commissarius fit bellicus Cæsareus præfectusq; Annonæ.

Antverpia felicior Româ.



Otissimum est Antverpiam, quæ Brabantiæ Urbs est celeberrima à seculo jam, & quod excedit, in proferendis enutriendisque pictoribus singulari artificio claris ante omnes orbis terrarum civitates usq; adeò inclaruisse, ut ne ipsa quidem Roma eidem fuerit similis, cum ferè omnes, qui hanc olim mundi Dominam operibus suis rarioribus illustrarunt, exotici, & vel Urbinales, vel Florentini, vel Veneti, vel maximam partem Bononienses fuerint. Unde Antverpia in hoc genere caput suum meritò exserere, præq; aliis felicem sese prædicare potest. Inter alios autem hic quoq; exortus est

CXXVI. PETRUS PAULUS RUBENS, Pictor Antverpiensis,

CXXVI. PETRUS PAULUS RUBENS.

Artificum princeps anno 1577. 28. Junii, parentibus haud exiguæ sortis. Hic ad Scholas primò applicitus, & cœtera necessaria juventuti studia, tam acre mox prodebat ingenium, ut præceptores ejus ad juris ipsum studia functionemque tandem Advocati habilem existimarent, non sine insigni parentum suorum gaudio. Cum autem insimùl peculiari semper desiderio erga nobilissimam artem pictoriam ferretur, variasq; subinde conficeret delineationes optimas, hoc ipso tandem commoti parentes ejus in disciplinam eum tradebant primò Tobiæ Verhoch artifici tum temporis celeberrimo: deinde quoq; Octavio de Veen; ubi inprimis statim tyrocinii annis promtitudinem ingenii ejus omnes admirabantur, ut ob famam peritiæ fundamentalis & acuminis superabundantis ab Alberto Archiduce Austriæ, tum temporis Belgii Gubernatore, in servitia assumeretur, qui non tantùm varia eum opera ingeniosissima elaborare curabat; sed & in Italiam illum ad Ducem Mantuæ mittebat, quo in Palatio ejusdem picturas illas statuasq; tum temporis in Europa incomparabiles, non tantùm conspicere, sed & apographa illarum in sui perfectionem conficere posset: quod magno etiam cum commodo sui præstitit, ut omnia studia sua juxta hæc rariora emendaret, inprimis autem Venetorum methodo, quæ præ cœteris ipsi arridebat, assuesceret.

Præceptores ejus.

In servitia Alberti Archiducis assumitur.

Romam venit.

Abhinc Romam sese contulit, ibidemque partim statuas antiquas omni laude dignissimas, partim opera quoq; Michaëlis Angeli, Leonhardi Vincii, Raphaëlis Urbinatis aliorumq; sedulò quidem contemplatus est, sed eadem omninò imitari subdubitavit, quod Venetorum pingendi ratione magis delectaretur. Duas tamen altarium tabulas pro Duce Mantuano ibidem pingebat, unam Sanctorum stantium, alteram Sanctarum imaginibus plenam viventium quantitate omnibus, quæ adhuc Romæ in templo Novo, juxta altare summum, conspici possunt.

Opera ejus Romana.

Sic eâdem in Urbe quoque conficiebat crucifixionem Christi, utrâque scilicet manu quidem affixi, pedibus autem liberè pendentis, insolito hactenus modo, multis imaginibus aliis magno ingenio nec minore ausu appictis: quæ tabula jam inserta est altari in Ædicula quidam ejusdem Urbis, quam à Sancta Cruce Hierosolymitana cognominant.


Sic emendata tam feliciter manu, collectisq; tam pro aliis, quàm pro sese curiositatibus ad studia sua mirè conducentibus plurimis moram ulteriorem non trahens, Mantuam redibat: atq; exhinc per Venetorum Urbem in patriam ad Albertum Archiducem, ubi institutâ re familiari, ob eloquentiæ, variarumque linguarum studium, nec non insignem morum civilitatem, summam apud omnes acquirebat autoritatem. Præsertim quod totum illo tempore Belgium umbra quadam Pacis quietatum, non divitiis tantum, sed & artis hujus amore insigniter abundaret; cui tamen satiando nemo ferè par erat; cum nonnulli artificum majorum picturarum consummatam non haberent peritiam, nonnulli ad similia nimis essent socordes, deambulationibus potius & conventiculis quàm labore delectati. Ubi è contrario Rubens non nisi primatum consortia quæreret, in laboribus autem promtissimus atque sedulus, erga omnes civilis atq; affabilis, adeoq; omnibus quoq; acceptus esset, unde professio quoq; ipsius insigniter eidem erat lucrosa, præsertim accedente & matrimonio ejus summè proficuo, magnoque famæ ejus per omnem Germaniam totumque Belgium incremento, ut omnes Magnates aliquod ab ipso confectum desiderarent artificium, omnesque graphicophili Belgici opera quædam illius pinacothecis suis insererent, quibus gradibus omnibus ad altius paulatim emergebat fortunæ fastigium.

In Belgium redit, magnamque sibi conciliat autoritatem.


Id enim semper conabatur, ut inventiones ejus raræ, jucundæ, operosæ, & amœnæ; delineatio venusta, coloresque oculis spectantium gratissimi essent: unde & innumera quasi opera ejus æri incisa edebantur, ad quæ benevolus lector pro lubitu recurrere potest. Utum autem præcipuorũ saltem operum ejus aliquam faciamus mentionem, pro Galliæ Rege porticum pingebat Parisiis: item Palatium Lutzenburgicum; dein Vitam Heinrici IV. & conjugis ejus Mariæ Mediceæ, sub allegoriis poëticis, tanto acumine, ut brevi tempore


Opera ejus.


præter



ADAM VAN OORT.


OCTAVIO VAN VEEN.


GUIDO RHENUS.


ADAM ELSHEIMER.


ABRAHAM BLOMAERT.


PETRVS PAVLVS RVBBENS

præter laudem summam, ingentia pro iis acciperet prœmia. Deinde megalographica multa pro Rege Hispaniarum elaborabat; proque Nobilibus aliis similia laudatissima, ut omnium quasi ora laudibus Rubenii diffluerent.

Artifices Batavos visitat.

Cum autem interea uxor ipsius morbo correpta, nullâ succedente medicaminum ope, vitam cum morte subitò commutaret, iter quoddam in mœroris medelam hic noster in Hollandiam suscipiebat, artifices istius provinciæ, quorum toties & fama & opera ad ipsum delata fuerant, visitaturus. Ultrajectum igitur ad Hundhorstium perveniens, ab hoc benevolentissimè suscipiebatur, exhibitis ipsi quæcunque præ manibus essent omnibus. Cumque inter alia & Diogenes lucerna interdiu in foro Atheniensium frequentissimo homines quærens ipsi offerretur, Rubenius, cui inventio quidem arridebat, sed pictura novitii cujusdam esse videbatur, quo autore hoc opus inchoatum esset interrogabat? & ostendente Hundhorstio meam tenuitatem, qui inter juniores plures tum adstabam, laudatis initiis istis ad ulteriora me instigabat, percurrendo magnâ cum voluptate & reliqua. Cumque porrò & Abrahamum Blomartum & Cornelium Pullenburgium, aliosque visitaturus esset, Hundhorstius autem ob quandam corporis indispositionem eundem comitari non posset, me comitem desiderans convivio prius ab Hundhorstio honoratus abibat, qui omnia quoque ipsi magna cum satisfactione ejus demonstravi. Amstelodamum ergò pergens, & in alia Hollandiæ loca, per quatuordecim dies, quicquid laudabile esset, undiq; perlustrabat, me interea eidem tanquam Artifici summo, qui in professione mea discursu, consilioque & opere magnam theoriæ partem mihi reserare poterat, lubenter inserviente, donec ad limites Brabantiæ perveniremus: Ut multa de hoc itinere, & conversatione ejus laudatissima recensere possem; de quo tamen hoc sufficiat unicum, me eum, prout in arte suâ magnoperè excellebat, sic in omni quasi virtute alia consummatissimum deprehendisse, & proindè ab omnibus omnium statuum hominibus magno vidisse observari respectu.

Judicium ejus de pictoribus Hollandis.

Inter alia autem in hoc itinere mirè extollebat perfectissimum Hundhorstii pingendi modum, præsertim in nocturnis; deinde diagraphica Blomarti nobilissima; & argutissima Pullenburgii minuta, quæ ad morem Raphaëlis campestribus elegantissimis, ruinis, animalibus, & similibus illustrare solebat, ut nonnullas picturas similes Rubenius & pro se sibi elaborari desideraret.

Methodus ejus informandi discipulos.

Deinde megalographica elaborabat plurima pro Carolo Stuarto Angliæ Rege, & Duce Buckingamio, quæ Londini in Æde Banchetinia & Jeerkia adhuc conspici possunt. Ad majorem autem tantorum operum accelerationem multos penes se elevabat juvenes, quos juxta singularem cujusque inclinationem atque capacitatem singulos fideliter informabat, ut in laboribus deinde suis auxiliatrices ipsi porrigere possent manus; cum hi omnia ferè animalia, avesque, & pisces, nec non campestria alia, ut arbores, rivos, fundos, aërem, aquas, & sylvas ipsi appingerent. Ipse igitur manu semper propriâ inventionis suæ prototypon in tabulâ quadam duarum vel trium spithamarum altitudine projiciebat, quam à quodam discipulorum suorum, veluti Antonio de Dick; Jacobo Jordano de Huck, vel alio simili in linteo magno expingi curabat, quam picturam ipse dehinc sive emendabat, sive partes præcipuas proprio labore supplebat; quo ipso non sibi saltem commodum procreabat haud exiguum; sed & tyronibus suis emolumento erat incomparabili, cum isti in omni hujus artis parte singulariter exercerentur, & tota Urbs Antverpiana per illius industriam in Academiam exsurgeret extraordinariam, in qua tyrones ad magnos perfectionis gradus ascendere poterant.

Ad vota autem secunda pergens Simentiam uxorem ducebat virginem, virtute, divitiis & pulchritudine suo ævo nulli postponendam, ut hoc ipso affinitas eidem magnæ familiæ, multorumque cognatorum adnasceretur numerus. Dehinc & domum sibi extruebat commodissimam & pulcherrimam, inque eadem juxta hortum Pinacothecam ad instar templi rotundi, cum lumine è summo tecto allabente, quod omnes ibidem optimo repositas ordine tam picturas sive suas, sive alienas, quàm statuas rariores cum curiositatibus aliis jucundissimo collustrabat aspectu. Cumque huc fautores talium deducere, eademque Amicis eundem visitantibus ostendere soleret, Dux Buckingamius ista resciens, ut palatium suum picturis artificiosissimis aliisque ornamentis similibus citò repleret, totam hanc pinacothecam per Michaëlem le Blon Amstelodamensem virum similiter artificiosissimum, omnisque virtutis Mecœnatem verissimum coëmi jussit, pactis pro ea sexaginta florenorum Belgicorum millibus: è quibus apparet, Rubenium non ex arte saltem propria, sed & certa quadam mercaturæ peritia com-

Inventio ejus ditescendi.

modi sui methodum optimè calluisse, viamque sibi ad divitias stravisse haud angustam. Unde cum aliquando Brendelius Londinensis Chymicus tum temporis celeberrimus magnique ab omnibus æstimatus eundem visitaret; narranti, quod proximè jamjam ad veram Tincturæ praxin pervenisset, offerentique suum eidem consortium, si domo saltem instructa impensisque necessariis eidem prospiceret, hic noster respondisse fertur: nimis illum tardè venisse unico annorum vicenario, cum ipse illo jam tempore verum invenisset Philosophorum Lapidem per penicillum atque colores.

Abraham Jansen fortunæ ejus invidet.

Alio tempore, cum Abrahamus Jansonius historiarum pictor celeberrimus Antverpiæ habitans, qui, prout suo loco narrabitur, partim ignaviâ, partim pravis quibusdam moribus aliis, fortunæ suæ cursum nimium sufflaminabat, Rubenium tamen ob singularem suam habilitatem insigniter emergere cerneret, famæque ejus facturus remoram, ad certamen eundem provocaret; sub certis quibusdam judicibus, qui utrius pictura præferenda esset, juxta veri normam pronunciarent; certò fore sperans, cum Rubenius pleraque memoriter saltem & è nudo cerebro pingeret, sese, qui correctè & præmeditatè multoque tempore ad viva exemplaria omnia repræsentaret, ob tantam cum natura similitudinem summumque colorum suorum robur eidem facilè prævaliturum: Rubenius confestim renuens, non jam demum sese primò pingendo certaturum, replicabat; sed istud sibi semper fuisse familiare; quin imò se & porrò sic continuaturum: suoque sic & Jansonium abundare posse sensu.

Legatus in Angliam mittitur.

Inter eximios honores alios, quos Rex Hispaniæ Artifici huic exhibuit, recensendus est & hic, quod aliquando in certis negotiis status legatum eundem ad Carolum Stuartum Angliæ Regem mitteret. Quamvis autem Carolus, quod proponendum erat, prævidens, cum condescendere non posset, rem totam, sub hoc prætextu, quod in more positum sit Anglis legatos non nisi Duces recipere, declinaret; Rubenii tamen personam, seposito charactere, tanquam privatum gratiosissimè suscipiebat: cumque pro domo conviviorum magnificis quibusdam operibus pictis exornanda, haud ita pridem cum Rubenio contractum esset, hic paulò pòst picturas illas Antverpiâ, summâ cum satisfactione Regis Londinum transmittebat.

Cum Rubenius in Hispania esset, icones ipsi faciendæ erant Regis Philippi, Reginæ, Ducisque Olivarii, quas postmodum Paulus Pontius Lucas Vastermann typis æneis publicavit: atque tum etiam apographa faciebat multorum megalographicorum palatii Escurialæi, & præsertim operum Titiani, quæ in Belgium secum transportabat. Cumque fama esset, Rubenium ad mandatum Isabellæ Infantis Hispaniæ Gubernatricis Belgii, statum patriæ tum satis lamentabilem, & qua ratione varia fortalitia suo quasi ordine in Hollandorum manus pervenirent, Regi exactius repræsentare debuisse, ut de mediis sollicita esset Sua Regia Majestas, quibus in melius restitueretur negotium; ad quæ etiam responsa Regia, cum secretis pluribus aliis eidem concredita fuissent: hunc nostrum post reditum suum, Antverpiæ primatum quidam, qui jam ob quædam contra Regem actitata suspectus erat, visitabat, expiscaturus clanculum, quæ fortè ad propositum suum facere possent. Ubi cum tantam in Rubenio deprehenderet taciturnitatem, ut in foveam usque nihil propalaturus esset, mirumque in modum propterea excandesceret, ut nec à minis sese contineret; hic noster consideratâ Principis istius autoritate, summâque rerum omnium periclitatione, tandem negotia status omnia negligere statuit, silensque non nisi Musarum suarum commercia tractare: è quibus omnibus facilè apparet, quanto fuerit ingenio, quod periculo adhuc tempestivè sese subtraxerit, cum plures ipsi similes paulò pòst in carceres conjecti, inque imum fortunæ adversæ præcipitium acti sint.

Ob concredita negotia status periclitatur.

Eodem tempore magnam Antverpia patiebatur jacturam, ob captam ab hostibus classem Hispanicam ex India reducem; quo ex causa cambia Belgica emanebant, unde foro multi cedere cogebantur, imò vix unicus citra damnum insigne remanserat, præter fortunæ hunc filium Rubenium, quamvis hic magnas pecuniæ summas cambiis expectaret, quæ omnes periculo carebant.

Magnum operum artificiosorum thesaurum colligit.

In medio circumactarum sic per aëra tempestatum Rubenius studiis suis domi solus vacabat, summâ laborans industriâ ut magnum operum artificiosissimorum tam propria manu, quàm ab aliis pictorum, delineatorum, sculptorum, tam è marmore, quàm ex ebore & similium colligeret numerum, id plerumque ope Petelii nostri Augustani sedulâque istius indagatione: Unde plurimi eundem tam multa expendere, quod aliàs nimiæ liberalitatis non esset, admirabantur. Post mortem tamen ipsius res

illicò


illicò patuit, quod ita de facultatibus suis disposuisset, ut quicquid ad studia hujus artis pertineret, sive è diagraphicorum, sive è chalcographicorum & similium genere, hic vel ille filiorum suorum, qui amore hujus artis ducerentur, vel, deficientibus istis, generi ejus similes, obtinerent; cœtera autem auctione publicâ venderentur: quod etiam post obitum ipsius in domo ejus factum est, ubi institutâ auctione plus licitantibus, pro regionis illius more, paratâ pecuniâ opera hæc omnia vendita sunt, & quidem pretio maximo, quod è Pinacothecâ Rubenianâ quilibet particulam quandam habere vellet; unde incredibilis emergebat pecuniæ summa.

Opera ejus prima. Juxta primam suam ex Italiâ assumtam methodum, robur illud colorum Caravagii, quem præ cœteris observabat, imitari sedulò conabatur: cum autem hic modus difficilis nimis atque tardus esset, faciliore deinceps & velociore usus est (Alter modus ejus.), cujus exempla adhuc extant sequentia: Bacchanalia majora in Aulâ Cæsareâ Viennensi: deinde Venatio quædam Barbarorum equitum contra Leonem quendam ferociorem instituta, Schleisheimii in conclavibus Electoralibus Bavaricis existens, quæ & typis æneis edita est. Item Venatio quædam Crocodilorum. Similiter Altare summum unà cum duobus lateralibus Neoburgi ad Danubium extans, quorum illud extremum judicium, hæc historiam nativitatis & Pentecostalem exhibent. Porro Hemmavii, in Ducatu Neoburgico, in altari summo expressus est lapsus Luciferianus, summæ æstimationis. Sic Frisingæ summum altare visionem de Dracone à Michaële victo è 12. Cap. Apocalypseos repræsentat; ingeniosissimè omnia, amœnissimisque coloribus expicta. Eodem modo Augustæ Vindelicorum in templo S. Crucis Assumtio B. Virginis ab ipso depicta extat. Sic & ego quoddam illius operum possideo, Herodiada nempè, unà cum filia, caput Johannis Baptistæ in lance Herodi offerente, quod cum ab artis peritis omnibus tantoperè laudaretur è Pinacotheca Milichiana emtum inter rariora alia collocavi. Prout & Nessi & Deianiræ fabulam felicissima illius manu confectam: nec non militem quendam cataphractatum, qui mulierem fugientem lascivam arreptam amplexu stringit, cui & anus quædam adest; figuris dimidiatis viventium magnitudine mirâ arte expressis.

Finis autem vix foret, si omnia ab ingeniosissimo hoc artifice elaborata recenseri deberent, cum præter ingenii solertiam, mirabili quoque polleret promtitudine manus, citiusq; absolvere soleret opera sua, quàm ab alio inchoari possent: donec tandem affligente illum chiragrâ à majoribus desistere, & ad mediocria atque minora, tam sacra quàm profana, nec non campestria sese conferre cogeretur. Cum autem nuncios hos mortis paulatim advenire videret, dispositis rebus suis, tandem in medio laudum suarum decursu è vivis excedebat, sepulturâ honoratus magnificentissimâ (Sepultura ejus.), ut & ante feretrum ejus, in pulvinari holoserico nigro, aurea ferretur corona. Inter vivos autem esse desiit trigesimo Maji anni post natum Christum 1640. ætatis suæ 63. Effigiemque illius benevolus Lector in tabulâ nostrâ J. J. conspicere poterit.

CXXVII. PHILIPPUS UFFENBACH, Pictor Francofurtanus,

(CXXVII. PHILIPPUS UFFENBACHIUS.) Francofurti optimo genere satus, Præceptorem suum Adamum Grimmerum, cui à parentibus concreditus fuerat, magnâ imitatus est solertiâ. Inter opera ejus primaria (Opera ejus.) Francofurti in templo Prædicatorum adhuc extat altare quoddam, quod Ascensionem Dominicam exhibet, juxta Veterum industriam egregiè propositam. Sic turrim quoque ibidem in ponte extructam variis expinxit argutiis: nec minus & alibi insignia reliquit artis suæ vestigia. Cum autem Alchimiæ Sectator esset strenuus, & emblematibus theologicis frequenter invigilaret, multaque scriberet: & præterea tempore rebellionis à Vincentio Fettmilchio pistore contra Senatum illius Urbis institutæ negotiis civilibus nimium occuparetur, quod favorem ejus insigniter diminuebat, domi plerumque victu tenui vitam transegit, tandemque ibidem circa annum 1640. mortuus est. Præceptor autem erat Adami Elsheimeri, magnusque omnium artium fautor, præsertim artificum Germanorum Veterum cultor insignis, qui magno claruerant ingenio: adde quod & Regulas de Symmetria, Geometria, Prospectiva, & Anatomia calleret optimè, & quamvis peregrinationibus haud vacasset, ex aliorum tamen discursibus multaque variorum Librorum lectione peritiam in variis nactus esset insignem.



CXXVIII. ADAMUS ELZHEIMER Francofurtanus pictor,

CXXVIII. ADAMUS ELZHEIMER.

Inter antesignanos hujus artis meritò numerandus, vulgoque Adamus Francofurtanus audiens, natus est Francofurti anno 1574. ponè Balneum, quod rubrum dicitur, patre sartore; cumq; ob insignem erga pictoriam artem inclinationem, delineationibus primum indulgeret, in disciplinam mox Philippo Uffenbachio tradebatur. Sed quod nobilissimum ipsius ingenium ad summam tantùm aspiraret perfectionem, ad itinera statim sese accingebat, pervadensq; Germaniam, Romam sese conferebat, ubi inita cum celeberrimis & artificiosissimis, quales tum erant Petrus Lastmannus; Johannes Pimias Amstelodamensis; Jacobus Ernestus, Thomas Lindaviensis, atq; similes alii familiaritate cum istis omnibus ad ipsum consummatæ perfectionis culmen ascendere annitebatur. Quemadmodùm autem Adamus Protoplastes primus erat humani generis autor; sic Adamus iste primus erat autor picturarum minutiorum, præsertim quoad subdialia & curiosa alia, quæ ipse tam naturali similitudine micrographicè exhibere solebat, ut modum hunc ipsius, ceu perfectissimum, selectissimumq; omnium, & maximè vividum omnes deinde pictores secuti sint.

Romam venit.

Picturis parvis studet.

Inter meliora ejus alia non postremum erat, quo fama ejus mirum in modum extollebatur, opusculum quoddam de Tobiâ juniore in lamina ænea unius spithamæ lõgitudine confectum: ubi Angelus conductor per rivulum quendã vadosum Tobiam traducere videtur, cane interea comite, de saxo quasi in saxum subsulturo, & Sole simul tum oriente, punicantibus radiis suis utriusq; faciem elegantissimè feriente. In hac tabella campestria tam sunt amœna, & renidens ex undis cœruli species cœli tam naturalis, viatoresq;& animalia tot argutiis variata, ut simile quid antea visum haud esset, totaq; tum temporis Urbs Romana de novâ hac Elzheimeri pingendi methodo undiquaq; personaret. Sic & Latonam in tractu quodam campestri paulo majore depingebat cum duobus infantulis suis, cui in palude rustici quidam aquam, ne bibere posset, conturbarent, propterea in ranas transmutati. Porrò eadem quantitate ab eo & Procris picta est vulnerata, quam herbis medicantibus curaturus videtur Cephalus; congregatis interea haud procul Dryadibus, Satyris, Faunisque variâ ætate, ignemque ad ingressum sylvæ struentibus. Nec minori artificio claret opus ejus de S. Laurentio ante judicem vestibus nudato, jamjamq; in craticulam immittendo, nisi idolo immolaret, cum hic ex adverso summâ sese devotione cœlum versus converteret, ubi indicibili proprietate affectus expressi sunt undiq;: quod autographon ab Illustrissimo Dn. Dn. Johanne Comite Nassoviensi Saarpontino in arce & Musæo suo celeberrimo Idsteiniano, unà cum operibus rarioribus aliis, asservatum fuit. Sic & alium pinxit S. Laurentium minorem pro patrueli meo Abrahamo Martini Francofurtano, tunicâ Levitica amictum, alterâ manu craticulam, alterâ palmam tenentem, ubi retrò montana apparent remotissima, cum vallibus & cataractis, nec non arboretis Sole occidente collustratis amœnissimis tantò acumine tamq; naturali similitudine expressis, ut lingua laudibus his omnibus deficiat. Assuetus hoc modo recenti huic methodo oleariæ circa minuta, à megalographicis, quibus tamen primò singulariter invigilabat, omninò desistebat, fortunâ in minimis proniore usus.

Iter Tobiæ pingit.

Latonamque, & alia.

Sic ære quoq; roso subdialia quædam edebat, de Satyris atq; nymphis ad cymbalorum sonitum choreas agentibus, cum similibus argutiis aliis. Similiter & auroram expresserat post sylvam quandam obscuriorem emergentem, cum prospectu per juga montium longius concatenata, valliumq; interstitia jucundissima ad ultimum usq; Horizontem, coloribus mirâ dexteritate applicitis.

Dehinc forma minore elliptica Decollationem quoq; Johannis Baptistæ exhibuerat, quo in opere judicium suum circa nocturna maximum, verumq; eadem exhibendi modum summâ cum laude prodidit. Quo facto & fabulam Baucidis & Philemonis eodem modo expressit, Jove sc. & Mercurio in tugurio illorum ad lucernam assidentibus, festisq; quasi ab itinere suo apud pauperculos istos pernoctaturis. Tantundem artificii quoq; in alio quodam ejus nocturno elucescit de Cerere noctu bibente, potumq; eidem porrigente vetulâ quadam cum candelâ adstante, illudentibus interea eidem pueris quibusdam petulantibus: quæ omnia partim ob ordinem & inventionem singularem, partim ob delineationem & colores, luminumq; vibrationem admirandam, partim quoq; ob campestriũ amœnitatem, arborumq; & frondium sive prominentium, sive demissarum gratiam, nec non foliorum atq; herbarum curam extraordinariam non summam tantùm in sese laudem merentur, sed Schola simul sunt integra, & instructio dilucida maximè, è quâ verus nocturna exprimendi modus fundamentaliter addisci potest; ubi ingenuè fateor ipse, me in juvenilibus annis meis, cum nocturna pingere inciperem, his usum esse ceu idea atq; prototypo longè utilissimo.

Nocturna ejus.

Quàm felix porrò & inventis propriis, allusionibusque poëticis atque moralibus fuerit opus illius maximū, luce meridiana clarius ostendit, quod Francofurti Dominus du Fay Mercator celeberrimus anno 1666. mihi conspiciendum exhibuit, ubi Desiderium ejusque expletionem in lamina quadam ænea majore hoc modo repræsentavit: Desiderium ipsum sive cupiditas unà cum expletione sui in aëre obversatur sub specie duarum figurarum elegantissimarum. Inferiùs autem in terra plurimi sunt varii status atq; ordinis, certis quibusdam actibus desideria sua ostentantes: quidam enim adDivos conversi sacrificando vota fundunt, ubi in templo quodam obscuriore sacerdos aliquis Senior, veste candidâ amictus suffitum adolet, ministrantibus Vestalibus laureatis; puerisq; juxta veterem ritum thuribula tenentibus, unà cum aliis ad aram requisitis apparatibus, in quâ accensus lucidiore flammâ ignis circumstantiam vultus variè collustrat. Anterius ad immolandum destinatæ hostiæ; superiùs altitonans apparet Jupiter fulmine soluto armatus, quasi ad explendum sacrificantium desiderium pronus accedens. Extra templum hoc varii alii diversa præ se ferunt desideria alia; hi nimirum honores expetentes atq; dignitates, hi luxum atq; honorum nummorumq; abundantiam; alii, ut Philosophi atq; similes, eruditionem, artesq; & scientias; nonnulli lucri sive per mercimonia sive per militaria dulcedinem; quidam & decurrendo, sive in stadio, sive in hippodromo, palmam; alii ludendo, partim chartulis, partim conis, voluptatem: quæ omnia ab ipso dexterrimè & felicissimè expressa sunt, ut opus hoc pro singulari istius Urbis in arte pictoriâ ornamento haberi atq; extolli queat.

Desiderium, ejusque expletio.

In opere quodam majore alio fugam Josephi in Ægyptum cum puerulo Jesu, quem Maria asino insidens pallæ suæ involutum gestat, exhibuit: ubi asellum per rivulum quendam excrescentibus herbis refertum traducit Josephus, alterâ manu tędam facis loco ardentem gestans: è longinquo pastores apparent, noctu in pascuis gregem detinentes, igniq; paludem proximam collustranti assidentes: ante quos sylva quædam opaca, supra quam ad serenati fornices cœli corusca apparent siderea, unà cum via lactea, & circa Horizontem Luna, plenâ resplendens facie, quasi juxta nubes quasdam jamjam oriens, lumenq; suum undis quibusdam totum communicans, quod ex istis jucundissimè reflectitur: cui simile quid haud factum erat unquam, ut opus hoc in omnibus partibus suis simùl sumtis, & in singulis speciatim omninò sit incomparabile: quemadmodum omnia illius opera erant, quæ pauca quidem, sed longè præstantissima, typis æneis quoque, partim à Magdalenâ de Pas, partim ab aliis edita sunt. Autographon autem Dominus Gauda Nobilis Ultrajectinus, graphicophilus singularis, mihi sæpissimè monstravit ipsum: quod quamvis sæpiùs ipse conatus sit æri incidere quàm simillimum; totam tamen præstantiæ ejus consummationem attingere nunquam potuit: prout impossibile est, ut ars chalcographica totam exhaurire queat pictoriam. Licet enim cælatura hæc Gaudiana omnes superaret alias, ipsa tamen autographa si conferantur, sic offuscant figuras istas æneas, quemadmodum à Sole meridiano obtenebrantur lumina terrena.

Fuga Christi.

Differentia picturæ & chalcographicæ.

Non autem tam profundo saltem excellebat ingenio, sed memoriâ quoq; pollebat tam acutâ, ut si pulchras quasdam arbores saltem conspexisset, (licet ante illas dimidium sæpè, quandoq; & integrum recubaret diem,) figuram illarum tam arctè imbiberet, ut antea non delineatas domi totas expingeret quasi naturales. Sic enim cum Romæ hortum illum, qui Vignia Madama vocatur, ita sibi imaginatus esset, eundem postmodum nullâ præviâ delineatione subdialibus suis tam naturaliter inserebat, ut quamlibet arborem juxta speciem suam quoad stipitem, ramosq; & folia omninò cognoscere liceret, quod tam colores, quàm umbræ ejus & lumina reflexa quàm simillima essent, & planè vivida: qui tamen modus non est cujusvis; cum res sanè longè sit difficillima, nec re ipsâ, nec delineatione ejus obvia, eandem tamen pictura repræsentare perfectissimam.

Profunditas ingenii ejus.

Difficilior autem hæc methodus eundem tandem sic defatigabat, maloq; melancholiæ affligebat, in quod jamjam aliàs satis erat pronus, ut rem suam familiarem vel minimè curaret, quamvis, uxore ductâ Romanâ, plures jam suscepisset liberos: unde egestate semper premebatur, utut satmagno pretio ipsi rependerentur labores ejus. Quare tædio affectus plurimo debita contrahebat cumulata, ut & Gauda supradictus, ob pecuniam mutuo ipsi datam, labores quosdam illius nondum consummatos per aliquot annos magnis cum impensis Romæ expectare cogeretur: donec ob nimiam debitorum copiam in carcerem tandem conjiceretur Elzheimerus; è quô tamen, prout meritò facere debuisset, non labore mediante sese liberabat, sed mœrore nimio oppressus in morbum deniq; incidebat: & quamvis dimissus iterum fuerit, paulò tamen pòst, summâ cum laude artis suæ eximiæ, Romæ è vivis excessit: iconemque ejus tabula nostra JJ. benevolo lectori exhibuimus. Vidua autem illius, à quâ & ipse ego opus quoddam comparavi, Romæ adhuc vivebat an. 1632.

Modus ejus vivendi.

cum

cum filiis quibusdam, de quorum tamen laudibus, brevitatis studio, hic abstineo. De Patre hoc unicum adjiciens, eum difficilia semper non tantùm suscepisse, sed felicissimè quoq; absolvisse: omnes enim actiones ejus artificum omnium spem longè superabant. Quin & tantas in ipso radices egerat consummata perfectio, ut si sive calamo sive cretâ extremas saltem figuræ cujusdam lineas duxisset, plus ex hisce elucesceret ingenii, quàm aliorum labores multâ elimati curâ præ se ferrent. Unde opera ejus nunquam festinantem prodebant penicillum, coloresve levi saltem fuco coruscos, sed diagraphicam in omniparte integerrimam, coloresque naturalibus quàm simillimos, ita ut picturæ ejus in speculo unà cum re ipsa conspectæ, nullam superaddere viderentur differentiam, sed una res bis apparere censeretur. Et hæc ipsi laus per universum tribuitur mundum, unde omnes graphicophili nobiliores, omnesq; peregrinantes exotici summo cum desiderio rariora quædam à celeberrimâ hac manu confecta in curia patriæ ejus videre expectant, cum vulgò Adamus Francofurtanus vocetur. Et fanè non immeritò à laudatissimo illius Urbis magistratu id præsumi potuit, quod ab aliis Urbibus pariter observatum invenitur: sic enim Roma Raphaëlis Urbinatis; Florentia Michaëlis Angeli; Venetiæ Titiani; Basilea Holbeinii; Norinberga Alberti Düreri, Lugdunum Batavorum Lucæ Lugdunensis, & aliæ aliorum artificum suorum opera jactant atq; ostentant; & nihilominus in curiâ Francofurtanâ nulla sive nominis sive operum ejus extat memoria, quamvis nec olim unquam, nec hodie occasio defuisse dici queat eadem obtinendi. Interea nunquam tamen intermorietur perennantis famæ ejus gloria, vereq;.

Ejus perfectio in pingendo.

In freta dum fluvii current; dum montibus umbræ,
Laudes, Elzheimere, tuæ, nomenque manebunt.

CXXIX. JACOB ERNESTUS THOMAN de Hagelstein.

CXXIX. JACOBUS ERNESTUS THOMAN de Hagelstein,

Patritius Lindaviensis, natus anno 1588. artis pictoriæ rudimenta primò Constantiæ & Campoduni aliquatenus arripuit; anno 1605. autem in Italiam profectus, primitus Mediolani per aliquod temporis spatium, deinde per quindecim annos Neapoli, Romæ & Genuæ commoratus; Romæ autem maximam in arte nostrâ perfectionem assecutus est: ubi familiaritate usus est singulari cum Adamo Elzheimero artifice nunquam satis laudando; aliisq; sociis ejus, Petro Latsmanno; Johanneq; Pinnasio Amstelodamensi, quorum studia tum erant communia, in subdialibus, fundis firmioribus, arboribus eleganti naturaliq; differentiâ conspicuis, horis matutinis & vespertinis exprimendis, & similibus ad Horizontem humiliorem elaborandis consistentia, quibus verum naturalemq; campestria & subdialia repræsentandi modum introduxerunt.

Hic noster igitur, cum Romæ permansisset, donec immaturo obitu, ut dictum supra, è vivis ereptus esset Elzheimerus, in patriam rediit, ubi non domi tantùm, sed per totam circumjacentem viciniam, quantum in historiis megalographicis, figurisq; majoribus, præprimis autem in subdialibus valeret, variis comprobabat speciminibus: campestria enim, ad quæ sua natura pronior erat, mirâ facilitate, tantâq; elegantia pingebat, ut opera ejus laudatissima, tam in Italiâ quàm in patriâ, sæpè pro Elzheimerianis habita fuerint: prout adhuc illorum quædam, cum variis Elzheimerianis & aliis apud Dn. D. Davidem Thoman filium ejus, Consulentemq; Urbis Augustanæ, graphicophilum insignem, præter statuas antiquas selectissimas, numismata rariora atq; pretiosa, diagraphica plurima, & libros integros techno-chalcographicos consummatissimos in Musæo quodam omnibus meritò laudibus evehendo asservantur. Inundatâ autem universali belli diluvio Germaniâ in servitia Sacr. Cæs. Majestatis bellica sese recepit, annonæq; præfecturam per multos annos gessit, quo temporis spatio, prout facilè colligere licet, arti nostræ amplius vacare haud potuit; mortuusq; tandem est Lindaviæ 2. Octobr. anno 1653.

Præfectus annonæ fit apud Cæsareanos.



CAPUT XVII.

DANIEL SORIAU,

unà cum Artificibus adhuc ſedecim aliis.

Argumentum.

CXXX. DANIEL SORIAVIUS Hanovienſis, pictor & Architectus Urbis patriæ. CXXXI. PETRUS SORIAVIUS, filius ejus. CXXXII. GEORGIUS FLEGEL Francofurtenſis, pictor oporeticorum & convivialium. CXXXIII. MARTINUS de FALCKENBURG, Francofurtanus. CXXXIV. ABRAHAMUS BLOMART, pictor Gorcumenſis. Itinera ejus: Opera ejus: Filii ejus. Epigramma in honorem illius confectum. CXXXV. HORATIUS GENTILESCIUS Florentinus, pictor Londinenſis: Opera ejus: In Angliam venit, & opera ibidem pingit artificioſiſſima. CXXXVI. ADRIANUS ULTRAJECTINUS. CXXXVII. BACCARELLI Antverpiani. CXXXVIII. HEINRICUS de STEINWIG, pictor Francofurtenſis. Filius ejus. CXXXIX. GEORGIUS HUFNAGELIUS, pictor & Poëta Antverpianus: Opera ejus juvenilia: in paupertatem demergitur: Sed in aulâ Bavaricâ iterum emergit: quatuor ejus libri de animalibus. Arte poëtica excellit. CXL. ABRAHAM JANSONIUS, figurarum pictor Antverpienſis. Apophthegmata contra errores amoris: Vitæ ejus qualitas: modus ipſius pingendi. Opus ejus Campidunenſe. CXLI. GERHARDUS SEGERUS, pictor Antverpienſis. Quid poſt diagraphicam, in pingendis hiſtoriis, primarium ſit? tandem alium planè modum aſſumit. CXLII. MICHAEL JANSONIUS MIREFELDIUS, pictor Delphenſis. Opera ejus: Diſcipuli ejus. Plures quàm decies mille icones pinxiſſe dicitur. CXLIII. WENCESLAUS COUBERGE, pictor Bruxellenſis. CXLIV. CASPARUS RAVENSTEINIUS Hagenſis. CXLV. PALAMEDES PALAMEDIADES. CXLVI. CORNELIUS SCHIDT Antverpienſis. Paulus Morellus. Franciſcus Petrus Grobius. Petrus & Paulus Somerii.

CXXX. DANIEL SORIAVIUS, Pictor Hanovienſis,

CXXX. DANIEL SORIAU.



E Galliâ Belgicâ oriundus, cum ſuburbiũ ſive Neapolis Hanoviana, quæ recenter in Germaniâ extructarum Urbium pulcherrima eſt, conderetur, unà cum aliis patriæ ſuæ primariis ob belli Hiſpanici incommoda illuc ſeſe contulit, novamq; hanc ſtructuram, juxta regulas Architecturæ primùm deſignatam, plateis ampliſſimis dilatatam, & coordinatam, ædibusq; magnificis eleganti ordine exornatam, arte ſua architectonicâ, conſiliisq; prudentiſſimis inſigniter promovit. Hic jam ætate gravis mero artis amore allectus pictoriam amplexus eſt, inq; figuris majoribus, iconibus, rebusq; immotis tantoperè excelluit, ut omnes illius viciniæ artifices alios, longo poſt ſe relinqueret intervallo: unde relictis omninò mercaturæ negotiis ſingulari penicillum cum laude tractavit. Quantum autem in Architecturâ præſtiterit, ipſa loquitur Urbs Hanoviana, cujus templa ampliſſima, domus magnificentiſſimæ, Portæ auguſtæ & valla ordinatiſſima, muti ſunt præcones prudentiæ ejus rerum ſtruendarum laudatiſſimæ.

Architectus eſt Urbis Hanovianæ.

Meo autem tempore, cum in Diagraphicis Hanoviæ informarer, quidam adhuc filii ejus his in partibus pariter admodum ſeduli erant; de quorum progreſſu tamen ob nimium temporis intervallum nihil jam habeo, quod commemorem. Niſi quod Francofurti adhuc degere dicatur

CXXXI. PETRUS SORIAU, Filius ejus,

Cui in pingendis iconibus, floribus & fructibus laudem tribuunt haud exiguam. CXXXI. PETRUS SORIAU.

CXXXII. GEORGIUS FLEGEL Francofurtenſis,

Quantum ego memini natione Morav°, paulò ante hæc tempora celebris erat, pingendisque naturali ſimilitudine opore- CXXXII. GEORGIUS FLEGEL Frãcofurtenſis oporeticorũ pictor.

ticis & hortensibus variis, item fructibus terræ, piscibus, convivialibusque, nec non vitris, poculis, vasisque metallicis omnis generis mirè excellebat; ob judicium, curamque & argutiam singularem: ut omnes graphicophili, aliquod ab ipso confectum opus desiderarent; & inprimis, qui inibi habitabant, de Belgarum natione: unde, quamvis labore esset promtissimus, omnibus tamen satisfacere minimè poterat. Vitam autem cum morte commutabat circa annum 1636.

CXXXIII. MARTINUS DE FALKENBURG Francofurtanus,

CXXXIII. MARTINUS DE FALKENBURG. Ibidem pariter iconibus pingendis erat celeberrimus, inque hoc genere exercitatissimus, unde similitudinem omnibus conciliabat incomparabilem, unà cum artis charactere singulari: quam ab causam ab omnibus quoq; illius viciniæ primoribus datis casibus requisitus, haud exiguam promeritus est nominis sui gloriam. Cœterum & comis erat atq; civilis admodùm: sed nihilominus in sævissimâ illa peste anni 1636. unà cum multis miserorum aliorum millibus vita illi cum morte commutanda erat.

CXXXIV. ABRAHAMUS BLOMARTUS Gorcumensis pictor,

CXXXIV. ABRAHAMUS BLOMART. Natus fuit Gorcumi in Hollandia anno 1567. circa festum Natalitiorum: sed abhinc patrem suum Ultrajectum sese conferentem sequi, inibiq; juxta diagraphica Francisci Floris rudimentis artis pictoriæ assuescere cogebatur, ubi ipse Ego eundem anno 1637. dum Româ per Urbem illam Amstelodamum me reciperem, adhuc incolumem, & quidem penicillum & in senio tractantem conspexi atq; visitavi. Itinera ejus. Dehinc pater ejus informationi illum committebat pictoris cujusdam Geritii Spintleri, ut inibi colorum acquireret cognitionem: ubi tamen magister iste mox perspiciebat, Blomartum rem omnem seipso melius intelligere. Ab hoc, anno ætatis 15. vel 16. Lutetiam abibat ad Johannem Bassottum, apud quem sex circiter septimanas dimorabatur, dehinc autem apud Herrium pictorem duobus annis cum dimidio subsistebat, quo tempore absq; singulari informatione opera multa pulcherrima è propriâ elaborabat inventione: donec ad patrem Ultrajectum, & abhinc unà cum illo Amstelodamum, ubi pater ejus officium architecti illius urbis susceperat, abiret. Post hujus obitum autem Ultrajectum rediit; tantosq; in arte nostrâ fecit progressus, ut nullo prævio magistro inter summos artificum reputatus fuerit. Unde sæpè dicere solitus est ad discipulos suos: nihil se in votis habere crebrius, quàm ut artificioso quodam usus fuisset præceptore, à quo laudabilia quædam addiscere potuisset.


In prædicta Urbe Amstelodamensi figuris majoribus fabulam Niobes pinxit, & quâ ratione istius liberi ab Apolline atque Diana telis transfixi fuerint: quam picturam & pro Imperatore, sed multo aliter, repetiit, prœmioq; insigni, nec non laude maximâ propterea honoratus est. Opera ejus. Nihil hic superaddam de convivantibus ab ipso exhibitis Diis, apud Comitem Lippensem conspiciendis: nec de pulcherrimis Veneris, Junonis, & Palladis faciebus; nec de tractibus, tuguriis, sylvis, agris, pratisq; variis circa Urbem Ultrajectanam hinc inde jacentibus; in quibus elegantissimas quasdam de radiis solaribus, undis, nubibus, & animantibus tam cicuribus, quàm feris circumstãtias hinc inde inseruit. Iconibus viventium haud vacabat, ne ingenii sui acumen à recentibus rarioribusque inventionibus abstraheret. Quædam illius operum Johannes Müllerus & Samredamus figuris æneis ediderunt, quod diagraphica ejus singulari quodam illis lumine radiare viderentur.

Cœterum moribus erat modestis, profundoque erga artem amore quasi abstractus, unde nomen illius, quod à floribus acceperat, perennanti pictoriæ artis viridario, floridissima laude ejus Fama haud immeritò inseruit. Mortuus tamen est circa annum 1647. relictis post se pluribus, & arti huic plerumq; addictissimis filiis. Filii ejus. Primus Heinricus Blomartus, diagraphicâ haud erat ignobilis, & tamen cum fortunæ suæ rotam haud satis prudenter propelleret, sub vepribus pusillanimitatis flosculus iste suffocabatur. Secundus autem fratrum pictor erat optimus, qui ex Italiâ Salisburgum profectus, Patribus illius loci Benedictinis plurima elaborabat opera laude dignissima. Cumque tanto majori polleret vivacitate atque animositate quàm frater ipsius modò dictus, & propterea sæpiùs cum studiosis duello congrederetur, in simili aliquando tumultu transfossus animam efflavit. Frater tertius, Cornelius Blomart, condiscipulus hac in arte meus, à me Romam vocatus, in Libro technico statuarum Justinianearum juxta delineationes meas conficiendo, unà cum aliis per aliquot annos adjutor mihi erat: quamvis & posthac adhuc diu ibidem permanserit, ob singularem in arte hac peritiam haud inanem prome-

ritus

KK


HORATIVS GENTILESCO.



ARTEMISIA GENTILESCA.




HENRICVS STEENWYCK.



SIMON VOVET.



ROELANT SAVERY.



GEORGIVS HOVFNAGLIVS.



ritus laudem; de quâ suo postmodum dicetur loco.

Iconem autem Abrahami Blomarti Lector benevolus in tabulâ nostrâ J. J. conspicere poterit: inq; honorem ejus compositum fuit Epigramma subsequens:

Epigramma.

Pictor naturâ est, usus vix ille Magistro;
Arte hic egregiis nec tamen inferior.
Pinxit aves, naves, homines, herbasq;, ferasq;,
Et lætos flores, floridus innumeros.

CXXXV. HORATIUS GENTILESCIUS, Florentinus, pictor Londinensis.

CXXXV. HORATIUS GENTILESCO.

EX Italorum ordine inter Germanos atq; Belgas propterea relatus à nobis est, quod à Carolo Stuarto Angliæ Rege, ob insignem in arte pictoriâ præstantiam Londinum vocatus fuerit. Natione autem Florentinus erat, & juxta omnes istius professionis regulas artifex nobilissimus; ut nomen ipsius omine neutiquam caruerit. Opera enim illius maximi ubivis æstimantur, inter quæ Romæ præeminet Porticus Cardinalis Bentivoglii, variis ab intra Musicis, aliisque imaginibus exornata; quo opere unà cum aliis Florentinis, fama ipsius insigniter dilatata fuit.

Opera ejus.

Ex Italiâ in Galliam profectus, haud diù ibidem commorabatur, sed quod regio ista minùs ipsi placeret, Londinum in Angliam abibat, ubi opera pinxit præcellentissima. Et quamvis icones etiam nonnullas expingeret satis elegantes, ingenium tamen ejus ad istas minùs ferebatur, quàm ad historias megalographicas viventium quantitate elaborandas, in quibus Phœnicis instar omnes anteibat alios. Illo tempore, cum ego Londini essem, Mariam Magdalenam pingebat pœnitentem, in terra prostratam, & devotissimâ quadam meditatione abstractam: quod opus sicut pro Rege pingebatur, ita singulari artis cura eousque evectum erat, ut meliùs fieri neutiquam potuisset. Sic Mariam quoq; exhibebat in terrâ sedentem, Jesulumque ubere suo lactantem. Josepho interea supino adjacente, saccumque habente sub capite: quæ omnia sive delineationem, sive picturam, sive dispositionem, sive naturalem species similitudinem, ductibus expressa erant nobilissimis: Nec minori felicitate ab ipso exhibitus erat Lothus in gremio filiæ suæ dormiens, alterâ filia interea ad actionem patris retrospiciente; miro omnia acumine confecta, ut meliora vix cogitari potuissent.

In Angliâ venit.

Postquam autem Londino valedixissem, amico hoc meo intimo ibidem relicto, tandem hoc me haud parum exterruit nuncium, quod vitam cum morte commutaverit: undè cum ulterior de eo mihi notitia non suppetat, in perpetuum ipsius honorem, sempiternamque apud posteros memoriam, brevem hanc vitæ ipsius descriptionem aliorum vitis apponere, amicique genuini officium eo ipso explere volui. Effigies ejus propterea non inter Italos, sed in tabula K. K. à nobis exhibetur, quod plurimam vitæ suæ partem extra patriam consumserit; & extra illam quoq; fuerit mortuus.

CXXXVI. ADRIANUS ULTRAJECTANUS.

NAtus fuit Antverpiæ anno 1599. nec antehac huic arti addictus, sed fingendis variè avibus tam feris, quàm cicuribus occupatus fuerat, quales sunt gallinæ decorticatæ, pavones integri, & in specie Gallopavones, quos tanta repræsentare poterat similitudine, ut revera vivere viderentur. Unde & à S. sua Cæsarea Majestate, Rege Hispaniæ, & inprimis ab Hollandis singulariter desiderabantur, atque plurimum æstimabantur. Mortuusque etiam est in urbe patria.

CXXXVI. ADRIANUS ULTRAJECTANUS.

CXXXVII. BACCARELLI Antverpiani.

VIx ulla datur familia, apud quam nobilissima ars pictoria quasi hæreditario jure tam diu floruit, quàm Baccarellorum Antverpianorum, qui pingendis subdialibus tam Antverpiæ, quàm Romæ quasi ab immemoriali tempore excelluerunt; ut magna operum eorum copia utrobiq; reperiretur, tractus nimirum campestres majores, inq; iis singulari cura arbores, folia, fundiq; expressi. Romæ autem, quamvis Baccarelli morerentur plurimi, Antverpia tamen exaudita saltem de morte alicujus fama, mox subministravit alios, qui nisi morte præpediti, tam diu ibidem manebant, donec alii è Belgio agnati eorum locum hîc supplerent. Unde ipse ego septem vel octo tales Romæ meo tempore pernovi, qui omnes laudabiliter res suas curabant, quamvis ejusdem quasi genii omnes, quicquid acquisiverant, hilari societate iterum consumere solerent. Singulari autem laude præ cœteris eminebant Ægidius & Wilhelmus Baccarellus, qui licet sanguine & amicitiâ junctissimi, morte tamen longius ab invicem semovebantur,

CXXXVII. BACCARELLI Antverpiani.

ut alter Romæ, Antverpiæ alter sepulturam suam invenirent.

CXXXVIII. HEINRICUS de STEINWIG, Pictor Francofurtensis.

Cxxxviii. HEINRICUS de STEINWIG.

Operibus quidem artificiosissimis clarus, quæ tamen à graphicophilis haud usquequaque æstimata fuerunt, quo non obstante dignus tamen haud immeritò judicandus est, qui inter artifices celeberrimos locum inveniat. Natus autem fuit Steinwigii, discipulusque factus Johannis de Vries, operibus dehinc opticis, qualia in templis spectantur, magno incubuit zelo, quæ singulari cura, atq; argutiâ ab ipso elaborata reperiuntur, ut meliora ab alio expectari nequeant. Cunctarum tamen hostis artium Mavors è Belgio Francofurtum eundem compellebat, ubi & è vivis excessit anno 1603.

Filius ejus.

Post se autem filium relinquebat, vestigia paterna cum laude secutum; qui similiter juxta columnarum ordines architectonicos opera elaborabat prospectiva, unde tanta nominis sui inclarescebat fama, ut hac in parte cœteris omnibus præferretur, & hanc ob causam in Angliam quoque à Carolo Stuarto Rege Britannico evocaretur, ut illius palatium variis picturis artificiosis exornaret, quæ in hodiernum usque diem magno in honore habentur. Ipse autem maximo gaudebat favore regio, nobilique utebatur statu ad obitum usque suum. Vidua autem ipsius, fœmina pariter virtuti artique magnoperè addicta Amstelodami sedem figebat, picturis opticis similibus vitam sustentans, quibus etiam usque adeò proficiebat, ut domui suæ honestissimè prospicere posset.

CXXXIX. GEORGIUS HUFNAGEL Antverpianus, pictor atq; poëta.

Cxxxix. GEORGIUS HUFNAGEL.

Natus fuit Antverpiæ anno 1545. parentibus magno divitiarum affluxu abundantibus: cumque ab istis omni conatu ad architecturam applicaretur, naturali tamen inclinatione sua ipse ad pictoriam ferebatur, ita ut omni in loco, tam in Scholâ, quàm domi in diagraphica sese exerceret, ut tam à matre, quàm â præceptoribus sæpiùs charta ipsi & alia ad delineandum necessaria subriperentur. Cum autem Legatus aliquando Sabaudicus in domo patris ejus divertisset, & conspecto gigante quodam, quem puer iste creta elegantissimè in pariete ligneo expresserat, parentes ut inclinationi ejus melius succurrerent, admonuisset; in disciplinam tandem pictori cuidam traditus fuit: ubi brevi temporis spatio in Poësi & pictoriâ mirè profecit. Cuius specimina deindè edidit varia, & inter alia libro quodam magno, in quo, quicquid in itineribus suis vidisset rarius, de agricultura, vinearum generibus, hydraulicis, variis vivendi generibus, nuptiis, choreis, festivitatibus, cum innumeris similibus aliis, nec non urbibus, castrisque, & vestium generibus omnibus, summâ cum industriâ delineaverat.

Opera ejus juvenilia.

Cumque Caletum in Hispaniam ipsi à pictore quodam Belga varii aliquando mitterentur colores aquarii, istorum beneficio hanc urbem depingebat, quod primum erat opus ejus, coloribus expictum. In Belgium autem redux, cum certa quædam genera animalium rariora, nec non arborum & similia secum attulisset, à Johanne Bol dehinc ulterius informabatur, institutâ simul Antverpiæ re familiari. Hic autem cum jacturam passus esset omnium mercimonii sui bonorum, eò quod unà cum patre, in cujus societate negotia tractabat, in tumultu Hispanico gemmas multis florenorum millibus æstimatas in puteo quodam occultaverat, quæ ab ancillâ deinde conscia militi cuidam Hispanico proditæ fuerant; cum Abrahamo Ortelio Augustam Vindelicorum abibat ad Comites Fuggerianos, & hinc cum literis quibusdam commendatitiis Monacum, pinacothecam visitaturus Ducalem. Qua conspecta cum, nunquid & artis propriæ quædam haberet specimina, interrogaret Bavariæ Dux? ipse autem suam & uxoris suæ prioris effigies, unà cum opusculis quibusdam de bestiis nonnullis & arboribus opere gummato in membrana depictis exhibuisset; digressum in diversorium, quanti illa venditurus esset interrogari curabat Dux? ubi cunctante Hufnagelio, cum Ortelius centum pronunciasset coronatos aureos, eosdem mox numerari jubebat Dux Bavariæ, ejusdem simul sollicitans servitia: quæ cum post reditum ex Italiâ spopondisset, ducentos ipsi præterea coronatos aureos numerari jubebat Dux iste, ut uxorem suam è Belgio eodem transferri curaret: adeoque plurima cum satisfactione eodem utebatur Princeps iste; majorique quàm sibi pollicitus esset.

In paupertatem incidit.

In aulâ Bavaricâ iterum emergit.

Dehinc Ferdinandus quoque Archidux Oenipontensis stipendium ipsi largiebatur quadringentorum florenorum annuorum, pro pingendo Missali quodam opere gummato intra octennium, quod intra promissum tempus etiam tanto ingenii acumine, tantaque arte absolvebat, ut citra

admirationem conspici haud posset: eò quod tam variæ inibi reperirentur inventiones argutissimæ, ut totam vitam hoc opere potiùs consumsisse videretur artifex, quàm annos tam pauculos: unde ducentis quoq; coronatis aureis pæterea eundem donabat Archidux.

Quatuor ejus libri de animalibus.

Deinde pro Rudolpho Imperatore quatuor componebat libros, primum de quadrupedibus, alterum de reptilibus, tertium de volatilibus, & quartum de natatilibus, pro quibus singulis mille coronatos aureos accepit, assumtusque fuit in servitia Cæsarea, sub salario annuo splendidissimo. In Belgio nihil de ipsius operibus extare novi, nisi Amstelodami apud Jacobum Razet, opusculum aliquod longè pulcherrimum. Nocturnis horis, præ nimiâ sedulitate vix dormire poterat, quartâque matutina semper surgebat, ad elaboranda Carmina, quæ tam latino quàm Germanico idiomate composuit varia ingeniosissima; translationibus quoque felicissimus, quod singulari quodam opere plus satis testatus est. Præterea beneficus erat atque liberalis, inque omni negotio suo modestissimus: mortuusque est anno 1600. post natum Salvatorem; ætatis suæ quinquagesimo quinto, relicto post se filio unico Johanne Hufnagelio, qui & ipse in arte pictoriâ suâ non caruit celebritate. Effigiem autem illius tabulâ nostrâ K. K. benevolo Lectori exhibuimus.

In arte Poëticâ excellit.

CXL. ABRAHAMUS JANSONIUS Antverpiensis Pictor,

CXL. ABRAHAM JANSONIUS.

INter perfectissimos suæ ætatis Antverpienses primum locum habebat, quod in præmaturâ adhuc ætate hanc artem tam consummatè addidicisset, ut in historiis majoribus similem tum non haberet: unde tanta quoque evadebat apud omnes Principes nominis ejus autoritas, ut singuli sive pro templis, sive pro œcis magnificis aliquid, quod iste confecisset, desiderarent. Et sanè dubium nullum est, quin ad gradum longè sublimiorem ascendere potuisset, nisi loco mox assequendæ consummationis consumptus fuisset amoris incendio, cujus vulnera jucunda, venenum palato gratum, amaror dulcis, morbus suavis, pœna accepta & mors læta.

In amorem.

Sed eheu! quàm vera sunt hoc in casu vulgata hæc dicteria:

Si quis amore calet, consueta negotia cessant.

Et:

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Labore enim opus est gloriam quærenti & assiduitate; juxta illud Poëtæ:

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit.
Abstinuit Venere & vino, qui Pythia cantat
Tibicen; didicit prius, extimuitq; magistrum.

Labor enim bonæ gloriæ pater est; quem & Ovidius inculcat, sic inquiens:

Dum vires anniq; sinunt, tolerate labores;
Nam veniet tacito curva senecta pede.

E contrario, Nemo unquam, tradente Sallustio, ignavia factus est immortalis; quippè quæ fores pandit ad omnia vitia. Ita Jansonius ad scopulos amoris sui inconsiderati naufragium passus, pulchritudini virginis cujusdam omnem suam sacrificabat fortunam: quam cum uxorem duxisset, deambulationibus vacans, rem familiarem minus curabat: cumque liberis domum haberet ditiorem, quàm rerũ necessariarum copiâ, mœrore præpeditu, singeniosis inventis vacare vix poterat; unde in tantam postremò incidebat mentis imbecillitatem, ut quandoque ex improviso in mediis laboribus suis optimis exsurgeret, quasi omnium pertæsus, perque urbem discursitans de novis quibusdam esset sollicitus sive piscibus exoticis & Hollandicis, sive aliis quibusdam cibis Italicis, quos deinde ipsemet lautissimè præparabat, cumque sociis quibusdam aliis inter pocula consumebat: quibus omnibus non tempus saltem terebatur inutiliter, sed & cura rei familiaris omninò negligebatur, imò quicquid fortunæ ab ipso sperari poterat, cassum evadebat atq; evanidum; non attento insigni illo Petri Pauli Rubenii exemplo, cujus prosperitas tum quasi radii orientis noviter in hemisphærio artis nostræ, Solis, magno cum splendore promicabat.

Curriculum vitæ ejus.

Opera autem pinxit, non quidem copiosa, sed præstantissima atque maxima, quæ partim Antverpiæ, partim alibi in templis præcipuis adhuc spectari possunt: ad historias enim majores singulari ferebatur studio, in quibus vivis undique utebatur exemplaribus, naturam sectatus in omnibus, cui datâ qualibet occasione multum decoris sive addendo sive minuendo conciliare poterat: diagraphicam enim examussim callebat, regularumque universalium gnarus erat quàm maximè. Sic imaginibus quoque suis rotundam planè tribuebat molem, ut quasi carneæ

Modus ejus pingendi.

viderentur, cum summo colorum robore, perpetuâ duratione verè constantium, imò diuturnitate temporis exaltatorum potius quàm corruptorum; prout in urbe ipsius patriâ, ut dictum supra, exempla extant plura maximè conspicua: in Germania autem pauca; præterquam Campoduni; ubi tabula quædam altaris major reperitur (quæ antea in Bosco Ducis locata fuerat) ablationem Christi è cruce exhibens, quæ à summo illius loci Antistite pro opere quidem Rubeniano existimabatur, sed istius Abrahami Jansonii manu picta fuit, & ita quidem, ut Rubenii operibus minimè postponenda sit, cum viventium molem superet, multoque artificio illustris, nec minùs ordine quoque optimo, & affectibus pulcherrimis omninò naturalibus decora sit. Et utinam templum illud maximum tabulis similibus pluribus condecoraretur, principiumque hoc, quod facilè fieri potuisset, ulteriore continuatione non fuisset destitutum! Jam enim unico hoc opere cum usq; adeò sit celebre, quod à Graphicophilis tam multa laude, in perpetuam autoris memoriam, extollitur; quid non sperandum esset, si pluribus inclaresceret?

Opus ejus Campodunense.

CXLI. GERHARDUS SEGERUS Pictor Antverpiensis,

CXLI. GERHARDUS SEGERS.

EAdem urbe progenitus, suoq; tempore fama celebris plurima. Hic Romæ, quo ut meliùs artem suam fundaret, sese receperat, Bartholomæi Manfredi modum sectatus fuerat, ut in omni picturâ vitam ipsam quàm simillimè exprimeret, omni studio conatus. Umbras igitur undiq; adhibebat profundiores, luminumq; extantias, quantum fieri poterat, coarctabat; unde figuræ ejus rotundâ planè extuberantiâ prominebant, coloremq; præ se ferebant omninò carneum; quoniam ab omni colorum duritie & cruditate, quæ à cinnabari, cærulo claro, flavo fulgido, & viridi nitente prodire solet, penitus abstinebat; harmoniam in omni coloratura observans, de qua alibi satis à nobis dictum est: quo ipso Manfredianam illam methodum tam proximè imitari poterat, ut una quasi eademq; manus videretur. Et hac ratione Antverpiæ sodalitia quædam, partim militum chartulis ludentium, partim musicorum variis canentium instrumentis, & similia imaginibus dimidiatis viventium quantitate & similitudine tanto artificio exhibuit, ut non tantum celeberrimis æquarentur operibus, sed quædam illorum ita deprimerent, ut plana potius aquaria vel gummata, quàm naturam imitantia olearia viderentur. Et hasce ob causas fama ipsius mirum in modum excrescebat, quam & divitiæ sequebantur tantæ, ut partim ex acquisitis, partim è dotalibus Antverpiæ domum sibi extrueret magnificam, & conclavibus pictoriis instructissimam tantiq; pretii, ut ad sexaginta florenorum millia in eandem impenderet.

Methodus ejus.

Postmodum opera pingebat plura, & quidem artificiosissima, & inter alia totam Christi passionem figuris majoribus, tam vividam animosque moventem, ut eadem conspecta vix aliquis à lachrymis sese cohibere valeret: unde laudes ejus & Hispaniarum Regem eò commovebant, ut eundem in Hispaniam evocaret, ad pingenda opera clarissima plurima, quorum causa nō pretio saltem maximo, sed & muneribus ditatus est splendidissimis. Exhinc dispersa ulterius fama ejus, plura pro templis, monasteriis, voluptuariis, & palatiis pinxit laude dignissima, quorum aliqua & typis æneis in lucem emisit.

Mortuo autem Antverpiæ Petro Paulo Rubenio, & profecto Londinum Dykio, quorum pingendi methodus ibidem cæteris omnibus præferebatur, Segerus noster derelictâ priori naturæ assimilatione, praxin quoq; lucidiorum & pulchriorum colorum aggrediebatur, ut oculis spectantium foret acceptior: sic enim cum anno 1645. Amstelodami eundem visitarem, opera quædam, quæ pro suis mihi exhibebat, ab ipso facta non amplius judicassem, nisi asseveranti fides habenda fuisset; ubi hanc simul mihi exponebat rationem, Rubenii Dykiique modum potius arridere seculo, unde eundem & sibi sectandum, nummorumque potius, quàm famæ aucupio studendum. Nec minori tamen ingenii dexteritate in hac quoq; methodo utebatur, naturam secutus quantum posset: unde certa hæc sit ad perfectionem aspirantibus regula, ut ad viva exemplaria quamplurima pingant, è quibus non vera saltem artis theoria, sed magnum quoque ingenii acumen exoritur pictori.

Modum pingendi alium assumit.

Post plurima autem acquisitæ gloriæ testimonia, vitamq; laudatissimè peractam, inter vivos tandem esse desiit anno 1651. die Martii 18. Antverpiæ, relicto post se filio, qui Italiam & ipse visitavit; quamvis & ante abitum suum magna jam optimorum profectuum edidisset specimina.

CXLII. MICHAEL JANSONIUS MIREVELDIUS Pictor Delphensis,

NAtus est anno 1568. patre aurifabro: à quo cum à teneris unguiculis ad

CXLII. MICHAEL JANSON MIREVELD.

Scholas applicaretur, tantoperè ob naturam ingenii tranquillam, & moratissimam mox profecisse dicitur, ut anno jam ætatis suæ octavo omnes Urbis Delphensis Ludimagistros & elegantis scripturæ artifices præcelleret. Proximiorem autem pubertati cum ad icones delineandas Pater assuefaceret, tanto easdem quoq; tractabat successu, ut anno jam ætatis duodecimo proprio Marte quædam æri incideret: & inter alia historiam mulierculæ Samaritanæ, cui Christus ad fontem sese manifestat, unà cum Urbe Sicharitica haud proculin montanis adjacente, & Apostolis è longinquo adventantibus; eleganti omnia artificio. Nec minorem meretur laudem ipsius quoq; Judith, caput Holofernis tenens, quæ ad methodum quasi Blocklandi efficta videtur: in cujus etiam disciplinam anno ætatis duodecimo sese committebat, ubi & penicilli arcana tantâ apprehendebat promtitudine, præceptoremque tam feliciter assequebatur, ut utriusque picturæ quàm difficillimè dignosci possent, prout adhuc testantur icones quædam ab ipso relictæ, & inprimis effigies quorundam senum, tam in Urbe Delphicâ, quàm aliis in locis Hollandiæ adhuc extantes.

Opera ejus.

Lugduni autem Batavorum ab ipso confectæ conspiciuntur icones Heinrici Egberti, & filii ejus, unà cum uxore illius; nec non effigies Geritii Johannis ab Eych Consulis; ejusdemque conjugis & liberorum: porrò & Principissæ Auriacæ, & aliorum nobilium. Tanta enim in iconibus pingendis inclarescebat fama, ut Albertus Archidux libertatem ipsi concederet Religionem Mennonisticam exercendi.

Discipuli ejus.

Discipuli ejus erant Paulus Moreels, qui & ipse in iconibus quàm dexterrimè pingendis insigniter excellebat, & Ultrajecti hac in arte haud parvam assecutus est nominis sui celebritatem. Deinde è Scholâ ipsius quoque prodierunt Petrus Geritius Montfortensis; Petrus Dietericus Cluyl; Claudius Cornelides, & alii. Divulgatâ igitur per totum Belgium famâ illius, picturis domesticis Nassovianæ familiæ à Principe Auriaco præficiebatur; â quo tempore Delphensium civitatem omnes illi visitabant, quorum effigies conficere jubebatur, ne magnatibus quidem exceptis, quoniam ibidem conclave quoddam pictorium optimum, debitoque lumine instructissimum extrui curaverat. Adde, quod conversatione ejus quivis delectaretur, quod & comitate & affabilitate omnes sibi devinciret.

Effigies plus quam decies mille confecisse dicitur.

Ipse autem commemorasse dicitur sæpiùs, quod ultra decem iconum elaboraverit millia, inter quas pro Regibus, Principibus, Comitibus, aliisque Magnatibus plurimæ; ut pro quibusdam centum & quinquaginta floreni, pro aliis & plures, eidem numerati fuerint: ubi beneficio generi ejus Wilhelmi Jacobi Delphini plurimæ harum quoque typis æneis publicabantur, quæ in hodiernum usque diem apud Graphicophilos ob insignem artis excellentiam maximè æstimantur. Mortuus autem est anno ætatis suæ nonagesimo; sepultusque cum egregio, ob virtutum artisque excellentiam, epiphonemate: Effigiemque illius tabula nostra L.L. exhibuimus.

CXLIII. WENCESLAUS CUOBURGER
Pictor Bruxellanus,

CXLIII. WENCESLAUS CUOBURGER.

IN servitiis erat Archiducis Alberti; & ob artis ingeniique, variorumque arcanorum excellentiam ab omnibus honore colebatur plurimo. Sic &

CXLIV. CASPARUS RAVENSTEINIUS,
Hagensis,

CXLIV. CASPAR RAVENSTEIN.

A Principe Auriaco, Comitibusque & primatibus vicinorum locorum omnibus, ob picturas suas iconicas Hagæ Comitis ab ipso elaborari solitas, cum insigni naturæ expressione, singulariter æstimabatur. Porrò quoq;

CXLV. PALAMEDES PALAMEDIADES.

CXLV. PALAMEDES PALAMEDIS.

PIngendis præliis, exercitibus, & expeditionib', tam equestribus quàm pedestribus excellebat, quæ omnia in tractibus campestribus elegantissimis tam argutè repræsentare solebat, ut qui inter flammas, fumiq; globos conciderent mortui, pugnæque ardore excandescerent vivi, quasi præ oculis spectanti versari viderentur. Sed &

CXLVI. CORNELIUS SCHUDT Antverpianus,

CXLVI. CORNELIUS SCHUDT.

MAgni erat ingenii & ad historias picturasq; Poëticas nati; quas imaginibus haud adeò magnis quidem, sed ob inventionis raritatem & vividitatem singularem laudatissimis, exprimere solebat.

Eodem autem tempore in Belgio & alii excellebant in arte pictoriâ artifices; inter quos Franciscus Petrus Grobius civis Harlemensis, Jacobi Saverii discipulus, & in subdialibus longè præstantissimus. Sic & Amstelodami duo erant fratres Bernhardus

Franciscus Petrus Grob.

& Pau-

& Paulus Sommerii, iconibus pingendis celebratissimi; nec non Artus Johannes Dryvesteinius, tam iconicis quàm subdialibus præstans: quibus innumeri jungi possent alii, si desiderata istius operis brevitas id admitteret.

CAPUT XVIII.

GERHARDUS DE HUNDHORST, cum sedecim artificibus aliis.

Argumentum.

CXLVII. GERHARDUS DE HUNDHORST, pictor Ultrajectinus: operibus nocturnis studet: opera ejus Romana: Ultrajectum redit, ibiq; plures habet discipulos: in Angliam evocatur, ibiq; operibus artificiosissimis inclarescit. Vita ejus civilis. Opera ejus pro Principe Auriaco facta: tandem picturis potissimum iconicis vacat. CXLVIII. ANTONIUS DE DYCK, pictor Antverpianus: multa in Anglia elaborat: iconibus juxta methodum Titiani pingendis incumbit: Icones ejus majori volumine editæ. CXLIX. ADRIANUS BRAUER, pictor Flandricus: jocoso vivendi genere delectatur. CL. CORNELIUS PULENBURG. CLI. RULANDUS SAVERIUS, pictor Flandricus: in subdialibus clarus est: Ultrajectum venit. CLII. JOHANNES TORRENTIUS Amstelodamensis: in suspicionem hæreseos incidit, torturæq; vehementia extinguitur. CLIII. JOHANNES DE WAEL. CLIV. JODOCUS DE GRAESBECK. CLV. ADAMUS WILLARTUS. CLVI. JOHANNES WILHELMUS BAUER, Argentoratensis: picturis gummatis membranaceis incumbit, aliisq; curiositatibus delectatur. Neapolin venit, & deinde Viennam. CLVII. NICOLAUS KNIPFERUS Lipsiensis: historias plurimas pingit minori forma. Opera ejus typis æneis vulgantur. CLVIII. JOHANNES BILERTUS Ultrajectanus. CLIX. JOHANNES DE BALEN. CLX. HEINRICUS von der Borch, Franckenthalensis: in Italiam venit, magnamq; acquirit rerum antiquitatis notitiam. Francofurtum venit. Flii ejus. CLXI. JACOBUS BACKERUS Harlingensis: velocitate pingendi inclarescit. CLXII. PAULUS MORELIUS, pictor & Senator Ultrajectanus; picturis iconicis incumbit. CLXIII. HEINRICUS VERBRUGIUS Ultrajectanus.

CXLVII. GERHARDUS DE HUNDHORST, Pictor Ultrajectanus;

CXLVII. GERHARDUS HUNDHORSTIUS.



IN Urbe patria suo ævo inter primarios numeratus artifices, parentibus natus erat honestis, liberaliterque educatus, discipulus evasit Abrahami Blomarti: à quo cum vera artis pictoriæ fundamenta graviter addidicisset, Romam profectus in nocturnis viventium quantitate pictis tantam adeptus est nominis celebritatem, quantam in minutis Adamus Elzheimerus; prout exempla testantur in multis palatiis, & præsertim apud Marchionem Justinianum conspicua, apud quem diu commoratus opera pinxit nobilissima plurima: & inter alia tabulam majorem nocturni generis de Salvatore nostro in vinculis, albaq; tunica induto ante Judicem consistente; Ubi candelarum, lampadumque splendor omnia ad ipsam naturæ similitudinem tam eleganter collustrat, ut ad talem gradum ars nostra nunquam adhuc perrexerit. Sic ibidem quoq; in templo ad D. Virginem scalarem altare extat de decollatione S. Johannis Baptistæ in carcere ad lumen facis peracta, quod opus est inter nocturna quasi palmarium, summaque laude dignissimum. Quibus accedit tabula alia major in templo D. Virginis victoriosæ, de S. Paulo in tertium rapto cœlum.

Nocturnis operam dat.

Opera ejus Romana.

Post plura alia laudatissimæ manus suæ monumenta ibidem relicta, in patriam redux cum summo cognatorum suorum gaudio, varia mox artis suæ ibidem pariter edebat specimina: unde & matrimonio prosperatus felicissimo, ob magnam majorum ad viva exemplaria pictorum operum copiam, quæ partim historiæ erant biblicæ, partim fabulæ poëticæ, quas pro more suo velocissimè consummare solebat, domum suam tam reddebat celebrem, ut pueris variis honestissimis natis

Ultrajectum redit;

paren-

MICHAEL MIREVELT. IACOBVS CALLOT.

LI.





GERARDVS HONTHORST. ANT. VAN DYCK.





ADRIANVS BROVWER. CORNELIVS POELENBOVRG





parentibus, in disciplinam ipsi traditis, quasi repleretur: sic enim & meo tempore, viginti quatuor & plures numerabamur, singuli didactri loco quotannis centenos ipsi erogantes florenos.

In Angliam vocatur.

Adauctâ autem ulterius celebritate nominis ejus, Rex Angliæ Carolus Stuartus eundem ad se vocabat, ad pingendum opus quoddam maximum, quo sub iconibus Regis & Reginæ Apollo & Diana è summis prospectant nubibus, Mercurium respicientes, qui sub effigie Ducis Buckingamii septem artes liberales in conspectum introducit Regium, quæ pictura est longè clarissima, tam diagraphices, quàm argutiarum & colorum laude plurimum deprædicanda. Cui porrò adjecta sunt vitia quædam, ut Invidia, Odiumque, Amore Virtutis prostrata: cum similibus aliis in regio Convivatoriæ domus œco cum perpetuâ nominis ejus exaltatione conspicienda. Pro quibus unà cum effigiebus quibusdam Domus Regiæ, semestri tamen spatio omnibus absolutis, honorarium ipsi porrectum fuit ter mille florenorum, unà cum vasis ad instruendum convivium duodecim personarum, argenteis omnibus; nec non equo generosissimo. Ultrajectum pro voto graphicophilorum omnium intensissimo reversus, magnam adhuc picturarum copiam pro eodem Rege; adhuc autem plures pro Rege Daniæ conficiebat, in quibus gloriosa priscorumRegum gesta tam terra quàm mari præstita, suo ordine exhibita erant, quæ omnia, si describenda essent, integrum sola requirerent volumen; nobis autē id unicum satis exponunt, Hundhorstium in omni artis nostræ specie, perfectissimâ excelluisse peritiâ atq; sedulitate. Cui id jungimus, quod eandem ingenii perfectionem in omni suâ exhibuerit vitâ, si de hominum sorte perfectum quid prædicare fas est; cum & virtuti undiquaq; studeret, morumq; inculpabilitati, & comitatis laude præcelleret, nec felicitate minus abundaret & honore apud quoscunq;; unde thesauros sibi colligebat haud exiguos, quos & promtitudinis & industriæ ope tantoperè prorogabat, ut fortunæ suæ faber dici posset longè dexterrimus.

Vita ejus civilis.

Opera ejus pro Principe Auriaco.

Post varia alia opera similia summâ laude decantanda omnia, poëticâ plerumque inventione pro domibus Principis Auriaci voluptuariis, partim Hagæ Comitis, partim Reswici, Honslardici, & aliis in locis vicinis elaborata, ab eodem Principe Reswicum vocabatur, ad pingendam ibidem ædem quandam rotundâ concameratione instructam, quam brevi etiam temporis spatio artificiosissimè consummavit; depictis primò in summo fornice, quasi cœlum ipsum foret, angelis & cupidinibus circumvolantibus variis, ceu venatione quadam argutissima varias persequentibus aves, ut sunt manucodiatæ, phasiani & similes, invento rarissimo atq; elegantissimo: infernè autem Xystum appinxerat, gyro integro totam structuram ambientem, ibidemq; variarum nationum, variorumq; instrumentorum musicos hilari quasi conversatione detentos: & porrò picturas ulteriores architectonicas, unà cum tapetibus, avibus undiquaq; Indicis, quales sunt corvi, psittaci, nec non simiæ saltantes, ludentesq; cercopitheci, refertis; opere non amœno saltem sed admirando pariter: pro quo, quamvis festinabundâ manu absoluto, octo millia florenorum ipsi numerata sunt.

Iconibus incumbit.

Dehinc omnium quasi totius Hollandiæ Magnatum pingebat effigies, ut & hoc studium unica ipsius tandem esset professio; quas omnes nō singulari tantùm artificio, sed & venustate quadam gratiosissimâ exprimere solebat, ut omnibus hac ratione satisfaceret, non pictorio tantùm, sed & politico acumine, laurea meritò laudibusque omnibus dignissimo.

Cumque in lucem editus esset Ultrajecti anno 1592. ad umbras reclusus est subterraneas Hagæ Comitis anno 1660. relictis duobus filiis, paternæ non tantùm artis, sed & virtutis hæredibus. Iconem autem illius benevolus Lector in tabulâ nostrâ LL. spectare poterit.

CXLVIII. ANTONIUS DYKIUS, Pictor Antverpiensis.

CXLVIII. ANTONIUS de DYK.

Obstetricante quasi naturâ in teneris adhuc ætatis suæ annis ad artem nostram, infusâ, ut ita dicam, potius, quàm acquisitâ molestiùs scientiâ promotus; ut quicquid penicillo referret, gratia quadam polleret singulari. Quamvis enim difficiliorum istius artis axiomatum præceptis nondum assuevisset, picturis tamen partim iconicis, partim historicis, & aliis, jam tum usq; adeò inclarescebat, ut nec honore, nec amore populi, imò nec opum destitueretur abundantiâ. Prima autem peritiæ suæ fundamenta Antverpiæ apud Petrum Paulum Rubenium cum jaceret, ab hoc ad megalographica sua plurimum applicabatur: cum tamen natura suâ ad iconica potiùs ferretur, hoc quoq; genere potissimùm ita celebrabatur, ut & in Anglia, præter opera alia præcipua, in aulâ ibidem Regiâ effigies pingeret plurimas.

In Anglia multa elaborat.

In iconicis Titianum sequitur.

Abhinc in Italiam profectus summo studio Titianam sibi methodum reddebat familiarem, cujus & venustatem tantoperè assecutus est, ut proximior eidem nemo fuerit unquam; unde specimina quoq; hujus tam Genuæ quàm Venetiis & Romæ edidit plurima laudatissima. Cum autem Romanorum regulæ, & Academiæ antiquorum, nec non seria illa nimis tam Raphaëlis, quàm aliorum studia haud satis ipsi arriderent, ibidem non diu commoratus

Genuam redibat, ubi icones brevi pingebat præstantissimas, & pretio quidem non exili; unde onerato abundantissimè marsupio Antverpiam navi revertebatur. Ubi graphicophilos pariter haud paucos reperiens, arte suâ satisfaciebat plurimis, quod magnum ipsius Volumen iconicum satis demonstrat, in quo manu expressit propria omnium Monarcharum, Principum, Magnatum, variorumq; artis nostræ fautorum effigies. Deinde Imagines quasdam D. Virginis pingebat, filiolum tenentis venustate incomparabili, inter quas nonnullæ gloriosos appictos habent angelorum choros tantâ elegantiâ, ut & typis æneis eædem expressæ fuerint. Tanta igitur jam clarus famâ ad Carolum redibat Magnæ Britanniæ Regem; ubi opera iterum elaborabat plurima nobilissima, iconesq; tam Regis & Reginæ, quàm aliorum primatum, nec non fœminas gratiosissimas, magnam ita lucratus pecuniæ summam, ut si attentior ad rem familiarem fuisset, aureosq; Cupidinis evitare potuisset arcus, opibus abundasset quasi infinitis. Tandem autem uxorem quoq; ducebat primariam, & quidem tam formâ quàm nobilitate clarissimam, cum quâ ante obitum adhuc suum filiam quoq; generabat, ad lectulum quasi agonizanti tamen allatam. Doloribus enim podagricis diu attritus, quamvis ætate adhuc florida, præmatura tamen morte abripiebatur anno 1641. cum natus fuisset anno 1599. Effigiem illius autem, Gratiarum hospitium, tabulâ nostrâ LL. exprimere voluimus.

Volumen ejus iconicum.

Vxorem ducit.

CXLIX. ADRIANUS BRAVER, Pictor Flandricus.

CXLIX. ADRIANUS BRAVER pictor Flandricus.

MOstarti sectatus methodum varia proprio Marte inveniebat, quæ mirâ deinde profunditate picturis exprimere poterat, quibus inprimis minutas quasdam inserere solebat imagines, unde magna ipsi enascebatur nominis celebritas: præsertim cum jocosi esset ingenii, lepidisque dicteriis ad instar Diogenis Cynici omnium sibi pronos redderet animos. In parvis igitur picturis suis simplicitatem naturamq; & vitam rusticorum tam argutè exhibere solebat, ut ob admirandas has penicilli ejus lepiditates opera ejus sæpè auro rependerentur, non tam quantitate quàm pondere æstimata, quæ tamen & incomparabilia longeq; majoris pretii erant. Quamvis autem similia pingeret plurima, plus tamen aliis, quàm sibi hac arte sua proderat, cum ita semper sibi prospiceret, ut nec corpori, nec domui, nec marsupio quicquam superesset: ubi tamen semper simul ipse sui erat derisor, quod in rebus consumendis tantâ polleret perfectione. Unde in eundem Biensis carmine quodam jocatus est, cujus hic est sensus:

Jocosus est.

Opera ejus incomparabilia.

Ob bona Braweri nec lis nec jurgia surgunt:
Aurum hîc qui quærit, peniculos reperit.
Axiculum, pluteumq; vides, cui crura vacillant:
Braweri hæc bona sunt omnia, quæ bona sint.
Fama sed ingenium laudans, hunc dicit Apellem,
Qui modò de terris pauper ut Irus abit.

Epigramma.

Cum igitur ob tantam rerum omnium inopiam inter plebejos primò in cœmiterio sepultus esset; postmodùm urgentibus istius artis cultoribus atq; fautoribus primariis è tumulo iterum extractus, magnâ cum solennitate, comitantibus omnibus Antverpiæ tam ecclesiastici quàm politici ordinis primoribus, in templo recondebatur, magnifico insuper honoratus monumento atq; epitaphio. Effigiem autem illius tabulâ nostrâ LL. expressimus.

CL. CORNELIUS PULENBURGIUS,

ULtrajecti natus, post exactos pubertatis annos Abrahamo Blomarto in disciplinam traditus est; postmodum jactis hic optimè fundamentis Romam invisit & Florentiam, ubi in subdialibus incomparabilem illum Adamum Elzheimerum, in imaginibus humanis autem Raphaëlem, quoad ejus fieri potuit, secutus, tractus campestres elaboravit admiranda elegantia, figuris venustissimis exornatos; quorum beneficio Romæ primùm, deinde & in patria summam promeritus est laudem, ita, ut tandem & à Rege Angliæ evocatus, annuo honoraretur salario splendidissimo. Postmodùm cum Ultrajectum reversus esset, & opera ejus tam Amstelodami, quàm Hagæ Comitis & Antverpiæ magis semper magisq; æstimarentur, ipse ego quoq; picturas quasdam pro celebratissimo illo Petro Paulo Rubenio ab ipso confieri curavi, quas etiam magnâ cum satisfactione illius optimè elaboravit. Iconem autem ipsius tabulâ nostrâ LL. exprimi curavimus.

CL. CORNELIUS PULENBURG.

CLI. RULANDUS SAVERIUS, Pictor Flandricus,

NAtus Jacobo Saverio pictore medii generis, à quo, cum ad sublimiora pronitatem quandam præ se ferret, omnibus promovebatur viribus, unde Rulandus in picturis variorum animalium, tam quadrupedum quàm reptilium, nec non volatilium & natatilium tantoperè proficiebat, eademq; in subdialibus suis elegantissimis tam argutè exhibebat, ut similem in istis non haberet. Eandemq; peritiam in petris quoq; & rupibus, montibusq; & præcipiti undarum lapsu sæpius demonstrabat, ut Rudolphus Imperator propterea eundem in Montana Tyrolensia mitteret,

CLI. RULAND SAVERY.

In subdialibus excellit.

ad uberiùs indaganda similia naturæ admiranda. Hic ergo montana pulchriora & convallia implicatiora omnia calamo delineabat quàm diligentissimè, majores arbores carbone, remotiora autem colore aquario illustrans, ut biennii spatio magnum hinc conficeret volumen, quod dehinc in picturis ejus campestribus magno ipsi erat usui, quorum exempla Pragæ in pinacotheca Cæsarea, (ubi in servitiis S. C. Majestatis per multos annos laboravit:) existunt plurima, quæ deindè ab Ægidio Sadlero ejusq; discipulo Isaaco Majore pleraq; æri incisa sunt.

Pragæ commoratur.

Inter omnia verò opera ejus, juxta meam quidem sententiam, summam meretur laudem magnus ille tractus campestris, in quo S. Hieronymum pœnitentem in deserto exhibuit, prout hic ab Isaaco Majore præmemorato typis æneis publicatus est.

Opus ejus laude dignissimum.

Post obitum Rudolphi Imperatoris gloriosissimæ memoriæ Ultrajectum se conferebat, ibidemq;, magnâ cum satisfactione graphicophilorum, varia elaborabat subdialia, ita ut tempus diei antemeridianum his laboribus impenderet: sub vesperam autem consortia quædam frequentabat lætiora, atq; sic vitam suam cœlebs transigebat inter hilaritates licitas, & plerumque cum patrueli suo Johanne Saverio, qui & ipse subdialium pictor erat. Vitam autem ad senium satis grande producebat, tandemq; soluto naturæ debito Ultrajecti inter vivos esse desinebat; cujus imaginem tabula nostra KK. exhibuimus.

Ultrajectum venit.

CLII. JOHANNES TORRENTIUS, Amstelodamensis

CLII. JOHANNES TORRENTIUS Amstelodamensis

Inter illos, qui ad sublimiora artis pictoriæ annisi sunt fastigia, pariter numerandus; quamvis enim terram suam natalem nunquam deseruisset; multa tamen ibidem elaboravit opera pulcherrima. Vitæ nimirum sibi elegerat genus quoddam singulare; quin & picturis minutioribus potius operam dabat, quàm megalographicis, quibus libros tumultuaria confusione varios tam apertos quàm clausos, clepsammidia, calamos, atramentaria, vasa floribus plena in mensis locata, tapetes, vela & similia tantâ exhibebat industriâ, tantaque argutiâ, ductu etiam tam lævigato tamque robusto, ut naturam quasi superare videretur ipsam, nullaque istius generis opera alia istius manu factis essent similia; quæ propterea pro admirandis magnoque in pretio habebantur. Ultra immota talia (cum ad activa major requiratur spiritus;) nihil ab ipso factum cõspexi, quod singulare esset; præter nudas quasdam fœminas ineptissimas, & maximè inficetas, adeoq; laude nullâ dignas; quæ propterea etiam singulari destructæ sunt casu, prout ex sequenti patebit historia.

Picturis minutioribus operã dat.

Hic nempè Torrentius cum conversatione amicabili, specie decorâ, moribus optimis & facundiâ singulari conspicuus esset, magnâ gaudebat amicorum frequentiâ, ex primariis quoq; & ditissimis, qui honore eundem & amore prosequebantur plurimo, ut & nummos ipsi suppeditarent & alia, quæcunq; ab ipso desiderari possent: undè è tantâ rerum omnium abundantiâ in luxuriam prolapsus, clandestina instituebat conventicula, de quibus honestiores famam disseminabant haud optimam, quod Libertinismo omnia viderentur quàm simillima: unde & pro seductore populi ad magistratum deferebatur, quasi clam docuisset: peccatum originale Christi sublatum esse, ut absque legis norma jam vivere, virisque & mulieribus promiscua uti familiaritate liceret. Quo percepto Magistratus Harlemensis captivatum, cum omnia constantissimè negaret, torturæ tandem subjicere jussit; quâ tanta tractatus fuit vehementiâ, ut in carcere propterea expiraret: ex quo prædicta asseclarum ejus factio statim dissoluta est, picturæque supra commemoratæ nudæ atque lascivæ carnificis manu publicè combustæ sunt.

In suspicionem hæreseos incidit.

Equulei cruciatu moritur.

Plura ergò de ipso commemorare haud possum, quàm pauca illa immobilium, & optima quidem opuscula, Amstelodami, Lugduni Batavorum & Hagæ Comitis adhuc existentia. Excessus autem hic illius ex hac vita dolorosissimus & ignominiosissimus Harlemi contigit circa annum 1640. Effigies autem ipsius tabulâ nostrâ M. M. spectari potest.

CLIII. JOHANNES DE WAEL.

Et ipse inter pictores Antverpienses multa arte clarus erat, unde picturis suis & vitâ honestissimâ ad divitias emersit insignes, mortuusq; est anno 1633. anno ætatis suæ 73. Sic pariter &

CLIII. JOHANNES D WAEL.

CLIV. JODOCUS DE GRAESBECK.

Ibidem caput suum haud minus extulit, quàm ceu lenta solent inter viburna cupressi. Sed porrò

CLIV. JODOCUS DE GRAESBEK.

CLV. ADAMUS WILLARTUS

Etiam mihi succurrit, Antverpiensis patria, Ultrajectanus domicilio, qui in subdialibus variis, qualia sunt campestria, nautica, piscationes halecum, littora, portus, procellæ marinæ, & similia admodum fuit celebris, ut laudes illius ob artis comitatisq; singularitatem mirum in modum mihi decantatæ fuerint.

CLV. ADAM WILLART.

CLVI. JOHANNES WILHELMUS BAUERUS, Argentoratensis,

Pictor membranarum celebratissimus, Argentorati natus & educatus, Brendeliique ibidem discipulus. Hic laboriosissimus erat, inventionibus dives & velocitatis ad-

CLVI. JOHANN WILHELM BAUER

mirandæ in picturis minutis membranaceis, quarum infinitum quasi confecit numerum, figuris plerumq; parvis hinc inde insertis, sub argumento venationum, piscationum, itinerum terrestrium, procellarum marinarum, tempestatumque, cum variis casibus aliis argutissimè & elegantissimè exhibitis. Præterea autem & circa labores quosdam alios minores curiosissimos occupabatur, ceu sunt erosio æris, smaltum auro inductum, & encaustica similia alia: quare & in Italiam porrò profectus, Romæ apud Principem Braffanum, omnium artium fautorem eximium, unà cum artificibus pluribus aliis, per aliquod tempus commoratus est, ubi ob insignem artis suæ elegantiam magnum reperit applausum. Quamvis & ipse ulteriores semper faceret progressus, delineando juxta nativa exemplaria palatia præcipua, hortos & prospectus elegantiores, tam intra quàm extra Urbem, nec non ædificia splendidiora & plateas integras, item fontes artificiales, statuas, opera anaglyphica semiplena, vasa marmorea, ruinas antiquas, sodalitia aulica, & conversationes nobilium alias, item festivitates quotidianas, ludosq; & similia, quorum omnium beneficio in methodo suâ nobilissimâ ad majores semper ascendit gradus.

In variis curiosus.

Romæ commoratur.

Deinde Neapolin sese conferebat, ubi æquoris ipsius tractum, portus, castella, promontoria, & similia alia, unà cum variis navium generibus, pro diversa singularum nationum specie, sive Turcæ essent, sive exotici alii, cum mancipiis & apparatibus aliis elegantissimè depinxit, tamque distinctè, ut quilibet facilè dignosci posset, utrum Hispanus, an Gallus, Italusve, vel alius esset: undè prout labores, sic & laudes ejus tantoperè excrescebant, ut magnam ibidem pecuniæ summam acquireret. Namque & diutius ibidem permansisset, nisi anno 1634. ut memoriam certæ cujusdam obliteraret fœminæ, Romam iterum, & persequente eundem hoc malo & hîc, porrò & Venetias, imò planè Viennam Austriæ metropolim sese contulisset, ubi pro Ferdinando III. Imperatore Romanorum, aliisque magnatibus atque nobilibus, curiosa plurima ex historia tam sacra quàm profana, nec non fabulis poëtarum pinxit, quædam etiam ære roso ipse exhibuit, inter quæ subdialia plurima, procellæ marinæ, & inprimis Metamorphosis Ovidii in quarto edita; quod opus est extraordinarium, inventionibusque ditissimum, & argutiis innumeris refertum. Quędam autem opera ipsius, & quidem elegantissima, â Melchiore Küsselio Augustano chalcographo celeberrimo apographis laudatissimis transsumta, inque graphicophilorum gratiam typis æneis publicata sunt: ut sunt prœlia varia pulcherrima, venationes diversi generis, sodalitia elegantissima; palatia magnifica; ædificia Romana varia, viridaria amœnissima, fontes artificiosi lepidissimi, nec non tota de Pastore fido Comœdia; & Christi similiter tam vita quàm passio; quæ omnia æquè ob inventionum raritatem, ac ob singularem chalcographi industriam, cultoribus horum studiorum nō minus delectabilia sunt, quàm utilia.

Neapolin venit.

Viennam Austriæ se confert.

Opera ejus typis æneis vulgantur.

Pictoris istius hæc erat consuetudo, ut inter labores suos perpetuò quædam mussitaret, quasi loco ipsius imaginis pingendæ ipse verba faceret; Sive Hispanum pingeret, sive Italum, sive Gallum. Similiter celeberrimus ille Petrus Laarius, aliàs Bambotsius, durante labore, mystace suo prægrandi semper partem quandam faciei suæ obtegebat. Prædictus autem Bauerus Viennæ moriebatur anno Christi 1640. postquam paulò ante uxorem duxerat.

Lepidæ quædam pictorum consuetudines.

CLVII. NICOLAUS KNIPFERUS Lipsiensis

EManuelis Nysfii pictoris Lipsiensis discipulus, anno 1630. Magdeburgi primùm, deinde Ultrajecti apud celeberrimum illum Abrahamum Blomartum commoratus, picturis parvis similiter insignem assecutus est famam, sed historicis & colore oleario pictis ingenio maximo & elegantiâ singulari; quæ propterea â Principibus variis mirè desiderabantur, & inprimis à Potētissimo Daniæ Rege coëmebantur plurimæ, quarum descriptionem, ob singularem, quam promeritæ sunt, laudem, peculiari studio instituere mihi proposuerã, nisi citius, quàm pro voto, abinde redeundum mihi fuisset.

CLVII. NICOLAUS KNIPFERUS Lipsiensis.

Historias minutas pingit.

CLVIII. JOHANNES BYLERTUS Ultrajectensis

NOn patriâ tantùm, artificibus nostratibus semper divite, sed & præceptore Abrahamo Blomarto clarus, jactis apud hunc optimè fundamentis, in Galliam primò, & abhinc Romam sese contulit, ubi per multos annos in imaginibus dimidiatis, conversationibus pingendis & iconibus sese exercuit. In patriam autem redux, ob virtutum civilium & manus artificiosissimæ gratiam statim innotuit, ut & matrimonium iniret exoptatum, & multis afflueret divitiis atq; gaudiis, donec ingruente bello Gallico Musarum omnium Ultrajecti cessarent studia, insimulque & artificis hujus fortuna à prosperitatis cursu nimium quantum cohiberetur. Sic quoque

CLVIII. JOHANNES BYLERTUS Ultrajectensis.

CLIX. JOHANNES DE BALEN

EX Italia in Urbem patriam Antverpiam redux, magnâ mox, ob artis eximiæ gratiam, inclaruit laude, cujus testimonia

CLIX. JOHANNES DE BALEN.

perhi-

perhibent abundantissima opera ejus plurima, tam minutiora, quam majora Antverpiæ adhuc existentia.

CLX. HENRICUS BORCHENSIS Frankenthalensis,

CLX. HENRICUS van der Borch. BRuxellis quidē natus, sed ob bella Belgico-Hispanica cum parentibus in Germaniam profectus, cum ducente naturâ ad picturam inclinaret, Ægidio Falcoburgico Francofurti in disciplinam committebatur, à quo imbibitis mirâ solertiâ rudimentis in Italiam abiit, ubi per aliquod temporis spatium ardore maximo arti huic invigilabat, magnamque præterea peritiam in antiquitate picturarum, statuarum, numismatum, aliorumque curiosorum acquirebat, quorum haud exiguam colligebat copiam, historiasque singulorū tam accuratè recensere poterat, ut multos, qui ipsum inviserent, amicos, ad idem studium incenderet.

In Italiam abit.

Francofurtum venit. Ductâ uxore, Frankenthalii primùm instituit rem familiarem, tandem autem ob belli tumultus Francofurtum se recipiebat, ubi domus ejus vera evadebat tyronum Academia, præludentibus inprimis duobus filiis ejus: quorum qui natu major erat, juxta patris nomen Henricus & ipse dictus, ob singularem, quam à patre assuxerat, in his artibus dexteritatem, à celeberrimo illo Comite Arondelio vocatus, omnibus ejus pinacothecis & exoticotamiis præficiebatur, è quibus & curiosa quædam rariora typis æneis publicavit. Hic igitur Comes de Arondel eundem in Italiam secum abductum tam diu in servitiis suis detinebat, donec à moderno Britanniæ Rege, prout mihi relatum est, picturis aulicis præficeretur. Alter autem frater ejus Franckenthalii adhuc habitare dicitur, inque arte nostra singulari excellere laude; de quo tamen, deficiente ulteriore notitiâ, plura superaddere non valeo. Sed &

Filii ejus.

CLXI. JACOBUS BACKER, Harlingensis,

CLXI. JACOBUS BACKER Harlingēsis. OBlivione à nobis neutiquam transmittendus est, quod multâ pariter hac in arte præcelleret excellentiâ. Hic enim quamvis Harlingæ natus esset, Amstelodami tamen artem suam didicit, ibidemq; similiter continuò permansit, inq; picturas majores moderni generis juxta viva exemplaria inseruit plurima. Multâ autem in pingendo pollebat venustate, iconumque copiam Amstelodami confecit quasi innumeram: unà cum operibus quibusdam majoribus integrarum turmarum è civibus armatis constantium, quæ summâ deprædicantur laude.

Inprimis autem admirandæ erat promtitudinis, ut mihi ipsi iconem aliquando ostenderet fœminæ cujusdam, quæ, ut effigies ipsius conficeretur, Harlemo Amstelodamum venerat, eademque die absoluto opere domum fuerat regressa, ut tantillo temporis spatio non facies tantùm illius, sed & collare, vestisque pellicea, unà cum pectorali, vestibusque aliis, & utraque manu, figura dimidiata viventis mole expicta essent quàm elegantissimè. Qualia specimina edidit plura; undè in Urbe prædicta Amstelodamensi longam quoque, faustamque transegit vitam, quam tandem ibidem placidâ quoque commutavit morte.

Ob velocitatem celebratur.

Moritur Amstelodami.

CLXII. PAULUS MOREELIUS, Pictor & Senator Ultrajectensis,


CLXII. PAULUS MOREELSEN. MIchaëlis Mireveldii suprà commemorati discipulus laudatissimus, honestorumque parentum filius optimè educatus: post absoluta apud Mireveldium tyrocinia in Urbe Delphensium, in Italiam abiit, Romamque invisit promovendorum ulteriùs studiorum suorum gratiâ. Domum autem reversus, ab omnibus magno colebatur honore, quod in picturis iconicis mirum in modum excelleret, naturalemque singulis similitudinem penicilli ductibus tribueret. Quamvis enim & picturis historicis ingenii sui vires quandoq; proderet, ut quædam istarum etiam typis publicis vulgarentur: ob nimiam tamen pingendarum iconum copiam, circa quas singulari utebatur felicitate, talibus raro vacare poterat. Inter vivos autem esse desinebat ibidem anno 1638.

Picturis iconicis operam dat.

CLXIII. HENRICUS VERBRUG, Ultrajectensis

CLXIII. HENRICUS VERBRUG. EOdem tempore florebat, qui celeberrimi illius Blomarti ibidem fuerat discipulus; applicitisque in usum suum quàm maximè picturis & exemplaribus Italicis Ultrajectum reversus erat. Cum autem natura sua ad profundiora inclinaret, melancholico quodam picturas suas plerumque imbuebat charactere; & quamvis naturam accuratâ satis, in tristioribus præsertim, exprimeret imitatione, gratiâ tamen carebat: undè tristiori quoque fortunæ ad tumulum usque subfuit; cui illatus est ibidem anno 1640.





CAPUT XIX.

HENRICUS GAUDT,

cum artificibus adhuc viginti novem aliis.

Argumentum.

CLXIV. HEINRICUS GAUDT, Comes Palatinus : Opera Elzheimeri typis æneis edit : in amentiam incidit. CLXV. DEODATUS de MONTE, Astronomus, pictor & architectus : Opera ejus. CLXVI. DAVID TENIERIUS Senior, Antverpiensis. CLXVII. JOHANNES de HOUCK, Antverpiensis; in servitia Leopoldi Archiducis assumitur. Opus ipsius. CLXVIII. AUGUSTINUS BRUNUS Coloniensis. CLXIX. JOHANNES HOLZMANNUS Coloniensis. CLXX. JACOBUS HEYDANUS Argentoratensis. CLXXI. FRIDERICUS BRENDELIUS Argentoratensis. CLXXII. WENDELINUS DIETERLINUS Argentoratensis pictor & Architectus. CLXXIII. SEBASTIANUS STOSSKOPF Argentoratensis : Discipulus est Danielis Soriavii : arte sua Ferdinandum Imperatorem in errorem inducit. CLXXIV. WALTERUS Argentoratensis. CLXXV. WALTERUS junior. CLXXVI. HASELINUS aliàs Krabetius Hollandus. Jesaias Veldius Hagensis. CLXXVII. ADRIANUS NEULANDUS. CLXXVIII. BONAVENTURA PETRUS. CLXXIX. FRANCISCUS WAUTER. CLXXX. PETRUS SAUTMANNUS Harlemensis. CLXXXI. DAVID BECK. CLXXXII. JACOBUS FROQUIERIUS Flandro-Gallus. CLXXXIII. WILHELMUS de HUNDHORST Ultrajectensis. CLXXXIV. PETRUS de LAER, aliàs Bambotius, Harlemensis. Opera ejus juvenilia & memoria illius præclarissima. Modus illius pingendi : Vita & forma corporis ejus. Varia instituit ludicra. Harlemum venit. Opera ejus. CLXXXV. JOHANNES BOTH & frater ejus, pictores subdialium Ultrajectenses; labores suos jungunt. Opera eorum. Alter fratrum Venetiis undis suffocatur. CLXXXVI. THOMAS VVILLEBORT Montisomanus. CLXXXVII. DANIEL SEGERUS Societatis Jesu. CLXXXVIII. JOHANNES de HEERN Ultrajectensis. CLXXXIX. JUSTUS SUTERMANNUS Florentinus. CXC. SUTERMANNUS Viennensis; Sutermannus Musicus. CXCI. JOHANNES LIEVENIUS Lugdunensis. David Haenius Roterodamensis. Theodorus Baburius Ultrajectensis. Nicolaus Regnierus Mabusæus. CXCII. JOHANNES CAMPINUS Cameracensis : rebus forensibus operam dat. CXCIII. MATTHÆUS MAYVOGELIUS Seelandus. Cæcitatis malo corripitur.

CLIV. HENRICUS GAUDTIUS.

CLXIV. HEINRICUS GAUDT, Comes Palatinus,



E Celebri Gaudtiorum familia Ultrajecti natus, nullâ urgente necessitate mero artis amore ductus diagraphicen supra modum excoluit, ut omnes in patriâ suâ coætaneos longè superaret. Ex quo ulteriori ductus desiderio Romam sese contulit, inibique per aliquot annos magnam in hoc genere adhibuit diligentiam, ut rarissimo inter Academicos eluceret exemplo. Cumque interea cum Adamo Elzheimero tum temporis celeberrimo familiaritatem contraheret, non omnia tantùm, quæ istius manu picta erant, coëmebat, sed per aliquot etiam annos ad picturas singulares solum conducebat, numerato eidem pro singulis pretio sat liberali.

Romam se confert.

Domum ergò reversus opera Elzheimeri æri incidebat quàm accuratissimè, junctisque matrimonio incomparabili arte & industriâ sic in lucem eadem edebat, ut paria non habere censerentur; prout abundè testantur (1.) Tobias minor in tractu quodam campestri. (2.) Horæ matutinæ, & fuga Christi in Ægyptum, noctu instituta. (3.) Tobias major in tractu quodam subdiali ad miraculum elegante, affulgente Aurorâ. (4.) Decollatio Johannis minor noctu facta in carcere. (5.) Ceres sitibunda noctu ad facem bibens. (6.) Campus quidam profundissimis argutiis nocturnâ offuscatus caligine, suboriente procul diluculo. (7.) Jupiter fessus cum Mercurio noctu in tugurio Philemonis & Baucidis divertens, ad lucernæ lumen : quæ septem figuræ Gaudtianæ in æternam chalcographi laudem à Graphicophilis omnibus summo æstimantur pretio.

Opera Elzheimeri typis æneis vulgat.

Dehinc

Dehinc autem accepto philtro è statu sanæ mentis omninò excidebat, multaque laborabat animi imbecillitate; quamvis amoris saltem conciliandi gratia illud eidem esset propinatum. Ipse ego autem anno 1625. & 26. in ædibus ejus sæpius ipsum visitabam, præsente illâ, cui malum hoc acceptum referre dicebatur, quippè quæ cum sororibus suis rem inibi gerebat familiarem, ipsiusque tanquam hospitio excepti, & quasi paralytici cœlibis curam habebat: ubi mirâ semper exultabat lætitia, cum picturas suas Elzheimerianas mihi ostenderet; magnasq; adhuc summi ingenii notas depromebat, ubi quis de arte nostrâ instituerat colloquium. Unde tantam quoq; post se reliquit famam, quam hactenus nemo adhuc laude transgressus est. (n amentiam incidit.)

CLXV. DEODATUS DE MONTE, Astronomus, Pictor & Architectus,


CLXV. DEODATUS DEL MONT.

AD Fanum S. Gertrudis in Flandria anno 1581. è nobili stemmate natus, Antverpiæ post seria primò Astronomiæ aliarumq; scientiarum studia, in pictoria quoque & Architectura diu sese exercebat: ex quo ad assequendam perfectionem sumtibus Alberti Archiducis & Isabellæ in Italiam quoq; proficiscebatur. Hisce mortuis autem à Serenissimo Principe & Domino, Domino Wolfgango Wilhelmo Comite Palatino Rheni, Düsseldorffium & Neoburgum vocatus, varia ibidem erigi curabat ædificia pulcherrima, ibidem adhuc conspicua. Sic Neoburgi quoque in templo fratrum misericordiæ ad S. Wolfgangum in suburbio magna summi Altaris tabula ipsius manu picta est, ubi Patroni fratrũ istorũ abitus figuris variis pulcherrimis ad veram naturæ analogiam ingeniosissimè exhibitus est. Porrò Antverpiæ quoq;, nec non in Artesia, Hannonia, locisque finitimis varia reliquit operum suorum monumenta laudatissima: quamvis in omnibus actionibus suis Astrologica sua semper sequeretur vaticinia. Post absolutum autem laudabilem vitæ suæ cursum eadem ratione anno ætatis suæ climacterico magno, id est, sexagesimo tertio Antverpiæ mortuus est anno 1634. (Opera ejus.)

CLXVI. DAVID TENIERIUS Senior Antverpiensis,

CLXVI. DAVID TENIERS.

RUbenii in patria discipulus; majorem deinde Romæ apud Adamum Elzheimerum perfectionem assecutus, mox redux, domi imaginibus minutioribus & subdialibus magnam acquirebat nominis celebritatem; interque vivos esse desinebat anno 1649.



CLXVII. JOHANNES DE HOUK, Antverpiensis.

CLXV. JOHANN de HOUK.

EAndem patriæ suæ conciliavit gloriam, quam artifices alii summa laude condecorandi, quod ad ipsa artis nostræ fastigia promtissimo emerserit pede, jactis primò fundamentis apud Petrum Paulum Rubenium, & peragrata deinde Italia, visitataque Roma, ubi summus Romani Urbis Præsul cum Cardinalibus, ob insignem ipsius peritiam, summo eundem prosequebatur amore. Nimis autem prolixum foret, omnia illius memorabilia, ibidem confecta latius recensere; imò sicco eadem præterire pede præstat, quàm pauca nimis de illis enarrare. Id saltem superaddimus, eundem, dum in patriam regrederetur, à Leopoldo Wilhelmo Archiduce Austriæ detentum fuisse, multisque annis in bello apud ipsum permansisse: ita ut anno 1637. cum Serenissimus iste Princeps hac me bearet gratia, ut in arce mea Stockaviensi me inviseret, hic artifex pariter in illius comitatu comprehenderetur, cui ego tum opera illa, quæ pro Serenissimo Electore Bavariæ Maximiliano, & Episcopatu Herbipolensi sub manibus habebam, exhibebam. (In servitia Leopoldi Archiducis assumitur.)

Inventionibus autem dives erat, inque omni opere suo emendatissimus, ut nec quoad ingenii culturam, nec quoad penicilli curam ulli cederet; ut de promtitudine nihil hic adjiciam, qua rarum illud in ipso delitescens naturæ artisque connubium felicissimè propalare solebat. Cujus exemplum prostat luculentissimum in effigie quadam S. Catharinæ, Jesulum in gremio matris sedentem sibi desponsantis multis stipatum angelis; quod opus Viennæ in nova arce Cæsarea adhuc conspicitur. Cum autem ad longè majora spem nobis faceret, invida vitale filum eidem Parca præcidit in flore adhuc annorum Antverpiam regresso, anno 1650. (Opus ejus.)

CLXVIII. AUGUSTINUS BRUN, Coloniensis,

CLXVIII. AUGUSTINUS BRUN.

MUltis annis ante in celeberrima illa Colonia Agrippina multâ laude insignis erat, & opera plurima egregia tam iconica quàm historica, & alia post se reliquit. Sic Discipulus quoq; illius

CLXIX. JOHANNES HOLZMANNUS Coloniensis,

CLXIX. JOHANNES HOLZMANNUS.

INgenio clarus erat rarioribus inventionibus divite, & in omni imitatione felice; undè quicquid inchoabat, prosperrimè quoq; consummatum erat, coloribus applicitis lætissimis, & operibus confectis quàm plurimis; vitamq; ibidem cum morte cõmutavit circa annum 1639.

CLXX. JACOB von der HEYDEN

CLXX. JACOBUS HEYDANUS Argentoratensis:

ARgentorati exercebat chalcographicam, cum technopolio; inq; cælando ære & faciendis apographis picturarum artificiosissimarum promtissimus erat, undè apud Principes magnæ quoq; erat autoritatis.

CLXXI. FRIEDERICUS BRENDEL.

CLXXI. FRIEDERICUS BRENDELIUS Argentoratensis.

VIr erat industrius & in picturis gummatis peritissimus, qui opera plurima curiosissima, multoq; labore & indefessâ sedulitate elaborata post se reliquit. Cui accedit, quod præceptor quoq; fuerit Johannis Wilhelmi Baueri, quæ haud minima est laudum ejus.

CLXXII. WENDELIN DIETERLIN.

CLXXII. WENDELINUS DIETERLIN Argentoratensis pictor & architectus.

INsignis & ipse patriæ gloria fuit, sive picturam, sive Architecturam spectes; ubi inter picturas ejus primum habet locum Elias ipsius, curru igneo in cœlum assumtus, qui juxta prototypon hoc etiam typis æneis editus est. Præterea etiam libros edidit de Architecturâ varios, juxta quos haud pauca in Germaniâ erecta fuerunt ædificia; quamvis scriniarii illius methodum potissimùm sectentur. Iconem ejus tabula nostra MM. exhibuimus. Sed &

CLXXIII. SEBASTIAN STOSSKOPF. Discipulus est Soriavii.

CLXXIII. SEBASTIANUS STOSSKOPF Argentoratensis.

INter artis peritos hujus loci meritò est numerandus, qui filius erat pictoris cujusdam Argentoratensis, qui ob maximam illius ad artem pronitatem Danieli Soriavio Hanoviæ eundem in disciplinam tradebat; ubi etiam haud malè tempus suum collocabat, cum præceptor hic ejus vir primarius esset & prudentissimus, qui ingruente jam senio ad hanc artem sese applicuerat, majoresque in eâ facturus fuisset progressus, nisi à morte præpeditus fuisset. Hic igitur Sebastianus Hanoviæ præceptoris sui opera absolvebat, cū præcipuè in delineationibus rerum quarumvis naturalium esset felicissimus, ut præter varios tyrones alios, & discipulus quidam Caroli Sovagii, & ipse pariter ego apud Stosskopfium hunc prima diagraphices rudimenta addisceremus.

Abhinc in Galliam abibat, multaque ibidem relinquebat opera optima. Parisiis relictis in Italiam pergebat, (ubi ego Venetiis anno 1629. eum vidi:) sed & Lutetiam deindè revertebatur, & porrò Argentoratum se conferebat, ubi opera varia curiosissima rerum immotarum, ut sunt mensæ bellariis, poculis, vitris, fructibus, vasis aureis & argenteis, & similibus refertæ, multâ sedulitate elaborabat: è quibus Johannes Nassovius S. R. Imperii Comes, graphicophilus maximus, cum multa hujus autoris possideret curiosa, Ferdinando III. Imperatori anno 1651. duas exhibebat tabulas, quarum prima corbem referebat variis poculis recenter elutis plenam, quæ profectò majori curâ atque industriâ expingi haud potuissent. Altera autem erat figura quasi chalcographica, Satyrum cum nympha quâdam in tractu subdiali referens, ut figura hæc chartæ impressa, ceràque tabulæ cuidam affixa videretur: idque tantâ solertiâ, ut ipsa Sacra Sua Cæsarea Majestas, cui ego picturam hanc humillimè offerebam, manu suâ figuram chalcographicam tollere vellet, donec detectâ fraude argutâ, arridens multis laudibus opus hoc extolleret, illudque pinacothecæ suæ Pragensi inseri curaret. Hæc igitur & similia plura Stosskopfius hic in insignem patriæ suæ celebritatem, posteritati reliquit. In errorem inducit Imperatorem.

CLXXIV. WALTERUS Argentoratensis.

CLXXIV. WALTERUS Senior.

QUi Senioris cognomen adeptus est similiter picturis gummatis excelluisse, sedulusque & melioris notæ artifex fuisse dicitur, qui apud Magnates plurimos egregia reliquerit artis suæ monumenta.

CLXXV. WALTERUS Junior.

CLXXV. WALTERUS Junior.

SEnioris filius in eodem pingendi genere felicissimus, inque picturis iconicis pariter peritus admodum esse, jamque in Servitiis Serenissimi Ducis Neoburgici versari fertur.

CLXXVI. HASSELINUS Hollandus,

CLXXVI. HASSELIN aliàs Krabetier. Jesaias de Velde Hagensis.

ALiàs Krabetius dictus, inter Amstelodamenses subdialium pictores valdè celebris erat, tam quoad equorum, quàm aliorum animalium, hominumque figuras, & quoad prælia: discipulus enim fuit Jesaiæ de Velde, artificis in hoc pingendi genere præstantissimi, qui Hagæ Comitis habitabat. Assumto igitur in tyrociniis charactere optimo, in Galliam peregrinabatur Hasselinus, Romamque porrò petebat, ubi methodo Larii, aliàs Bambotsii, præclarissimæ diligentissimè invigilabat; undè factis in arte sua progressibus laudatissimis, subdialium, imaginumque minutarum & animalium picturas præcellentissimas plurimas tam Romæ, quàm Venetiis & Lugduni post se reliquit. In Pinacotheca mea ipsius manu elaboratum habeo Pontem Salarium propè Romam, qui à cataphractatis custoditus equitibus, à Croatis oppugnatur, ubi velitatio quàm proximè ad veritatem accedens summâ curâ exhibita est. Similia autem plurima in urbe patria Amstelodamensi graphicophilis post se reliquit variis, quæ omnia magni æstimata caro ven-

duntur pretio: ibidemque hic noster vitam quoque cum morte commutavit.

CLXXVII. ADRIANUS NEULAND

Clxxvii. ADRIAN NEU-LAND.

PAtriâ Antverpianus erat; Amstelodami autem larem fixerat, ubi historias Biblicas figurasque similes pinxit plurimas.

CLXXVIII. BONAVENTURA PETRI

Clxxviii. BONAVENTURA PETRI.

PEritissimus erat in effigurandis Oceano, navibusque bellicis, & aliis instrumentis similibus, naviumque adminiculatoriarum generibus; nec non littoribus marinis, prœliis navalibus, piscationib' & id genus aliis, unà cum tractibus littoralibus: vixitque haud exiguâ ob ista celebris famâ Antverpiæ circa Annum 1650.

CLXXIX. FRANCISCUS WAUTER

CLXXIX. FRANCISCUS WAUTER.

ANtverpiensis, in exhibendis minori formâ historiis & rebus gestis, & nudis præcipuè corporibus multâ prodebat arte ingenium suum.

CLXXX. PETRUS SAUDTMANNUS Harlemensis,

CLXXX. PETRUS SAUDTMANN.

MAgnas pingebat imagines; & ære roso multa publicabat, præsertim icones Celsissimæ Domus Auriacæ; aliasque similes. Antehac autem in servitiis Regis Poloniæ fuerat.

CLXXXI. DAVID BECKIUS

CLXXXI. DAVID BECK.

DElphensium Urbi in Hollandia ortum debebat: cumque in arte suâ peritissimus esset, picturis iconicis Reginæ Suecorum præficiebatur; in cujus etiam servitiis Romæ diu persistebat, donec in patriâ suâ animam efflaret.

CLXXXII. JACOBUS FOQUIERIUS Gallo-Belga

Clxxxii. JACOB FOQUIERS.

IN Flandriâ nimirum occidentali natus ex optimâ familiâ; celebris potissimum erat in subdialibus majoribus, arboribus scilicet naturali quasi mole expressis, aquis stagnantibus, petris, rupibus, montibus, sylvis altioribus, frondibus, herbis, fundisque remotis; quæ omnia tanto elaborabat ingenio, tantaque artis sollicitudine, ut coætaneum neminem haberet similem, sive pingendi modum pulcherrimum, sive ingenii vires consideres exquisitissimas: undè admiranda quoq; tam in Belgio, quàm in aulâ Electorali Palatinâ horum omnium post se reliquit monumenta. Adde quod & Parisiis apud Graphicophilos in maximo habitus fuerit honore, & Rubenio quoque arte suâ per multos annos in megalographicis ejus auxiliatrices porrexerit manus.



CLXXXIII. WILHELMUS DE HUNDHORST Ultrajectensis,

Clxxxiii. WILHELM de HUNDHORST.

GErhardi Hundhorstii frater, insignis erat magnarum historiarum pictor, nec minus etiam in assimilandis picturis iconicis excellebat; undè etiã è patriâ Ultrajecto Berolinum evocatus, totam familiam Electoralem effigiebus præclarissimis exhibuit; quam ob causam, postquam tam in aulâ illâ, quàm in urbe laude innotuisset plurimâ, stabilem ibi fixisse sedem, & quantum mihi relatum est, ibidem adhuc in magnâ satis autoritate versari dicitur.

CLXXXIV. PETRUS de LAER, aliàs Bambotius Harlemensis,

Clxxxiv. PETRUS LAER aliàs Bambotius.

INter varios Belgii & Harlemensis præsertim Urbis artifices haud minimus; parentibus notæ optimæ natus, & honestissimâ educatione pro civitatis illius more elevatus, post primos statim infantiæ annos, cùm ad studia applicaretur, singularem ad artem hanc pingendi pronitatem in sese persetiscens figuras minutas varias, subdialia, ædificia, animalia omnis generis, & quotidiana similia; nec non venationes, campos, vias regias, tuguria, horrea, diversoria, ruinas veteres & muros collapsos, carceres, conclavia, nationes varias, earumque vivendi genus; diversa anni tempora, diei horas, solem matutinum, meridianum & vespertinum pingere solebat: quæ omnia nudo aspectu tam profundè imbibere poterat, ut, quamvis multo tempore ante conspecta, penicillo tamen in tabellâ unius digiti magnitudine quàm perfectissimè exhiberet, è vivâ scilicet memoriâ, & quidem cum singulari ipsorum quoq; affectuum expressione. (Opuscula ejus juvenilia.) (Memoria ejus optima.)

Hoc igitur ad artem nostram amore ulterius promotus, ex Urbe patriâ in Galliam, & porrò Romam abibat, ubi sedecim annos magna cum laude perseverabat, propagata semper ut studiorum solertiâ, sic famæ quoque gloriâ continuâ. Quamvis enim, qui picturis operam dant parvis, accuratiores artis regulas in dispositione suâ non semper observent, nec in ordinando dividendoque picturæ fundo ad axiomata ubivis optica respiciant, sed eleganti imaginum suarum situatione contenti sint: hic tamen opuscula sua minuta eâdem tractavit methodo, quâ alii prudentiores in tabulis suis utuntur maximis, ut & pavimentorum observaret prospectus, diviso quam correctissimè fundo, præfixo immutabiliter Horizonte, & dimensurata quavis picturæ parte, ut & colorum proportionem, viresque juxta regulas dimetiretur: eaque proprio Marte omnia, non adhibitâ figurarum chalcographicarum ope. Quamvis enim & juxta nativa quandoque exemplaria quædam effiguraret, in ipsis tamen picturis suis non nisi ingenio fidens atque (Modus ejus pingendis.)

memoriæ quæcunq; deambulando in foro, sive ante Urbem viderat notabilia, tam perfectè juxta regularum fundamenta exprimere poterat, ut similem nec ante nec post sese habuerit unquam.

Vita ipsius communis.

Quod porrò attinet ad communem ipsius vivendi modum, hic nemini melius innotescere potuit, quàm mihi, qui ex intimis ipsius eram amicis, quod per multos annos partim Romæ, partim in Hollandia perpetuò junctissimâ usi essemus familiaritate: undè verissimè id attestor, quod omnium virtutum studiosus, animique fuerit amicabilis & humanissimi. Cum autem nimiis meditationibus atq; speculationibus ingenium suum nimis oneraret, beneficio musices, & quidem panduræ subindè reficere solebat animum. Cœterum in consortiis benignus, civilis, & pacificus erat, quamvis sodalitia parum affectaret. Formam autem corporis habebat extraordinariam, ut à Romanis propterea il Bambotio, quasi monstrosus diceretur. Pars enim corporis ejus inferior, unâ tertiâ major erat quàm superior, ubi collum habebat brevissimum, unà cum pectore brevi similiter; undè figurâ hâc suâ risum excitavit pluribus, joco tamen omnia excipiens urbanissimo, facetiisque lætitiam cumulans. Sic instituto aliquando conventiculo potatorio, quod Baptismum receptatorium appellare solent, præligatis feminalibus in angulum post januam recollectus, à prætereuntibus quibusdam pro cercopitheco majore habebatur. Choreas agendo lepidissimus erat, dum contractis humeris, pedibus suis longissimis gyros vibraret super capitibus aliorum, ut homo dimidius huc illuc saltare videretur. Aliquando Pousinus, Claudius Lorenius, Ego, & Larius Tibur equis vecti eramus, ut tractus illos elegantissimos juxta nativa exemplaria delinearemus; ubi circa reditum, insciis nobis, ob imbrium metum Bambotius prior regressus fuerat: ad portam igitur urbis progressi, deque absentiâ illius solliciti, cum excubitores interrogaremus, an fortè hic jam intrasset? illi negantes, non nisi equum Viterrini, absque sessore per portam procurrisse ajebant, viduio oneratum, superligato pileo, & propendentibus utrinque ocreis; quod non nobis tantùm, sed & ipsi Lario, cum â nobis id acciperet, ansam ridendi propinabat plurimam.

Forma corporis ejus.

Ludicra instituit varia.

Acumen ingenii.

Præter insolitam hanc proportionem monstrosus tamen non erat, nec deformis; imò defectus quoque corporis sui ingenii admirandi acumine, prudentiæque donis multivariis abundantissimè resarciebat, ut artificibus excellentioribus omninò sit annumerandus. Romæ enim infinitam talium operum pinxit copiam, quæ nunquam juxta nomen ejus, quod Itali ignorabant, Lariana, sed Bambotiana saltem cognominabantur; donec tandem plus satis inclaresceret. Appropinquante autem paulatim senio, cum & à cognatis suis, & præsertim Amstelodamensibus, magno expeteretur desiderio, quippè quod opera ejus, quorum Ego tam egregium habebam numerum, mirum in modum efflagitabant, ad literas meas varias humanissimas, promissumq;, quod majori in patriâ, quàm in Italiâ fruiturus sit voluptate, anno tandem 1639. ad nos Amstelodamum veniebat; acceptusque quàm benignissimé, omni officiorum & humanitatis genere honorabatur, donec Harlemum ad fratrem suum, qui Ludimoderator erat celeberrimus, diverteret; ubi in prospero tum satis patriæ statu, jucundissimos artis suæ fructus edebat illicò: & inprimis mihi opus quoddam pingebat trium palmorum quantitate, quo circa solis ortum Venatores quidam equis insidentes, unà cum fœminâ nobili, servis canibusque stipati in tractu quodam campestri venatum abeunt, pontem quendam transituri magnum, sub quo Sol oriens undis collustratis ad partem infernam concovam reflectitur, mirâ arte magnaque solertiâ expressis omnibus. Cumque per quinquennium subsequens similia elaborasset plura, hinc factum est, ut peculiari libello talia ære roso effigurata, publicis ederet typis, quæ omnia sedulò conquiruntur, proque ornatu pinacophylaciorum non attento pretio coëmuntur, ita ut & illa, quæ Romæ ab ipso confecta fuerunt, carò vendita Amstelodamum transportata sint.

Harlemū venit.

Moritur Sexagenarius.

Interea cum jam sexagesimus ætatis ejus annus appropinquaret, & complexio ejus, quæ, utpotè melancholiæ soboles, in se infirma satis atque debilis erat, crescentibus annis cum insigni virium diminutione sic decresceret, ut memoriâ quasi excideret penitus, tandem Harlemi, summo cum dolore graphicophilorum, mortalitatis suæ exuvias deponebat; plangentibus potissimùm Italis atque Belgis illis, qui Bambotianis hisce præ cœteris invigilabant. Effigiem autem illius tabulâ nostrâ N. N. exhibuimus talem, qualis nostrâ manu quondam delineata fuit.

CLXXXV. JOHANNES BOTHIUS, & frater ejus, Ultrajectenses,

Clxxxv. JOHANN BOTH cum fratre.

Filii erant pictoris cujusdam vitrarii, qui tum temporis, cum ego discipulus essem Gerhardi de Hundhorst, eadem studia tractabant apud Abrahamum Blomartum. Hi Academiam nostram diligenter frequentabant, & indefessâ suâ sedulitate spei de sese locum dabant plurimæ: postmodùm quoque peregrinaturi, pro more hujus nationis Galliam primò, & deindè Italiam visitabant, Romamque inpri-

mis; ubi non tantùm laboribus magno vacabant fervore, sed & prudẽti meditatione omnia solertissimè perlustrabant; tandem in subdialibus methodum celeberrimi Claudii Lorennii, in imaginibus parvis autem Bambotii modum sectati: Alter enim tractus pingebat campestres elegantissimos, eosdemque alter hominibus, brutis, avibus, aliisque requisitis replebat, idque tantâ solertiâ, ac si omnia unâ eademque manu confecta essent: quibus operibus etiam brevi tempore ad tale scandebant famæ fastigium, ut juxta excellentissimos haud immeritò locari possent artifices.

Socii sunt laborãdo.

Tabulas autem plerumque subdialium majores pingebant; quas ditissimo cumulabant ornatu, horarum, verbi gratiâ, matutinarum, roscido adhuc gramine, & sole per montium juga prospiciente conspicuarum: Sic & meridiei & occidentis Phœbi tempora; nec non nocturnum Lunæ splendorem & similia proferebant, colore & inventione tam admirabili, ut in picturis eorum, quasi ipsæ diei horæ dignosci possent; ut camporum, montium, arborumque proprietates hîc prætereeam. Et quia Claudius Lorennius subdialibus ingeniosior erat, quàm imaginibus humanis; hi autem in utroque genere exercitatissimi erant, isti sanè eundem ad insignem laborum compellebant æmulationem, præsertim cum celeritate vix parem haberent, & multa quasi absque difficultate elaborarent; undè brevi tempore multas pulcherrimorum operum centurias Romæ producebant, è quibus Ego duas adhuc tabulas majores temporis, nimirum matutini & vespertini, cum aliis ad ipsorum memoriam asservo. Sed & Venetiis magna similium pars reperitur, ubi per aliquod temporis spatium commorati sunt; donec alter istorum fratrum, qui imaginibus ditabat tabulas, noctu, dum è sodalitio domum abiret, ex improviso in canalem illapsus, defectu auxilii, undis miserrimè suffocaretur: ex quo alter domum illicò regressus, suam ibidem propagabat artem; ubi mihi quoque horam quãdam vespertinam in campo elegantissimo optimè dispositam, & meliori adhuc colore expictam concessit; cœterùm emtoribus abundans, quamvis caro sua divenderet pretio. Tandem morbo correptus in patriâ ultimum suum obibat diem circa annum 1650. Effigies autem ipsius tabula nostra N. N. expressa est.

Opera eorum.

Alter fratrum undis suffocatur.

CLXXXVI. THOMAS WILLEBORT, Bergensis,

Clxxxvi. THOMAS WILLEBORT.

PAtriâ Monti-Somanus, discipulus Gerhardi Segeri Antverpiæ, historiis megalographicis inclarescebat, prout & iconibus, & præsertim Antverpiæ magnam satis acquirebat nominis celebritatem; ubi etiam è vivis excessit.

CLXXXVII. DANIEL SEGERIUS Societatis Jesu,

Clxxxvii. DANIEL SEGERS.

IN celeberrimo istorum Patrum collegio Antverpiensi clarus ob insignem in pingendis floribus elegantiam, quos tantâ industriâ tantâque elaborabat curâ, tamque naturali similitudine variis ad imaginum devotarum picturas modis eosdem applicans, ut apud omnes Magnates magno in honore esset; quem sanè nec immeritò experiebatur, ob singularem colorum venustatem, methodumque lætissimam & accuratissimam, quam varia ejus & innumera quasi in templis Antverpiensibus extantia opera publicè adhuc præ se ferunt. Iconem ejus exhibuimus tabulâ nostrâ NN.

Opera ejus.

CLXXXVIII. JOHANNES de HEEM, Ultrajectensis,

Clxxxviii. JOHANN de HEEM.

EX Urbe patriâ propterea Antverpiam se conferebat, quod varia ibidem fructuum genera rariora, ut sunt species prunorum grandiorum diversæ, nec non malorum Persicorum & Armeniorum; item aurantiorum, citrorum, uvarumque & similium majori perfectione & maturitate adipisci, naturalemque illorum similitudinem penicillo exprimere posset; talia enim cum omni florum aliorumq; immotorum genere tam gratiosè tamque perfectè imitabatur, ut in his, prout notorium, in Belgio neminem haberet æqualem; & propterea nec laude, nec honore, nec emolumento careret.

CLXXXIX. JUSTUS SUTERMANNUS Antverpiensis,

Clxxxix. JUSTUS SUTERMANNUS Florentinus.

POstquam picturis iconicis excelleret, è patria in Italiam sese recipiebat; ubi ad id perfectionis cacumen ascendit, ut Magnus Hetruriæ Dux in Urbe Ducali Florentiâ multo eundem prosequeretur favore, totiusque Serenissimæ familiæ, & omnium Cognatorum, nec non ministrorum aulicorum effigies illius manu expingi curaret; cum magno istius & lucro & honore.

CXC. SUTERMANNUS Viennensis,

CXC. SUTERMANNUS.

PRioris frater, haud ita pridem in aulâ adhuc Cæsareâ Viennensi degebat, ibidemque in pingendis iconibus excellebat, præsertim fœminarum mundo suo muliebri exornatarum. Tertius autem frater Musicus erat in Aulâ Imperiali celebritatis plurimæ.

Sutermannus Musicus.

CXCI. JOHANNES LIVENIUS Lugdunensis,

CXCI. JOHANN LIVENS.

INter illos, qui deserta nunquam patria, & peragrato tantùm in viciniâ Belgio, tamen excelluere, quasi felicissimus. Magnis enim historiis icones plurimas juxta viva exemplaria inserebat, coloribus adhibitis pulcherrimis, quorum peritiâ pollebat

præclarâ. Antiquorum severiora studia haud admodum curabat, operibus suis invigilans juxta methodum propriam haud contemnendam. Illius manu elaborata Antverpiæ & Amstelodami spectantur plurima; ubi, quantum mihi innotuit, adhuc in vivis erit.

Jamque si Nationis ordinem sequeremur, huc etiam referendi essent celebris ille

DAVID de HAEN. DAVID de HAEN Roterodamensis; nec non

THEODORUS BABURE. THEODORUS BABURE, Ultrajectensis, &

NICOLAUS REGNIER. NICOLAUS REGNIERIUS Mabusæus.

Sed quia horum primus omnes labores suos Romæ perfecit; ibidemque etiam mortuus est; alter autem ejusdem fuit socius; & tertius nihil etiam in patriâ, (prout in vitis illorum declaratum fuit) sed plurima in Italia perfecit, ibidemque habitavit & sepultus est; hanc ob causam eosdem inter Italos reliqui; è contrario autem Horatium Gentilescium Florentinum, quod in Galliâ, Belgio & Anglia commoratus sit, ibidemque extremum suum obierit diem, Belgis associavi, quod ex Indice quærenti satis patebit.

CXCII. JOHANNES CAMPINUS Cameracensis,

CXCII. JOHANN del CAMPO.

Antverpiæ artem pictoriam didicit facto apud Abrahamum Jansonium initio. Positis autem dexterrimè fundamentis Romam sese contulit, ibidemque primò methodum sectatus est Caravagianam, imaginesque dimidiatas plurimas Apostolorum, Evangelistarum, & similes juxta viva exemplaria elaboravit. In specie autem in historiâ illâ de Petro per Angelum è vinculis liberato satis superque demonstravit, ad quæ fastigia cognitæ veritatis ingenio suo jam ascenderit: undè Romæ inter Belgas magnæ fuit autoritatis, ubi auxilio judicii ejus plurimi singulari cum respectu & veneratione utebantur. Ipse verò officiosum quoq; erga omnes sese exhibebat, Belgarum causas, actionesque forenses, qualescunque illæ forent, Patronorum suorum ope promovens, scriptis defendens, advocati instar gerens, & absque ullo emolumento suo procuratorum more ad finem perducens, ut per totum sæpè diem indefessus in Capitolio processibus hisce vacaret. Cumque in hoc negotiorum genere haud exiguâ quoq; uteretur prosperitate, iisdem delectatus, artem pictoriam per annos seposuit haud paucos, in quâ tamen si eidem ulteriùs invigilasset, mirè fuisset scansurus.

Rebus forensibus operam dat.

Interea tamen cum quibusdam aliis ipsius hospitio usis circa hanc artem adhuc quandoque versabatur, inter quos Alexander de Welinkshofen; Gorcumensis; Gerhardus de Krik, Petrus de Laër, aliàs Bambotius, & alii, qui omnes diligentissimi erant, ipsoque manuducente artifices evadebant præclarissimi. Sic igitur consumendo bona sua Romæ tamdiu rem habebat familiarem, donec necessitate compulsus cum Marchione Castelli Rodericiani in servitiis Regis Hispaniæ Madritium abiret, ubi opera quædam post se reliquit politissima: tandemque ultimum suum mundo dicens vale, plus genio semper, quàm arti indulserat, & crumenæ, circa quas cœteroquin haud minùs felix esse potuisset, quàm nudâ opinione suâ. Madritiũ abit.

CXCIII. MATTHÆUS MAYVOGEL Seelandus

CXCIII. MATTHÆUS MAYVOGEL.

Hoc nomen propterea adeptus est, quod primo Maji Romam ingressus esset, Societate pictorum baptisando neophytos sic agnominante. Cumque clarissima in arte nostra posuisset fundamenta, nec minori deindè sedulitate atque curâ studia sua promovisset, deinceps, ut Campinus forensibus, sic ipse amore distractus, artem quasi penitus neglexit: ubi ob nimium rei Venereæ usum exiccato quasi toto corpore oculis quoque illius subnascebantur humores viscosi, ut visum amitteret totum, frustra adhibitis medicis: atque sic in flore adhuc annorum summo cum mœrore cœcitate percussus, vitam mox perdidit miserrimè.

CAPUT XX.

JOHANNES LYSIUS,

& artifices adhuc triginta novem alii.

Argumentum.

CXCIV. JOHANNES LYSIUS, aliàs Pan dictus, Oldenburgensis. Opera ejus Veneta, cædes Abelis; Lapsus Phaëtontis; duo ruralia, & alia: Vita ejus civilis. CXCV. CASPARUS CRATERUS. CXCVI. BALTHASAR GERBIER. Delineationes nimiæ pictorem haud reddunt excellentem; nec pictura nimia excellentem delineatorem. CXCVII. SALOMON REX. CXCVIII. LEON-

HARDUS

HARDUS BRÆMERUS. CXCIX. JOHANNES CASSIERIUS. CC. DAVID BALLIUS. CCI. HERMANNUS SACHTLIEVEN. CCII. DANIEL de HEEL. CCIII. JACOBUS ARTESIUS. CCIV. PETRUS de LINT. CCV. DAVID RICHARTUS. CCVI. HERMANNUS SCHWANENFELD Wurdensis. Quanti æstimanda sit peritia pingendarum imaginum humanarum. CCVII. GELDORPIUS Londinensis. De pictura gummata in membranis. CCVIII. OLIVIRIUS Londinensis pictor membranarum. CCIX. N. KEUPER. CCX. LUDOVICUS HERING, Pragensis. CCXI. JOHANNES BRONCHORSTIUS. CCXII. BARTHOLOMÆUS ELZIUS. CCXIII. PETRUS DANKERUS de RY. CCXIV. NICOLAUS HELDIUS. CCXV. JOHANNES BAPTISTA de HEIL. CCXVI. JOHANNES PHILIPPUS de THIELEN. CCXVII. FRANCISCUS de NEVE. CCXVIII. CORNELIUS de HEEM. CCXIX. LUCAS FRANCISCUS. CCXX. CAROLUS SABAUDUS. CCXXI. PETRUS BREDANUS. CCXXII. LILIUS, aliàs LÆLIUS. CCXXIII. CASPARUS de WITTE. CCXXIV. FRANCISCUS VERWILDIUS. CCXXV. JOHANNES BAPTISTA de DEINUM. CCXXVI. JOHANNES KESSELIUS. CCXXVII. HENRICUS BERGMANNUS. CCXXVIII. ROBERTUS de HOECH. CCXXIX. RUDOLPHUS BREINIUS mutus, Tigurinus. CCXXX. ABRAHAMUS DIEPENBEKIUS Buscoducensis. CCXXXI. DAVID TENIERIUS. CCXXXII. CORNELIUS JANSONIUS Londinensis. CCXXXIII. GOVERTUS FLINK Clivensis.

CXCIV. JOHANNES LYSIUS Oldenburgensis,

CXCIV. JOHANN LYS aliàs Pan,



ALio nomine Pan dictus, tanto majori dignus est laude, quanto laudabiliori industriâ omnes patriæ suæ pictores artis excellentiâ superavit; cũ è dissitis hisce terris Oldenburgensibus hactenus nullum adhuc denominare potuerimus artis nostræ asseclam. Hic igitur post jacta dexterrimè pingendi fundamenta Amstelodamum sese contulit, ibidemque Heinrici Goltzii methodo, quoad ejꝰ fieri poterat, institit, expictis operibus quibusdam ingeniosissimis. Abhinc Lutetiam & Venetias, mox autem Romam profectus alium planè pingendi modum assumebat: cumque faustiorem sibi expressus esset Venetorum Urbem, eodem mox revertebatur, pictisque ibidem juxta inclinationem suam operibus quibusdam duorum triumve palmorum præclarissimis, in quibus antiquorum & modernorum methodum mirè contemperaverat mixto quodam elegantiæ genere, ori nec gratia, nec venustas, nec colorum amœnitas deerat, tanta mox inclarescebat fama, ut in omnibus exercitatus videretur insigniter.

Opera ejus Veneta.

Inter alia autem memorabilia in templo Tolentinorum Venetiis viventis magnitudine pinxerat S. Hieronymum nudum in eremo, tubam Archangeli extremam subaudientem, prehensoque ad scribendum calamo quasi vivum atque palpabilem, lætisque coloribus conspicuum. Minores tamen ejus imagines duarum triumve spithamarum præclarum illud opus longè superant; inter quas Abel â Caino interfe-

Abel occisus.

ctus abbreviato situ tergum spectatori obvertens â Protoplastis primo tunc mortuo mirè perculsis, summo cum dolore inspectus. Nec non Phaëton excussus curru ex æthere delabens, territis in terra Nymphis vario situ sursum respicientibus: ubi Nympharum harum nuditate & pulchritudine, nec tractu minus campestri elegantissimo nubiumque ardore Lysius hic satis superque declaravit, se colores, rerumque colorandarum elegantiam ad nutum habere. Eodem modo Amantium quorundam Conversationes & colloquia depingebat methodo modernâ: nec non de fœminis Venetis amori indulgentibus varia, nimirum vel musica delectatis; vel chartulis ludentibus, vel deambulatione detentis, vel similibus amoris casibus, quæ omnia tantum præ se ferebant judicium, ut laudibus satis extolli non possent.

Phaëton.

Porrò nuptias quoque pingebat rurales, ubi finitis epulis choreæ aguntur, ducente chorum cum sponsâ Parocho lætissimo, & sequente cum hospita sponso, rusticisque dehinc aliis ad utriculi tibiarumque sonum sub umbra tiliæ cujusdam patulæ hilari socias suas agitantibus gyro: ibidemque & spectantium genus vicinorum, & in hospitio ferventi opere compotantes adjecti sunt varii alii. Altero autem opere ebriorum dissidia rusticorum exhibuit, furcis & ligonibus decertantium, accurrentibus hinc indè uxoribus, maritosque præ ira pallescentes retrotrahentibus; dum mensa interea potatoria senem quendam ebrium collisa ad solum prosternit, cum similibus quibusdam casibus ruralibus sat inurbanis.

Duo ruralia.

Posthæc tentationem S. Antonii elaboravit rarissimam sed eleganti ordine, ubi nempè calvaster hic senioque attritus Ana-

Et alia.

choreta spectris monstrosissimis, igniculisque & fœminis tentatur variis. Dehinc conversationes quoque militum quorundam cum meretricibus Venetis exhibuit, ubi inter musicorum strepitum, chartularum ludicra, viniqúe hilaritates suo quilibet indulget genio, affectibus undiq; quàm prudentissimè expressis; ut non laudibus tantùm hæc omnia deprędicata fuerint innumeris, sed & pretio divendita maximo. Cœterùm in Academiâ nostrâ Venetâ multa delineabat juxta prototypa nuda, quibus deindè in picturâ singularem conciliabat gratiam, vitamque plus ferè quàm naturalem: Antiquorum autem seria magis studia minùs curabat, non quod ea haud magno satis æstimasset affectu, sed quod, si eadem, quæ suo pingendi generi contraria planè essent, affectare nunc deberet, ad nova redeundum sibi diceret tyrocinia: undè Titiani potiùs, Tintoreti, Pauli Veronesii, Fettii, aliorumque Venetorum methodum sectabatur, & ultimi hujus potissimùm.

Genus vivendi. In more autem positum habebat, ut diu meditaretur, antequam laborem suum inchoaret: inchoato autem semel opere, nullâ re amplius hinc abstrahi poterat. Cum Venetiis cohabitaremus, duos sæpenumerò vel tres dies domum haud veniebat; deindè autem noctu cubiculum subitò ingressus, axiculum coloribus mox instruebat, institutaque temperaturâ totam noctem laborando terebat: porrò capto sub diluculum tantillo somni, duos iterum vel tres dies unà cum noctibus operi invigilabat, ut ferè nec quiete, nec cibis reficeret corpus: interea me nullatenus audiens, qui sæpè ipsum monebam, hoc eum modo non nisi malum sibi creare proprium, destructâ sanitate, vitaque abbreviatâ: Antiquum siquidem obtinens, per dies aliquot noctesq; ignotis mihi in diverticulis emanebat, donec evacuato marsupio ad labores rediret, è nocte diem, eq; die noctem faciens. Ab illo autem cum discedens Romam abirem, ille finito, quē inchoaverat, labore, se secuturum quidem promittebat; adversâ autem impeditus fortunâ anno 1629. pestilentiâ illis locis exortâ corripiebatur, cumque aliis huic ævo sic valedicebat. Opera ejus Venetiis quidem extant plurima, plura tamen Amstelodami, ubi magno in honore habentur.

Peste moritur.

CXCV. CASPARUS CRAYERUS,

CXCV. Caspar de Grayer.

PAtriâ Antverpiensis erat, & Raphaëlis Caxii discipulus, Bruxellis habitans anno 1585. opera sua primaria pro templis elaboravit, quamvis & pro aliis, & in specie pro Eminentissimo Cardinali Ferdinando, in cujus servitiis per annos fuit plurimos.

CXCVI. BALTHASAR GERBIERIUS,

CXCVI. Balthasar Gerbier.

ANtverpiæ pariter in lucem editus erat, picturisque gummatis in membranis insigniter excellebat: desiderio autem ulteriorum stimulatus, multos in Italiâ años consumsit, ubi ad tantam quoque peritiæ perfectionē pervenit, ut à Rege Britañiæ in Angliam vocaretur, in quâ Duci Buckingamio multâ cum laude, non tantùm arte suâ, sed & aliis in expeditionibus serviit, suâque virtute promeritus tandem est, ut equestri ordine condecoratus fuerit; ex quo Bruxellis per multos annos negotiorum Regiorum gestor fuit. Natus autem erat anno 1592.

CXCVII. SALOMON REX;

CXCVII. Salomon de Coningh.

CUm sequentibus pluribus ansam nobis præbet, quædam hîc præfationis loco præmittendi: Æquè nimirum necessarium esse artificibus nostri generis, ut penicilli colorumque usu polleant, quàm ut in diagraphicâ emineant. Plurimos enim, præsertim apud Italos, vidi, qui maturè satis diagraphicis appliciti studiis, theoriam, regulasq; fundamentales examussim callebant, de hisce omnibus similiter cum judicio differentes; undè & antiquas Raphaëlis picturas dexterrimè delineabant, & circa usum prototypi Academici exercitatissimi erant, in chartam illud emendatè satis projicientes, ut hac ratione nihil ipsis deesse videretur, quod ad assequendam subitò artis nostræ perfectionem requiri posset. Iidem tamen, quamvis hac ratione per triginta, quadraginta, vel quinquaginta annos, & quod excedit, hæc studia continuassent, circa picturam ipsam difficultates offenderunt maximas, ut plerumque pingendo laudem omninò nullam adepti sint, imò ea, quæ, sive calamo, sive cretâ tam nigrâ quàm rubrâ facillimè delineare solerent, penicillo & coloribus (quorum artificium tamen multò utilius est, minorique conatu majorem perfectionem conciliat,) naturali similitudine exprimere haud possent. Alii è contrario, & Belgæ præsertim, à teneris statim annis ad peniculi colorumque exercitia applicantur, absque singulari diagraphices studio, & ad bonam saltem ideam, methodumque laudabilem assuefacti, undè in colorandis rebus ad admirationem usque proficiunt, vitamque ipsam & quidem naturalem quasi repræsentant. Si tamen rem quandam vel tantilli momenti invenire, vel ipsi componere atque ordinare præsumunt, nihil omninò præstant, ut boni saltem Apographarii maneant, prout illi alteri delineatores saltem dicendi sunt, cum nostra tamen ars utramque simul requirat praxin, si scilicet ad perfectionem quis tendat. Hic igitur Salomon Amstelodami na-

Non statim benè pingit, qui benè delineat.

Nec benè delineat, qui benè pingit.

tus erat anno 1609. ubi etiam præceptoribus usus erat pluribus. Studia autem illius potissima naturam pro objecto habebant simplicissimam, in quâ solâ excellere intendebat: undè in hoc quoque genere ita profecit, ut variis Amstelodami, Harlemi & Lugduni Batavorum celebretur operibus.

CXCVIII. LEONHARDUS BRÆMERUS

Cxcviii. LEONHARD BRÆMER

Civis cujusdam Delphensis filius natus anno 1596. ingenii erat acutissimi, picturisque minutis potissimum & variis argutiis historicis & similibus inclaruit; cumque & Italiæ exemplis magno cum fructu usus esset, plurima ibidem reliquit artis manusque suæ specimina. Quin & postquam in patriam reversus esset, illius opuscula avidissimè collegerunt graphicophili, tam diurna, quàm nocturna, & pinacothecas suas eleganter iisdem exornarunt.

CXCIX. JOHANNES CASSIERIUS

Cxcix. JOHANN CASSIER.

Suo quoque tempore celebris admodùm erat in Urbe patriâ Antverpiâ ob figuras imaginesque humanas.

CC. DAVID BALLI

CC. DAVID BALLI.

Lugduni Batavorum in lucem editus picturis iconicis, effigiebusq; viventium similitudine sive penicillo sive calamo exprimendis laudem assequebatur maximam.

CCI. HERMANNUS SACHTLIEVEN

CCI. HERMANNUS SACHTLIEVEN

Roterodami natus anno 1609. in pingendis subdialibus variis, nec non rebus ruralibus & œconomicis similibus exprimendis excellebat; tam ob curam quàm ob argutiam.

CCII. DANIEL de HEEL.

CCII. DANIEL de HEEL.

Bruxellensis, tractuum similiter campestrium, item nocturnorum ignium, & similium aliorum picturis famam sibi acquisiverat.

CCIII. JACOBUS ARTESIUS.

CCIII. JACOB de ARTOIS.

Bruxellensis & ipse picturis minutioribus, rerum subdialium nobilis erat, sed tabulis similibus majoribus melior.

CCIV. PETRUS de LINT,

CCIV. PETRUS de LINT.

Antverpiensis, imagines majores plurimas, ut & icones Romæ pingebat, deinde & Regi Daniæ operam suam locabat, ut & nationalibus tandem suis.

CCV. DAVID RICHARDUS

CCV. DAVID RICHARD

Imaginibus minutis delectabatur, nec minus historiarum, animalium, equorum in stabulis locatorum, & similibus picturis naturam ipsam referentibus.

CCVI. HERMANNUS SCHWANENFELD

CCVI. HERMANN SCHWANENFELD de Warde.

Communiter Eremita cognominatus, quod subdialibus & ruinis pingendis, præcelleret, & propterea semper in ruinis veteribus, eremis, locisque desertis circa Romam, Tibur, Tusculumque degeret; quo in genere magnum quoque assecutus est gradum, cum laude promotis studiis hisce singularibus. Quamvis juxta illa minimè sperneret Academias, sed in illis tam sedulò juxta viva exemplaria delineationes institueret, ac si imaginibus pingendis operam daturus fuisset: undè subdialia quoque sua variis imaginibus judiciosissimè exornare poterat. Quin imò imaginem nudam emendatè pictam pluris æstimabat, quàm scientias omnes, quod suo quidem arbitratu, in homine pingendo tota rei pictoriæ contineatur substantia, imò in unicâ solius manus picturâ plus sit laboris, quàm in subdialibus omnibus. In quo sanè neutiquam erravit. Quemadmodum enim Deus hominem post conditas creaturas omnes creavit ultimùm, & quidem secundum imaginem suam: sic in eodem summam quoque omnium recondidit perfectionem, ut pictor ille, qui figuram hominis perfectè & accuratè exprimere valet, cœtera omnia exiguo repræsentaturus sit conatu; cum è contrario, qui imaginum humanarum caret peritiâ, in cœteris omnibus debilis quoque sit & imperfectus.

Quanti æstimanda sit imaginũ pictura.

CCVII. GELDORPIUS Londinensis,

CCVII. GELDORP. Londinensis.

Pictor erat iconicus Londini celebratissimus, ubi effigies viventium magnitudine plurimas, facietenus, iconesque alias pinxit simillimas. Ex adverso autem in diagraphicis tam leviter imbutus erat, ut impossibile ipsi esset, faciem quandam manu propriâ in telâ sive in chartâ projicere. Cui malo ut mederetur, sex vel octo facies venustissimas ab artifice quodam alio in chartâ depictas acu trajecerat: ex quibus illam, quæ objecto proposito potissimùm conveniret, assumtam rasura cretacea telæ suæ applicabat, effigiem suam dehinc juxta eandem efformando. Quo medio, utut delineando tam infelix esset, iconibus tamen satis erat felix, vitamque sic sustentabat prosperrimè.

CCVIII. OLIVIERIUS, membranarum pictor Londinensis,

CCVIII. OLIVIER. Londinensis.

Picturæ hoc genus pulcherrimum & curiosissimum, quod colore aquario in membranis exercetur, excoluit. Hic enim pingendi modus inter primos referendus est, prout è Vitis primorum artificum satis apparet, ubi varia talium pictorum tam Græcorum & Romanorum, quàm Italorum & Germanorum recensuimus exem-

pla.

pla. Inter illos autem, qui mihi ex hoc genere innotuerunt, primus erat Olivierius iste, qui in Angliâ primò apud Jacobum Regem, deindè apud Carolum Stuardum tantam adeptus fuerat nominis celebritatem, ut in hodiernum usque diem in Palatio Londinensi Regio, historiæ, icones, & aliæ inventiones ipsius pulcherrimæ pro miraculo istius pingendi modi asservatæ ostententur, præsertim quod eædem, utut durando dimidium jam excesserint seculum, incorruptæ tamen adhuc & integerrimæ perseverent.

CCIX. N. CEUPERUS.

CCIX. N. CEUPER.

OLivierii hujus discipulus longè celeberrimus, eadem cum pluribus aliis amplexus studia, me tùm, cùm Amstelodami degerem, humaniter visitabat; cumque omnia ipsi tam inchoata, quàm consummata opera mea, (quæ pro Magnatib' quib'dam Germaniæ elaborabam, ut pro Leopoldo Wilhelmo Archiduce, pro Electore Bavariæ & aliis, cum rarioribus meis cæteris, quæ domi asservabam, ostendissem; ipse quoque icones quasdam manu suâ elaboratas mihi exhibebat, plerorumque scilicet primatum Aulæ Anglicanæ, quæ profectò omnibus perfectissimæ picturæ gummatæ requisitis abundabant. Cumque omnes, qui Amstelodami tunc commorabantur, artifices, pro merito eundem prosecuti essent honore, in Sueciam ipse discedebat, ad Christinam vocatus Suecorum Reginam, graphicophilam longè maximam; ex quo tempore nihil de eo inaudii amplius.

CCX. LUDOVICUS HERINGUS, Pragensis,

CCX LUDOVICUS HERING.

EX alio quidem mihi non innotuit capite, nisi quod Pragæ vixerit, virtute suâ omnium amorem in se pertraxerit, itemq; in flore adhuc ætatis suæ decesserit: unde plura quoque de laudibus ejus superaddere non valeo, nisi quod Germanica honoratus fuerit post obitum elegiâ elegantissimâ, cujus sensum hoc expressimus epigrammate:

Epigramma in ipsius honorem.

Quis furor iratæ radiat de Palladis ore?
Heu fuge! sæva manus te, fera Parca, ferit.
Scilicet invitæ rapuisti forfice Divæ
Halecem, vivam pingere qui poterat. &c.
Centum igitur, Lachesis, rapias, instamus, asellos;
Unicus ast Halec de tumulo redeat.

CCXI. JOHANNES de BRONCHORST

CCXI. JOHANN de BRONCHORST

ULtrajecti natus, pictor aliàs vitrarius erat; sed cum Academiam nostram pictoriam sedulò frequentaret, in pictorem tandem evadebat perfectissimum; qui & chalcographus erat rodendo ære felicissimus; quæ studia ambo in ætate ejus jam senili multâ cum laude exercuit.

CCXII. BARTHOLOMÆUS ELZIUS.

AMstelodami habitabat, picturamque saltem iconicam didicerat, ut vivorum effigies accuratè exprimere posset: alia non curabat, quamvis ingenio gauderet admirando & acumine singulari. In pingendis autem iconibus non tantùm multâ laude nobilis erat, sed magnâ quoque promtitudine, ut multum hoc laborum genere lucraretur.) Dein connubio virginem sibi jungebat pulcherrimam, inque conventiculis compotantium genio libenter indulgebat; peregrinationibus & studiis ulterioribus omninò sepositis, hoc uno cõtentus, quod in Urbe patriâ lætiores sibi horas decerperet plurimas. CCXII. BARTHOLOMÆUS vã der ELZ.

CCXIII. PETRUS DANKERUS de RY

AMstelodamus & ipse, nec non pictor egregius erat; arteque suâ Polonorũ Regi Uladislao diu inserviit. CCXIII. PETRUS DANCER. de RY.

CCXIV. NICOLAUS HELDIUS.

NEomagensis, Stocade dictus, ingenio industriaque suâ in Belgio primùm, deinde & Romæ celebris admodùm evadebat: coloribus autem oleariis potissimùm operam dabat, diuque à servitiis Regis Galliæ fuit. CCXIV. NICOLAUS de HELD.

CCXV. JOHANNES BAPTISTA de HEIL

EOdem tempore Bruxellis ob singularem parvarum iconum elegantiam mirum in modum extollebatur. CCXV. JOHANNES BAPTISTA de HEIL.

CCXVI. JOHANNES PHILIPPUS de THIELEN

DOminus in Louvvenberg &c. Mechliniensis, pingendis floribus operam dederat, & instruente Fr. Daniele Segero Societatis Jesu in hoc genere sic excellebat, ut magni artificis famam acquireret. CCXV. JOHANN PHILIPPUS de THIELEN.

CCXVII. FRANCISCUS NEVIUS

ANtverpiensis, picturis tam magnis quàm parvis excellebat. Cumque ante aliquot annos Româ Augustam Vindelicorum veniret, icones quasdam viventium quantitate, ut & imagines alias, nec non historias methodo ingeniosissimâ elaboravit, ut artis periti satis superque cognoscerent, quantum in diagraphicis colorum usu præstitisset; penicillum siquidem tantâ tractabat promtitudine, ut universalis hac in arte dici mereretur. Augustæ autem moram haud diu trahebat: sed Monaci Serenissimæ Electricis iconem summâ pinge- CCXVII. FRANCISCUS de NEVE.

bat

bat industria : unde Salisburgum profectus Celsissimo Archiepiscopo illius loci operam suam offerebat. Sed & Viennam porrò petens, arte suâ mox innotescebat quàm maximè, ut fortè ibidem adhuc degere posset.

CCXVIII. CORNELIUS de HEEM

CCXVIII CORNELIUS de HEEM.

ANtverpiensis, rebus naturalibus immotis operam dabat, ut sunt, poma, fructus, conchæ, bellaria, ludicra, instrumenta, vasa floribus plena; quæ omnia sive in metallo, sive in vitro depingere solebat tantâ perfectione, ut naturalibus omninò viderentur similia, undè in hisce omnibus incomparabilis habebatur, cum flagrantissimâ operum ejus conquisitione. Cum enim Ego ipse unum ex operibus istius duarum ulnarum longitudine, quod immota similia varia repræsentabat, apud Thomam Kretzerum Amstelodamensem graphicophilum insignem offenderem, rarissimâ ejusdem elegantiâ ductus, quadringentos ei & quinquaginta florenos paratæ pecuniæ pro illo offerebam : quod ille tamen, utut aliàs amicus meus singularis, concedere mihi renuit, hoc adjiciens, nullo pretio venalem sibi hancce tabulam; nobilissimè enim manus istius picturas auro & argento apud artis gnaros æstimari cariores.

Artifex incomparabilis.

CCXIX. LUCAS FRANCISCI.

CCXIX. LUCAS FRANCOIS.

MEchliniensis, multis deprædicabatur laudibus ob ordinationem magnarum historiarum singularem, nec non effigierum & similium picturas acceptissimas.

CCXX. CAROLUS SABAUDUS,

CCXX. CAROLUS de SAVOYE

ANtverpiensis, magnoperè æstimabatur ob imagines minores, præsertim figuras nudas venustissimas.

CCXXI. PETRUS BREDANUS,

CCXXI. PETRUS de BREDA.

ANtverpiæ pariter ob artem suam singulariter colebatur, ut ex ipsâ Hispaniâ, aliisque locis procul dissitis literæ ad eum delatæ opera ejus clarissima & pulcherrima vehementer efflagitarent.

CCXXII. LILIUS, aliàs LÆLIUS,

CCXXII. LILY, aliàs LÆLIO.

IN Anglia ob insignem hâc in arte peritiam singulari florebat celebritate, præsertim ratione iconum viventium magnitudine expictatum, venustæque in illis calligraphiæ & similitudinis. Ipsas quidem illius picturas oculis meis usurpare nunquam mihi obtigit, unde ad specialia quoque laudum ejus capita descendere hic non potero : nihil superadjiciens, nisi Epigramma illud Belgicum, quod De Bieu in Graphicographiâ suâ de illo composuit:

Soo, als een Lelie, die onder Doorens bloeyt,
Kan haer de eel Pictuer ook ongehindert draghen:
In oproer en crakeel, die in haer konsten groeyt;
En vreest' gheen ongemaeck in speit van d' oorloghs-plagen.

Epigramma in ejus laudem.

Cujus sensus est hic:

Lilia ut in dumis; sic & Pictura rehidens
Nec populi turbas, nec fera bella timet.

Idemque adhuc Londini in fausto satis prosperitatis cursu vivere, iconibusque naturam quàm proximè imitantibus, & gratiosissimis multâ arte excellere, magnoque in honore degere dicitur.

Adhuc in vivis esse dicitur.

CCXXIII. CASPARUS WITTIUS,

CCXXIII. CASPAR de WITTE.

ANtverpiensis ingenio inclarescebat & sedulitate maximâ in Italiâ & Galliâ, ut in imaginibus tam parvis quàm majoribus, subdialibusque & ruinis atque similibus ars ipsius laudatissima aliis si non præferenda, neutiquam tamen postponenda sit.

CCXXIV. FRANCISCUS VERWILT,

CCXXIV. FRANCISCUS VERWILT.

ROterodamensis, Cornelii de Bojo Lenburgici methodum tantâ sectabatur æmulatione, ut tandem in figuris parvis, subdialibus campestribus & ruinis eundem superaret, eodemq; æstimaretur præstantior.

CCXXV. JOHANNES BAPTISTA DEINUMENSIS,

CCXXV. JOHAN BAPTISTA de DEINUM

ANtverpiensis, iconibus gummati coloris tam majoribus quàm minoribus clarissimus erat: tandem & turmæ militum civicorum ut centurio in eâdem Urbe præficiebatur anno 1651.

CCXXVI. JOHANNES KESSELIUS,

CCXXVI. JOHANN de KESSEL.

COloribus oleariis minore quantitate animalia pingebat atque flores, ad ipsam rerum naturam quàm proximè accedentes.

CCXXVII. HEINRICUS BERGMANNUS,

CCXXVII. HEINRICUS BERGMANN.

CLunderensis, deserta priori methodo prœliorum mole minuta expingendorum, instruentibus Jacobo Jordano & Willebordio, ad imagines majores sese convertebat, jamque Mittelburgi in Seelandiâ ob artis elegantiam magno in honore vivit.

CCXXVIII. ROBERTUS de HOECH,

CCXXVIII. ROBERT de HOECH.

ANtverpiensis, in urbe patriâ prœliis minoribus excellebat tam pedestribus

quam equestribus, quæ sub præsidio tormentorum bellicorum, igne fumoque conspicua, unà cum fortalitiis forma parva cum admiratione exprimere solebat: in quo singulariter hoc ipsi proderat, quod in servitiis Regis Hispaniæ tanquam Architectus militaris fortalitiis Flandricis præfectus esset: unde picturæ ipsius plus desiderantur, quàm reperiuntur. Eundemq; Debiæus Poëta his honoravit versibus.

Versus in ejus honorem.

Seltsam en veel; al even eel;
Veel en kleyn, eel en reyn.

Quasi diceret:

Rara refert; & multa tamen; parvisque superbit:
Nobilis ingenio, nec minor arte manûs.

CCXXIX. RUDOLPHUS BREINIUS mutus,

CCXXIX. RUDOLPHUS BREIN Tigurinus.

Tigurinus hoc loco similiter sicco prætereundus haud est pede: quamvis enim novercante natura & auditu careret & loquelâ; ingenio tamen tanto abundabat, ut & diagraphicam & pictoriam, nec non cælaturam æris insigniter excoleret: idq; divinâ adminiculante gratiâ, quæ liberali affluxu, quod unâ in parte ademtũ est homini, loco quodam alio supplere solet. Undè Mutus iste naturâ suâ Tigurinus, de se ipso hos scripsit versiculos germanicos:

Versiculi Germanici de seipso.

Dem höchsten GOtt zu Lob und Ehr,
Der mich ein Stumm begabt hat sehr,
Dass ich les, schreib und rechnen kan,
In Geometri auch thu bestahn.
Astronomi auch Kupferätzen,
Flach mahlens auch mich zu ergötzen.
Darum, ô Mensch, an Gott zag nit,
Der ein Gnad nimmt, und viel dargiebt,
Ob mir schon gnommen Red und Ghör;
Sey doch dem höchsten Gott, Lob, Ehr!

Quorum hic est sensus:

Laus tibi, summe Deus, muto hæc qui dona dedisti,
Ut legere & numeros tractare, & scribere possim;
Astraque, metirique locos, & pingere norim,
Et tabulas æris rodam: quæ cuncta supernum
Numen largitum est, quod linguâ ac aure fatiscam.
Cui sit summus honos, & laus & gloria semper!

CCXXX. ABRAHAM de DIEPENBECK, Boscoducensis,

CCXXX. ABRAHAM de DIEPENBECK.

Inter laudabiles Antverpianæ Urbis artifices pariter numerandus est, & quidem haud inter postremos. Primò autem pictor erat vitrarius, omnesque sui ævi encaustas in hoc genere superabat. Deindè autem coloribus oleariis operam dans, inter discipulos Rubenii ex optimis evadebat, qui beneficio acutissimi ingenii sui varia inveniens diagraphica, chalcographis Antverpiensibus eadem cælanda præbebat, quæ laudes ejus plus satis decantant. Inter illa autem præeminet clarissimum illud magnumque opus quinquaginta figurarum, à Cornelio Blomarto & Matthamio cælatarum anno 1663. sub nomine Gallico, quod Tabularium templi Musarum denotat; quod solum sufficeret, singularibus ingenii ejus dotibus deprædicandis. Et procul dubio, cum integrâ adhuc utatur sanitate, vel in hodiernum usque diem exercitia operum hujusmodi artificiosissimorum continuabit.

Ejus opera.

CCXXXI. DAVID TENIERIUS Junior,

CCXXXI. DAVID TENIERS.

Ibidem celebris quoque erat imaginibus minutis & subdialibus, qualia pro Rege Hispaniæ, Leopoldo Wilhelmo Archiduce, Principe Auriaco, & aliis plurima pinxit. Antverpiæ autem habitans adhuc vivere dicitur.

CCXXXII. CORNELIUS JANSONIUS Londinensis,

CCXXXII. CORNELIUS JANSON.

Belgis propterea annumerari potest, quia parentes ejus in Belgico Hispanico nati fuerant, & ob tumultus saltem bellicos Londinum concesserant, ubi hunc deinde genuére filium. Hic cum ad artem pictoriam sese applicuisset, iconibus potissimum conficiendis operam dedit; unde in servitia Caroli Stuarti Regis Angliæ assumtus, Regis atque Reginæ, totiusque aulæ elegantes elaborabat effigies. Ortis autem inter Regem hunc atque Parlamentum dissidiis, adeoque in turbas hasce involutâ tota Anglia, Jansonius noster unà fere cum omnibus celebrioribus artificibus aliis ex Anglia discedebat, translato in Hollandiam tum temporis omni felicitatis genere affluentem, domicilio: ibidemque postquam icones confecisset egregias plurimas, tandem annò 1665. Amstelodami ex hac miseriarum valle emigravit.

Regis Angliæ pictor.

CCXXXIII. GODOFREDUS FLINKIUS Clivensis,

Ccxxxiii. GOVERT FLINK.

Artifex longè clarissimus, ex Urbe Clivensi Amstelodamum ad Rembrandum primò se contulit, ibidemque insigniter profecit, quod præter industriam & ingenio polleret singulari, ut laudes ejus inter angustias haud adeò diu sese continerent. Quamvis enim pingendi modo in plurimis præceptorem suum sectaretur, in assimilatione tamen & gratiâ iconum eodem æstimabatur felicior. Permultos autem annos apud Ulenburgium commorabatur, artificem longè celeberrimum; cui icones celebratissimas manu suâ elaboratas relin-

que-

quebat plurimas; inter quas & effigies Cõsulis cujusdam Amstelodamensis, formâ dimidiatâ, quæ deindè in labyrintho Claveniriana locata fuit, naturali admodùm & verissimâ similitudine, cum operibus variis aliis.

Mirus picturarum Iconicarum Artifex.

Adauctâ igitur indies laude ejus, ad Serenissimũ tandem Electorẽ Brandenburgensem Cliviam vocabatur, ut Serenitatem suam, unà cum Serenissima conjuge, ut & Principe Auriaco, nec non Principe Mauritio Nassoviensi pingendo in tabulis exhiberet: quod summâ quoque cum laude præstitit. Sic & imaginibus majoribus & historiis manum applicans, laude quidem nullibi caruit, sed naturâ suâ ad picturas iconicas pronior erat: & ad sublimiora procul dubio annisus esset, si Parcarum Stamine uti potuisset lõgiore, quo abrupto vitæ quidem, sed non famæ ejus statutus est terminus.



CAPUT XXI.

CAROLUS MANDERENSIS junior, & Artifices viginti quatuor alii.

Argumentum.

CCXXIV. CAROLUS MANDERENSIS junior. CCXXXV. LUDOVICUS PRIMUS Bruxellensis. CCXXXVI. GERHARDUS DAU, Lugdunensis; coloribus oleariis picturas parvas exhibet: Opera ejus: Patientia ejus insignis atque diuturna: iconibus suis characterem quendam melancholicum imprimit. Modus taxandi opera sua, ejusdemq; accurata observatio. CCXXXVII. FRANCISCUS MIRES. CCXXXVIII. HANEMANNUS Hagensis. CCXXXIX. MATTHÆUS GONDOLACH Hassus. CCXL. JOHANNES KORNMANNUS Augustanus. CCXLI. MATTHIAS KAGERUS Augustanus: Opera ejus: Epicedium ejus. CCXLII. JOHANNES FISCHER Augustanus. CCXLIII. FRANCISCUS LEUX Antverpianus. CCXLIV. CHRISTIANUS STEINMÜLLERUS Augustanus. CCXLV. GEORGIUS BACHMANNUS Friedbergensis. CCXLVI. TOBIAS POCH Constantiensis: Opera ejus Viennensia. CCXLVII. PAULUS POCH Societatis Jesu, pictor. CCXLVIII. POCHIUS, Statuarius & Architectus Viennensis. CCXLIX. NICOLAUS de HOYS Antverpianus. CCL. OSSENBEKIUS Roterodamensis. CCLI. JOHANNES ULRICUS LOTH Monachiensis: Opera ejus illo loco facta. Colorum gummatorum usus, arti oleariæ nocivus est. CCLII. CAROLUS LOTH. CCLIII. BRÜDERLE. CCLIV. FISCHERUS. CCLV. De PAY. CCLVI. NICOLAUS PRUCKER; variis operam dat curiositatibus: Virunculum adinvenit prototypicon pro pictoribus opticum. CCLVII. CHRISTOPHORUS STORERUS Constantiensis. CCLVIII. MATTHÆUS MERIANUS Francofurtanus. Discipulus est Sandrarti. Itinera ejus. Opera ejus Norinbergensia: Matrimonium ejus: Opera ejus alia: Consiliarius fit Electoralis Brandenburgicus & Badensis: Artemisia ejus.

CCXXXIV. CAROLUS MANDERENSIS Junior,

Ccxxxiv. CAROLUS de MANDEREN Junior.



Poëtæ illius ingeniosissimi & pictoris artificiosissimi Caroli Manderensis, de quo suo loco fecimus mentionem, filius, cui Pater non nomen saltem suum, sed artem quoque sic conferebat, ut omnium quasi scientiarum & laudum ejus hæres esset unicus. Hic igitur Carolus non minoris industriæ quàm ingenii editurus specimina, opera elaborabat præcellentissima varia, ut laudibus illius ipse quoque Danorum Rex excitatus, eundem ad se vocaret, ubi, raro felicitatis evẽtu, picturis suis famam ipsam longè superabat; tam iconibus quàm aliis tantam præ se ferendo perfectionem, ut ad summos honorum gradus artis suæ intuitu admitteretur. Inter quæ civilitate suâ, tantum ubivis sibi alliciebat omnium amorem, ut consortio ejus quilibet delectaretur.

Opera ejus præcellentissima.

CCXXXV. LUDOVICUS PRIMUS Bruxellensis,

Ccxxxv. LUDOVICUS PRIMO.

Natus fuit anno 1606. in aula Bruxellensi: cumque maturè satis ad professionem hanc accederet, tyrociniis initiatus est in urbe patriâ, facto ulteriori in hisce studiis progressu Lutetiæ. Cum autem nondum usquequaq; ad sublimia in hac arte emersissent Galli, Romam profectus

Romæ commoratur per 16. annos.

per sedecim annos in pristinâ sedulitate perrexit, donec eo usq; eniteretur, ut Alexandri Pontificis omniumque Romæ primorum conficeret icones, unà cum operibus clarissimis tam singularum imaginum, quàm integrarum historiarum aliis. Tandemque Bruxellas reversus, suam ibi quoque tam iconibus, quàm historiis aliisque picturis propalabat præstantiam. Vitæ autem civili tanto cum decore invigilabat, ut Romana pictorum Societas Gentilem illum sive Nobilem cognominaret anno 1626. Ulterioribus laudibus ejus decantandis inserviunt opera ejus pulcherrima per totum Belgium variè dispersa.

CCXXXVI. GERHARDUS DAU, Lugdunensis,

Ccxxxvi. GERHARDUS DAU.

Rembrandi quidem discipulus, sed certo quodam & hactenus nondum observato pingendi modo ab eodem distinctus plurimùm: dum industriâ suâ singulari & patientiâ inimitabili omnia, quæcunque ad imaginem viventis quantitate pingendam sive ratione diagraphices, sive colorum, sive luminis, umbræque sive splendoris ratione requiruntur, quàm perfectissimè & ad miraculum usque in imaginibus minutis digitiq; vix longitudinem habentibus colore oleario observaret; idque tantâ vividitate, tantoque robore & elevationis decore, nec non harmoniâ, ut ante eum nemo picturas minutas simili methodo expinxerit.

Opera ejus.

Præcipua operum ejus, quæ apud Dominum Spiringium, Residentem Hagæ Comitis celeberrimũ, & alibi vidi, hæc erant: In conclavi quodam occluso puella Belgica residens & limbos denticulares texens, dimidiæ spithamæ altitudine. Vetula quædam pelliceo amicta sedens & ocularium beneficio in libro legens. Senex quidam prolixam habens barbam, ad ignem assidens & manus calefaciens. Musicus chely ludens mensæ assidens cum libris suis coràm expositis; palmi quasi altitudine. In quibus omnibus præter imagines ad muros etiam conclavium & alibi varia supellectilium copia atque similia optimo ordine tantaque perfectione & naturalibus tantoperè similia adjuncta erant, ac si opera expicta essent viventium molem præ se ferentia. Omnes autem picturas suas specillorum beneficio conficiebat, quamvis floridæ adhuc ætatis & triginta vix annos natus esset.

Cum aliquando Ego ipse cum Laerio sive Bambotsio apud illum diverterem, cognitururs hominem & artem ipsius, non multâ ille tantùm civilitate nos excipiebat, sed opuscula quoque sua nobis proponebat: laudantibus autem nobis singularem illius sedulitatem, quâ manubrium saltem quoddam scoparum expoliverat, quod unguem tamen digiti vix tantillum excedebat, ille regerebat: se quidem vel triduum adhuc insumturum, donec illud consummaret.

Patientia ejus admiranda.

Iconem autem fecerat supra memorati Domini Spiringii, sedentis in pinacothecâ suâ manu tapeti ad mensam imposita; cum assidente uxore ejus non omnium artium saltem peritissimâ sed quæ exemplar quoq; omnium virtutum esset, cui filia ejus natu major libellum porrigere videbatur: quod opus quidem ad miraculum usque expolitum & longè pulcherrimum erat, sed ita tamen, ut laudatissima Domina Spiringia per quinque integros dies summâ cum patientiâ eidem assidere coacta fuerit, pro fundandâ unicâ saltem manu; undè facilè conjecturari licet, quantum temporis pro reliquis illius operis partibus insumtum fuerit. Undè cum Ego prædictum Dominum Residentem, ad desiderium ipsius, iconicè repræsentarem in tabulâ quadam majore viventis magnitudine, unà cum dilectissimâ conjuge è pinacophylacio suo per Palatium in hortum procedentem, totumque hoc opus sat aliàs curiosum, pro satisfactione summæ illius in hac arte peritiæ, Hagæ Comitis in ædibus ejus intra tres hebdomades absolvissem, illi mihi referebant, se præsenti artifici nostro Dauio pro projiciẽdâ unâ minimarũ ejus imaginum, diutiùs assedisse, quàm mihi, pro complendo integro hoc opere. Hac autem tarditate sedentibus effigurandis omnem subtrahebat gratiam, ut præ sedendi tædio Physiognomiam aliàs venustissimam sensim immutarent, mœroremq; quendam quasi indignabundi vultu præ se ferrent, suppressis hilarioribus illis spiritibus vitalibus, qui pictorum tamen artificiosorum requisitum sunt summè necessarium. Melancholiæ causa est in effigiebus.

Cœterum tamen negari haud potest, eundem in immotis artificem fuisse verè admirandum, quod præmemoratum Dominum Spiringium eò quoq; commovit, ut annuum illi salarium mille florenorum promitteret, pro hac unicâ conditione, ut è picturis ejus, pro lubitu elaborandis non nisi optio sibi esset, illam semper emendi, & præsenti quidem pecuniâ, quæ optima sibi videretur. Solebat autem opuscula sua, quæ si maxima essent, non ultra palmi molem excurrebant, sexcentis, octingentis, & mille florenis Hollandicis divendere: taxæq; hujus computum inibat juxta horarũ numerum, quas illis elaborandis impendisset, indies fideliter consignatas, ubi pro singulis horis libram assignabat Flandricam, qui sunt duo imperiales cum dimidio. Si cœli serenitas aliquatenus saltem remitteret, à labore mox cessabat; ad omnia enim nativis utebatur exemplaribus. Colores tandem suos in tabulâ saltem vitreâ terebat, penicillosq; suâ confi-

Taxa operum ejus.

ciebat manu. Axiculum suum pictorium cum penicillis & coloribus propter pulveris molestiam, de quâ insigniter conquerebatur, quàm diligentissimè recludere solebat; cumque ad opus pingendum se accingeret, diu adhuc quietus assidebat, donec pulvisculus omninò subsedisset: atq; tum demum strepitu quantum fieri poterat minimo è cistula propè apposita axiculum depromens, temperatisq; coloribus & penicillis laborem inchoabat, finitoque labore hæc omnia anxiè iterum recondebat. Conclave ejus pictorium magnum erat versus Septentrionem, altoq; instructum lumine, utque eò magis evitaretur pulvisculus, stagnantem fossæ respiciebat undam. Et hæc de sedulitate, elegantiâ & patientiâ artificis hujus sufficiant.

Ejus conclave pictorium.

CCXXXVII. FRANCISCUS MIRESIUS,

Ccxxxvii. FRANCISCUS MIRES.

PRæcedentis artificis discipulus, præceptorem suum tam accuratè imitatus est non sedulitate saltem indefessâ, scientiaque & judicio; sed inventionibus quoq; ingeniosissimis, historiis amœnis, & delineandi genere tam exquisito, ut præceptore ferè judicaretur superior, non praxeos saltem, sed & theoriæ ratione. De arte autem illius testimonium nobis præbet luculentissimum taberna illius mercatoria, sesquipalmi circiter altitudine, in quâ variæ mercatorum depictæ sunt merces, à muliere quadam Belgica venales expositæ, â quâ vir quidam telam emturus videtur sericam. Hic imagines cum omnibus mercibus tam sericis, quàm laneis, vinculisq; & similibus, propriâ, vigorosâ & naturali protuberant elevatione; colorumq; usus maximè appropriatus, omniq; errore vacuus est, ut pretium illud bis mille florenorum, quos Leopoldus Wilhelmus Archidux Austriæ pro opere hoc numerari jussit, adhuc vile sit respectu tot elegantiarum totq; argutiarum: dolendumq; omninò sit, artificem tantum tam maturo interiisse obitu.

CCXXXVIII. HANNEMANNUS Hagensis,

Ccxxxviii HANNEMANN Hagensis.

LOndini primò habitabat, & deindè Hagæ Comitis, modumq; observabat Dykii, cujus & fuerat discipulus: undè icones confecit plurimas elegantissimas atq; viventibus simillimas, quibus Hagam Comitis, totamq; quasi multâ cum laude implevit Hollandiam.

CCXXXIX. MATTHÆUS GONDOLACHIUS Hassus,

Ccxxxix. MATTHÆUS GONDOLACH.

AB Academiâ Pragensi celeberrimâ cum aliis ex urbe patria Cassēlensi eodem ferè modo attractus, ut ferrum à Magnete trahitur: ubi ob ingenii vivacitatem, & inveniendi argutiam in servitia Cæsarea assumtus, in tantâ erat Imperatoris gratiâ, ut post obitum celeberrimi artificis Heinzii, à S. C. Majestate ejusdem vidua in matrimonium ipsi daretur, cum variâ favoris Cæsarei exhibitione aliâ. Erepto autem è vivis Imperatore, Academia hæc pictorum, adinstar gregis pastore orbati, omninò dispergebatur: ubi Gondolachius Augustæ Vindelicorum pedem figebat, ibidemq; opera elaborabat plurima pulcherrima, inter quæ historia Caroli V. in curiâ illius Urbis celeberrima, & alibi alia. Qualia procul dubio adhuc plura in lucem protulisset, nisi partim turbulentus illorum temporum status, partim appropinquantis senii imbecillitas, & tandem mors ipsa heu! nimio eidem fuissent impedimento. Discessit autem ex hoc lachrymarum barathro anno 1653. & concio ejus funebris prima erat, quæ in recenter extructo Evangelicorum illius loci templo, cui à S. Cruce titulus, habebatur. Effigies autem illius tabulâ iconum nostrarum M. M. spectari potest.

Augustæ vindelicorum sedem figit.

CCXL. JOHANNES KORNMANNUS Augustanus,

CCXL. JOHANNES KORNMANN.

CUm aurifex fuisset suâ laude dignissimus, plasticæ quoque cereæ artem delibabat, propterea Venetiis diu commoratus: ubi opera quoq; alia elegantissima ex auro, ferro, chalybe, & lapide elaborabat, ut nominis ejus fama insigniter celebraretur; præsertim ob opera quædam anaglyphica in chalybe semielevata historica, quæ pro technophylacio longè celeberrimo Danielis Nysfii ibidem confecerat, ut ad miraculum quasi eximiti hoc durissimoq; metallo imagines eminerent rarissimæ & hactenus inauditæ: unde in fusionibus numismaticis, plasticisq; & cælaturis pro primario tunc habebatur artifice: præsertim quia Romæ opera Antiquorum summâ cum industriâ contemplatus, eademq; quàm proximè imitatus fuerat, ut exhinc Urbano quoq; Pontifici Maximo, variisq; Cardinalibus & Magnatibus numismatibus quibusdam fusis vel excusis summâ cum laude inservierit. Quibus mediis magnam cumulare potuisset nummorum copiam, nisi licentiosâ quadam linguæ incontinentiâ potentes quosdam in sese irritasset hostes; quibus autoribus in Inquisitione diu admodùm mala perpessus est plurima, consumtis insimul omnibus bonis suis; quod summè dolebant omnes veræ artis fautores, qui prosperiorem fortunæ aspectum omnibus eidem votis exoptassent.

Ejus opera.

CCXLI. MATTHIAS KAGER Augustanus,

CCXLI. MATTHIAS KAGER.

MOnaci natus in arte pictoriâ similiter clarus admodum evasit, ut & in Architecturâ operam variè suam locaret.

Tandem Augustæ Vindelicorum larem figebat, ibidemq; senatorum numero accensebatur: undè non tantùm pro curia illius Urbis longè celebratissima varia elaborabat opera summâ laude digna; sed & pro Patribus Dominicanis magnum Altare, inq; eo extremum judicium, unà cum opere illo, quod in externâ templi facie conspicere licet. His accedit cum pluribus aliis Porta ad S. Crucem splendidissima, & Textoria pariter domus, extrinsecus ab ipso pulcherrimis exornata picturis; undè Epitaphio quoq; honoratus fuit valdè memorabili, cujus hæc verba:

Opera ejus.

Epitaphiũ ejus.

Heic MATTHÆI KAGERI domo Monacensis, Reipubl. Augut. Pictoris, quàm Nobilis & docti, manus & tabulæ loquantur, pii manes siti. Vixit Anno Christi clɔ lɔ LXVI. MD.

Heic LIBIA MAGDALENA Salvatonia chara castaq; Conjunx, expectat vitam meliorem. Vixit Anno clɔ lɔ LXVI. MD.

Heic dulces Nati & Nepotes quiescent, donec à cœlesti præcone ad ultimum tribunal citemur omnes. Tu mite nobis vove hospes & expecta.

Una domum totam tegit urna, precamur ut olim
Judicis hanc totam vox beet una domum.

CCXLII. JOHANNES FISCHERUS Augustanus,

CCXLII. JOHANNES FISCHER.

Aurifaber præstantissimus priori coævus, qui operibus singulari inventione laudatissimis magnâ celebritatis famâ ibidem inclaruerat. Hic interno quodam ingenii motu ad altiora semper instigatus è patriâ tandem in universalem illam omnium Artium Academiam Pragensem se conferebat, ubi posito in arte pictoriâ fundamento optimo, huic deindè in Italiâ aliisq; in regionibus structuram superimposuit longè gloriosissimam. His opibus ditatus domum revertebatur, ingeniique sui mox fructus edebat pulcherrimos, partim iconibus naturam ipsam referentibus, partim historiis ingeniosissimis & inventionibus elegantibus admodum, in fori potissimum vinarii ædibus magnificis depictis. In specie autem colorum ad insignem diuturnitatem præparandorum peritiâ singularem sibi acquirebat famam: tandemq; ibidem anno 1643. & ætatis 63. inter vivos esse desinebat, post vitam laudabiliter admodùm transactam: è cujus, tanquam Phœnicis, cineribus non filia tantum arte quoq; clarissima, sed & nepos similis, de quorum laudibus atq; virtutibus sequenti capite, prodiére.



CCXLIII. FRANCISCUS LEUX Antverpiensis,

CCXLIII. FRANCISCUS LEUX.

Picturis aulicis Cæsareis præficiebatur Viennæ, ubi juxta Rubenii methodum labores suos instituebat. Ut autem artem suam eò melius expoliret, in Italiam profectus, per aliquot annos ibidem comorabatur; reversusq; in servitia Ferdinandi II. Imperatoris reassumebatur, in quibus etiam ad obitum usq; suum perseveravit. In iconibus pingendis excellebat, quas plerumq; viventium quantitate elaborabat, naturæ simillimas, hilariq; vultu conspicuas: & quidem in tantâ copiâ, pro S. Cæs. Majestate septemq; Electoribus, ut numerari vix queant. Historias pingebat pauciores, quod iisdem nunquam dedisset operam. Effigiebus tamen hisce, morumq; civilitate magnam sibi laudem, nec minores acquirebat divitias; discedensq; ex hac mortalitate duos relinquebat filios; qui, prout fama fert, paterna in eadem arte vestigia studiosissimè calcant.

Imperatori Ferdinando II. à Servitiis.

CCXLIV. CHRISTIANUS STEINMULLERUS Augustanus,

CCXLIV. CHRISTIANUS STEINMULLER.

Filius erat aurifabri cujusdam Augustani, qui primò elegantissimis delineationibus in exercitiis diagraphicis magnam de sese spem promittebat: dehinc autem Romam profectus in historiis megalographicis admodum evadebat celebris, ut laudum ejus fama Augustam usq; deferretur. Unde domum revocatus, itineri quidem sese accinxit, sed Viennam pervenit: ubi varia quidem elaboravit opera, sed quædam saltem argutè atq; sedulò; alia autem levi satis brachio; ita tamen, ut omnia satis declarent, eum magnæ fuisse peritiæ atq; prudentiæ.

CCXLV. GEORGIUS BACHMANNUS Fridbergensis,

CCXLV. GEORGIUS BACHMANN.

Eodem tempore Viennæ ob tabulas majores celebris, colorum temperatura utebatur gratissimâ; inq; exornandis altaribus, pingendisq; historiis indies ita proficiebat, ut admirationem mereretur: prout altare illud, ad D. Virginem Scoticam Viennæ, de S. Augustino cum Angelis, quod operum ejus quasi palmarium est, satis superq; demonstrat. Porrò & iconibus excellebat, inq; templis ejusdem urbis tempore mortis suæ, quæ anno 1651. eveniebat, opera post sese relinquebat pulcherrima plurima.

CCXLVI. TOBIAS POCH Constantiensis,

CCXLVI. TOBIAS POCH.

Ob artis hujus excellentiam eodem tempore non minore dignus judicabatur laude, tam colorum oleariorum, quàm albarii recentis peritia: undè tam in urbe, quàm in locis finitimis opera conficiebat clarissima, & maxima, ob methodi

præ-

Opera ejus Viennensia.

præstantiam admodùm decantata. In specie autem nullæ ferè laudes sufficiunt tabulæ altaris summi in templo S. Stephani, quam ad majorem operis constantiam adhibuit stanneam, historiam lapidati illius Protomartyris exprimendo, & maximo quidem cum judicio, inq; effigurandis actionibus dexteritate. Nec vilior est ipsius imago S. Sebastiani unà cum ornamentis pulcherrimis in albario recente ad faciem templi Scotorum depicta. Qualibus augmenta laudum sibi cumulavit continua; & fortè adhuc continuat.

CCXLVII. PAULUS POCH Societatis Jesu,

CCXLVII. PAULUS POCH.

PRæcedentis frater, primò arti phrygionicæ incumbebat, deindè in societatem istius ordinis assumtus, picturis etiam operam dabat, præsertim theatrorum & scenarum, quas mirâ dexteritate exornare poterat. Præterea inventionibus quoq; celebris erat ingeniosissimis variarum ad ornamenta templorum facientium machinarũ, tam architectonicarum quàm similium.

CCXLVIII. POCH Statuarius Viennensis,

CCXLVIII. POCH tertius.

TErtius horum frater statuis majoribus sculpendis, nec non operibus architectonicis excellebat, prout ipsius manu elaborata Viennæ extant plurima, præsertim summum altare in templo S. Stephani, è mero marmore albo scilicet & nigro sculptum, cujus statuæ & columnæ laudes autoris sui pleno incessanter ebuccinant ore.

CCXLIX. NICOLAUS de HOIE Antverpiensis,

CCXLIX. NICOLAUS de HOIE.

POst obitum supramemorati pictoris cubicularii Cæsarei Francisci Leuxii ad eadem ministeria non sine prægnanti causa assumebatur: cum enim post abitum è patria Antverpia, in Italiâ ad cacumina perfectionis omni nisu ascendisset, in historiis magnam statim peritiam, inq; diagraphicis, & naturali calligraphiâ mira edebat specimina. Quin & iconibus pingendis clarissimus est, operibusq; præstantissimis variis encomio suo cumulos adhuc addit continuos.

CCL. OSSENBEKIUS Roterodamensis,

CCL. OSSENBECK.

QUem modo dictus Hojus Româ secum adducebat, incomparabilem ferè Bambotsii modum in effigurandis variis actibus ruralibus quotidianis, nec non subdialibus, diversisq; animalium generibus assumserat, quæ omnia ad admirationem propria, naturæ simillima & argutissima exhibebat: undè confestim in ore erat omnium, omniumq; sibi conciliabat favorem: prout opera ejus varia pulcherrima, tam animalibus quàm tractibus campestribus, imaginibusque parvis conspicua, mirâ promtitudine ab ipso expicta abundè testantur: qualia adhuc produxisset plura, nisi abrupto â Parcis Stamine inter vivos esse desiisset.

CCLI. JOHANNES ULRICUS LOTH, Monacensis,

CCLI. JOHANNES ULRICUS LOTH.

OPtimis Monaci artificibus, qui manu suâ artis nostræ gloriam decenter propagarunt, haud immeritò quoq; annumeratur: postquam enim in ætate suâ juvenili visitasset Italiam, Monaci deindè larem posuit, ibidemq; opera elaboravit plurima encomio dignissima, præsertim in Aula Electorali, inter quæ primas obtinet laudes Judicium ejus Salomonæum. Nec minoris tamen æstimanda est tabula Altaris in templo D. Virginis, historiam trium Magorum exprimens. Optimam autem picturæ suæ methodum à Carolo Venetiano assumsit, quem in expingendo prototypa viva diu est secutus, prout ex operibus ejus sufficienter apparet. (Opera ejus.)

Sæpè quoq; colore gummato quædam elaborabat, ob lucrum velocius; sed cum damno suo in laboribus oleariis manifesto; quod colorum splendore fulgidiore tantoperè exhinc delectaretur, ut ad cruditatem quandam pingendi descenderet. Debilitatis autem denique senio viribus, communem similiter absolvit naturæ cursum Monaci anno 1660. (Picturæ gummatæ nocivæ sunt oleariis.)

CCLII. CAROLUS LOTH,

CCLII. CAROLUS LOTH.

JOhannis Udalrici filius, paternâ imbutus arte in Italiam abiit, longoq; temporis spatio Venetiis utplurimum commoratus est. Ubi pingendis colore oleario imaginibus majoribus, tam pro templis, quàm pro locis aliis, eodem mox in lucem prodiit decore, quem è scaturigine hauserat paterna. Inter alia Monaci apud Graphicophilum quendam, Cleerium nomine, ipsius manu confectus extat Silenus ebrius nudo dormiens corpore, brachio innixus proprio imagine dimidiatâ; quod opus magistrum prodit, naturæ affeclam, colore elegantem, elevatione superbum, aliisque requisitis valdè laudabilem. Similia autem in patriâ adhuc plura elaboravit alia; quorum aliqua & hîc Norinbergæ conspicere licet: inter quæ Cato Uticensis transfosso abdomine intestina sua dilacerans: Silenus nudus dormiens vino madidus: Hieronymus nudus; viventium quantitate omnes, sed figura saltem dimidiata, arte vera; natura vividia, colore valido, & rotũditate prominula nobiles, multisq; decantandæ laudibus. (Opera ejus.)



CCLIII.

CCLIII. BRUEDERLE

CCLIII. BRUEDERLE. Ante hos Monaci clarus erat, qui imagines quoq; dimidias plures optimas post sese reliquit. Sic &

CCLIV. FISCHERUS quidam,

CCLIV. FISCHER. Qui colores olearios multâ tractavit curâ, operumq; Alberti Düreri varia confecit apographa, quorum beneficio peritiam sibi conciliavit insignem, eidemque methodo cum laude institit. Eodem modo & alius

CCLV. De PAY.

CCLV. De PAY. In faciendis apographis minori mole sedulus admodùm erat: quamvis & megalographica pingeret & iconibus exprimendis insignis admodùm esset.

CCLVI. NICOLAUS PRUCHERT,

CCLVI. NICOLAUS PRUCHERT. In servitiis pariter Electoralibus erat, colorumq; tam oleario quàm gummato genere utebatur, licet posteriore potius delectaretur: prout celeberrima Sedes Electoralis Urbs Monacensis multa adhuc opera ejus laudatissima ostentat, quibus omninò persuasi sunt artis periti, eum vi ingenii sui optimi ad altiora adhuc scansurum fuisse, nisi curæ rerum œconomicarum nimium tribuisset, vel potius nimium temporis aviculis quibusdam, præsertim sturnis ad loquelam assuefaciendis impendisset. Adde quod & theatra quædam ludicra extruere soleret, comœdiis ope Puparum puellarium exhibendis congrua, quibus ut spectacula chorearum suarum eò elegantius exhiberent, chely quandoq; præludere visus est. Præterea instrumenta quoq; pictoria inveniebat recentia, item axiculos novi generis, coloresq; vernice diversimodè imbuendos, & similia: & præ cœteris Virunculum quendam mechanicum ligneum, ad prototypa maximè idoneum, cujus artus singuli, imò ne articulis quidem digitorum omissis, flecti poterant; ut nihil quasi deesset, quàm peniculus automatarius, proprio motu colores applicans. Interea autem dum nugis hisce vacaret artifex noster, vera artis opera negligendo, quis crederet, rem familiarem ita fuisse curatam, ut & crumenæ suus ne deesset vigor?

CCLVII. CHRISTOPHORUS STORER

CCLVII. CHRISTOPHORUS STORER. Constantiensis tyrociniis artis suæ apud patrem transactis, Augustam Vindelicorum, & mox Mediolanum sese contulit, ubi sat longa temporis mora artis sectatus est ulteriora, ad secunda interim progressus vota. Dehinc in patriam reversus, non Constantiæ tantùm, sed & in omni circumjacente viciniâ imagines pinxit majores plurimas, nec non historias, & similia, sacra tamen plerumq;, sive pro altaribus, sive pro locis aliis sacris, quorum adhuc quædam in Æde Dominicâ Augustanâ D. Virgini sacrâ spectantur, inter quæ Altare illud, quo Christus crucem tenens peccatores alloqui videtur; & alia ibidem collocata, quibus magnam ipse impendit diligentiam. Sed & alibi opera ejus extare dicuntur, mihi incognita, ut Landshuti apud Patres Soc. Jesu summum altare, in quo Assumtio B. Virginis: Sic & Campoduni aliqua, de judicio atq; industriâ ejus luculenter testantia; undè inter Germanos pro insigni temporis sui artifice habitus est. Romam tamen & Florentiam, Academiasque illas Antiquitatum non vidisse, sed Mediolani saltem & Constantiæ plerumque degisse dicitur; quo in loco posteriore etiam obiit anno 1671.

CCLVIII. MATTHÆUS MERIAN, Francofurtanus,

Matthæi Meriani, de quo suo loco plura narrabimus, filius, Basileæ natus anno 1621. & à teneris unguiculis ad diagraphicen applicitus, magna mox tam ingenii, quàm sedulitatis edebat specimina; undè juxta inchoata bonarum literarum studia in Gymnasio Francofurtano, à patre simùl ad artem pictoriam adhibebatur; præsertim cum eodem tempore Ego Francofurtum (ubi Merianus degebat;) Româ venissem, qui multis amicitiæ vinculis eidem jamdudum eram obstrictus, eidemq; opera quædam majora manu meâ elaborata exhibuissem. Ex quo, consentiente Patre, Merianum hunc juniorem ad me receptum in fundamentis rei pictoriæ mox fideliter informavi, quæ cùm diligentissimè quoque imbibisset, porrò mecum Amstelodamum sese conferebat: ubi ingenii ope continuatæq; industriæ tantos faciebat progressus ulteriores, ut brevi in Angliam profectus, visis in aulâ Regiâ omnibus memorabilibus, cum Antonio Dickio intimiorem contraheret familiaritatem: mox & Antverpiam procedens, ibidem pariter Rubenio, Jordano, aliisque artificibus optimis cum laude innotesceret. Lutetiæ & in Italia primò similiter operibus quibusdam dignissimis felicia proferebat specimina; dehinc apum instar è floribus pulcherrimarum Urbis Romanæ picturarum favum sibi assugens scientiæ in his studiis perfectioris, hoc onustus thesauro in Germaniam redibat, ibiq; tam propter insignem artis excellentiam, quàm ob morum urbanitatem variamq; plurium linguarum cognitionem à singulis amore judicabatur & honore dignus. CCLVIII. MATTHÆUS MERIAN, nobilis arte pictor. Discipulus est Sandrarti. Visitat variâ Regna & Regiones.

Primò autem aliquandiù Norinbergæ artem excolebat suam, apud Primates illius tum durantis Diætæ, idq; non absq; singulari certoq; lucro & emolumento. Icones Opera ejus Norinbergensia.

enim

enim ipsius naturali simillimæ erant vultui, quas & tam venustè & judiciosè disponere solebat, ut non saltem Francofurti & Norinbergæ, sed per totam Germaniam à variis Principibus expeteretur. In specie autem non minus in expeditione, quàm Norinbergæ Excellentissimo Domino Wrangelio, Campi Mareschallo Suecorum celeberrimo, anno 1650. in Comitiis pro Executione Pacis institutis arte suâ inserviebat: quin & Officiariorũ bellicorũ sublimiorum tam Cæsareorum, quàm Suecorum & Gallorum, unà cum plurimâ parte Chiliarcharum effigies viventium magnitudine quàm perfectissimas & simillimas brevi temporis spatio expinxit, acceptis pro hoc labore ad quinque imperialium millia muneribus.

Dehinc cum à variis Electoribus, Principibus, Provinciisque & Urbibus desideraretur, Francofurti tandem pedem figebat, contracto insuper matrimonio anno 1652. longè felicissimo cum Antonetta Margaretha Bertelia, Virgine ob virtutum & venustatis decorem inter Gratias relata. *Matrimonium ejus.* Atque tum ulteriore operum suorum laude famam suam continuò divulgabat latiùs; cum præsertim Bambergæ in Æde Dominica Episcopali magnam Altaris tabulam de martyrio S. Laurentii, nocturno opere depingeret; *Opera ejus.* nec non Celsissimi illius Principis atq; Episcopi, ut & Electoris Moguntini, Electorisq; Palatini & aliorum Principum conficeret Effigies, eorundemq; templa, conclavia atq; pinacophylacia variis picturis tam historicis, quàm Poëticis exornaret. Deinceps autem, cum ad Comitia pro eligendo & coronando Invictissimo atq; Potentissimo Leopoldo, in Romanorum Imperatorem, Francofurti convenirent Electores, Titanii prosperitatis ejus radii multò scandebant altius, ut Monarcham hunc gloriosissimum Equo cuidam pulcherrimo insidentem vividissimâ exprimeret icone, cum variis picturis aliis clarissimis, quas recensere prolixum nimis foret: pro quibus, præter mercedem splendidissimam, torques etiam aureos majores, numismata mnemonica & munera accipiebat lautissima.

Sed libris quoq; porrò famæ suæ ulteriorem conciliabat celebritatem technicis; *Edit Theatrum Europæum.* inter quæ Theatrum Europæum, cum variis aliis, in quibus ditissimas ingenii sui dotes inventionibus elegantissimis, figuris æneis pulcherrimis, scriptisq;, (quæ ab ipso ut Autore dirigebantur) laudatissimis longè lateq; prodebat; ut apud Principes diversos majorem semper promereretur gratiam; & præsertim apud Serenissimam Domum Brunsvciensem Lunæburgicam; (cujus etiam effigies elaboravit:) quin & apud Serenissimam Domum Badensem Durlacensem; nec non apud Serenissimum Electorem Brandeburgicum, quem ut omnium virtutum, sic omnium quoq; Artium meritò cognominamus Patrem atque Mecænatem ter maximũ; qui eodem ut Negotiorum gestore usus est in variis, ut & in ædibus ejus aliquoties divertere haud dedignaretur; undè Consiliarii quoq; titulo tam Brandenburgico quàm Badensi ulterius inclaruit; *Consiliarius fit Brandenburgicus & Badensis.* quâ gloria non tantùm ob singularia sua in arte pictoria, sed & ob diversa alia tam animi quàm corporis dona meritò æstimatur dignus: ut dolendum sit saltem, egregium illius pro ampliandâ artis celebritate propositum, morbo Artrhitico gravissimo toties fuisse interruptum atq; impeditum.

Habet autem tota illius in arte nostrâ dexteritas fundamenti loco, diagraphicam emendatissimam, quæ coloribus vestita est naturalibus, non robore tantùm suo, sed & venustatis dulcedine, pro substratâ materiâ promicantibus: studiumq; illius primarium sunt megalographica & icones, quas præter assimilationem indistinctam affectu cumulat gratioso, ut in felicissimo hoc naturæ artisq; consortio præ cœteris emineat laudata illa veteribus Charis, velocitate tamen promota quàm promtissima: Undè pro magno Nationis Germanorum haud immeritò deprædicari potest Decore.

Et prout dotes hæ supra commemoratæ in omnibus ejus concurrere solent historiis, sic in specie hoc loco reticenda minimè mihi, quæ Augustæ Vindelicorum in Pinacophylacio conspicitur Werneriano illius Artemisia, longè præstantissima, mariti cineres potui suo admiscens, cujus facies æquè pulchritudine ac miro doloris affectu insignis sursum respiciens omni parte elimata est, & naturali quàm simillima. *Artemisia ejus.* Adde quod haud ita pridem virtutum istarum pictoriarum æquè dignum exhibuerit specimen in magnâ quadam Altaris tabulâ de crucifixione Domini in Urbe Francofurtanâ pro Cœnobio Discalceatorum elaborata, cum plenissimâ omnium Artis peritorum satisfactione atq; lætitiâ.



CAPUT XXII.
REMBRANDUS de RYN,
cum quinq; artificibus aliis.

Argumentum.

CCLIX. REMBRANDUS de RYN: Regulas pictorias sibi adinvenit proprias. Divitiæ ejus: Verum docet pictores colorum artificialium usum: modus illius pingendi. CCLX. CAROLUS SCRETA pictor Pragensis: Venetias venit, Bononiamq; & Florentiam, nec non Romam; iterumq; Pragam. Opera ejus. CCLXI. JOHANNES HEINRICUS SCHOENFELDIUS Augustanus. Modus ejus pingendi. Opera ejus. CCLXII. SUSANNA MAYRIA, pictrix Augustana. CCLXIII. JOHANNES UDALRICUS MAYR, pictor Augustanus, in Belgium abit & in Italiam: Iconibus excellit. Opera ejus. CCLXIV. JOHANNES SIGISMUNDUS MÜLLERUS, Assessor Judicii & Pictor Augustanus: tyrocinia ejus: Itinera ejus in Italiam: Opera ejus. Officia ejus publica.

CCLIX. REMBRANDUS de RYN,

CCLIX. REMBRAND de RYN.



Uri tantum & patre molitore natus, naturâ tamen instigante, & singulari industriâ adminiculante ad gradum artis nostrę ascendit insignem. Inchoatis autem tyrociniis Amstelodami apud Lasmannum pictorem satis celebrem, eò usq; progrediebatur, ut nihil quasi eidem deesset, nisi quod Italiam & alia loca, ubi Antiquitates artisq; theoria addisci possunt, non adiisset: præsertim quod ne legere quidem, nisi Belgicæ saltem literas simpliciores, didicisset, ut è libris parum haurire potuerit auxilii. Undè consuetudinem suam semel assumtam continuò retinebat, ipsas artis nostræ Regulas fundamentales, de Anatomia & symmetria artuum humanorum, de Prospectiva, de usu statuarum antiquarum, de Diagraphicâ à Raphaële exculta & judiciosâ pingendorum dispositione, imò ipsum Academiarum ad culturam Professionis nostræ summè necessariarum usum impugnare nihil veritus, id unicum cum contradictione cœterorum omnium prætendens, solam naturam eandemque simplicissimam, omissis regulis omnibus aliis, sectandam. Undè pro re natâ omnem lucem umbramve, omnesq; rerum omnium circumscriptiones, quamvis Horizonti contrarias, ipse tamen approbabat; mòdò, prout ipse opinabatur, rem ipsam decorè & propriè referrent. Ut autem hæc imaginum ejus circumscriptio correcta satis atq; emendata videretur, ad evitandum errandi periculum, extremas lineas obscurâ quadam nigredine hac ratione opplebat, ut nihil ex omnibus, nisi concentum universalis Harmoniæ desideraret: in quâ sanè omnibus modis excelluit, ut naturæ simplicitatem non modò in se accuratè exhiberet, sed colore quoque naturali vigore efficaci, & elevatione validâ exornaret, præsertim in imaginibus dimidiatis, senumq; vultibus: quin & in picturis minutis, vestibus elegantibus, argutiisq; aliis; quamvis hæc omnia sine Regulis depromeret.

Proprias sibi adinvenit artis regulas.

Præterea manu suâ ære roso multa effiguravit deindè publici juris facta, ut satis appareat, eundem Virum fuisse magnæ industriæ & indefatigati laboris: Undè fortunæ quoq; bonis haud erat infelicior, ut non paratam saltem possideret pecuniam plurimam, sed domum quoq; suam Amstelodami innumeris ferè pueris, optimatum plerumq; filiis in informationem sibi traditis repleret, qui singuli annuatim centenos ipsi numerabant florenos; præter emolumentum aliud, quod è venditis tyronum suorum picturis & figuris chalcographicis obtinebat, quod ad bis mille & quingentos quandoq; florenos sese extendebat, unà cum his, quæ propriâ manu suâ quotannis lucrabatur. Certoq; certius est, si ad digniores sese applicuisset, rebusq; suis meliùs prospexisset, eum divitias suas adhuc uberiùs amplificare potuisse. Quamvis enim prodigus haud esset, autoritati tamen suæ parum nimis consulebat, ad viliorum solummodò familiaritatem semper adspirans, undè fortunam quoque haud parum passus est retrogradam.


Divitiæ ejus.

Hæc tamen laudum ejus est palmaria, quod colorum naturam propriam prudenter admodum & artificiosè infringere, iisdemq; dehinc veram atq; vividam naturæ simplicitatem cum optimâ vitæ Harmoniâ in tabulâ exprimere sciverit: quo ipso omnibus illis aperuit oculos, qui ex usu suo quotidiano Tinctores potius dicendi sunt, quàm pictores; cum duriora illa & crudis-

IOHAN TORRENTIUS AMSTELRODAMENSIS



WENDELINUS DIETERLINUS ARGENTORATENSIS.



MM


MATTHÆVS GVNDELACH HASSO-CASSELLAN.



ELIAS HOLL AUGUSTANUS.



SVSANNA MAYRIN AUGUSTANA.



IOH VLRICH MAYR AUGUSTANUS.



G. A. Wolfgang f.

Verum colorũ usum pictores docet.

sima colorum genera aspero nimis ferocique nexu combinant, ut nullam planè habeant cum naturâ proportionem, pyxidibus potius coloribus refertis inq; taberna mercatoria expositis, vel pannis coloratis ex officinâ tinctorum recenter extractis similia. Cœterum magnoperè quoq; delectabatur technicis variis, sivè picturæ essent, sive diagraphica, sive chalcographica, vel rariora alia qualiacunq;, ut mitræ itinerariæ; cataphractæ veteres; instrumenta antiqua, vestesq; similes, quæ omnia, juxta illius opinionem, optimæ veræque essent Antiquorum reliquiæ: undè magnam rerum talium possidebat copiam, insigni ad illas curiositate raptus: quam ob causam à pluribus, ad ulteriora non penetrantibus, magni æstimatus est, contradicentibus interea prudentioribus.

Modus ejus pingẽdi.

In picturis suis Artifex iste parum adhibebat luminis, exceptis locis intentionis suæ præcipuis, ubi luminis umbræq; concentum artificioso copulabat nexu, unà cum reflexione debitè proportionata, ita ut lumen ejus magno cum judicio inter umbras retrocederet, colore interea quasi fervido, ut undiquaq; magna elucesceret prudentia. In effigurandis senum vultibus, nec non cute atq; pilis magnam ubivis industriam, patientiamq; & peritiam ostendebat, ut vitæ ipsi simplicissimæ quàm proximè accederent. Pauca tamen antiqua, Poëtica & similia figmenta sive allusiones, vel rariores historias; sed simpliciora plerumq; nec profunda meditatione egentia, imò potius ipsi soli arridentia & facilia picturæ objecta pingere solebat, quamvis omnia argutiis ex ipsâ naturâ resultantibus plena. Mortuus autem est Amstelodami, filiumq; post se reliquit, qui pariter in arte hac egregiè exercitatus esse dicitur.

CCLX. CAROLUS SCRETA Pragensis,

CCLX. CAROLUS SCRETA.

Postquam in ætate suâ juvenili ad vitam educatus esset omni morum probitate conspicuam, ad artem pictoriam dehinc applicabatur; cujus præcepta fundamentalia, vi innatæ sibi laboriositatis tam profundè mox imbibebat, ut in tenerâ adhuc ætate magnâ tamen jam laude dignus judicaretur. Cum autem sanguinolenta Mavortis arma è patria ejus quicquid pacificum esset, adeoq; Musas quoq; & artes procul fugassent, ipse ad majorem quoque adspirans studii sui perfectionem, in Italiam discedens, Venetiis per aliquot annos laudabiliter ita degebat, ut omnia inibi memorabilia, quoad ejus fieri posset, in usum suum converteret; nec sibi tantum egregium artis colligeret thesaurum, sed ex his quoq; opibus varias graphicophilis imagines, historiasq; satis delectabiles

Venetias venit.

communicaret; quas expresso undiq; affectu naturali, inventione decorè delineata, pingendi modo optimo, levatione artificiosa, & coloribus verissimis exornabat, ut hæcce illius opera ambitiosè efflagitarentur, numerato pro illis pretio satis splendido, in perpetuum famæ artificis nostri laboriosissimi incrementum.

Bononiamque & Florentiã atque Romam; undè Pragam redit.

Urgente autem perpetuô animum ejus anxioq; ad ulteriora hujus artis desiderio Bononiam abibat atq; Florentiam, inq; Academiis istorum locorum peritiam suam insigniter locupletabat. Anno autem 1634. ad nos Romam quoq; veniebat, ibiq; continuatâ laborum sedulitate ad tantam properabat perfectionem, ut divitem se satis æstimaret, pro reditu in patriã, in quâ copiæ suæ cornu effunderet. Exceptus autem ibidem ab agnatis & technophilis, nobilissimam artem nostram in extremo contemtæ vilitatis barathro demersam, & ex Urbe Pragensi quasi exulem reperiebat; unde manibus pedibusq; in id intendebat, ut operibus eandem clarissimis iterum elevaret, detersaq; è vultu ipsius spurcitie isthac squalida, in pristinam restitueret sedem atq; existimationem; quod pro voto etiam eidem succedebat, & ita quidem, ut ipse simul ob morum civilitatem virtutumque culturam omnigenam apud quoscunque omnium statuũ amorem mereretur & honorem eximium.

Opera ejus.

Prolixa omnium operum ejus enarratio studium brevitatis in hoc opere nimium quantum disturbaret, undè id saltem referimus, picturas ejus, historias plerumque fuisse megalographicas, & viventium icones, quæ omnes apud illius Provinciæ primores magni fuerunt æstimatæ, prout exempla illarum extant plurima Pragæ in templo S. Nicolai, in latere minori in templo D. Thomæ; & S. Wenceslai: in Neapoli ad D. Stephani fanum; in templo Laicorum, in æde S. Martini, Salvatoris; in Collegio Patrum Societatis Jesu: Sic & in cœnobio Königsalensi, item Plassensi: nec non Leuteritiæ in templo Episcopali, ad S. Laurentii Melniciani, pluribusq; in locis aliis: è quibus omnibus sufficiẽtissimè apparet, Artificem nostrum non theoreticũ saltem fuisse universalem, sed Practicum quoque peritissimum, qui naturam in omnibus secutus sit simplicissimè: undè tanta quoque eidem laus enata fuit, ut quicquid ab optimatibus desideraretur, & majoris esset ponderis, ad ipsum deferretur. Quam ob causam haud abs re quis dicere posset, secretiorum harũ scientiarum possessorem Scretam, alterum in Cæsareo hoc Musafarum Parnasso fuisse Apellem, è cujus cerebro præcipuæ Conclusiones atq; Emblemata, (qualia in antiquissima hac Universitate eduntur plura, quàm ullis in locis aliis) pronasci solerent; cum argutissimæ

ejus inventiones chalcographis ad varias anſam ſufficientem præberet editiones. Peractis autem deniq; laboribus plurimis, curſuq; vitæ virtutumque laudabiliter emenſo, anno ætatis 60 Pragæ ex hac vita diſceſſit, dolentibus immenſum technophilis omnibus: nos autem in immortalem nominis ejus memoriam iconem ejus tabulâ noſtrâ O. O. exhibere voluimus.

CCLXI. JOHANNES HEINRICUS SCHOENEFELD Auguſtanus,

CCLXI. JOHANNES HEINRICUS SCHŒNEFELD.

IN Imperiali quidem Urbe Biberacenſi 23. Martii anno 1619. Patre illius loci Conſule, & Majoribus nobilitatis ſplendore conſpicuis prognatus fuit; artem autem Memmingæ didicit apud Johannem Sichelbeinium: â quo Stutgardium, Baſileam, & alia in loca Germaniæ ſeſe contulit, ubi poſt lapſum paucorum annorum maturè ſatis in ipſo apparuit, brevi fore, ut peritiſſimus in hac arte evaderet magiſter; cum id quod alii magno addiſcerent labore multoq; temporis uſu, ipſi quaſi ſpontè allaberetur. Abhinc in Italiam profectus, factis non ſtatuarum ſaltem ſive antiquarum Romanarum ſive modernarum, ſed & picturarum apographis politiſſimis, tantam peritiæ ſuæ ſuperaddebat incrementum, ut Mecænas ille omnium bonarum Artium Princeps Urſinus, (qui ſemper è ſtatuariis atq; Pictoribus optimos quosq; domi alebat;) eundem ad ſe reciperet, ubi majorem adhuc nanciſcebatur anſam rariſſima quævis delineandi, quod tam indefeſſâ quoq; perficiebat induſtriâ, tantamq; in ipſo pariebat peritiam, ut apographa hæc non aliundè, quam è propriâ ipſius inventione pronata viderentur.

Modus ejus pingēdi.

Penicilli ejus promtitudinem Gratia comitabatur ſingularis, quæ quamvis magnam rei pictoriæ partem exhauriat, non cuivis tamen ſeſe aſſociat, cum Schönfeldio noſtro nupſiſſe omninò videretur: Eadem enim adjuvante Imagines elaboravit plurimas viventibus quantitate pares tam Sacras, quàm profanas; ſed dimidiatâ viventium magnitudine quaſi innumeras; & præterea hiſtorias quasdam ſerias fabulasq; poëticas, Alluſiones item & Paſtorum amores ſingulares. Excitatiſſimum ſiquidem ejus Ingenium obruere videbatur admirabili quodam optimarum inventionum torrente manum illius velociſſimam, ut opera ejus paſſim in Germaniâ ſuperiore apud Electores Principesq; Imperii alios, quin & apud technophilos privatos id abundè teſtantur, quæ omnia figuris humanis pulcherrimis, animalibus rarioribus, ruinis antiquis, tractibus campeſtribus elegantiſſimis, portubusque marinis plena, omnibusq; arti noſtræ Regulis ſummo cum decore conformia ſunt.

Ut autem in ſpecie quædam tangamus; illius manu elaboratæ ſunt picturæ lacunaris Anticameræ Electricis Monacenſis hiſtoriæ plurimæ; deindè huc pertinent ſedes Archiepiſcopalis Salisburgenſis; Tabulæ altarium majores plurimæ in templis Oenopontinis, & Lugdunenſibus: Deindè Auguſtæ Vindelicorum, in templo S. Crucis recenter extructo tabulæ duæ majores, quarum altera eductionem Chriſti ad crucem; altera ablationem ejus à cruce, figuris optimis & ordine laudatiſſimo refert: Porrò in templo Diſcalceatorum ejusdem magnitudinis tabula judicium exhibet extremum, ubi Angelus quidam catenis vinctum detinet Satanam: Sic in Æde Dominica D. Virgini Sacrâ altaria quædam ipſius manu picta extant: ut & apud Dominicanos tabula quædam altaris, D. Virginem cum filiolo, Sanctaq; Annâ continens: item Chriſtus in doloribus proſtratus naturali affectu quàm accuratiſſimè expreſſus. Similiter apud hæredes Marci Antonii Ieniſchii Conſulis illius loci gravisſimi & Graphicophili maximi, (qui haud ita pridem, cum inſigni totius illius reipublicæ dolore obiit,) opera quædam illius inveniuntur unius quantitatis, ſummâ cum laude expicta, quorum unum hiſtoriam Hannibalis refert, Patri ſuo Amilcari jam ſeni in templo quodam poſitis genibus juranti, ſe Romanorum hoſtem tam vivum quàm mortuum permanſurum. In alio Dianæ Sacra fiunt, adducentibus varias victimas Nymphis. In tertio Serpens exhibetur Cadmi, quem hic ob devoratos ſocios lancea transfodit. Quartum Gigantomachiam repræſentat; Quintum Bacchanalia, Nympharum aliarumq; Bacchantium imaginibus plena. Tandem Artificis noſtri laudem mirum in modum quoq; deprædicat certamen Hippomenis & Atalantæ, juſſu Nobilisſimi Senatus Auguſtani ab ipſo haud ita pridem depictum, & ſpectantium non minus varietate, quàm mirè juxta omnes artis Regulas undique diffuſa elegantia conſpicuum.

Opera ejus.

Quamvis autem illapſi jamjam ſenii tædia Artifici noſtro haud parum diminuant vires corporis, artificioſa tamen illius manus nulli adhuc ſuccumbit moleſtiæ, ut non tantum quotidiè adhuc operibus quibusdam pulcherrimis operam navet, ſed & aurifabris, pro operibus illorum, ſolo Auguſtano nomine celebratisſimis, inventiones elegantisſimas plurimas ſuppeditet: qui frequenti etiam conſortio ſplendorem ab iſto Artis lumine ſibi hauriunt, ejusq; familiaritate delectantur: præter quæ ſtudia ad alia quoq; negotia vix diſtenditur, huic ſuæ vocationi ſedulò vacans

unicè, ut pro gloriâ artis nostræ abhinc bona adhuc speremus insignia alia.

CCLXII. SUSANNA MAYRIA, Pictrix Augustana,

CCLXII. SUSANNA MAYRIA.

JOhannis Fischeri, de quo præcedenti capite fusius diximus, filia. Sicut enim fruticulus quidam floridus non flores tantùm hortulano porrigit, sed & surculos transplantationi aptos, qui loco veterum usui deinceps sint viridario: sic Fischerus iste similem patriæ reliquit surculum, Susannam hancce, non artis minùs quàm virtutis paternæ æmulam: quæ prout à teneris omnia statim tractavit fœminina studia, sic maturè satis diagraphicæ quoque operam dedit, inq; ea ingenii argutissimi ductu, gradus assecuta est haud exiles. Proq; istorum specimine, non acu saltem varia juxta diagraphices Regulas pingere solebat; sed forfice quoq; è membrana albicante opusculum exscidit pretiosissimum atq; artificiosissimum, cujus laudes calami longi superant vires. Referuntur autem scissuris istis venationes variæ, tractus campestres amœnissimi & chorea Israëlitarum circa vitulum aureum; ubi unius palmæ magnitudine segmentum arbusculas exhibet plurimas ramulis atq; foliis distinctissimis undiquaq; distentas; nec minus imagunculas symmetriâ optimâ exsectas, quarum maximæ parvam vix mole adæquant muscam: quodq; mirandum magis sic undiq; instituto opere, ut portio exsecta remanserit integra, adeoq; duplex semper scissura unica prodiret typus; quod operandi genus neminem adhuc habuit imitatorem, nec habiturum fortè est unquam, ut hæc ipsa laudem hanc obtineat sola, artem prædictam cum ipsâ natam esse atq; mortuam.

Artem pictoriam optimè callet.

Porrò autem penicillo quoq; arrepto, quantum negotia ejus admittebant domestica (postquàm scilicet Christophoro Georgio Mayrio Mercatori spectatissimo nupsisset) picturas eadem elaborabat varias non judiciosas minùs quàm elegantes. Quâ arte nobilissima similiter in statu viduitatis suæ delectata est unicè, ut in septuagesimum quartum usq; ætatis annum picturæ illam haud caperet tædium: Sic etenim cum uxor mea dilectissima mecum eandem visitaret tum jam graviter satis ægrotantem, penicillum à nobis tractare deprehensa est, Vanitatis emblemate colore oleario inventione argutissimâ depicto: In quo etiam laboris genere tam diu perseveravit, donec eodem anno ibidem fatis concederet, immortalem haud immeritò ob tot vitæ optimæ & virtutum immortalium specimina promerita gloriam; cujus fomentandæ gratia effigiem quoq; illius tabulâ nostrâ M. M. exprimere voluimus.

CCLXIII. JOHANNES UDALRICUS MAYER Augustanus,

CCLXIII. JOHANNES ULRICUS MAYR.

SUsannæ prædictæ filius materno quasi lacte pingendi amore assucto, ex ephebis vix excesserat, cum fundamenta jam artis Augustæ feliciter poneret. Quod autem in patriâ desiderium hoc suum pro voto exsatiari haud posset, in Belgium ad celeberrimos illos artifices Rembrandum & Jordanum sese contulit, ibidemq; picturis quibusdam historicis elegantissimis de Josepho somniorum interprete in carcere Ægyptiaco; de Fuga Christi cum parentibus in Ægyptum & similibus, primos futuræ gloriæ suæ carptim collegit flores: cum omnes periti artis in laboribus ejus similitudinem naturæ plenissimam, coloris veritatem omnimodam, temperaturæ harmoniam universalem, splendorisq; luminosi vim legitimam deprehenderent.

In Belgium venit.

Sed nec hoc ipso contentus erat juvenis iste noster tantæ spei, quin potiùs ipsissimam assecuturus perfectionem in ista professione Angliam petebat; cumq; singulari ardore ad picturas ferretur iconicas, his quoq; omnes impendebat ingenii nervos, nec laboribus hîc nec argutiis parcens, ut famæ ejus celebritas indies magis magisq; sese distenderet. Abhinc autem porrò in Italiam profectus, quasi in floriferos vernante anno campos sedula advolasset apis, tot intra memoriæ dulcissimum alvear excoctæ artis recondebat favos, quot refocillandæ universæ sufficerent Germaniæ. Undè in patriam redux, non inibi tantùm, sed circumcirca sub nomine pictoris iconici singularis confestim inclarescebat: ex quo Viennam evocatus Romani Imperii Monarcham, unà cum Imperatrice viduâ, aliisq; Serenissimæ istius familiæ Archiducalis membris, effigiebus exhibebat quàm simillimis, & artificiosissimis, non omisso etiam Leopoldo Wilhelmo Archiduce, omnium bonarum artium Parente potius quàm Fautore gratiosissimo: pro quibus omnibus non prœmia saltem accipiebat dignissima, sed numismatibus quoq; Cæsareis mnemonicis, aureisq; torquibus, è singulari gratiâ ditescebat.

Ob iconũ picturas celebratur.

Dehinc, ut ad ulteriores ipsius laudes celeri pergam gressu, icones quoq; confecit plerorumq; Germaniæ Electorum, nec non Principum, Comitum, Magnatumque utriusque sexus plurimorum, felicissima manu suâ immortalitate quasi singulos donando. Quibus variæ accedunt effigies aliæ tam in Comitiis, quàm in Urbibus diversis ab ipso elaboratæ, inter quas etiam Norinbergæ technophili illius maximi Domini Winkleri icon lateralis, ejusdemque conjugis & agnatorum plurimorum; nec non è primoribus diversorum aliorum; & Augustæ Vindelicorum similium tanta co-

Opera ejus.

pia, ut vix reperiatur familia quædam alicujus nominis, in quâ non icones conspiciantur ab ipso confectæ elegantissimæ: quæ etiam adhuc quotidiana illius sunt studia, non laudibus saltem innumeris, sed donis quoq; magnificis eundem cumulantia. Interea tamen indefatigata illius industria etiam in aliis picturarum generibus minimè deficit: prout in templo D. Jacobi Augustæ Vindelicorum imago quædam Christi ab ipso facta conspicitur quasi stantis expolitissima, ut & duodecim Apostoli, vultibus omnes verissimis. Sic in templo S. Crucis in tabulâ quâdam majore resurrectionem Domini depinxit, in quâ peregrina thoracum ferreorum genera vestesq; vigilum nativis simillimæ singulare merentur encomium, ut peritorum quilibet, etsi exiguum alias operi huic allabitur lumen, satisfactione tamen non careat.

Et quemadmodum Græcorum quidam inter antiquos immortalem propterea assecuti sunt gloriam, quod vel aves, vel animalia quædam alia picturis suis decepissent; ita hic noster artifex non minori dignus est laudum gradu, quod pictâ ante aliquot annos fenestrâ quadro suo inclusa, eidemq; appendente theca pectinaria, cum forficibus, calamis, & epistolis spectatores fefellerit plurimos, qui reculas has omnes pro realibus palpaverint. *Dotes animi & corporis.*

Et ut brevissimum quoddam laudibus ejus annectam apiphonema; non labore tantùm est indefessus, sed civilitate morum cuilibet gratissimus; & ut ingenio pollet judicioq; singulari, sic & otia vitat & negotia non necessaria; undè spes est technophilis omnibus, eum opera adhuc producturum gloriosa alia plurima, quibus ex alto benedicat cœleste Numen, annosque eidem largiatur sanitate felices, & prosperitate eum cumulet desiderabili qualibet. Iconem ejus in tabulâ nostrâ M. M. spectare poterit benevolus Lector, votumq; eidem faustissimorum progressuum acclamare haud dedignetur.

CCLXIV. JOHANNES SIGISMUNDUS MULLERUS Augustanus,

CCLXIV. JOHANNES SIGISMUNDUS MULLER.

Viridarii Artis nostræ Augustani frutex & ipse floridissimus à patre, qui cultor pariter erat rei pictoriæ gnarissimus, & quamvis autodidascalus esset, multis tamen operibus pulcherrimis clarus, à teneris statim ad genuina istorum studiorum fundamenta applicabatur, ut his ritè positis, regularis Picturæ structura eò commodius in ipso erigi posset.

Tyrocinia ejus. Inter alia igitur honestioris educationis exercitia, cùm huic futuræ suæ professioni primariò invigilaret, inq; ea non promtitudinem solùm, sed & habilitatem præ se ferret extraordinariam, à patre anno ætatis decimo septimo ad me Amstelodamum mittebatur, ut naturalem ejus ad hæc studia inclinationem ei magis excitarem, acuendoq; judicium ejus ad ulterioris perfectionis tramitem eundem deducerem. Cum igitur singularem in ipso deprehenderem tranquillitatem animi & comitatem morum gratissimam, eundem in ædes meas recipiebam, ut genio ejus paratissimo manuductione necessaria eò magis succurrerem: undè frequenter visitando Academiam nostram mox in diagraphicis excellebat, & porrò adhibitâ diligentiâ indefessâ apographa faciebat tabularum majorum historicarum viventium magnitudine pictarum elegantissima.

His igitur studiis per quinquennium partim in Hollandiâ, partim in Germaniâ continuatis, ad acquirendum majoris peritiæ thesaurum, in Italiam pergebat: ubi Venetiis primò inspectis operibus illius Urbis variis gloriosissimis, formicæ instar per aliquot annos tantum sibi coacervabat annonæ pictoriæ cumulum, ut futuro tempore egestatem haud amplius metueret. Abhinc porrò Florentiam sese conferebat atq; Romam, consideratisq; summâ cum voluptate statuis Antiquis, insatiabilis quasi erat operum Raphaelicorum, & aliorum tam antiquiorum quàm modernorum; quorum apographa faciebat dignissima. In specie autem Ædificia Italiæ magnificentissima magno perlustrabat cum emolumento, quod & ad Architecturæ studia summoperè propenderet, circa quæ faventem singulariter sibi expertus fuerat naturam. Dehinc ulteriùs & Neapolin proficiscebatur, congestis & ibidem quæcunq; judicaret memorabilia. Romam autem iterum redux artificia illius Urbis repetendo ruminabat, ut eò profundiùs illa memoriæ suæ pro futuro quolibet usu imprimeret. Ubi simul & Academias indefatigabili visitabat sedulitate; & conversatione suâ jucundissimâ tantum sibi apud Nobilitatem Romanam aliosq; illius loci Magnates conciliabat amorem, ut libentissimè eundem secum detinuissent, nisi instantibus cognatorum desideriis potius obtemperandum ipsi fuisset, vinceteq; patriæ amore voluptatibus amœnitatum Italicarum valedixisset. *Iter ejus Italicum.*

Augustam igitur regressus, cœlibatuque in matrimonium transmutato honestissimum, è ditissimo copiæ sui cornu varios mox proferebat itinerum suorum fructus, ut ab artificiosâ manu ejus partim icones prodirent analogæ veritati quàm maximè, partim tractus subdiales elegantissimi naturamq; amœnitate superantes, partim historiæ insigni colorum decore speciosæ, quæ omnia ob necessarium brevitatis studium enarrari non possunt. Ut autem *Opera ejus.*

paucula

paucula saltem tangamus, quatuor illa in templo Evangelicorum ad S. Udalricum locata ipsius opera satis testantur de lepiditate Artificis sui in imaginibus minutis: ex adverso autem in templo S. Jacobi, quæ supra utramq; portam erectæ sunt imagines, Johannis nimirum Baptistæ, & conscribendis quasi epistolis occupati Pauli Apostoli, de arte figurarum viventium quantitatem æquantium pro autore testimoniũ perhibent luculentissimum, cum omnia spiritus & caro videantur atq; vita, ut simul & differentia senii & ætatis virilis unà cum argutiis aliis plurimis egregiè elucescat. Eandem pro sese requirunt laudem viventium statura pariter expicti S. Benedictus, Maurus & Placidus, quorũ tabulas Graphicophilus ille insignis Abbas Lampacensis possidet.

Specimen Architectonicum. Sed & Architecturæ haud vilius edidit specimen, in renovando antiquæ illius Societatis Musico-poëticæ theatro, quod ad illius ideam Italorum more non ampliore saltem, sed & commodiore & ornatiore statura sic extructum est, ut aliquot Auditorum centuriæ pro statuum diversitate locari queant; quo invento Deliciæ hæ musicæ theatrales Augustanæ hebdomadales mirum in modum promotæ fuerunt. Quamvis & in aliis consilia suppeditet ubivis prudentissima, &, quod inter laudes ejus minimè reticendum, continuati Augustæ Vindelicorum Parnassi Academici pictorii, ipse pariter causa sit unica.

Honores ejus. Cum igitur Müllerus hicce noster in omni opere suo viri non tantùm expediti, sed & prudentissimi adimpleat munia, istisq; qualitatibus suis optimis, scientiâ variarum linguarum, & conversationis amœnitate non civium saltem quorumvis, sed ipsius quoq; Magistratus, in sese pertraxerit amorem, hinc à superioribus hisce suis è conclavi suo pictorio ad officia assumtus est honoratiora, ut Assessor nunc sit judicii Urbani, & matrimonialis; ubi, præter amorem Summorum, honorem experitur inferiorum, & ab omnibus ob istum virtutum suarum cumulum magni æstimatur; cui divina Benignitas benedictionis quoq; supernæ abundantissimum superaddat cumulum, ut in pleno sanitatis statu senio fruatur tranquillo, manuq; suâ perfectissimâ artis nostræ gloriam ulterius promovere haud cesset.



CAPUT. XXIII.

CLAUDIUS GILLIUS,

& pictores adhuc alii, viginti & unus.

Argumentum.

CCLXV. CLAUDIUS GILLIUS, aliàs Lotharingus, pictor: Pictor evadit artocreatum: ad Augustinum Tasum venit pictorem Romanum: modus illius discendi artem: vita ejus civilis: Opera ejus: imagines pingere bonas non potest: Opera ejus albarii recentis: horæ ejus matutinæ & vespertinæ: Opera ejus pro schola inservire queunt, omnibus subdialium pictoribus. CCLXVI. JOSEPHUS WERNERUS Bernensis, discipulus est Matthæi Mariani. In Italiam venit: operibus gummatis incumbit: in Galliam venit: opera ejus ibidem confecta: domicilium sibi eligit Augustæ Vindelicorum. Sponsæ Cæsareæ iconem conficit: encomium ejus. CCLXVII. DAVID KLOEKNERUS, pictor Suecicus Regius: autodidascalus est: ad Reginam Sueciæ venit, & dehinc in Italiam: in Sueciam vocatur, ut picturis aulicis præsit: modus illius pingendi. CCLXVIII. CARPOPHORUS TENCHALA Bissonensis pictor: picturam albarii recentis, jam quasi emortuam penitus, in lucem iterum producit: Opera ejus Lampacensia: opera illius alia: modus ejus pingendi. CCLXIX. JACOBUS JORDANUS Antverpiensis: Antverpiæ manet, nullo facto itinere: Opera ejus: cum Rubenio de prærogativa certamen init: colorum oleariorum pictor usu aquariorum sibi ipsi nocivus est. Adhuc alia opera ejus. CCLXX. ERASMUS QUELLINUS Philosophus & pictor Antverpiensis. CCLXXI. N. BEMMELIUS Ultrajectanus: opera ejus Augustæ Vindelicorum & Norinbergæ admodum celebria sunt. CCLXXII. JOHANNES PAULUS AUERUS, opera ejus. CCLXXIII. HEINRICUS POPPIUS Norinbergensis. CCLXXIV. GEORGIUS CHRISTOPHORUS EIMERT. CCLXXV. N. ERMELIUS Norinbergensis. CCLXXVI. JOHANNES SCHREIBER Frisingensis. CCLXXVII. JOHANNES de SANDRART Francofurtanus.

nus. CCLXXVIII. N. SPIELBERGER *Hungarus.* CCLXXIX. HEISS *Memmingensis.* CCLXXX. MICHAEL HERR, *Norinbergensis.* CCLXXXI. ELIAS GOEDELER, *pictor & Architectus.* CCLXXXII. MOREELIUS *pictor Francofurtanus.* CCLXXXIII. JOHANNES ANDREAS GRAVIUS *pictor : uxorem ducit Mariam Sibyllam Merianam, pictricem florum artificiosissimam : eadem & acu flores pingit naturales admodum & veris simillimos : ære roso eosdem exprimit.* CCLXXXIV. ANNA MARIA PERINTIA, *plasticam cerariam exercet : rursus adinvenit A. Abondii modum ceras colorandi.* CCLXXXV. N. LEMBKIUS *præliorum pictor.*

CCLXV. CLAUDIUS GILLIUS, aliàs Lotharingus,

CCLXV. CLAUDIUS GILLIUS, alias Loraines.



A Patria cognominatur, è tenui satis principio & scientiâ valdè mediocri, ad tantam in arte pictoriâ ascendit gloriam, ut laudes ejus universum quasi peragraverint orbem: Hic cum in scholam primò, ut literas pingere disceret, mitteretur, ibidemq; parum, imò nihil ferè proficeret, à parentibus suis in disciplinam tradebatur pictori cuidam artocreatum: cumq; in hoc opificio quædam addidicisset, cum pluribus sympatriotis suis ejusdem professionis Romam proficiscebatur, cum ibidem semper aliquot centuriæ coqui & artocreatarii degant Lotharingi. Cum autem linguæ Italicæ omniumq; civilitatum imperitùs esset, adeoq; servitium aliquod commodum habere non posset, pictor tandem quidam, ingeniosus satis, & quamvis podagræ malo sæpiùs vexatus, pluribus tamen ob genium hilarem acceptissimus, cui nomen Augustinus Tasus, eundem ad se recipiebat: cumq; hic in conclavibus Cardinalium pro ornamentis suprà tapetes multas picturas Architectonicas, ut Zophoros & similia haberet quæ pingeret, item opera quædam optica, & alia eidem hinc inde elaboranda essent, unde propter hæc & alia negotia sæpiùs equo peregrè abire, diversisq; in locis commorari cogebatur; hic Claudius Gillius culinæ ipsius totique rei œconomicæ intereà prospiciebat, curato simul equo, mundatisque ubique mundandis; terendo itidem colores, & expurgando axiculum & penicillos; quod præter Bonam rem suam, quo nomine compellare solebat pallacem suam, domi suæ aliàs neminem sustentaret.

Artocreata pingere discit.

Ad Augustinum Tasum venit pictorem Romanum

Inter hæc ministeria igitur, consulente & informante eum Patrono, Prospectivæ operam dabat; cujus regulas cum statim imbibisset, diagraphicæ quoq; studere incipiebat; cum autem difficultates hic reperiret nimias, ut nec elegantiæ nec decori locum dare ullum posset, prioribus libentius inhærebat; paucisq; in annis tantopere proficiebat, ut proprio instituto domicilio subdialia ædificiis exornata pingeret; quæ tamen, quod tanti etiam non essent, eo viliori vendebat pretio, parsimoniæ eò tenacius studens. Multo tamen fervore magnoq; studio in id incumbebat, ut vera artis attingeret fundamina; quare ad intimiora naturæ adyta penetraturus ante diluculum jam in ipsam usq; noctem in campis hærebat, ut auroræ status varios, solisq; ortum & occasum, unà cum horis vespertinis juxta verum naturæ exemplar depingere disceret: cumq; modò hoc modo illud in campo benè considerasset, eodem colore statim pigmenta sua distemperabat, domumq; cum iis recurrens, operi illa proposito multò majori applicabat veritate, quàm ullus ante eum fecerat alius: quo difficillimo & molestissimo discendi genere multos insumebat annos, quotidiè in campum excurrens, viamque tam longam citra tædium regressus: donec aliquando Tibure intra rupes me offenderet asperrimas, apud cataractas illas nobiles, penicillum manu tractantem, & ad nativa prototypa non imaginationis & inventionis vi, sed naturâ ipsa suggerente varia pingentem; quæ tantoperè ipsi placebant, ut simili dehinc insisteret methodo, & postmodum laboriositate indefessa & pertinacia invincibili in imitanda quoad tractus subdiales natura eos usque pertingeret, ut subdialia ejus à graphicophilis anxiè exhinc conquirantur, caro pretio coëmantur, in loca varia transmittantur, & quantumvis primitus minimi æstimata, dehinc tamen centenis & ultra coronatis aureis divendantur, ut licet sedulus admodum labori incumberet, sufficientem tamen illorum copiam producere non posset.


Methodus addiscendi artem.

Cumq; Prospectivæ regulas ex amussim calleret, duriores colorum rigores sic infringere atq; temperare noverat, ut pristina non amplius materia, sed res eadem ipsa, quæ effiguranda erat, superesse videretur: & quia nullo unquam superabatur tædio, rei unicæ sæpè tamdiu inhærebat, donec id resultaret, quod memoria ejus locupletissima ex ipsâ rerum naturâ & essentia quasi affluxerat, unde omnes subdialium pictores eundem dehinc imitati, pro regula sibi præscribebant, laudibus ejus ad sidera quasi evectis.


In vitâ civili autem aulicis quidem haud adeò fucatus erat civilitatibus, beneficus tamen & candidus gaudiumque nullum quærebat aliud, quàm quod è suâ prona-

Vita ejus civilis.

NN













R. Collin Sculp. Antv.

ſceretur vocatione: unde amore nos invicem proſequebamur mutuo haud levi, Romæq; contubernii jure diu utebamur; ut & in campo juxta ipſiſſima naturæ prototypa creberrimè pingendi inſtitueremus ſocietatem. Verùm enimverò quemadmodum ego rupes ſaltem exquirebam ſingulares, ſtipites arborum extantiores, ramorum comas magis frondoſas, cataractas undarum, ædificia & ruinas majores & pro complemento picturarum hiſtoricarum magis mihi idoneas; ita ex adverſo ille minori ſaltem pingebat forma, quæque poſt ſecundum longius diſtarent fundum, & verſus Horizontem diminuerentur, cœlumque verſus vergerent, inq; his mirus revera dici poterat artifex: Unde ſæpiùs inſtituto permutationis contractu ſic agebamus, ut ſubdialia illius minora Ego, & majora mea ille reciperet. Ubi inter alia mihi conceſſit horam quandam matutinam, in quâ diſtinctiſſimè perſpicere licet, quâ ratione Cœli lampas per bihorium quaſi ſupra Horizontem elevata, aëreas diſpellat nebulas, roremq; ſupra undas extrahat, immixto ſenſibiliter undiquaq; ſplendore ſuo; qui debitâ proportione per campos ſic allabitur, ut tam gramina, quàm frutices & arbores nativo promicent lumine, umbellisq; & luculis naturalibus omnia, ſive aprica ſive reflexa illuſtrentur irradiatione, in auras aſſurgant: quaſi ipſa cujusvis rei diſtantia ſingularem præ ſe ferret proportionem, & natura ubivis ſeſe offerat ferè vivâ. Undè haud absq; ratione Dominus Adrianus Pau Amſtelodamenſis abituro mihi quingentos pro tabulâ hac ſubdiali tripalmari florenos libenter exſolvebat. Et talia longè præſtantisſima ipſe elaboravit plurima alia, ut divitias exhinc cumulaverit ingentes.

Opera ejus.

Perdurans autem in cœlibatu, patruelem quendam ſuũ ad ſe vocabat, qui totam ipſius rem familiarem, unà cum parata pecunia adminiſtraret, coloribus quoq; procuratis atq; penicillis, ut ipſe eò tranquillius ſtudiis ſuis vacare poſſet; quod utriusque commodum inſigniter promovet, cum ipſe quietus admodum ſic vivat & cura vacuus, patruelis autem hæreditatem aliquando omnium illius bonorum ſperet; & respublica adeò hæc parvula concordi adhuc tranquillitate ſubſiſtat. Quantâ autem in exprimendis naturali ſpecie ſubdialibus quibusvis Artifex hic utitur felicitate; tam infelix è contrario in depingẽdis hominibus & animalibus eſt penicillus ej⁹: quamvis dimidium ſaltem exequent more digitum: nec proficit ipſi, quod magnam in hoc picturæ genere ſimùl collocet induſtriam, interea quoq; per multos annos Romæ in Academiis juxta exemplaria viva & ſtatuas varias delineando, ſeſe exercurrit, imò majori ſtudio imagines, quàm ſubdialia tractaverit; ſemper enim illæ invitum quidpiam præ ſe ferunt. Interim tamen nec id negari poteſt, cum & in ſubdialia operam impendere quaſi immenſam, crebrisq; ſaltem repetitionibus, perquiſitionibus & emendationibus illa ad iſtam ab eo perduci perfectionem; ut circa rem unicam, integram quandoq;, imò duas inſumat hebdomadas, & vix tamen oſtendere poſſit, quid intereà præſtiterit.

Pingendis imaginibus infelix eſt.

Non coloribus autem oleariis ſaltem, ſed & in albario recente opera elaboravit clariſſima plurima; & inter alia apud Mutium Nobilem quendam quatuor parietes œci cujusdam majoris admodum altos ſic exornavit; ut primâ in parte exhiberet palatii cujusdam fragmentum, ad ſylvam quandam majorem terminatum, ubi arbores expreſſit diverſas naturali omnes quantitate quaſi veras, ſtipitem, frondes, coloremq; tam argutè juxta cujusvis ſpeciem ſingulis tribuendo, tamq; diſtinctè cunctas repræſentando, ut vento movente perſtrepere videantur. Fruticeta autem circumcirca & herbarum è terrâ pronaſcentium genera tam lepidè majorum iſtarum arborum fundum diminuunt, ut hujus beneficio pars picturæ iſtius in ſecundo pariete altera, cum priore connectatur, eodem hucusq; continuato, retentis utrinq; eâdem altitudine, magnitudine, & elongatione ab Horizonte. Pars altera autem campum refert majorem apertumq;, montibus, cataractis, arboretis, fruticetis, graminibus & herbis, viatoribus, & animalibus refertùm: & hæc omnia in tertium iterum ſeſe exporrigunt parietem; in quo montes quidam juxta portum aliquem manuum, unà cum inſtrumentis nauticis variis, multisq; in æquoris plano ventorum rabie anxiè divexatis navibus. Verſus quartum autem parietem petræ depictæ ſunt excavatæ, antra, ruinæ ædium, murorum rudera, ſtatuarumque & ſimilium fragmenta, cum feris quibusdam beſtiis: quæ omnia tanto elimata ſunt artificio, ut peritus quilibet hinc dijudicare queat, Claudium noſtrum in pingendis ſubdialibus ſummam attigiſſe laudem: fatendum enim omninò mihi, nimiâ calamum deficere imbecillitate in enarrandis illius encomiis; ut technophili neceſſariò remittendi mihi ſint ad ipſa opera ejus, partim Romæ, partim apud alios Reges & Monarchas per univerſum quaſi orbem extantia. In ſpecie autem apud Illuſtriſſimũ Dominum de Mayer Liberum Baronem hîc in Germania, in cujus technophylacio, quod Monaci eſt, ſplendidisſimo, Claudii noſtri manu elaborata exiſtit tabula quædam Auroræ tempus exprimens, in quâ exoriente nunc ſolis jubare roris hinc inde deficere incipiunt guttulæ, campiq; & arbores jucundum exoſculan-

Opera ejus in albario recente.

Omnem ſuperant laudem.

tur diei adventum ; eâ nimirum colorum demissionè naturali, qualis hoc ipso tempore in universo hujus orbis theatro reverà apparet. Sic aliâ quâdam in tabulâ, eodem in loco, extat expressio horæ vespertinæ, ubi ad occasum jamjam properans Solis lumen, rubicundo ad montium cacumina allabitur fulgore, rutilante ob exsiccantem diei calorem & æthere, & arefactis ob æstivi Solis fervores non montibus tantùm, sed & vallibus & arboretis; argutiis ad miraculum usq; memorabilibus. Sed & tertiam eodem autore tabulam prædictus Baro de Mayer confieri curabat, quæ tempus horæ secundæ pomeridianæ exhibebat; quâ ratione nimirum è stabulis iterum per rivulum quendam in pascua educuntur pecora, in campum quendam amœnissimum, arboribus, ruinis, planitie amplissimâ & montanis variè exornatum; quantum scilicet requirere potuit ipsissima naturæ similitudo: Ut hæ picturæ pro scholâ meritò haberi queant omnium subdialia pingentium, è quâ, certissimâ elucescit manuductione, quomodo vera ordinanda sit topographia, quid observandum circa Horizontis limitem, quâ ratione versus eundem omnia diminuenda, colores juxta proportionem distantiæ temperandi; horæ diei distinctè proponendæ, harmonia horum omnium retinenda, & partes anticæ propinquo & prominulo, posticæ remoto & longinquo aspectu collocandæ, quod ille incomparabili ubivis observavit curâ: undè iconem quoq; ipsius in gloriosam ipsius memoriam tabulâ nostrâ N. N. exprimere non dubitavi.

CCLXVI. JOSEPHUS WERNERUS Bernensis,

CCLXVI. JOSEPHUS WERNER.

IN his picturæ studiis eò commodiùs ad sublimia eniti potuit, quod ipse parens ejus pictor esset satis peritus, Bernæque celebris admodùm, & multis artis suæ testimoniis clarus; qui exindè hunc filium suum â tenerâ mox juventâ, ad picturam cum aliis exercitiis applicuit, propriâque manuductione fundamenta optima eidem instillavit: deindè autem in disciplinam tradidit Matthæo Meriano pictori Francofurtano celeberrimo, ut apud hunc ad opera majora coloribus oleariis pingenda adduceretur: ubi tantoperè etiam progressus est, ut non spem saltem, sed specimina jam futuræ perfectionis ederet laudatissima. Ex quo in Italiam perrexit, ibiq; omnia, quæ studio illius congrua & utilia essent, perlustravit: capto ex Urbe Romanâ (quæ revera theatrum est omnium bonarum artium,) emolumento maximo, factisq; operum artificiosissimorum apographis fidelissimis, quibus aliquot annos insumsit.

Discipulus est Matthæi Meriani.

In Italiam venit.

Quoniam autem picturæ albarii recentis & colorum oleariorum hæc est natura, ut inchoatâ semel imagine, vel corpore vel facie quâdam, opus hoc eâdem die absolvendum sit, (in priori potissimùm genere) cum materia adhuc humida est; quia materia semel indurata colores recentes non facilè admittit, sed opus omne quasi scabiosum evadit: cùm ex adverso à picturis gummatis omni cessari queat tempore: hinc ad opuscula membranacea gummata minora se convertit, inq; iis brevi tantam assecutus est celebritatem, ut opera ejus ab omnibus Principibus desiderarentur, & laudum ejus amplitudo insigniter excresceret, cum præsertim picturæ ejus à variis Principibus, Cardinalibus & Legatis Regiis in diversas Orbis partes dispergerentur.

Picturis membranarum incumbit.

Ex Italiâ Lutetiam sese recipiebat in aulam Regiam, ibidemq; varia elaborabat opera maximè memorabilia gummati generis, quæ inventiones potissimùm & allusiones erant poeticæ in laudem Galliæ Regis excogitatæ, quarum plenior enarratio nimiùm foret prolixa: ubi certissimum tamen est, eum in isto laborum genere, tàm inventione, quàm judicio & venustate omnes longè superasse alios. Præterea autem tam Regis, quàm aliorum Primatum sæpius, mirâ felicitate & similitudine, expinxit icones: & inter alia opera ejus potissimam merentur laudem illa, quæ pro Domino Quinotio, technophilo maximo, elaboravit, qualia sunt: Parnassus cum Musis, & argutissimis earundem emblematibus; Palladis imago; nec non Junonis; & Dianæ, itemq; Floræ: porrò Dido fugiens; eademq; Dido sibi ipsi inferens manus: deindè Artemisia mariti cineres potans: Amphitheatrum illud Romanum, quod vulgò Colossæum appellant: Serpens Cadmi; S. Eustachius &c. singulatim omnia summâ arte atq; industriâ expolita.

In Galliam venit.

Opera ejus.

Postmodum autem artifex iste noster in Germaniam concedens, Augustæ Vindelicorum domicilium sibi eligebat, ubi pro Rege prædicto Galliæ & pro graphicophilis aliis plura confecit opera: Cumq; & ibidem inclaruisset nominis illius gloria, Serenissima Electoris Bavariæ conjux, quæ fautrix erat istarum artium insignis, ab illo effigurari desiderabat septem D. Virginis mysteria, quæ magno cum judicio, nec minore sedulitate disposita, cum variis ornamentorum generibus brevi temporis spatio perficiebat, & tantâ quidem cum satisfactione Electricis, ut pro singulis partibus centenos eidē numerari juberet Ducatos Hungaricos. Mox eodem pingendi genere icones elaborabat technophilorum quorundam singularium, & opera minuta alia, quibus varia inserebat ornamenta mechanica, architectonica, & optica; quin & subdialia & animalia pro na-

Augustæ larem figit.

turâ subjecti, judiciosissimè omnia, ut celebritas ejus magis semper magisq; excresceret. Quapropter etiam ad conficiendam effigiem, Principissæ Archiducalis Oenopontinæ, S. Suæ Cæsareæ Majestati ante consummatum matrimonium offerendam advocatus, cum summâ eandem elaborabat satisfactione, cum pluribus aliis; pro quibus non honoraria saltem magnifica, sed torques quoq; aureos & numismata mnemonica accipiebat magni pretii.

Encomiũ ejus. In specie autem artem illius laudesque decantavit Poëta quidam Gallicus, ob Palladis cujusdam picturam elegantissimam, hisce versiculis:

La divine Pallas, dans sette autre merveille
Donnoit à ce grand homme une force pareille,
Remplissant sa pensée, e guidant son pinceau,
Quand il fit naistre au jour un ouvrage si beau.
Cette Deesse ainsi, par un pouvoir supreme
Dans l'Esprit de WERNER, se produisit soy mesme.
Et ce sage Ouvrier la fait naistre à son tour.
Et d' un pinceau fecond la reproduite au jour.

Quod encomium satis quidem in favorem ejus directum est; quamvis eundem adhuc majoribus dignum esse, opera ejus testentur. Et quia in flore adhuc vivit annorum suorum, magna sanè spes est omnibus technophilis, eum felicissimâ manu suâ in gloriam artis nostræ perpetuam, adhuc plurima producturum perfectissima alia. Prodiit enim haud ita pridem ab ipso, Monaci in aulâ Electorali Bavaricâ opus quoddam majus coloribus oleariis expictum, splendidissimum, Thetys nimirum variis circundata amoribus, è curru suo rarissimas effundens conchas marinas: atque sic etiam Sacra Domini nostri cœna noctu cum Apostolis suis celebrata, in templo S. Crucis Augustano: cum pluribus aliis laudum ejus monumentis dignissimis.

CCLXVII. DAVID KLöKNER, Pictor Suecicus Regius,

CCLXVII DAVID KLöKNER. Hamburgi natus anno 1629 â prima statim juventâ, diagraphicen summâ cum voluptate exercuit, ita ut quoties è scholâ venisset, residens quædam delinearet, quamvis omni informationis occasione destitueretur. Paulò autem factus adultior, pingendarumq; literarum elegantiâ satis instructus, in Cancellariam Regiæ Legationis Suecicæ durantibus Monasterii & Osnabrugæ Pacificationis tractatibus promovebatur; ubi siquando vel tantillum temporis ab ordinariâ functione succidere posset, id omne delineationibus impendebat, ut nullam quasi diem sine lineâ transigeret. Porrò & ad colorum usum paulatim sese convertebat, à communiore quodam pictore Osnaburgensi per aliquot hebdomades informatus: undè tantus in ipso exardescebat fervor artem nostram penitiùs addiscendi, ut solitarius semper maximam temporis partem delineando & pingendo consumeret, vel cibum propterea interdum negligendo: quare brevi eousq; pergebat, ut iconem viventis cujusdam similem satis absolveret; quam ob causam seriò tandem calami studia deserere, penicilliq; delicias penitùs amplecti statuebat; instituto propterea in Hollandiam itinere, ubi apud pictorem quendam, cui nomen Georgio Jacobi, commorabatur, qui picturis animalium & venationibus potissimum inclaruerat, feliciq; peniculi usu, & optimâ pictoriæ peritiâ pollebat. Autodidascalus est. In Hollandiam iter instituit.

Durante hâc illius inter Batavos morâ, picturas quascunq; optimas sedulò contemplabatur, cumq; peritis artis crebra instituebat colloquia: ita ut industria illius maxima, quam interdiu pingendo, & noctu delineando adhibebat, brevi insigniter profectus illius augeret: donec à primario quodam Regni Sueciæ ministro, qui aliquas picturarum ejus conspexerat, ex Hollandia evocatus, inq; Sueciam abductus à Serenissimâ viduâ Mariâ Eleonorâ, Suecorum Reginâ, clementissimè susciperetur, quippè quæ non artem hanc saltem singulari amplectebatur favore, sed & ipsa in exercitiis diagraphices haud parum versata fuerat: inq; hujus gratiam hic noster diversa elaborabat opera. Cum autem in Italiam semper ferretur animo, quæ vera dici potest istius artis Schola; in Sueciâ non diu persistebat; sed ad Italos iter suum dirigens Venetiis primò per biennium, Romæ autem postea per quinquennium degebat apud Cardinalem quendam de primariis. Ad Reginam Sueciæ pervenit. Dehinc in Italiam.

Vocatus autem denuò in Sueciam à Potentissimo Suecorum Rege Carolo Gustavo, & post istius obitum à summo rursus istius Regni regimine, ex Italiâ per Galliam & Angliam, ut rariora illorum Regnorum opera perlustraret, iter instituebat: ubi in utrâq; etiam Aulâ Regiâ beneficio iconum quarundam aliarumq; picturarum magnum sibi conciliabat favorem: & quamvis fortunam hîc satis experiretur propitiam, Sueciæ tamen potius desiderio ducebatur, quod inter hanc nationem à teneris versatus fuisset. In Aulâ igitur hac regiâ anno 1661. pedem figens, à Regiâ matre non minus, quàm à Rege ipso & Magnatibus omnibus singulari excipieba- In Sueciâ picturis aulicis præficitur.

tur gratiâ, in quâ etiam adhuc perseverat, quod singulari operum illius venustate quilibet mirum in modum delectetur; quô veluti calcari stimulatus in arte magis semper magisq; ita profecit, emendato priorum studiorum suorum genere, ut posteriora ejus opera prioribus vix amplius sint similia.

Modus ejus pingêdi.

Cœterùm, quod ad artem ipsius attinet, Universalis meritò dici potest, omniumq; pingendi generum peritissimus: in specie autem rarissimo utitur successu in ordinandis historiis majoribus, & iconibus similibus, quas methodo quâdam singulari, & quidem lepidissimâ, juxta vim Antiquorum expolitâ, multâ expingit gratiâ, & peristromatibus elegantissimis antiquo ritu, judicio maximo, nec non picturis quibusdam Architectonicis & Antiquitatibus similibus exornare solet. In diagraphicâ nobilis est atq; venustus; in usu colorum, præsertim circa corpora nuda gratiâ pollet singulari, ut carnosa diceres omnia, & spontè quasi pronata: in historiis & Poëtarum fabulis versatissimus rerumq; antiquarum peritissimus est, ita ut regno huic Arctico haud parvam rarissimis operibus suis conciliet celebritatem. Hæc autem opera illius pleraq; in primariis Regis Sueciæ palatiis, & apud Magnates illius Regni alios extant, exceptis iconibus quibusdam, in aliorum tam Regum quàm Principum aulas transmissis. Undè non tantùm hæc ipsi suborta est gloria, quod in regiõibus istis septentrionalibus in arte nostrâ similem nunquam habuerit, sed & hodierno pariter ævo inter maximos totius Europæ artifices jure merito numerandus sit.

Inter Celeberrimos artifices jure numeratur.

Vita ejus civilis.

In vitâ porrò civili humanus est erga singulos atq; affabilis, inimicus asotiæ juratus, vitamq; agit tranquillam, piam, restrictam, honestamq; & candidam. In conversationibus acceptus ubiq; est, officiosus erga quoscunq;; cœterum diligens, studiisq; deditus, quorum beneficio in arte hâc adhuc quotidiè proficit, undè honores eidem adhuc auguror plurimos, si vitam eidem concesserit divinum Numen. In honorem autem ipsius hoc compositum est Italico idiomate Elogium.

Elogium.

Elogio Madrigalesco.

Dal' antartico Polo
Dove KLOECKER temprò 'l vago Pennello,
Ad abbellir il Pol Artico venne.
Trà virtuosi, è quello
Che del Gran RE del Nord CARLO GUSTAVO
Le Guerre, ed i trofei che n'ottenne,
Penneleggiò al vivo.
D' Amborgo è suo dirivo;
Stockholmia suo foggiornose per dir stavo
Sua Coa: à cui sol lice
L' Alessandro di Suecia, CARLO, Augusto
Ritrarre (à dirlo, ô Fama si disdice?)
Che più? la virtù stessa
D' esser l' idéa hà gusto
De' suoi gentili schizzi; ove campoggia
L' atteggiar, il color, la vita espressa.
Essa l' Arte, vagheggia
L' Artefice nel suo raro artificio:
Indi ne cavo auspicio
Che suo Nome in Europa sia risplenda,
Per fin che l' Orsa in Ciel ne sie che splenda.

CCLXVIII. CARPOPHORUS TENCHALA Bissonensis Pictor,

Cclxviii. CARPOPHORUS TENCHALA.

AD Lacum Luganũ in Ducatu Mediolanensi natus, ad Italorum meritò Nationem referendus fuisset; sed inter Germanos propterea illũ collocavi, quod in Germaniâ ut plurimum commoratus sit, & à fautoribus artis ejus extraordinariæ ex illâ non amplius dimittatur. Artifex hic longè clarissimus picturam albarii recentis, in Germaniâ quasi penitus neglectam, iterum resuscitavit, peritiamq; suam laude dignissimam operibus variis luci exposuit publicæ.

Artẽ pingendi in albario recente reducit.

Tyrociniis artis suæ Mediolani, Bergomi & Veronæ institit; ubi quoq; in ætate adhuc juvenili ingenii sui specimina quædam edidit felicissima, ut crescens indies illius fama in ipsam usq; Germaniam prosperaret. Unde à Reverendissimo Domino Præsule Lampacensi, Graphicophilo maximo, vocatus, ut ædem illius loci sacram arte suâ uberiùs exornaret, non muros tantùm illius, eorundemq; Zophoros partim ornamentis coloratis, imaginibusque variis, partim monochromate marmoreo vel gypseo expinxit; sed & historias majores varias, interq; illas missionem Spiritus S. super Apostolos Divamq; Virginem exhibuit; his omnibus clarè satis commonstrans, quod propter venustatem imaginum, singularem diagraphices curam, inventionis raritatem, praxinq; artis perfectam inter celeberrimos albarii recentis artifices haud immeritò deprædicari queat. Nec minorem deinde pro meritus est laudem in technophylacio Cæsareo Viennensi; in Sacello aulico Imperatricis viduæ; in æde B. Virginis Scotanæ; in æde Patrum Dominicanorum, inq; templis & domibus diversis aliis: Similiter & Petronellæ in Hungaria apud Illustrisimũ Comitem Palfium; nec non in Stiriâ apud Illustrissimum Comitem Traunium; & jam in Moraviâ apud Celsissimum Episcopum Olmucensem.

Opera ejus Lampacensia.

Opera ejus alia.

Tantam autem in arte nostrâ peritiam virtutibus quoq; variis civilibus ulterius

Modus ejus pingêdi.

exornat,

exornat, quibus amorem sibi conciliat omnium, inter quos versatur. Ipse autem laborum ejus character potissimum consistit in accurato quodam delineandi genere, inventionumq; ditissimarum copia, quas ad instar historiarum, ordine optimo, colore temperatissimo, gratiaq; incomparabili adornat; tractibusq; campestribus elegantissimis, ædificiis magnificis, animalibusq; & ornamentis aliis complere solet; eaq; omnia juxta veras ipsius artis regulas, & promtitudine indicibili, cujus testimonia ex insigni operum ejus copiâ satis superq; elucent. Cum autem diuturnâ hâc illius experientiâ ars ejus ad altiores semper enitatur gradus, & ipse in medio annorum suorum flore ad ulteriorem semper adspiret celebritatem; hinc à nobilissimâ hacce manu opera adhuc speramus plurima alia.

CCLXIX. JACOBUS JORDANIS Antverpiensis,

CCLXIX. JACOBUS JORDANS.

Cum in ætate juvenili præter singularem ingenii dispositionem, vehementi quoque erga artem nostram ardore ferretur, ad arcana mox properabat studiorum istorum adyta: factis enim initiis apud celeberrimos Antverpiæ artifices, ad historias mox tam Sacras quàm profanas applicabatur, nec non ad Poëmata, & gesta rerum quotidianarum, quæ penicillo suo artificioso viventium magnitudine ad exemplaria plerumq; viva colore elevatissimo & naturali, gratiaq; tam singulari expingebat, ut ne celeberrimis quidem cederet: undè & in matrimonium obtinebat Præceptoris sui, Ortii, filiam, cum quâ Antverpiæ rem instituebat familiarem. Quod ipsum maculam tamen aliqualem impegit insigni ipsius gloriæ, ut reprehensione quâdam propterea digna videantur opera ejus, quod opera Antiqua, picturasq; clarissimorum Italiæ artificum non conspexerit: quod & ipsemet haud diffitetur, & propterea si quædam celeberrimorum Italorum specimina, ut Titiani, Veronesii, Caravagii, Bassani, & similium ipsi offeruntur, summo illa studio imitari conatur, idq; cum maximo artis suæ emolumento. Præterea autem cordatâ celeriq; labores suos aggreditur manu, colorumq; & penicilli peritissimus est arbiter, cui è propriâ inventione cuncta promtissimè succedunt, undè totum quasi Belgium operibus suis implevit, quæ volumẽ integrum requirerent omnia, si singulatim recensenda essent; unde potiora saltem è plurimis excerpta hîc enarrabimus.

Antverpiæ manet, nullis factis itineribus.

Opera ejus.

Inter prima specimina sua è fabulis Æsopi Satyrum illum expresserat, qui initâ cum rustico quodam familiaritate tugurium illius ingressus, propterea mox retrocedebat, quod calidum simul & frigidum uno ex ore ejus efflari vidisset: quod opus erat longè præclarissimum, à Luca Vastermanno deindè typis æneis expressum. Deindè Christum pinxerat in oliveto à Judâ proditum, àq; Judæis ligatum, dum Petrus interea gladio Malchum peteret: opere nocturno, mirâq; arte.

Rusticus pultis comestor.

Hæc igitur & alia opera ejus laudatissima in Rubenio, tum temporis jamjam florentissimo, zelum quendam excitabant, quod istum non saltem tam similem sibi, sed & quoad accuratam naturæ similitudinem & ipsam rerum veritatem aliquatenus se superiorem videret: comparatis enim ab Artis peritis amborum operibus, acumen quidem in Rubenianis & inventio, in Jordanianis autem expressio & veritas prævalere dicebantur: Undè quamvis in terminis uterq; debitæ moderationis persisteret; clam tamen Rubenius id meditatus esse fertur, ut in Jordanio naturalem illum colorum oleariorum usum, cui haud parum invideret, quomodocunq; interverteret: undè cum â Rege Hispaniarum ad pingenda peristromata quædam pro conclavibus regiis Madritianis conductus esset, hic ideas istorum Jordanio concedebat colore aquario in chartâ depingendas, ut secundùm illas textores peristromata hæc conficerent; cum ipse interea inventionem originariam colore per modum prototypi minori formâ projecisset. Ubi Jordanius ideas quidem istas colore aquario admirandâ absolvebat elegantiâ; sed ita, ut diuturno glutinis usu veram illam colore oleario exprimendam similitudinem naturalem, in quâ antea tantoperè floruerat, insigniter debilitaret. Sic enim plerumq; omnes, qui in albario recente sive calce humidâ, nec non coloribus gummatis & glutinariis laborem instituunt frequentiorem, quoad usum colorum oleariorum in istam prolabuntur imbecillitatem, ut ad frigidius illud atq; versicolor nimis aquarium genus seducantur: quod Jordanio nostro magno erat impedimento. Interea tamen studia sua idem semper magis magisq; continuabat, sed ita, ut alternam quoq; requiem non respueret, & tempore præsertim vespertino in societate quâdam honestiore, colloquiis amicorum, inter moderata vini pocula, non neglectâ tamen vocatione suâ diurnâ, ad exhilarandum animum & cognoscenda negotia atq; acta publica, vacaret.

Cum Rubenio certat.

Pictor colorum oleariorum, usu aquariorũ corrumpitur.

Aliquando sextidui spatio fabulam Syringis, persequente Pane in arundinem mutatæ viventium quantitate judicio absolvebat maximo, & arte miranda. Sic Satyros quosdam pinxerat cornua copiæ gestantes, quibus Charites fructus, & poma, uvasq; & similia injicerent munera; ubi tantâ corpora hæc nuda venustate expressa erant, tam quoad diagraphicen,

Adhuc quædam illius opera.

quàm quoad colorum temperaturam, ut admirationem in quovis ſpectante excitarent. Porrò ſecundùm longitudinem œci cujusdam ſat longi, navem illam ſive pontonem Antverpianum depinxerat, in quo præter animalia varii generis, homines, qui juxta vocationem ſuam ſinguli laborarent, incomparabili argutiâ exhibiti erant. Dehinc plurimas pingebat imagines dimidiatas viventium mole, verbi gratia, ſenes quosdam in conſortio cantantes, imitantibus eosdem junioribus aliis, fiſtulis ludentibus; juxta Proverbium illud; de imitantibus Senum cantum junioribus. Pluries feſtum illud Belgarum vigiliæ trium Regum pingebat, ubi electus Rex ille veſpertinus papyracea redimitus coronâ, poculum quoddam ebibit acclamantibus cœteris & clamori cantuiq; ſtrepitum admiſcentibus varium. Sic magnam quoq; Porticum pro Regia Majeſtate Danica; nec non œcum ſatis amplum pro Sueciæ Rege picturis exornavit; operibusq; iſtis glorioſiſſimis magnos promeritus eſt honores. Quemadmodum autem hilari ſemper, blandoq; & amicabili fuit genio, ita Antverpiæ adhuc tranquillâ utitur ſenectute, divitiis cumulatus & honoribus affatim, annum jam 78. & quod excedit, transgresſus: cui diuturnum Ego vitæ incrementum ex animo exopto, eaq; omnia, quæ in emolumentum ejus quomodocunq; cedere poſſunt.

Vita ejus civilis.

CCLXX. ERASMUS QUELLINUS Philoſophus & Pictor Antverpienſis;

CCLXX. ERASMUS QUELLINUS. Gradum Magiſterii in Philoſophiâ adipiſcitur.

NAtus eſt Antverpiæ anno 1607. & ad ſtudia educatus à teneris unguiculis; in quibus usq; adeò etiam profecit, ut in Magiſtrum Philoſophiæ promotus ſit. Cum autem artis pictoriæ amore perpetuò duceretur, inq; diagraphicâ optimè verſatus eſſet, Petro Paulo Rubenio tandem in diſciplinam ſeſe committebat, ubi beneficio ingenii excitatiſſimi & ſedulitatis indefeſſæ novi mox luminis inſtar emergebat; operam præcipuè dans picturis opticis, & poſt obitum præceptoris ſimiliter Architecturæ; quibus in artibus Magiſtri nomen omninò meretur, cum de perfectione illius teſtimonia perhibeant non tantum picturæ variæ hiſtoricæ elegantiſſimæ in urbe patriâ extantes; ſed & templa, Palatia, & pinacothecæ plurimæ in viciniâ: quibus indies nova adhuc accedunt ornamenta, illius manu elaborata laudatiſſimâ.

Lumen eſt pictorum.

CCLXXI. WILHELMUS BEMMELIUS Ultrajectanus,

CCLXXI. WILHELMUS BEMMEL. Pictor ſubdialium celeberrimus.

PIctor ſubdialium celeberrimus, diſcipulus in patriâ fuit Sachtlevii, de quo mentio facta eſt in capitulis præcedentibus: deindè Romam & loca Italiæ celebriora alia viſitavit, Tibure præſertim diu commoratus, ubi omnia, quæ ad ſtudium hoc ſubdialium conducere viderentur, juxta ipſa naturæ exemplaria, tantâ ſedulitate chartæ commiſit, ut ante eum nemo iſta tam perfectè conſignaverit. Undè brevi quoq; judicio duce, diligentiâ comite, in tractibus iſtis campeſtribus tantoperè excelluit, ut opera ejus propter ordinis elegantiam, colorum proprietatem, & arborum præcipuè copiam oculos ſpectantium reverà exhilarent, ipſe autem in Italiâ maximam aſſecutus ſit nominis celebritatem.

Poſtquam autem in Germaniam rediiſſet, fama illius ſimiliter ſtatim inclaruit; ut omnes primarii Auguſtanæ Urbis technophili, Winklerus videlicet, Ebertus, Eckhardus, & in ſpecie Dominus O. qui ad iſta ſtudia & iter illius Italicum plurimum contribuit, opera plurima præclariſſima ab illo elaborata poſſideant. Sic pariter & in alia Germaniæ loca, & præſertim Norinbergam penetravit nominis ejus celebratio; unde & ibidem pinacothecæ curioſæ plurimæ labore ipſius exornatæ reperiuntur. Et quamvis dubium revera ſit, utrum argutæ ingenii ejus inventiones primam laudum ejus partem occupent, an verò mira manus ejus promtitudo; hoc tamen certiſſimum eſt, viſis vel primo intuitu hîc arboribus ejus tam magnis quàm parvis, ibi rupibus & montibus, eorundemq; cataractis & fluviorum præcipitiis, nec non aëre & nubibus; & præterea ſingularibus camporum, agrorum, pratorumq; ejus ornamentis, & proprietatibus verè naturalibus; unumquemq; fateri, Bemmelium hunc veram ſubdialia pingendi methodum, colorumque hic requiſitorum veritatem, ut & genuina luminis umbrarumque diſcrimina, omniumque ſive elevationem, ſive depresſionem examuſſim callere; nec minùs elegantiam, venuſtatemq; & curam ubivis adhibere, verumq; in his eſſe artificem: cujus gloria adhuc indies majora capit incrementa, & eò minus diminuenda eſt, quod ipſe inter Germanos ſubdialia primus ſingulari amœnitate tractare docuerit

Opera ejus Auguſtæ & Norinbergæ magni æſtimantur.

CCLXXII. JOHANNES PAULUS AUER Norinbergenſis;

CCLXXII. JOHANNES PAULUS AUER.

MAturè ad nobilem hanc artem noſtram applicitus, non naturâ tantùm utebatur propitiâ, ſed & informatione proſperâ: ex quo, viſitatâ genuinâ picturæ nutrice Italiâ, Venetiis Romaque diu commorabatur, perluſtratisq; & alibi memorabilibus quibusvis, peritiam ſuam cum laude exaugebat: tandemq; & in Galliam profectus, non linguam ſaltem illius nationis didicit, ſed & ulteriora in arte noſtrâ commoda hauſit.

Finitis feliciter his itineribus in patriam

Opera ejus.

reversus, historiis statim tam majoribus quàm minoribus ostendebat, quantus esset artifex. Inter has autem speciali laude dignæ sunt picturæ illæ, quas Dominus Einwagius, technophilus curiosissimus possidet, de Ariadne, Bacchiq; triumpho: quatuor item Evangelistæ, & allusiones poëticæ adhuc aliæ; ex quibus qui Artis gnari sunt, excellentiam peritiæ ejus satis perspiciunt. Præterea autem nec iconum optimè pingendarum laus ipsi deest; undè non tantùm primarii istius Urbis incolæ, sed & Principes atq; Magnates vicini arte ejus frequentissimè utuntur: quem simillimarum & accuratissimarum effigierum laborem adhuc indies reiterat; ut illa, quam in Academiâ nostrâ pictoriâ de delineationibus ejus concepimus, spes optima major semper fiat atq; amplior.

CCLXXIII. HEINRICUS POPPIUS Norinbergensis;

Cclxxiii. HEINRICUS POPP.

IN eâdem Urbe similiter haud parvâ claret celebritate, non tantùm propter icones viventium, quas naturali mole simillimas, multâ politurâ & sollicitudine expingit, velociq; promtitudine expedit; sed & propter historias, in quibus omnimodâ exercitatus est experientia; prout laudem illius opera decantant plurima.

CCLXXIV. GEORGIUS CHRISTOPHORUS EIMERTUS,

Cclxxiv. GEORGIUS CHRISTOPHORUS EIMERT.

MUltâ pariter arte clarissimus; propterea circa finem fermè operis nostri à me adducitur, quod sæpè dubitaverim in tantâ elegantissimarum ingenii ejus dotium copiâ, utrum inter eruditos, vel chalcographos, vel æris rosores, an verò inter peritos diagraphices & pictores artificiosissimos referri debeat, cum in omnibus hisce artibus laudatissimis ad extrema perrexerit peritiæ culmina. Ne autē inanib' benevolum Lectorem detineam declamationibus, ad opera ipsa mox provoco, quæ artificis sui encomia satis deprædicant. In hoc enim opere nostro Academico artificiosa illius manu confecta sunt tria illa frontispicia foliorum sub initium Architecturæ, Sculpturæ, & Picturæ: Sic Literæ quoq; majusculæ initiales Xylographicæ; porrò Effigies L. Scipionis, cum variis illis armorum Romanorum generibus tam terrestribus quàm navalibus, in tabulâ nostrâ F. Similiter Lala Vestalis, cum variis illis instrumentis sacrificatoriis in tabula G. Deinde & tabula K. expressiq; ibidem Artis pictoriæ Restauratores Florentini, Cimabue; Gaddius; Stephanus; Giottus & alii. Item figura finalis post Vitam Pauli Veronensis: nec non Medusæ caput; & insignia Sandrartiana, tandemq; Antiqua illa anaglyphica: Ulterius

Opera ejus.

autem elucescit peritia ejus in Annalibus Regni Sueciæ, jamjam sub opere ferventibus: item in Ingressu illo Triumphali, aliisq; figuris tam cælatis quàm erosis plurimis, quæ præter picturas multiplices, sufficientissima sunt virtutum ejus testimonia.

CCLXXV. N. ERMELIUS Norinbergensis,

Cclxxv. N. ERMEL.

OB raram in arte hac peritiam hic pariter haud est prætermittendus: cum non tantùm campestria in se pingat elegantissima, sed & figuris pulcherrimis, ædificiis, & ornamentis aliis eadem tam opulenter condecoret, ut laude meritò sit dignissimus. Quod & opera ejus, quæ apud Georgium Jacobum Langium graphicophilum insignem, & alibi tam intra quàm extra urbem existunt plurima, satis testantur. Adde quod in arte ipsâ indies adhuc multo labore pergat & proficiat, ut multa adhuc præclara ab ipso expectemus.

CCLXXVI. JOHANNES SCHREIBERUS Frisingensis,

Cclxxvi. JOHANNES SCHREIBER.

OEconomus in Aula Frisingensi spectatissimus, pro re nata, in omnibus quasi horum studiorum generibus exercitatissimus est; ut non tantum civilitate aulicâ, sed & dexteritate pictoriâ admodùm sit insignis: quotiescunq; enim officii ejus negotia id permittunt, ad penicillum recurrit, ut non altaria tantum plurima pinxerit, sed & ornamenta eorum auro induxerit; necminùs amicis quoq; suis & familiaribus manu suâ libenter inserviat. Undè in favore quoq; Serenissimi Principis ac Episcopi sui est maximo, ob tantam in arte hac peritiam, ut ad officium Cubicularii quoq; admissus, & technophylacio præfectus sit Ducali, pro cujus exornatione multa quoq; curâ sollicitus est.

CCLXXVII. JOHANNES de SANDRART Francofurtanus,

Cclxxvii. JOHANNES de SANDRART,

RElictis studiis ad nobilem convertebatur pictoriam, cui diligenter apud Patruum suum incumbebat: ex quo in Italiam profectus Romæ diu degebat, inque historiis majoribus & iconibus viventium magnam contrahebat peritiam, unde ob insignia naturæ dona, & miram artis elegantiam non in Italicâ saltem & in Belgio, ut & in urbe patriâ, picturis nobilitatus præclarissimis plurimis, apud technophilos in singulari est honore; sed & in Austriâ ob tabulas quasdam Altarium & alia tantam promeritus est laudem, ut præ modestia, cum consanguinitate mihi sit devinctus, tacere malim, quàm encomio ulteriore in suspicionem inducere Lectorem: ad opera illius interea hunc remittens. Quorum unum Dominus de Neuf-

Opera ejus.

ville, technophilus maximus Francofurti, cum rarioribus aliis plurimis, viventium quantitate possidet, de Venere nimirum, Adonidis, venatum abituri, amplexibus detentâ, ubi affectus elucent pulcherrimi.

Sic tabulas quoq; pro Illustrissimo Comite Johanne Nassovio, Mecœnate, imò Parente artium celeberrimo, in sede illius Idsteinianâ, & pinacothecâ ejusdem celebratissima pinxit plurimas, & præsertim in templo recenter ibidem extructo, variorumque colorum marmoribus incomparabili magnificentiâ exornato: cujus lacunar universum historiis Novi Testamenti viventium mole expictis quasi coopertum est, ubi tabulæ artificum decantatissimorum elegantissimæ; inter quas hic noster salutationem Angelicam; miraculum cibationis quater mille manducantium; ingressum Christi in Urbem Hierosolymitanam, & alia elaboravit: è quibus benevolus istius artis fautor satis superq; perspicere potest, quid valeat peritia ejus, & quibus ea sese exserat operibus.

JOHANNES JACOBUS de SANDRART. JOHANNES JACOBUS de SANDRART ad studia diligenter applicitus, & præcipuè in exercitiis artis pictoriæ educatus est; ut in diagraphicâ Acedemicâ, regulis opticis, Architectonicis, Geometricis aliisq; necessariis ad perfectionem manuducentibus satis exercitatus sit, jamque in hoc occupetur, ut reliquas pictoriæ partes pleniùs absolvat; undè ob teneram adhuc illius ætatem, & sedulitatem continuam, bona de eo speremus plurima.

CCLXXVIII. SPIELBERGERUS Hungarus,

CCLXXVIII SPIELBERGERUS. Ex optimâ natus familiâ, naturâ ad hæc studia ducebatur: Factisq; in Germaniâ initiis, in Italiam profectus, Venetiis diù commoratus est, multâ sedulitate professioni huic invigilans. Ex quo in variis Germaniæ locis specimina picturarum albarii recentis edidit elegantissima & promtissima; nec non coloris olearii, poëmata varia Ovidiana, inventione gratissima, figurâ minore exhibendo. Opera ejus. Postmodum magis quoq; magisq; ad figuras majores applicitus Ratisponæ ad S. Emeranum altare pingebat de obitu S. Benedicti: item Viennæ, in templo S. Stephani propè altare summum, Assumtionem B. Virginis; quæ opera sunt magna & artificiosa. Dehinc pro magno Arcis Stockaviensis Oeco, in gratiam Liberi Baronis Mayeri graphicophili incomparabilis, fabulas quasdam Ovidianas alias elaborabat. Sic in templo S. Crucis Augustano historiam Petri expinxit in tabula quâdam, sermonem habentis ad populum: ubi Petrum è domo quâdam magnificâ, verba facientem exhibuit, pro majori auditorum spatio; quos variis etiam gestibus & vultibus, & quasi è variis nationibus collectos ingeniosissimè & multâ cum laude repræsentavit.

Multò autem majora à nobili hac manu expectassemus, nisi cum anno 1679. tota Austria inferior peste correpta, & ille Viennâ cum uxore & liberis Augustam Vindelicorum fugiturus, in Austriâ superiore ob quadragenarium sanitatis detentus esset, mortuâ primùm uxore dilectissimâ, mœrore animi ipse pariter absumtus fuisset in pleno annorum suorum flore. Ejus obitus.

CCLXXIX. HEISSIUS Memmingensis,

CCLXXIX. HEISS MEMMINGENSIS. Discipulus erat Schonefeldii Augustani, de quo supra. Adauctâ autem postmodum insigniter scientiâ, historias quasdam minorum imaginum elaborabat, cum magnâ artisperitorum satisfactione: jam autem in praxi magis magisq; perfectionem attingit, velociq; inventione picturâ quadam historicâ omnia exhibet, quæ, sive nuda sive vestita spectentur corpora, sive animalia, sive ædificia, sive subdialia; tabulam exornare similem possent: omnia quoq; singulatim plenissimè expingendo: prout manus quædam illius in tabulâ aliqua templi S. Crucis Augustani clarissimum præbet exemplum: ut laudum ejus numerus indies adhuc uberiùs excrescat.

CCLXXX. MICHAEL HERR Norinbergensis,

CCLXXX. MICHAEL HERR. Norinbergæ quoq; habitabat, celeberque tam iconicis erat quàm historicis picturis: profundâ enim erat inventione, & inventa hæc rariora egregiè expoliebat; prout non tantùm opera ejus varia apud fautores artis Noricos hîc illîc existentia, sed & in specie Epitaphium quoddam in cœmiterio S. Johannis satis testantur: ubi casum quendam tragicum Schlitteri cujusdam mercatoris Lubecensis filii, depicturus, qui cum societate suâ à cohorte prædonū obrutus pugnando occubuerat, in medio velitationem quandam acerrimam; in summo extremum judicium, interq; resurgentes anteriore loco defunctum, cujus effigies ab Angelo in cœlum defertur; infrà verò infernum exhibuit, in quem prædones abiguntur.

CCLXXXI. ELIAS GÖDELER Pictor & Architectus,

CCLXXXI. ELIAS GÖDELER. Celebritate similiter haud destituitur propter picturas tam olearias, sive magnas sive parvas, quàm albarii recentis; quo in genere Italorum methodo utitur optimâ. Adde, quod & Architecturæ & Prospectivæ studium in Italiâ fundamentaliter excoluerit, artesq; istas harmonicas penicillo suo felicissimo dexterrimè conjungere soleat: quam ob causam à Se-

Architectus est Brandeburgicus Culmbacensis.

reniſſimo Principe Barutiano Architecti munere honoratus eſt; quo in officio multa quoq; tam theoriæ quàm praxeos edidit ſpecimina laudatiſſima.

CCLXXXII. MAREELIUS, Pictor Francofurtanus,

Cclxxxii. MAREEL.

GEorgii Flegelii, de quo ſuprà narravimus, Diſcipulus, qui in arte pingendi flores & oporetica, præceptorem ſtatim ſuperabat. Ultrajecti enim in hoc ſtudiorum genere inſigniter proficiebat, floresq; & fructus atq; conchylia ſive ſparſim ſive vaſis inſerta, ſive in faſciculos aut encarpos colligata quàm veriſſimè exprimebat; non attentâ tuſſi, quâ laborabat intolerabili; quæq; eundem, per quinquaginta quinq; annos miſerè exhauſtum, hoc anno tandem e vivis exemit.

CCLXXXIII. JOHANNES ANDREAS GRAVIUS Pictor Norinbergenſis,

Cclxxxiii. JOHANNES ANDREAS GRAVIUS.

A Studiis, ob inſigne erga hanc artem noſtram deſiderium, abſtractus, proclivis quidem erat ad imagines humanas majores; cum autem præceptor ejus Mareelius flores potius & fructus, atq; immota ſimilia ſibi proponeret, hic eundem ſedulò imitabatur: quamvis & ad figuras, & in Italiâ ad Architecturam & alia profundiora hujus artis progrederetur. Uxorem autem Francofurti ducebat M. Meriani chalcographi celeberrimi filiam Mariam Sibyllam, non ſanguinis minùs innatô, quàm animi continuato erga hanc artem amore, ad idem ſtudiorum genus propendentem. Hæc igitur poſtquam, hoc connubio mediante, deſideratam diu informationem tam in diagraphicâ quàm in picturâ, & quidem utroq; colorum temperandorum genere nacta eſſet, objecti loco flores ſibi, fructusq; & aves proponebat; unà cùm inſectis, muſcis nimirum, culicibus, araneis & ſimilibus vermiculis, eorumque excrementis ſeminalibus, & transmutationibus; qualis nempè ſit primus illorum ſtatus, & quomodo in viva mutentur animalcula, adjectis & herbis illis, quæ alimenta iisdem ſubminiſtrant: ubi non induſtriam ſaltem adhibet indefeſſam, ſed curam quoq; & elegantiam admirabilem tàm in delineatione quàm in applicandis coloribus, eorundemq; elevatione. In ſpecie autem peculiari quodam colorum

Uxorem ducit Mariam Sibyllam Merianam florum pictricem.

aquariorum genere utitur in telâ ſericâ, panno nimirum Attalico vel ſimilibus, imò & in linteo, in quibus varia florum elegantiſſimorum, nec non herbarum genera ita expingit, ut utroq; in latere lintei æqualis appareat picturæ perfectio, & quidem (quod mirandum eſt maximè,) ita, ut picta iſthæc linteamina, absq; colorum detrimento lavari queant: ut plura Gravius in Merianâ ſuâ poſſideat, quàm Pauſias quondam in ſuo Glycerio. Tot enim è promtiſſimis illis manibus quotidiè prodeunt ſpecimina, ut in laudatiſſimâ hac arte, pingendorum naturali figurâ florum, herbarum, & animalium, perfectione omnibus hodiè præeminere dicatur. Adde quod & ſerici filo acusq; miniſterio, prædicta omnia veriſſimè & naturali ſimilitudine exprimere ſoleat: & pro commodo illorum, quibus in his ſtudiis verſari eſt animus, lectiones quoq; tales curioſiſſimas delineatas, cupro eroſo publicaverit. In quibus etiam laboribus, juxta negotia ſua œconomica maximè regularia, in hunc usque diem pergit, teneræq; juventuti doctrinâ hac rariſſimâ fidelisſima præſtat officia.

Acu flores pingit.

CCLXXXIV. ANNA MARIA PFRINTIA.

Cclxxxiv ANNA MARIA PFRINTIN.


FIlia Georgii Pfrintii Statuarii defuncti, artis plaſticæ cerariæ ſtudioſa, patris non ſaltem veſtigia terens, ſed quotidianis etiam ſolertiæ incrementis eousq; progreſſa, ut iconibus minoribus numismaticis, aliisq; figuris cereis admodùm evaſerit celebris, laudemq; laudi continuo ſuperaddat. Quibus omnibus & hoc accedit, quod eadem Alexandri Abondii artem colorandi ceras ingenioſè reproduxerit; quare ab omnibus Artis peritis, ob operum ejus elegantiam maximi æſtimatur, & à Principibus variis ad elaborandas effigies numismaticas adhibetur.

Artem colorandi ceras invenit.

CCLXXXV. PHILIPPUS LEMKE, prœliorum pictor,

Cclxxxv. PHILIPPUS LEMKE.

EX Italia nuper demum reverſus, hoc pingendi genere ad altiſſima jam properat faſtigia, Bambotſii illius celeberrimi laudatisſimam ſecutus methodum: unde decantandis laudibus ejus, quas inſigni morum civilitate cumulat, debitas famaj am parat buccinas.



CAPUT. XXIV.

TRIGINTA SEX
Statuarii, Sculptores vitrarii, & Architecti Germanæ Nationis celebratissimi.

Argumentum.

I. *ALEXANDER ABONDIUS Florentinus Senior : imagines ejus ceréæ. In servitia Cæsarea assumitur Pragæ. II. ALEXANDER ABONDIUS junior : patris sui hâc in arte insistit vestigiis. In Bavariam venit. Opera ejus. III. PAULUS VIANENSIS Argyropœus : opera ejus : Pragam venit. IV. ADAM VIANENSIS. V. ADRIANUS VRIESIUS, statuarius. Opera ejus, fontes Augustani. VI. GEORGIUS PETELIUS Sculptor. Ad exornandum templum S. Udalrici Augustanum adhibetur. Romam venit. Dominis Fuggeriis laborat. Opera ejus. Augustam Vindelicorum redit. Opera ejus ibidem elaborata. VII. LEONHARDUS KERNIUS statuarius : Filii ejus CONSTANTINUS, JACOBUS, CHRISTOPHORUS. Opera ejus. VIII. GEORGIUS PFRÜNDIUS Statuarius; Architectus militaris & civilis à Bernhardo Duce Vinariensi Architecturæ militari præficitur. Itinera facit plurima. Durlaci moritur. Elogia ejus. Sculptores Gemmarum veteres. Pocula crystallina. Cœlatores vitri. IX. HEINRICUS ENGELHARDUS Gemmarum Sculptor. X. MISERON Gemmarum Sculptor. XI. DIONYSIUS MISERON Gemmarum Sculptor. XII. FERDINANDUS EUSEBIUS MISERON. XIII. CASPARUS LEHENMANNUS cœlator Gemmarum & vitrorum : ab Imperatore Rudolpho magnis donatur privilegiis. ZACHARIAS BELZER. XIV. GEORGIUS SCHWANHARDUS, statuarius & cælator vitri. Pater ejus dolabræ undulatæ usum invenit. Differentia cælaturæ vitri antiquæ & modernæ. XV. HEINRICUS SCHWANHARDUS integras urbes in vitro cælat. Artem invenit vitra erodendi. GEORGIUS SCHWANHARDUS junior. XVI. NICOLAUS MILLICHIVS statuarius Suecicus. Opera ejus. XVII. NICODEMUS TESSINIUS Architectus Suecicus. XVIII. COPA FLANDER statuarius Belgicus : in parvis excellit, in magnis peritiâ caret. Vita ejus misanthropica. XIX. FRANCISCUS de QUESNOY aliàs Flander dictus, statuarius. Romam venit. Opera ejus. Ab Italis odio habetur. Cupido ejus præstantissimus. Susanna ejus. Statuam S. Andreæ elaborando cum artificibus celeberrimis certat. Opera ejus alia. Vita ejus communis. In Galliam vocatur. XX. ALEXANDER ALGARDIUS statuarius Bononiensis. Legato orphanis quibusdam prospicit, ut ad statuariam educentur. XXI. FRANCISCUS SARTENSIS statuarius. XXII. FRANCISCUS FANELLIUS statuarius. XXIII. DANIEL NEUBERGERUS Augustanus, plastes Cerarum. Opera ejus cerea. Metamorphosis Ovidiana. Ferdinandus III. Imperator. Artem callebat ceram ad instar ferri indurandi. Modus ejus plasticen exercendi. Discipuli ejus Principes varii. XXIV. ARTUS QUELLINUS statuarius Senior : Labore suo structuram Curiæ Amstelodamensis promovet. XXV. ARTUS QUELLINUS junior ; statuarius. XXVI. LUCAS FAIDHERBE statuarius. XXVII. PETRUS VERBRUGGIUS Antverpiensis. XXVIII. SIMON BOOSBOMIUS. XXIX. ELIAS HOLLIUS Architectus Augustanus. Opera ejus. Discipuli ejus. JOHANNES HOLL.: HIERONYMUS THOMÆ. XXX. BERNHARDVS STRAUSSIVS Marchdorffensis statuarius. XXXI. JUSTVS KLESSECKER, statuarius Mindanus. Opera ejus Bambergensia. XXXII. CHRISTOPHORVS RITTER Norinbergensis, statuarius. XXXIII. GEORGIVS SCHWEICKHARDVS Norinbergensis, statuarius ; Nativitatem Johannis Baptistæ sculpit. XXXIV. BALTHASAR STOCKAMER Norinbergensis, statuarius. In servitia Magni Ducis Florentini assumitur. XXXV. DAVID HESCHLERVS statuarius Vlmensis. XXXVI. JOHANNES VDALRICVS FVRTERVS statuarius Vlmensis.*

I. ALEXANDER ABONDIUS Florentinus Senior.

I. ALEXANDER ABONDIO Senior.



Celeberrimi illi' Michaëlis Angeli discipulus, in sculpturis imaginum minorum & historiarum omnes condiscipulos suos superabat, è nobili aliàs Stemmate Florentino progenitus. Ut autem imagines suas quàm accuratissimè expolire posset, prototypa sibi formabat è cerâ plerumq; virgineâ optimè priùs purificatâ, cui liquatæ, colores admiscebat varios. Atq; sic opere quodam anaglyphico cereo res omnes tam similes producebat, ut quicquid à naturâ productum est unquam, & ipse effingeret. Inprimis autem imaginibus suis naturalem suum ita tribuebat colorem, ut picturis elevatioribus similes essent: eædemque quoad diagraphicen quàm perfectissimæ erant & suprà modum elegantes: undè præclarissima hæc opera ejus, ob rarissimam istam artis excellentiam, apud Magnates & Principes saltem reperiuntur.

Imagines ejus cereæ,

Et primitus quidem ipse Magnus Hetruriæ Dux omnia retinebat, quæcunque ab ipso elaborata essent. Cum autem Abondius Nativitatem Christi cum advenientibus pastoribus confecisset, ubi non tantum imagines humanæ variæ, sed diversa etiam animalia, ædificia & tractus campestres; & figuræ quidem anteriores ad spithamæ longitudinem; cœteræ verò quo remotiores, juxta Prospectivæ Regulas, eò minores, omnium autem colores & gestus juxta ipsam rerum similitudinem efficitæ erant; prædictus Magnus Hetruriæ Dux opusculum hoc Rudolpho II. Imperatori Romanorum dono misit; ubi S. Cæsar. Majestas tale de ipso tulit judicium: simile quid antehac nunquam fuisse elaboratum, opusq; ipsum Gazophylacio suo inferendum. Abondium autem Pragam vocatum benignissimè tractari jussit: ubi hic icones similes plasticas è cera colorata plurimas ad viventium exemplar naturali vultui simillimas tanta finxit proprietate, ut ipso penicillo similiores fieri haud potuissent. Ibidemq; tandem ex hac vita excessit, filium unicum tam nominis, quàm artis hæredem post se relinquens.

Magni æstimantur.

In servitia Cæsarea Pragæ assumitur.

II. ALEXANDER ABONDIUS Junior,

II. ALEXANDER ABONDIUS Junior.

Paterno quasi sanguine hanc artem sic imbiberat, unà cum virtutibus aliis laudatissimis, ut suppositâ fundamenti loco genuinâ Antiquitate, operibus singulis magno cum judicio summam conciliaret gratiam, non imagines tantum humanas, & icones viventium; sed & historias è cerâ fingens, colorib' planè naturalibus, ut similem vix haberet: quæ opera ejus S. Cæsarea Majestas pleraq; technophylacio suo Pragensi inferri curabat; exceptis iis, quæ pro aliis Regibus, Electoribusq; & Principibus, sive iconibus cereis, sive numismaticis, sive figuris aliis elaboravit. Mortuo autem Imperatore, Abondius noster artificiosissimus ad Serenissimum Bavariæ Ducem Maximilianum concedebat, à quo non tantùm salarium accipiebat honestissimum, sed ob artis quoq; & prosapiæ nobilitatem, morumq; civilitatem insignem & facundiam singularem tantoperè amabatur, ut in aulâ suâ simili eum cum cœteris Nobilibus honoris gradu tractari juberet. Ubi Ego ipse, qui per annos plurimos intimiore illius fruitus sum familiaritate, ex ipso veritatis fonte de eo asseverare possum, quod non minor ipsi debeatur gloria ob virtutes quasvis civilis conversationis, quàm ob incomparabilem artis ejus raritatem.

In Bavariam venit.

Opera ejus apud technophilos inveniuntur varia; inter quæ palmaria dici possunt Doct. Pauli Freheri & uxoris ejus icones; in quibus vultus, manusq; & vestes tam sunt nativa & vera, ut ipsa quasi vita sibi vix sit similior: prout illæ Norinbergæ apud Dn. Doct. Freherum juniorem adhuc asservantur, & cum aliis rarioribus, fautoribus horum ostenduntur.

Opera ejus.

Cum Pragæ degeret, matrimonium inibat cum Johannis Aquani, cujus vitam supra descripsimus, viduâ derelicta, fœminâ tam pulchritudinis, quàm virtutum omnium splendere maximè conspicuâ; cum quâ etiam filiam progenuit omnibus laudum dotibus opulentissimam, matrimonio dehinc junctam Domino Kuglero Monacensi. Qua in Urbe Abondius noster etiam naturali quidem morte obiit, famâ tamen adhuc manet superstes tam in gazophylacio Cæsareo & techno-theca simili; quàm in Aula Electorali Bavarica, Magniq; Ducis Hetruriæ aliorumq; Principum & artis istius fautorum.

Matrimonium.

III. PAULUS VIANENSIS Argyropœus,

III. PAULUS de VIANA.

Nomen à Patre sortitus, quod an Gentile sit â Vianâ, pulcherrimo propè Ultrajectum oppido, equidem ignoro: id tamen rectius novi, Patrem illius Argyropœum fuisse Ultrajecti ingeniosissimum, qui ambos filios suos, Paulum scilicet & Adamum ad diagraphicam, plasticam cerariam, & varia anaglypha argentea omni cura applicuerit; qui exhinc etiam haud parvam assecuti sunt nominis sui celebritatem. Paulus enim magnoperè delectabatur imaginibus humanis & historiis, in quibus ut ad profundissimam usq; notitiam penetraret, Romam petebat, ibidemque ex operibus Antiquorum, nobilissi-

Opera ejus.

mum ad instar apiculæ, scientiæ favum tantâ assugebat aviditate, ut mallei sui beneficio ex unicâ argenti massâ imagines integras, vasa maxima, malluvia pulcherrima, & similia effigураret: & inter alia Balneum Dianæ cum nymphis nudis variis animalibusq; & subdialib⁹ congruis, decore perfectissimo, delineatione correctissimâ, & venustate admirandâ elaboraret; unde haud abs re pro ipsâ quasi hujus artis scaturigine deprædicatus & collaudatus fuit: quod satis quoq; confirmant imagines ejus B. Virginis, fabulæq; poëticæ variæ, & in specie Argus ejus, cum aliis prototypis ab ipsius manu fusis. Quamvis autem animi esset benigni, proq; possibili cuilibet complacere studeret, ex invidiâ tamen, quæ laudum semper extrema rodit, crimen blasphemiæ eidem imputabatur; unde licet innocens esset, per aliquot tamen menses Romæ in carcerem inquisitorium conjectus, hac solâ cum conditione iterum dimittebatur, ut Romam pro perpetuo haberet carcere, nec unquam exinde pedem moveret. Donec intercedente Legato Cæsareo Pragam in servitia Rudolphi Imperatoris vocaretur, ubi etiam opera sua clarissima, quæ pro inæstimabilibus omnia habentur, elaboravit.

Crimen blaphlemiæ ei imputntur.

Pragam venit.

Urbs Amstelodamensis in ipsius memoriam Gutturnium asservat cum operculo sesquipalmari altitudine, ex unicâ argenti massâ extensum, in quo figuræ chimæricæ & Alabandeæ mirabiles; quod opus insitatæ raritatis esse dicitur. Tandem cœlebs moriebatur, cum in patriam suam, Ultrajectum scilicet, rediturus esset.

Moritur cælebs.

IV. ADAMUS VIANENSIS, Argyropœus;

IV. ADAM de VIANA.

PAuli præmemorati frater, idem artis genus excolebat, eandem pariter laudem promeritus, quod ex unâ argenti massâ mallei beneficio variis figuris chimæricis feliciter exornaret malluvia, pateras, salina, manubria cultrorum, & ornamenta similia, non Amstelodami saltem, sed per totam Hollandiam variè distracta. Quemadmodum autem Paulus figuras humanas, animalia, subdialia & istius generis alia historico quodam effigurandi genere; sic Adamus iste Alabandæa prædicta sibi elegerat: inq; vivis adhuc erat anno 1630. ductâ uxore, Ultrajecti rem familiarem habens: ubi & filium reliquit, vestigiis artis paternæ tenaciter inhærentem.

V. ADRIANUS FRISIUS Statuarius,

V. ADRIANUS de VRIES.

HAgæ Comitis natus, & ab ipsa naturâ ad artem sculpendi instigatus, varias confecit statuas tam è lapide sculptas, quàm è cera, argillave formatas, & è metallo postmodum fusas: unde ob continuata in his exercitia neminem coævorum habuit parem. In Italia enim primò statuas Antiquorum accuratissimè perlustravit; Florentiæ etiam in Academiâ, optima semper edidit specimina; ut propterea illicò innotesceret: & in Germania dehinc Rudolpho quoq; II. Imperatori Romanorum opera elaboraret varia, multâ arte insignia. Divulso autem, ex obitu Imperatoris, Parnasso Pragensi, Frisius quoque noster abhinc Augustam abiit, ibidemque Fontes illos artificiales celeberrimos, quorum omnes statuæ è metallo fusæ sunt, paravit: ubi in uno Hercules apparet bis ferè viventium quantitate major, Cerberum perdomans, cum Nymphis & imaginibus aliis undas effundentibus & ornamentis similibus plurimis: In altero autem Mercurius collocatus est, cui Cupido alam pedi alligat; prout hæc à Lucâ Kiliano figuris æneis expressa sunt.

In Italiâ, Florentiâ & Germaniâ celebris.

VI. GEORGIUS PETELIUS Statuarius,

WEilheimi in Algovia natus fuit, patre statuario haud de infimis: cumq; in Templo S. Udalrici Augustano chorus & organum statuis quibusdam rarissimis exornarentur, hic noster quoq; ad eandem professionem applicabatur; ubi, quemadmodum urit maturè, quod vult urtica manere, sic ipse quoq; hisce laboribus tantoperè confestim excitabatur, ut inter omnes cooperatores, pro illo laborum genere, specimina ederet præstantissima. Postmodum autem ad ipsam istarum Artium Matrem & Scholam, Romanam sc. Urbem, advolans, judicium suum usq; adeò expolivit, ut generi sculpendi tam antiquo quàm moderno assuesceret, operumque illorum ideas sibi formaret argillaceas; quibus deinde magno cum decore in omnibus sculpturis suis eburneis usq; adeò utebatur, ut laudes ejus undiquaq; dimanarent, præsertim cum & Petrum Paulum Rubenium dehinc magno studio frequentaret, modumq; ejus pingendi quàm diligentissimè observaret, quem deindè in imaginibus suis eburneis tam sacris quàm profanis studiosè imitabatur.

VI. GEORGIUS PETEL Sculptor.

Romam venit.

Postea autem in Sueviam iterum commigrans, labores suscipiebat plurimos tam eburneos, quàm statuarum lignearum majorum, quas magno cum judicio, manuq; veloci feliciter absolvebat; undè promotio ejus non minus generatim, quàm apud Comitem Fuggerum, technophilum insignem mirum in modum efflorescebat. Contracto autem matrimonio, & institutâ re familiari, vitaq; modestiore, desideratâ haud diu fruebatur tranquillitate, quod juratus ille felicioris connubii hostis, femina mox discordiæ in domo ejus disseminaret; Unde ipse tanquam pacis sectator stre-

In Sueviâ regreditur.

In Belgiū secedit. strenuus, abindè in Belgium secedens, cum amico suo vetere Rubenio ulteriorem excolebat familiaritatem, & operâ ibidem elaborabat eburnea longè nobilissima: inter quæ Apollo fugientem persequens Daphnen; & alia denas interdum & duodenas continentia figuras, tantæ magnitudinis, quantam maximi admitterent Elephantorum dentes, qui ibidem veneunt pulcherrimi. Sic cantharos quoq; aliquos elaborabat variis sculpturis insignes; in quorum uno Bacchanalia, cum figuris Sileni, Faunorumq; & Satyrorum variorum; in alio autem Naturam effiguraverat matrem, cui Sirenes, Tritones aliæq; Nymphæ, Diiq; tam fluviorum, quàm marini diversa maris dona offerrent; in alio Pomonam exhibuerat, ab Apolline & Iride visitatam: item Helenæ raptum; cum plurimis aliis; & imagine pariter crucifixi majore, quæ omnia intra biduum maximo divendebantur pretio. (Opera ejus.)

Augustam redit. Cum igitur Petelius hac ratione uberrimè sese recollegisset, uxoriq; reconciliatus esset, collectis picturis tam Rubenii quàm Dickii plurimis egregiis, Augustam Vindelicorum revertebatur, ibidemq; opera adhuc multò præstantiora elaborabat; hoc unico culpabilis, quod, imitando methodum Rubenianam in picturis satis licentiosam, sculpendo quoq; liberalior paulò existeret, quàm sat esset. Quamvis enim in picturis quæ plano immittuntur fundo, nec ex adversâ parte conspici possunt, extravagari quandoque liceat; in sculpturis tamen, quæ undiquaq; patent oculo, cum error mox deprehendi queat, id minimè concessum est; prout & antiqui istud errandi genus omnibus modis evitarunt. Hic igitur, cum aliàs ipsum Antiquorum fundamentum satis pernosset, spe latendi tamen inter ignaros horum, minus interdum erat accuratus. Opera autem illius sedulò conquirebantur; ex quibus, cum omnia recensere prolixum nimis foret, principaliora saltem enarrabo. Inter quæ, viventis mole, imago Christi à Pilato ostentati: Imago B. Virginis venustissima filiolum tenens, quæ Augustæ Vindelicorum apud Patres Dominicanos extat. Porrò apud Patres Societatis Jesu Imagines Sancti Sebastiani, Rochi, Ignatii, & Xaverii viventium magnitudinem excedentes. Sic quoq; in templo Discalceatorum supra suggestum, Imago Jesuli crucem tenentis: nec non imago S. Sebastiani, viventis quantitate: porrò imago S. Floriani & Christophori juxta altaris illius latera declivia. In templo S. Mauritii, imago crucifixi, viventis molem superans. In Xenodochio imago crucifixi alia quadripalmaris; in quâ exanimationem Dominicam egregiè effiguravit, corpore ob gravitatem dependente insigniter, & clavis affixo singulariter utroq; pede: cujus tanta judicata fuit dignitas, ut forma hæc argento fuso transsumta fuerit, quam in singularem Petelii hujus laudem, qui magnum erat Germaniæ nostræ decus, in technotheca mea adhuc asservo. Similemq; crucifixi Imaginem etiam Serenissimus Dux Neoburgicus, Dominus meus gratiosissimus, in technophylacio suo, cum aliis operibus eburneis rarissimis possidet, à Comite Fuggero è singulari civilitate eidem concessis: unde memoria Artificis hujus præstantissimi, quoties cunq; à Principibus variis hospitio ibidem exceptis, ista conspiciuntur, adhuc cum laude recolitur. Obiit autem in Domino circa annum Christi 1636. (Opera hujus loci. — Magnum erat Germaniæ decus.)

VII. LEONHARDUS KERNIUS, Statuarius.

VII. LEONHARD KERN, Sculptor.

E Loco quodam districtus Franconiæ, à Sylva Ottoniana cognominati prognatus, in Italiâ diu commoratus est, non tantum sculpturæ, in quâ insigniter excelluit, sed & Architecturæ exercitiis distentus: in Germania autem deinceps durantibus belli tumultibus multa pertulit. Multa autem confecit sculptilia, tam lignea quàm lapidea, partim viventium magnitudine, partim minora, per totam quasi Germaniam dispersa: in specie autem Norinbergæ, ipsius manu è lapide sculptæ sunt quatuor Monarchiarum imagines in porta majore celeberrimæ istius loci curiæ conspiciendæ, quæ solæ efficerent, ut famigeratissimis annumeretur Germaniæ artificibus. Mortuusq; tandem est senio gravis & annum excedens octogesimum. (Opera ejus.)

Filii ejus CONSTANTINUS. Filius ejus natu major Constantinus Kern, arti pictoriæ addictus, juvenis erat tam formæ quàm ingenii & morum elegantia commendabilis: morbo autem correptus ex Italia rediens, aliquatenus quidem restitutus est, postmodum tamen infausto quodam casu Herbipoli recidivam passus, post diuturna morbi tædia in patria tandem in medio annorum flore obiit.

JACOBUS. Alter filius ejus Jacobus Kern juvenis insigni pariter & pulchritudine & prudentia, necnō civilitate decorus, patris artem amplexus est, nempè statuariam, in quâ egregios præsertim in Italia fecit progressus, majori etiam libertate, quàm Pater, laborando divagatus. Uxorem autem duxit Norinbergæ Georgii Schwanhardi filiam Mariam: quâ primo statim matrimonii anno in partu exanimatâ, in Hollandiam abiit, ubi Amstelodami in nova illa curia, opera elaboravit pulcherrima plurima: deindè & in Angliam progressus tam pro Rege, quàm pro technophilis aliis plurima sculpsit, tandemq; Londini, cum ad iter in patriam se accingeret, repentino correptus morbo, anno ætatis circiter 36. fatis concessit, monumento ibidem hono-

CHRISTOPHORUS. ratus splendido. Tertius illius filius Christophorus, Jacobo quoad vultum simillimus, militaribus initiatus est studiis, gradumq; tandem assecutus Locumtenentis. Adhuc alius Heinricus studia liberalium Artium excoluit, gradumq; quantum ego percepi, Doctoris tandem assumsit.

VIII. GEORGIUS PFRUNDTIUS Architectus militaris & civilis,

VIII. GEORGIUS PFRUNDT. NAtus est Flachslandiæ, qui est pagus in vicinia Winshemiæ in Franconiâ anno 1603. patre fabro lignario, cum autem illius loci Nobilis, de familia Crailsheimensi singulare in puero hoc deprehenderet ingenium, Norinbergam eundem misit, inq; arte plastica à N. Vestio figulo & plaste peritissimo; & deindè in statuariâ quoq; informari curavit; undè, quantum ego comperi, eidem Nobili varia quoq; opera & monumenta sepulchralia exsculpsit. Porrò Mergentheimum ad Teutonici Ordinis Magistrum, qui de familia Stadianensi erat, pervenit, ibidemq; in variis artibus & scientiis, præsertim in Architecturâ tam civili quàm militari, quam posthac apud Carolum Fridericum Reichium Architectum militarem celeberrimum, ulteriùs excoluit, sese exercuit. Ingruente dehinc bellico in Germania tumultu, Architecturam militarem sub Bernhardo Duce Vinariensi professus est, (Architectus fit Bernhardi Ducis Vinariensis.) accepto in duos vel tres equos stipendio: porrò autem in prælio Nordlingensi, sub clade illa Suecica captus; & post varia mala, mortisq; pericula iterum dimissus, ad Dominum suum pristinum, Bernhardum Vinariæ Ducem rediit, eidemq;, durante obsidione Brisacensi, ob fidelia servitia gratissimus fuit.

Postmodum Argentorati in morbum incidit lethalem, ut per aliquot horas pro mortuo etiam sit habitus; tolerato autem haud parvi temporis decubitu, recovaluit; ductaq; uxore, Lutetiam abiit; (Itinera ejus.) ubi Veterinariâ primum medicinâ, deinde plasticâ cerariâ artificiosissimâ innotuit, celeberrimi Varini gratiam tam in cælando chalybe, quàm in plasticâ hac sectatus. Porrò autem in Germaniam, & quidem Norinbergam rediit, in Conventum ob Executionem Pacis ibidem institutum; elaboratisq; operibus variis pulcherrimis, mortuâ uxore, Ratisponam in Comitia ad Coronationem Imperatoriam discessit: finitâ Diætâ Norinbergam redux. Abhinc Winsheimium pervenit, quæ patria erat secundæ uxoris ejus, cum quâ aliquot filias, prout & è priori matrimonio diversos genuit liberos, è quibus duæ adhuc filiæ, & altera quidem Anna Maria Parisiis nata, in fingendis ceris, multis laudibus nota, supersunt. Mox, vocante Archiepiscopo, Salisburgum abiit: & porrò Stutgardiam ad Würtenbergiæ Ducem; iterum ad Electorem Palatinum; tandemq; ad Marchionem Durlacensem; quibus in locis ad numismata Principum extraordinaria, & ordinaria, in quibus singulari perfectione excellebat, typos præparavit varios, unà cum operibus aliis pulcherrimis. Tandem autem Durlaci hydropis malo, quod in crure deniq; prorumpendo exitum quæsiverat, anno 1663. extinctus est. (Durlaci extremũ obit diem.) Vir autem dici potuit, in quem non minus cœlum, quàm natura, omnia sua dona quàm liberalissimè effudissent, quod in omnibus scientiis tam Philosophicis & Metaphysicis, quàm Chymicis & Medicis atq; similibus peritissimus esset: prout & in mæchanicis aliisq; artibus manuariis, ut sunt diagraphica, pictoria, chalcographia rosoria, sculptura, cælatura chalybis, plastica Xylographica & similes, exercitatissimus erat. Unde in ipsius honorem elogium quoddam Germanicum conscriptum fuit, cujus hic est sensus: (Ejus Elogium.)

Splenduit ingenio, secli hoc mirabile lumen;
Atq; manu: sic laude suâ splendebit in ævum.

IX. SCULPTORES GEMMARUM, inter quos HEINRICUS ENGELHARD.

IX. SCULPTORES GEMMARUM Antiqui. ARs sculpendi gemmas, nec non crystallum, ob diaphaneitatem pellucidam & frusta majoris quantitatis ad vasa varia conficienda maximè idoneam, ab antiquissimis in usu fuit temporibus: primusq; illius inventor, juxta Sacrarum literarum testimonium Exod. 35. meritò statui potest BEZALEEL, (Bezaleel.) quem Deus ter optimus spiritu sapientiæ in hunc finem implevit. Subsecutis temporibus Pythagoræ Philosophi illius celeberrimi Pater MNESARCHUS (Mnesarchus.) gemmarum sculptor artificiosissimus fuisse dicitur; ut & sympatriotæ ejus, THEODORUS & TELEDEUS (Theodorus. Teledeus.) fratres Samii, quorum prior Smaragdum Polycratis sculpsisse fertur. Imperante Alexandro Magno hac in arte PYRGOTELES (Pyrgoteles.) usq; adeò excelluit, ut Monarcha iste edicto vetuerit publico, ne ab alio effigies ejus in gemma sculperetur. Post istum APOLLONIDES & CROMIUS (Apollonides. Cromius.) singulariter celebrantur, quorum aliqua etiam adhuc extant opera. In summo Imperii Romani flore inter alios, qui gemmas partim elevando partim excavando sculpsere, DIOSCORIDES (Dioscorides.) in specie laudatur; qui iconem Augusti Imperatoris in gemmâ tanta arte signaverit, ut & subsequenter Imperatores eâdem pro sigillo usi sint. Sic & VALERIUS (Valerius.) quidam, cujus opera pariter adhuc extant, singulari in hoc genere famâ excelluit.

Vaso-

Vasa cry-stallina.

Vasorum crystallinorum varia quoque, apud autores tam Philosophos, quàm Historicos & Poëtas, fit mentio; & quanto in pretio fuerint tam inter Græcos quàm inter Romanos & nationes alias; ut supervacaneum sit ipsas hic allegare prolixiùs autoritates.

Eademq; & vitri est ratio, quod casu fortuito apud Phœnices inventum fuisse dicitur, & prout crystallum pelluciditate imitatur, ita eodem modo sculpturis exornatum fuit variis, testantibus id Autoribus, tam Græcis quàm Latinis pluribus, inter quos Achilles Tatius Alexandrinus in libro de Amoribus Clitophontis & Leucippes, cujus verba à Francisco Junio è Græco translata hæc sunt: A Glauci Chii cratere alterum poculum adhibuit. E cælato id vitro erat, ejusq; oram vites in eo ipso natæ coronabant: à quibus racemi passim pendebant sicco omnes poculo acerbi: immisso autem vino paulatim rubentes & maturi. Inter racemos verò Dionysius effictus erat, ut vitem coleret. Et Plinius lib. 36. cap. 26. inquit: Vitrum aliud flatu figuratur, aliud torno teritur, aliud argenti modo cælatur &c.


Suborto autem, ob irruptiones Barbarorum, Imperii Occidentalis interitu, non omnes tantum scientiæ, quæ ibidem floruerant, artesq; reliquæ omninò periere, sed inter alias & ista sculpendi gemmas ratio ignota penitus permansit. Cumq; à duobus retrò seculis eædem artes ob invasionem Turcarum ex oriente pariter fugatæ in terris hisce occidentalibus locum iterum reperirent, in hâc quoq; sculpendi gemmas, crystallumq; & vitra, arte nobilissimâ, varii rursum emersére artifices; interq; hos in priori seculo HEINRICUS ENGELHARDUS, qui Norinbergæ in platea laterariâ domicilium habuit, & in gemmarum metallorumq; genere opera tam artificiosa elaboravit, ut Albertus quoq; Dürerus, illius coævus, vicinusque & amicus, ipse fateatur, se eidem similem nec in Germaniâ reperisse, nec in Italiâ.

Heinricus Engelhard Gemmarum Sculptor.

X. MISERON Gemmarum Sculptor.

X. MISERON.

IMperante Rudolpho II. Imperatore Romanorum gloriosissimæ memoriæ, qui verus erat omnium artium Pater atq; Nutritius, præ cœteris in hoc artis genere ita excelluit, ut ob opera ejus è gemmis atque crystallo elaborata rarissima & admiranda, quæ in Gazophylacio Cæsareo adhuc extant, non honoraria saltem ei obtulerit maxima Imperator, sed & thesaurarii officio ipsi prospexerit, inq; Baronum ordinem eum elevarit, adjectis ditionibus & prædiis opulentissimis.



XI. DIONYSIUS MISERON Gemmarum Sculptor.

XI. DIONYSIUS MISERON.

PRædicti artificis filius, Dominus de Lisom, hæres fuit non generis tantum paterni; sed & artis, atq; officii & bonorum, & tempore Successoris prædicti Imperatoris nova semper opera artificiosissima in Gazophylacia Cæsarea tam Viennense quàm Pragense cumulavit; cumulos pariter laudum suarum adaugendo. In specie celebre jam est per universum quasi terrarum orbem Vas illud crystallinum ingens viriq; longitudinem exæquans, quod ipse è quatuor inventis in Helvetiâ crystallis, bipedalis altitudinis & semipedalis latitudinis coagmentavit, easdem sibi invicem superimponendo, elegantiq; proportione sic elaborando, ut omnibus istius generis operibus merito hoc sit præferendum. Præterea varia adhuc opera alia pretiosissima exsculpsit è crystallo montanâ, Sardâ, Achate, gemmisq; aliis, quorum omnium enarratio nimia lectorem obrueret prolixitate: In variis enim figuris, foliorum gyris, Alabandæis, Architectonicis & similibus, juxta accuratas Artis regulas elaboratis, sculpturis, tantâ fuit promtitudine & peritia, ut omnibus aliis hac in arte longè fuerit superior: mortuusque tandem est haud ita pridem.

Ejus opera.

XII. FERDINANDUS EUSEBIUS MISERON.

XII. FERDINANDUS EUSEBIUS MISERON.

DIonysii præmemorati filius, Dominus de Lisom, hæres artis paternæ exasse, qui non tantùm in opere supradicto crystallino Patris fuit adjutor, sed sublimis ingenii sui tanta edidit specimina propria, ut Sacra Sua Cæsarea Majestas, quæ sceptra nunc tenet, in officio honoribusq; paternis eundem gratiosissimè confirmaverit: quamvis eo dignior quoq; vix reperiri potuisset, cum nihil sit veriùs, quàm quod exoticis omnibus, Gazas Cæsareas, & opera thesauri artificiosissima, spectaturis, miram exhibeat benevolentiam, multâque comitate singula tam maxima quàm minima commonstret.

XIII. CASPARUS LEHMANNUS Gemmarum Sculptor.

XIII. CASPARUS LEHMANN.

IMperante Rudolpho gloriosissimæ memoriæ artem cælandi vitri de novo iterum invenit, inq; lucem produxit, pro quo invento prædictus Imperator Lehmanno huic, qui sculptor erat gemmarum & vitri, Suæ Majestatis cubicularius, non prœmium saltem exhiberi jussit munificentissimum, sed magnis eidem quoq; prospexit privilegiis, prout apparet è Diplomate Cæsareo, sub dato Pragæ 16. Martii anno 1609. huic Lehmanno gratiosissimè concesso, cujus originale adhuc extat, & inter alia sequentia continet formalia: &c. Notum

Ejus Privilegia Cæsarea.

facimus

facimus omnibus, Casparum Lehmannum sculptorem nostrum Gemmarum atq; vitri, cubicularium, humillimè nobis significasse, se jamjam post aliquot annorum decursum, magno conatu, diligenti meditatione, sumtuq; haud exiguo, Artem cælandi vitra adinvenisse, ipsoq; opere laborem illum exercere &c. Quam ob causam eidem Casparo Lehmanno, Sculptori nostro Gemmarum & vitri, cubiculario, singularem hanc gratiam exhibuimus, istoq; eum donavimus privilegio; quod illi quoq;, vigore harum literarum scienter hoc ipso conferimus; in hunc modum & hac ratione, quod prædictam noviter ab ipso repertam artem, atq; laborem, ubiq; liberè & absq; perturbatione eidem exercere & instituere, neminiq;, quisquis ille tandem fuerit, ipso invito idem artis genus profiteri, exercere, & opera talia venalia exponere vel venundare liceat. Ex quo mandamus omnibus atq; singulis Electoribus, Principibus &c. &c. omnibusq; aliis nostris, & Imperii, Regnorumq;, Ducatuum hæreditariorum & ditionum nostrarum subditis atq; fidelibus, cujuscunq; Dignitatis, status & conditionis iidem fuerint, seriò & validè his literis, ut præmemoratum Casparum Lehmannum, Sculptorem nostrum gemmarum atq; vitri, cubicularium, in hoc Privilegio nostro Cæsareo firmiter conservent, illumq; vel illos, qui in terris, ditionibus & territoriis illorum eidem contravenire ausi fuerint, ad petitum Inventoris vel illius Mandatarii, pœnâ debitâ mulctent; nullatenus id recusantes, nisi incidere velint in Sacræ Cæsareæ Majestatis nostræ indignationem atque pœnam, nec non mulctam expressam viginti scilicet marcarum auri solidi &c. &c.

Lehmannus autem hic, insignem hanc gratiam profectò haud abs re promeritus fuit; quoniam ipse & socius ejus ZACHARIAS BELZER (qui ambo Johannis Aquani & Pauli Vianensis amici erant intimi, & plerumq; in Aula Cæsarea in iisdem degebant cubiculis;) opera tam præclara & artificiosa in crystallo atq; vitro (quorũ aliqua adhuc in Gazophylaciis Cæsareis, & in Sede Electorali Monacensi asservantur:) elaborarunt, ut illa omnium technophilorum admirationem atq; laudum excitent immensam.

Zacharias Belzer.

XIV. GEORGIUS SCHWANHARDUS Statuarius & Sculptor Vitri, Senior,

XIV. GEORGIUS SCHWANHART.

Majores habuit Heltburgo in Comitatu Hennebergico oriundos; avum Johannem Pastorem Rotenburgensem; Patrem Johannem similiter Scriniarium & Sclopi - compactorem artificiosissimum, qui non tantùm opera sua variis figuris conchyliatis exornavit, sed subscudes quoque sive laminas undulatas invenit, à genero deinde suo Jacobo Hepnero divulgatas, ipse autem in pueritiâ suâ à patre Scriniariam, & porrò à Christophoro Harrigio Statuariam; deinde Pragæ quoq; Holosericotomiam, quæ ars tum temporis maximi æstimabatur, didicit: & tandem prædicti Lehmanni, in recenter tum inventâ arte cælandi vitra, discipulus fuit legitimus; à quo etiam, ut & à Paulo Vianensi (qui huic nostro variis delineationibus præivit) ob egregiam ingenii capacitatem, tenerrimo amoris affectu fotus fuit, ita ut Lehmannus, qui cælebs Schwanhardo præsente obiit, huic moriturus Privilegium suum, cum aliis variis, jure hæreditario traderet. Hic igitur deinceps artem hanc ulteriùs excoluit, variisq; inventionibus, præsertim politurædiaphanæ mirum in modum adauxit: cumq; præterea in variis quoq; scientiis versatus esset & judicio polleret acutissimo, nec non de arte suâ & annexis modesto quidem sed profundo sermonis genere audientium benevolentiam captare soleret; hinc favorem quoq; sibi comparavit tam Imperatoris, quàm Regum, Electorum & Principum, omniumque singulari eruditionis artiumque laude conspicuorum: unde Sacra Imperatoris nuper defuncti Majestas prædictum privilegium adhuc ulteriùs & in duos Schwanhardi filios extendit atq; continuavit; nec non titulum illi, Sacræ Suæ Cæsareæ Majestatis, totiusq; Domus Austriacæ Ministri & Negotiorum in technicis gestoris, omnium gratiosissimè contulit atq; confirmavit.

Artem statuariam discit à Christophoro Harrigio.

Quamvis autem artifices prædicti vitri hanc cælaturam, ratione fundamenti & diagraphices ad istam adduxerint perfectionem; ob instrumenta tamen nimis cruda & aspera venustas & grata mollities ab illis nullo modo exprimi potuit: ut mirum omninò sit, quomodo beneficio tam magnæ gravisq; molis instrumentorum atq; rotarum, quibus movendis atq; gyrandis adjutores & rotatores adhibendi fuerunt, (à quibus grassantia adhuc Zizania superficiariorum,) hæc adhuc præstare potuerint, quæ præstiterunt. Unde cum instrumenta commodiora & aptiora, sedulâ adhibita curâ, crebrisq; exercitiis, tandem adinventa sint, moderna vitri cælatura respectu laboris primi durissimi, pro otio tantum & recreatione haberi potest; ita ut naturalis quoq; omnium rerum gratia atq; venustas, tam in imaginibus humanis, quàm in animalibus, & plantis, nec non subdialibus, iconibus & aliis, modò quis cum ingenio diligentiam quoque adhibeat, commodissimè exhiberi queat. Adde quod moderni vitrorum cælatores, his jam repertis commoditatibus, apud technophilos longè majores sibi struere

Differentia inter cælaturã vitri primævam & modernam.

possent

possent laudum cumulos, si delineationibus & peregrinationibus potiùs, quàm maturis delectarentur connubiis, ubi pro pane lucrando omnis instituendus est labor.

XV. HEINRICUS SCHWANHARDUS,

XV. HEINRICUS SCHWANHARDUS.

Prædicti artificis filius, cum fratre Georgio professioni paternæ pariter addictus fuit. Quamvis enim studia primitus excoleret, Philosophiæq; & Poësi operam potissimum daret: cum tamen naturali semper ad artem paternam ferretur amore, in quâ initia jam habebat optima, tandem per continuata in eâdem exercitia ad tantam emergebat perfectionem, ut patrem multis superaret parasangis; præsertim quod in Academiâ tam nostrâ quàm aliis diagraphicam tam nudarum quàm vestitarum imaginum sedulò curasset.

Integras urbes in vitro cælat.

Hic igitur Schvvanhardus non tantùm campestria varia, sed & integras urbes & inter alias Norinbergam quàm emendatissimè & proportione optimâ, observatis etiam Prospectivæ regulis, ut distinctè agnosci queat, in vitro tam accuratè cælavit, ut picturæ non cedat, quo in genere omnes antecessores suos longissimè post se reliquit.

Vitri rodendi artificium invenit.

Quin imò subtilitate ingenii sui id tandem eruit, quod pro impossibili judicatum est hactenus, tale nimirum corrosivum, quo vitri durities vinci, &, metallorum atque lapidum instar, rosiones suscipere cœpit, tam concavas quàm convexas; cum illud hactenus tamen omnium spirituum optimum fuerit receptaculum. Qua in arte nuper demum specimen edidit clarissimum, dum ornamenta varia & inscriptiones quasdam tam politè & accuratè rosionibus suis in vitro expressit, ut impossibile videatur, majorem hoc in genere adipisci perfectionem: nisi sedula artificis hujus meditatio & ingenii acumen insigne, subtilitates fortè adhuc ulteriores in lucem producat. Imagines enim humanas integras partim nudas, partim vestitas, cum animalibus, floribusq; & herbis variis jam jam exprimere novit naturæ simillimas, inque illarum exaltatione ad magnum ascendit gradum.

Et in eo excellit.

Georgius Schvvanhardus Junior.

Frater ejus Georgius Schwanhardus in Sculptura crystalli multum quoq; progressus fuit; sed quod dolorosâ nimium vexaretur arthritide, ab ulteriore perfectione impeditus, ultimum tandem obiit diem.

XVI. NICOLAUS MILLICHIUS, Statuarius Suecicus;

XVI. NICOLAUS MILLICH Statuarius

Antverpiæ natus est, quo in loco arte suâ primitus etiam inclaruit, donec tandem fama illius in Sueciam usque evolaret, quo eundem Regina tùm Vidua Hedwigis Eleonora, Domum quandam voluptuariam pulcherrimam extructura anno 1669. vocari curavit, ut eandem statuis exornaret marmoreis.

Opera ejus: Minerva.

Primum igitur opus ejus, quod in Sueciâ perfecit, Minerva fuit viventis molem æquans marmorea, quæ absq; admiratione vix conspici potest; cùm partes illius nudæ non marmoreæ, sed carneæ videantur, tunica tam laxa tamq; ordinata, gestusq; tam sit venustus atque gratus, ut nullâ satis laude decantari queat. Præterea novem quoque Musas cum Apolline; nec non sedecim Virtutes, viventium quantitate omnes, è marmore suscepit sculpendas, quæ si prototypis futuræ sunt similes, famam ejus insigniter dilatabunt.

Musæ cum Apolline. Sedecim virtutes.

Ejus Elogium.

Cœteroquin inventione rarus est, judicio acutus, in Antiquitate istius artis fundatus, delineatione nobilis, venustate commendatus, actionibus argutus, in partibus nudis carnosus & mollis: eaque omnia tam in marmore & metallo, quàm ligno; præsertim in operibus majoribus: undè si Deus vitam ipsi concesserit, quod ob ætatem, & vitam ejus sobriam omninò speratur, cum quinquagesimum ætatis annum paulò nunc transgressus sit, in regno hoc, cum immortali gloriâ suâ, opera adhuc effecturus est præclarissima; quèm in finem haud parum conducit marmor illud nobilissimum, quod ad illius inquisitionem in regno illo nunc effoditur. Animo autem semper est hilari, & ad vitam omni virtutum genere condecorandam prono.

XVII. NICODEMUS TESSINIUS Architectus Suecicus,

XVII. NICODEMUS TESSIN, Architectus Suecicus.

Anno Domini 1619. in Germaniâ, urbe nimirum Stralsundinâ, parentibus primariis natus, in juventute suâ ad studia primùm adhibitus est: mortuis autem maturè nimis parentibus, cùm singularis in illo elucesceret delineandi ardor, agnati eum Architecto cuidam militari Suecico commendarunt, â quo in Arte Fortificatoriâ informaretur: in quâ etiam eousque profecit, ut anno ætatis decimo nono ad servitia Suecica Regia admitteretur, & expeditioni simul interesset. Animadvertens autem, vires corporis sui non usquequaque validas esse, ad Architecturam civilem se applicuit; in quâ etiam tantos fecit progressus, ut Regina tum Sceptrum gerens Christina anno 1645. Architecti manus illi conferret, eumque ut in Architecturâ Italicâ meliore eò magis exerceretur, in Italiam mitteret: ubi etiam tam Romæ, quàm in aliis Italiæ & Galliæ locis, tantam adhibebat diligentiam, sive Architectos consulendo peritissimos, sive opera primaria tam antiqua quàm moderna intimiùs considerando & delineando, ut post reditum in Sueciam in regiis semper ma-

Italiam & Galliam invisit.

neret servitiis, àq; Regibus non minùs quàm magnatibus Regni omni coleretur favore atq; honore. Inter alia opera ejus primaria sunt ædificia illa, sub illius directione à Reginâ Hedwige Eleonora vidua extructa Regia, Dronningholmense & Strömsholmense: Sic quoq; Holmiæ Monumentum Regium Caroli Gustavi Suecorum Regis gloriosissimi. Sed & ipsa Stockholmensium Urbs, & alia illius regni loca plurima Palatiis & ædificiis pulcherrimis ipso consulente exornata sunt, quorum nonnulla typis quoq; æneis publicè prodierunt: Unde certa nascetur nomini ejus immortalitas; cum Architecturam Italicam, quam optimam esse novimus, & optima illius exemplaria semper sit secutus, eandemq; his in terris tam reddiderit usitatam, ut & privati quilibet nihil amplius extruant, sive magnum sive parvum, quod, fundamenti loco, hoc non nitatur struendi genere, unde Architectura in isto regno tantoperè florere cœpit, quàm in ullo Europæ loco alio. Cœterùm vitam agit tranquillam, sobriam, piamq; & candidam; diligensq; est in labore, officiosus inter amicos, & affabilis in conversatione.

Ejus opera primaria.

Ejus Elogium.

XVIII. COPÆUS Belga, Statuarius,

XVIII. COPE FIAMENGO, Statuarius.

Sculpturâ rerum minutarum ante omnes alios Romæ celebris erat, & anaglypha plerumq; semiplena elaborabat plurima prototyporum loco, pulcherrimo, & ingeniosa, ad ritum antiquorum; quæ fusa pro operibus antiquis haberi possent; qualia ex auro, argento, metallo mixto, plumbo & cerâ variè fudit, quæ à technomatophilis in varias transportata sunt provincias, & conquisita sedulò, quin & apud nos plũbea in Musæis numismaticis adhuc diversimodè extant, quod delineatio ejus magnum præ se ferret artificium, optimisq; antiquorum operibus quàm simillima esset. Elaboravit autem fabulas Ovidianas diversas, & alias, Græcorum more, sive elliptica sive octangulari forma, nec non quadratâ: item figuras eburneas elegantissimas & artificio plurimo insignes; sed parvas saltem omnes. Sic sacra quoq; nonnulla perficiebat, & inter alia Imaginem D. Virginis, Christum mortuum gremio tenentis minori mole; quæ admirationem meretur extraordinariam: in minutis enim artificio excellebat incomparabili.

In minutis excellit.

Cum autem à Domino Contarellio statua quædam marmorea viventis magnitudine elaboranda, S. nimirum Matthæi Apostoli & Evangelistæ imaginem referens, eidem committeretur, quæ in templo S. Ludovici Gallico Romæ locaretur, hic noster totam quasi vitam suam isto labore insumebat: quamvis enim in marmoreis nullam haberet experientiam, laborem tamen suum nemini ostendebat, nec ullius hominis expetebat consilium. Interea ultima senii ejus approperabat crepido, ut octogenarius esset; adeoq; statua hæc remanebat imperfecta, prout illa adhuc existit in templo Trinitatis Peregrinorum ad dextram: ubi Angelus atramentarium tenens à Pompejo Ferrucio sculptus est. Cum enim Contarellius statuam ipsam videret, & pro opere quodam rarissimo, simulacrum offenderet exsuccum & aridum, istud in templo hoc erigi nolebat; sed illius loco Michaël Angelus Caravagius tabulam pingebat imaginem D. Apostoli Matthæi exhibens: prout in vitâ Caravagii hujus commemoratum est.

In magnis autem inexpertus est.

Copæus autem cum nemine conversabatur, sed solitarius atq; singularis vivens; nec virum nec fœminam intra domum suam intromittebat: cum autem ægrotaret, fune per fenestram corbulam demittebat, cum schedulâ, in quâ desiderium suum exarasset; vel vicinum aliquem ad se vocabat, cui, quid sibi emi vellet, committeret: atq; sic seminudus, pallore squalidus, semimortuus, ocularia semper in naso gerens, corbulam suam sursum trahebat; adeoq; vitam agebat verè misanthropicam: in quâ etiam tandem Romæ obibat circa annum 1610.

Vita ejus misanthropica.

XIX. FRANCISCUS de QUESNOY, Statuarius,

XIX. FRANCISCUS de QUESNOY.

Vulgo Fiamengo sive Belga dictus, natus est Bruxellis anno 1592. patre sculptore optimo, cujus etiam in arte hac discipulus erat: ubi in teneris statim annis spem faciebat artis eximiæ, dum illo jam tempore puellos istos, qui in frontispicio templi Patrum Societatis Jesu extant, è marmore sculpserit pulcherrimos; nec non ex ebore Passionem Dominicam: quæ tantopere placebat Alberto Archiduci, ut pecuniam & omnia necessaria huic nostro procuraret, quo Romam abire, ibidemq; statuas tam antiquas quàm alias conspicere posset: quod etiam fecit, statuarumq; clarissimarum, (quales sunt Laocoontis, & Antinoi simulacrum, truncus Herculis, Nilus fluvius, & aliæ) exempla ex argillâ formavit sedulitate maximâ.

Romam venit.

Deinde ex ebore imaginem Christi in cruce pendentis sculpsit sesquipedalem, tantâ arte, ut Urbanus Pontifex maximus, conspecto labore hoc judicium artificis eximium suprà modum admiraretur, eundemq; singulari prosequeretur favore. Dehinc plurima etiam anaglyphica fecit simi operis; & in specie puerulos inserendo varios: interq; illa Silenum dormientem, juxta Virgilii mentem, quem pueri quidam

Opera ejus.

racemis atq; palmitibus vinctum, tam diu detinent, donec carmen illis caneret, de quo Ecloga 6. In hoc puerorum opere magnam circa corpora nuda ostendit peritiam, quibus carnositatem quasi naturalem tribuit, ut vivere & moveri viderentur: ubi magnam quoq; elegantiæ laudem inveniunt foveolæ in genibus, cubitis & digitis puerorum expressæ, vultusq; tumore lacteo obesati, quales in pueris natura format, ut istam rerum exhibitarum veritatem nemo adhuc, imò ne ex Antiquis quidem, assecutus sit. Unde pueros tales arte plasticâ è cerâ efformatos quilibet desiderabat, quos etiam velocissimè elaborare poterat, ut nunc per totum quasi universum dispersi reperiantur.

Invidiam Italorum experitur.

Ut autem artifex iste laudatissimus in marmore quoque inclaresceret, cum Itali illum in hoc sculpturæ genere aliquid præstare posse negarent, terramq;, & ceram eum atq; ossa tantùm tractare dicerent; Cupidinem, ex albo marmore pulcherrimo, sculpebat stantem, viventis quantitate, quasi arcum sibi cultro formaret: de quo varia quidem emanabant judicia; sed ita tamen, ut statuarii quidam Itali de præcipuis eundem minimè laudarent, sed per aliquot annos contemtum supprimerent, ut nemo eundem emere cuperiet: donec Ego Romam veniens in Viri istius optimi familiaritatem deducerer, qui ostenso mihi opere hoc conquerebatur, quod propter invidorum quorundam calumnias suppressus hic labor emtorem non reperiret, quo ipso fama ejus satis aliàs favorabilis, nimium quantum offuscaretur. Cui malo Ego, mediante Domino Luca de Uflen, technophilo maximo, mox inveniebam remedium. Quamprimum enim huic per literas de artificio hoc mentionem facerem, mox ille in mandatis mihi dabat, ut emtum ipsi transmitterem: qui maximi deindè Cupidinem hunc æstimabat, & undiq; tanquam opus rarissimũ atq; singulare ostendebat. Quod cum Romæ divulgaretur, tum demum zoili ejus idem opus pariter laudabant, magnoperè pœnitentes, quod illud non prius emissent; tantiq; meriti laborem ex Urbe Romana dimisissent. Hoc autem artificium adhuc amplius extollebatur, cum prædictus Lucas de Uflen, qui technomatophylacium suum celeberrimum Amstelodamum transtulerat, anno 1637. inter vivos esse desiisset, & Principissa Auriaca, quæ recreandi animi gratiâ Amstelodamum venerat, omnia illius Urbis rariora perlustraret. Ubi cum Cupidinem hunc præ omnibus aliis collaudasset, & singulari affectu eundem desiderare videretur, illius Urbis Magistratus sex mille Florenis Hollandicis emtum, cum pretiosis aliis plurimis, margaritis scilicet, Adamantibus, crystallis, Ambra grisea & similibus, dono eidem obtulit; quem illa etiam præ omnibus muneribus lætissima accepit, & Hagæ Comitis in Viridario suo loco tutissimo collocavit, ubi adhuc spectari potest.

Cupido ejus præstantissimi operis.

Interea fama Quesnoji Romæ contra Zoilorum ejus opinionem altiùs semper evehebatur, præsertim cum Susannam Virginem Martyrem palmam manu gestantem elaborasset, quæ in templo D. Virginis Lauretanæ Romæ propè altare locata fuit. Cum enim statua hæc marmorea ob insignem pulchritudinem ab omnibus spectaretur, tantoperè cumulabantur artificis nostri laudes, ut omnes osores & calumniatores ejus victi confunderentur.

Susanna ejus.

Deinceps Urbanus VIII. illorum temporum Pontifex, statuam D. Andreæ duplici viventium mole pro templo Petrino ei dem committebat elaborandam: Utque celeberrimos ævi sui artifices in certamen induceret, simul Longini Statuam à Laurentio Bernino; statuam Helenæ à quodam istius discipulo, & Statuam Veronicæ à Mocchio Bononiensi exsculpi volebat. Dum igitur certando quilibet omnes ingenii intenderet nervos, Quesnojus prototypum primò terreum in templo eodem in tabernaculo, eademq; mole & formâ elaborabat, prout opus ipsum fieri deberet: quod â Pontifice conspectum cum insigniter laudaretur, addito mandato, ut opus primarium eadem formâ absq; morâ elaboraretur: Artifex hic noster libentissimè quidem obtemperasset; à quodam tamen (cujus nomen honoris gratia hic reticeo) tantoperè impediebatur, ut mox marmor illi non præberet, mox illud ad alia impenderet opera; quin & prototypum aliquando noctu quasi omninò corrumperet; imò deputatum quoq; salarium eidem sufflaminaret, ut iste præ tædio tandem quasi desperaret; cum præsertim per integrum quinquennium (quod labore hoc ipsi insumendum erat,) in alios, qui durissimos, in rudi mole anticiparent ictus, expendere cogeretur plurima. Et quamvis Pontifex de erogando absq; mora stipendio menstruo mandata sæpissimè emitteret, ille alter tamen clanculum id moliebatur, ut hic noster vel integro anno nihil acciperet: donec Princeps Vincentius Justinianus, Patronus meus maximus atq; singularis, à me dispositus, ut inchoatum illud opus contemplaretur, amore illius captus statuam aliam Reginæ Cœli è marmore albo viventis quantitate ab eodem confici vellet, prænumerata interea pecunia, quâ Statua Andreana consummari posset. Cum igitur ingens ista moles in templo Petrino loco suo posita esset, Papa festo Paschatos cum totâ aulâ suâ in Pontificalibus templum visitans, loco congruo substitit, demissoque velo primus opus hoc conspexit,

Certamen init cum Statuariis primariis, in elaborandâ statuâ S. Andreæ.

A quodam diu impeditur.

quod inventione suâ nobilissimâ, venustate insigni, proportione & symmetriâ evidenti, vestitu decoro, corporis nudi veritate, & naturali affectus expressione mirum in modum eidem placebat, ut summo propterea afficeretur gaudio; præsertim quod facies Apostoli hujus in cœlum elevata elegantissima pariter & devotissima, imò verè naturalis videretur: undè cum summâ adversarii ejus confusione opus hoc præ omnibus statuis aliis tam modernis quàm Antiquis extollebatur atq; deprædicabatur, fatentibus ipsis Italis huic arti addictis, quamvis aliàs nationi suæ semper plus tribuentibus, vel Michaëlem Angelum Bonarotium ad istud artis fastigium minimè ascendisse.

Opus tamen perficit summo cum gaudio Pontificis.

Porrò ipsius manu icones quoq; Principum variorum è marmore optimæ, simillimæq; & venustissimæ conficebant, Principis nimirum prædicti Justiniani, Cardinalis Sabaudici & similium. Cumq; duo Nobiles Hollandici, Friburgicæ familiæ unus, alter ignotus mihi, duello congressi, tam infeliciter manus consererent, ut alter occumberet; proque admittenda sepulturâ hujus, qui reformatæ fuerat religionis, in templo Germanorum, quod dicitur D. Virginis de Animâ, Epitaphium promitteretur marmoreum, istud similiter elaborabat Quesnojus, sculptis è marmore albo duobus angelis linteum sepulchrale tenentibus, cui inscriptum erat nomen interfecti cum ornamentis aliis elegantissimis. Sed & plura deinceps Epitaphia effecisse dicitur celeberrima, quæ cum post abitum meum demum fuerint posita, meâ narratione commodè haud poterunt describi. Sic enim in templo Campi Sancti puerulus ab ipso sculptus extat, è marmore calvariam tenens, cum pluribus aliis monumentis, ut adeò non Roma tantùm, sed tota præterea Italia, imò totus jam fateri cogatur terrarum orbis, Quesnojum Belgam in arte statuariâ & omnibus illius partibus nõ omnibus tantum aliarum nationum, sed & Italiæ ipsius artificibus tam antiquis quàm modernis longissimè præferendum, & pro Phœnice sculptorum decantandum esse.

Opera ejus alia.

Multa cõficit Epitaphia.

Ad quam summæ artis ejus laudem, encomium quoq; formæ vitæq; ejus paucis annectendum est: cum corpore esset recto, procero, & elegante; crine flavente; genio hilari; animo tamen honesto atque pudico, constante atque benigno, & moribus comis erga omnes atq; affabilis; quæ omnia ipsissima à me extorquet veritas; cum per integrum septennium amici fuerimus intimi, multis invicem officiorum generibus devincti; ubi, quotiescunque ob osores atq; malevolos in angustiis esset, talem semper eundẽ reperi, qualem ipsissima requireret virtus: ita ut si ullum in ipso carpendum mihi esset vitium, hoc unicum reprehenderem, quod mihi non obtemperaverit, inq; societate meâ simul ex Urbe Romanâ excesserit, præsertim tantâ ibidem jam impetratâ laude, sed in vitâ suâ solitariâ atq; simplici, qualem nos exotici ibidem agimus, in proprium sui detrimentum ita perrexerit: donec tandem à Rege Galliæ in regnum illud vocaretur, qui præter salarium annuum splendidissimum, ipsi promissum, mille & ducentos coronatos eidem mittebat: pro quibus imaginem effigurabat Virginis cujusdam martyris quinq; pedes altam summâ venustate atq; arte expolitam; quam Regi mittebat præviam, mox ipse secuturus. Cum autem valetudine haud satis firma frueretur, procul dubio propter tenuem nimis sui curam, quam Romæ habuerat, ob incommoda navigandi in Portu Liburno in morbum incidit, ex quo etiam obiit: in templo Minoritarum ibidem summo cum dolore omnium sepultus, cum à manu ejus felicissimâ atq; celeberrimâ plurimi adhuc sperari potuissent fructus, quippè qui quinquagesimum secundum demum attigerat annum. In perpetuum autem ipsius honorem iconem ejus tabulâ nostrâ N. N. exhibuimus.

Vita ejus civilis.

In Galliam vocatur.

Ab ipso frater ejus, Statuarius & ipse, multa quoq; in hac arte didicit, in vitâ autem morali eundem minimè secutus est. Postquam enim Bruxellis domicilium sibi elegisset, ita ibidem vixit, ut pudore honesto cohibitus, illud recensere non audeam. Sic autem quoq; mortuus est, prout vixit; in egregium omnium mortalium documentum atq; exemplum, Mercedem debitam tam vitio esse, quàm virtuti.

Frater ejus pessimè vixit.

XX. ALEXANDER ALGARDIUS
Statuarius Bononiensis,

XX. ALEXANDER ALGARDE.

TAm ob diagraphicam, quàm ob plasticam & statuariam in urbe illâ celeberrimus erat, quare & Romam vocabatur ad elaborãdas statuas marmoreas haud paucas, quarum sculpturâ laudem quoq; suam insigniter adaugebat. Francisci enim Quesnoji methodum sectabatur, in simulacris humanis, puerisq; & similibus, quod illam præ cœteris omnibus æstimaret: undè etiam post illius abitum pro artificiosissimo & celebratissimo habebatur, quod universali excelleret peritiâ & inventionibus nobilis esset, prout statuæ ejus præclarissimæ, quæ Romæ; & typi quidam gypsei puerorum & aliarum imaginum, qui apud nos extant, satis & abundè demonstrant.

Senio igitur jam gravis, ex morbo tandem Romæ obiit: ubi post mortem ejus apud Senatum Bononiensem Testamentum quoddam illius repertum est, quô,

Legatum ejus.

legato

legato quodam, orphanos aliquos nutriri caverat, qui Statuariam discerent, tamdiù suo sumtu alendi, donec sibi ipsis prospicere possent. Quod propterea fecerat, quia & ipse pauperculus fuerat orphanus; aliorum autem beneficiis eousq; provectus erat, ut divitias sibi acquisivisset insignes.

XXI. FRANCISCUS SARTENSIS Sculptor;

XXI. FRANCISCUS du SART.

GAllo-Belga aliàs dictus, quod ex Hannoniâ esset oriundus, in statuariâ magnis emersit profectibus, Romamq; profectus, gradibus perrexit maximis. Inter alias autem ex albo marmore statuas, Johannem quoq; formabat puerum, qui genibus innixus crucem à Christo susciperet. Promtissimus enim erat & inventionibus dives: cumq; & Uxorem duxisset Romanam, in servitia deinde Regis Anglicani assumtus est, ubi statuas omnes antiquas restauravit, & egregia post se manus suæ reliquit specimina. Ob exortas autem ibidem turbas, Hagam Comitis discessit, ubi Principi Auriaco multas pro horto exornando sculpsit statuas: quin & icones Domini Spiringii, Mecænatis omnium artium celeberrimi, & uxoris ejus è marmore effiguravit elegantissimas: quæ sanè minimè etiam indigna fuit marmoreâ statuâ, ob ingenium tam excellens, virtutem tam prædivitem, & favorem omnium liberalium artium singularem.

Romam proficiscitur.

In servitia Regis Anglicani assumitur.

Hagam Comitis se confert.

XXII. FRANCISCUS FANELLIUS Sculptor,

XXII. FRANCISCO FANELLI.

NAtione Florentinus ob singularem sculpti cujusdam ex ebore Pygmalionis præcellentiam, à Rege Magnæ Britanniæ in Angliam vocabatur, ubi partim simulacra, partim pocula & vasa quædam tam marmorea, quàm eburnea variis figuris Chimæricis elegantissimè exornavit. In specie autem in fusionibus imaginum metallicarum admirandâ usus est dexteritate, cum omnia tam accuratè exprimeret, quàm ipsum prototypon ea requireret, ut nec scalpro nec lima ad ulteriorem polituram opus haberet: in qua fundendi æris arte tantâ porrò excellebat perfectione, ut simulacrum integrum atq; magnum solâ Imperialis crassitie effingeret: in cujus memoriam Ego ipse adhuc artificiosa quædam illius opera metallica asservo.

XXIII. DANIEL NEUBERGER Augustanus, Plastes,

XXIII. DANIEL NEUBERGER Augustanus.

PAtre natus erat, qui & ipse ceras elegantissimè fingebat, sive imagines sive historias effiguraret; undè hic filio suo initia monstrare poterat solidissima, ad ulteriores in hac arte progressus. Istius autem peritia in hoc primò consistebat, quod cerâ, certo modo præparatâ, omnia quàm ingeniosissimè exhibere posset; imò historias & prœlia tam populosa effingeret, ut sæpius aliquot figurarum centurias quàm perfectissimè exprimeret, opere unico; quæ imaginum abundantia & formand celeritas, in arte cerarum plastica nunquam adhuc visa fuit. Præterea artem quoq; invenerat, ceras suas omnibus colorandi modis, quoscunq; ipsa requireret natura rerum, ut homini effigurato omnimodò similes essent: quin & metalla & gemmas colore & fulgore tam naturali referebat, ut sæpiùs veræ judicarentur esse gemmæ, inductis in errorem multis Principibus & artificibus, qui instituto examine etiam eodem cum veris lapillis, pondere illas repererunt.

Opera ejus cerea.

Quas ob dotes singulares, Ferdinandus III. Romanorum Imperator, gloriosissimæ memoriæ, summâ eundem prosecutus est gratiâ, muneribusq; largissimis; ex operibus autem illius cimelia quædam singularia Gazophylacio suo magnificentissimo inseri jussit. Inter quæ, in arcâ quadam majore, tota Metamorphosis Ovidiana admirando ingenio figuris minutis efficta: deinde Icones viventium copiosissimæ & pulcherrimæ, inter quas & Effigies ipsius Imperatoris viventis magnitudine & vestitu ordinario induta, cujus caput atq; oculi sese commovent, totumq; corpus in sellâ sedens, beneficio automati cujusdam assurgere iterumq; residere potest: quæ omnia naturam ipsam & rei veritatem tam argutè referunt, ut cùm aliquando Cancellarius Regni Hungariæ, Episcopus Neutranus per Gazophylacium deductus in hoc conclave veniret, ubi Effigies hæc Cæsarea sedens ad ipsius adventũ assurgeret, caput oculosq; motitando, ille tam inopinam Imperatoris præsentiam stupens in genua prolapsus veniam rogaret, quod non vocatus illuc intrare ausus fuerit, donec à thesaurario elevatus de errore admoneretur.

Metamorphosis Ovidiana.

Effigies Imperatoris.

Sed & magna quædam ibidem spectantur illius opera, & inter alia prœlium quoddam Alexandri Magni clarissimum, figuris parvulis quasi infinitis refertum; in quo enses, thoraces ferrei & galeæ cereæ non colorem tantùm, sed & duritiem ferri omninò referunt, ut sculptores ferri atq; chalybis jurassent, hæc opera è mero fabrefacta esse ferro. Porrò è cerâ quadam temperatâ, magna quoq; elaborabat vasa, Jaspidis, Achatæ, vel Chalcedonii naturam referentia, eaq; tam similia veris, ut discrimen vix appareret: quoniam in praxi suâ ipse omnia efficiebat, quæ aliis impossibilia videbantur.

Ceram indurat ut ferrum.

Consuetudo autem ipsius, dum ceras fingeret, hæc erat, ut non, consuetâ aliorum methodo, bacillis plasticis tolleret insertas

Modus ejus fingendi ceras.

ceras, sed beneficio cultelli cujusdã acutioris, (quẽ dextra tenebat manu, calore candelæ ardentis excalefactum,) portiunculas debitas è massis cerarum abscissas eadem cãdela liquefaceret, liquidasq; operi suo locis congruis insereret; prædicto cultello omnia tam ingeniosè administrans, ut casus exindè resultarent rarissimi: undè porrò, promtitudine velocissimâ, opera efficiebat pulcherrima & verè ingeniosa, quorum copiam inusitatam tam Sacra Sua Cæsarea Majestas, quàm Serenissimus Elector Bavariæ, multiq; alii Principes, sive icones sint, sive historiæ, sive venationes, sive prœlia & alia possident, maximiq; æstimant: undè non torques saltem aureos & numismata mnemonica, sed & honoraria ferè ab omnibus totius Germaniæ Principibus accepit lautissima, cum ob raram suam in hac arte peritiam, & singularem gratamq; morum civilitatem ubiq; amaretur, quin & extra professionis suæ cancellos ad alia sæpius adhiberetur negotia.

Discipuli ejus viri Principes. In specie autem historijs è cera effigurandis minutioribus excelluit, unde & Sacra Sua Cæsarea Majestas, nec non Electores atq; Principes alii jucundissimum hoc artium genus eodem informante excolere non dedignati sunt.

XXIV. ARTUS QUELLINUS Senior, Sculptor,

XXIV. ARTUS QUELLINUS Senior.

ANtverpiâ oriundus, naturâ quasi ducente ad artem sculptoriam provehebatur, ut specimina insignis peritiæ suæ primùm in patriâ ederet plurima. Deindè autem Romam profectus, manuducente Francisco Quesnojo, qui ipsi insigniter favebat, ad verum lumen propiùs admittebatur, præsertim cum & Academias antiquitatum sedulò frequentaret: undè notabili profectu ditior domum reversus, rem ibidem instituebat familiarem, artem suam multâ cum laude exercens, ut labores ejus ab Amstelodamensibus plurimum expeterentur. Undè & pro curia illius Urbis celebratissimâ omnes statuas & Anaglyphica alia unà cum filio suo Arto Quellino elaboranda suscepit, quæ cum sociis quibusdam aliis ex albo marmore, aliisque partim durioribus partim mollioribus lapidibus arte miranda perfecit, quem ob laborem nummis plurimis, numismatibusque & torquibus aureis honorificentissimè donatus fuit. Statuarum ejus plurimæ in Angliam, Sueciam, Daniam, & ad alios Principes transmissæ sunt; ut haud abs re Voondelius Poëta ingeniosissimus modernum eundem Phidiam, summa cum laude ejus, appellet.



XXV. ARTUS QUELLINUS Junior Statuarius,

XXV. ARTUS QUELLINUS Junior.

AD fanum S. Gertrudis natus Antverpiæ domicilium habebat; & statuarius erat multâ arte clarissimus tam in marmore sculpendo, quàm in lapidibus aliis, item in ligno: & simul Architectus optimus, quâ ex arte quoq; haud parum adauxit nominis sui celebritatem.

XXVI. LUCAS FAIDHERBIUS Statuarius,

XXVI. LUCAS FAJDHERBE.

MEchliniensis, Discipulus primò erat Rubenii pictoris celeberrimi, deinde autem in arte Sculptoria & Architectura omnibus numeris evadebat absolutus: ut opera ejus copiosissima sive è duro lapide, sive ex ebore, sive è ligno elaborata essent, naturalem exprimere dicerentur vitam.

XXVII. PETRUS VERBRUGGIUS Antverpiensis,

XXVII. PETRUS VERBRUGGEN.

IN Patria ob insignem non tantum simulacrorum, sed & aliorum ornamentorum sculpendorum artem similiter celebris admodum fuit.

XXVIII. SIMON BOSBOOMIUS,

XXVIII. SIMON BOSBOON.

EMdanus in statuaria pariter & Architectura tantæ erat celebritatis, ut Serenissimum Electorem Brandenburgicum, istarum aliarumq; artium peritissimum, Patronum & Mecœnatem haberet insignem.

XXIX. ELIAS HOLLIUS Architectus Augustanus,

XXIX. ELIAS HOLL.

IN arte struendarum ædium hanc meritus est laudem, ut Italicorum ædificiorum luxum Germanicâ temperasse dicatur parsimoniâ. In hac enim Urbe celeberrima domum extruxit elegantissimam in Platea S. Sepulchri: & aliam similem in Perlegio. Sic Xenodochium quoq; illius Urbis, ordine extructum optimo, opus manuum ejus est: ut & turres nonnullæ, Rubia scilicet, Geggingia, Klenkia, Piscatoria & Pontis Wertacensis, quamvis hæc ultima, in turbis nuperis bellicis tormentorum fulmine diruta, & ante aliquot annos demum iterum reparata fuerit. Sic campanas Horologii primarii, antehac in plurimis suburbiorũ locis haud exauditas ipse pariter altius suspendit, dum turrim Perlegianam magnâ ex parte exaltavit, quatuor campanarum mole haud parum oneratam, quæ jam ubiq; audiri queunt. Quid autem adjiciam de curia illius Urbis per totum quasi universum summè celebratâ, quam ipse tantâ disposuit elegantiâ, tantoq; extruxit judicio, & tantâ firmitate & commoditate adaptavit, ut magnificentia nulli cedat Germaniæ structurarum,

rarum, artifexq; noster in oris Teutonicis Palatium exexisse dici queat verè Italicum, & quidem pulcherrimum.

Erat autem Urbs isthæc Augustana illius temporibus vera Architecturæ Academia, cum disciplinæ ejus, omnes illi sese committerent, qui ad profundiora istius artis adspirabant: quamvis omnes illi, è Schola ejus, velut ex Equo Trajano, progressi, artifices, naturali morte iterum obierint; excepto nepote ejus ex fratre Johanne Hollio, qui haud ita pridem demum è peregrinatione suâ viginti octo annorum in patriam suam reversus est, & præter fundamenta Patrui sui optima, peritiam in hac arte per longam experientiam suam assecutus est insignem: quamvis & canescente senio tantoperè jam sit debilitatus, ut secundum ordinarium naturæ cursum, ejusdem arte haud adeò diu fruitura sit Urbs ista.

Discipulus ejus.

Johannes Holl.

Cœterùm artifex hicce noster, in labore suo promtissimus; in inveniendis machinis pro motu gravium felicissimus, & in omni opere suo diligenissimus erat: Sic enim â discipulo ejus Hieronymo Thomano, (qui quatuor angulos illius curiæ cardinales erexit, & à Præceptore suo tantum addidicit, ut, relicta trulla atq; lapidibus, ob insignem in Architectura experientiam, Oeconomus factus sit variorum Evangelicæ Religionis bonorum publicorum,) id intellexi: hunc magistro suo singulis noctibus tabulam quandam ad lectum suspendisse lapideam, cum candela ibidem accensa; quam unica nocte notatis suis omninò compleverit: ut adeò tam noctu quàm interdiu circa negotia sua mirum in modum fuerit sollicitus. Iconem ejus in tabula nostra M. M. apposuimus: mortuusque est 6. Januarii anno 1646.

Hieronymus Thoman.

XXX. BERNHARDUS STRAUSSIUS Statuarius.

XXX. BERNHARDUS STRAUS.

MArchdorffii ad lacum Brigantinum natus, jam Augustæ Vindelicorum cœlebs adhuc degens, sculptor similiter est laude sua dignissimus, tam eboris, quàm gemmarum, buxique & argenti, cum nuper demum specimen artis suæ ediderit egregium imagine crucifixi eburnei; & adhuc quotidiè operibus artificiosis variis laudis suæ splendorem adaugeat, ut dolendum saltem sit, artificem hunc non magis promoveri, nec majori laboris copiâ abundare, cum aliàs omnem adhibeat laborando diligentiam.

XXXI. JUSTUS KLESSECKERUS Statuarius Mindanus.

XXXI. JUSTUS KLESSECKER.

TAm matura in arte hac edebat specimina, ut ad sculpturam natus videretur. Peragrato autem primùm Belgio in Italiam abibat, ubi omnibus in locis, & Romæ præsertim, insigne, è statuis antiquis aliisq; operibus artificiosis, hauriebat emolumentum, unde, post continuata seduli laboris exercitia, sculpturâ excellebat politissimâ, præsertim in ebore, è quo, tantâ magnitudine, quantam admittunt dentes elephantini, magnam imaginum crucifixi elaboravit copiam, cum figuris aliis pluribus, multâ curâ elimatis, quæ copiosissimè apud technophilos hinc inde inveniuntur.

Nec minori clarus erat peritiâ in figuris majoribus, prout promtissimâ manu suâ pro Æde Dominicâ Bambergensi statuas exsculpsit plurimas, tam vestibus indutas quàm nudas, partim Sanctorum, partim aliarum historiarum Sacrarum, unà cum ornamentis debitis: & omnia quidem hæc, tantâ sedulitate, ut laus ejus ibidem tam facilè non sit intermoritura. Peracto labore hoc, in arte adhuc aliquandiu versatus esse dicitur, mox autem Francofurti matrimonium ob singularem morum civilitatem contraxisse admodum proficuum, ex quo & pro servitiis illius Urbis, in Capitaneum sit electus. Dehinc autem plura sculpsisse non commemoratur: quo non obstante fama tamen eundem inter statuarios collocat laudatissimos.

Opera ejus Bambergensia.

XXXII. CHRISTOPHORUS RITTERUS Aurifex & Sculptor

NOrinbergæ pro aurifabro habetur optimo: revera autem sculptor est perfectissimus, omniumq; ad artem hanc pertinentium scientiarum & ornamentorum peritissimus, ut aliis quoq; artificibus Norinbergę magnum præstiterit adjutorium. In specie autem inter opera ejus celebratur magnum quoddam malluvium argènteũ, in cujus medio Diana effigurata fuit, cum nymphis suis à vẽatione reversa, in campo quodam amœnissimo subsistens; ad cujus pedes varia deponuntur ferina recenter occisa, tam quadrupedia, quàm volatilia: quo in opere imagines nudæ & cœtera omnia, juxta debitas diagraphices regulas tam perfectè elaborata sunt, ut tanquam artificium rarissimum atq; singulare Amstelodami mille atq; ducentis florenis æstimaretur. Hoc unicum verò dolendum est, virum hunc honestissimum certo quodam capitis atq; corporis malo miserè affligi, ut in omni quasi proposito suo impediatur: undè ob insignem artis ejus excellentiam meliorem eidem meritò exoptamus sanitatis statum.

XXXII. CHRISTOPHORUS RITTER.



XXXIII. GEORGIUS SCHWEICKARDUS.

XXXIII. GEORGIUS SCHWEICKARDUS Sculptor Norinbergensis,

JAm Norinbergæ quàm in locis vicinis pluribus ob artem Statuariam magni est nominis, quod variis quoq; simulacris pulcherrimis, tam è ligno, quàm è lapide sculptis, promeritus est optimè.

Nativitatem Joh. Baptistæ effigurat.

Prima ejus opera Amstelodami vidi, ubi in duabus tabulis lapideis nativitatem Johannis Baptistæ cum omnibus huc pertinentibus personis, figuris spithamalibus tantâ exhibuerat elegantiâ, tantaq; curâ, ut simile quid tantâ parvitate in lapide nunquam viderim: undè etiam in Auctione quadam, tantâ easdem ambiebat iconophilorum copiâ, ut à trecentis ad quadringentos florenos pro iis licitarentur.

Quamvis autem multa adhuc de laboribus ejus superaddere possem, benevolum tamen Lectorem ob brevitatis studium, ad ipsas illius statuas remitto, viventium mole è metallo fusas, multaq; sollicitudine atque argutiâ elaboratas, dum pro fabricando Fonte quodam artificiali Neptunum exhibuit cum equis suis, nymphisq; nonnullis nudis; quæ per se solæ deprædicandæ autoris laudi abundantissimè sufficiunt. Quid enim de operibus ejus minoribus referam, è metallo in magnâ elaboratis copiâ, ut sunt insignia, clypei, monumenta, & similia plurima: cum talibus non peritia saltem, sed & sedulitas ejus maxima adhuc quotidiè cum encomio sese prodat continuo.

XXXIV BALTHASAR STOCKAMER.

XXXIV. BALTHASAR STOCKOMERUS Norinbergensis,


A Primâ pueritiâ apud Schweickartum jam commemoratum ad statuariam educabatur: ex quo in Italiam profectus sculpturis suis eburneis variis atq; elegantissimis tam sacris quàm profanis tantum sibi conciliabat amorem, atq; nomen, ut Magnus Hetruriæ Dux eidem in servitia suscepto nô modò salario prospiceret annuo largissimo, sed & Romam eum mitteret in Palatio Medicæo longè celeberrimo hospitandum: quod cum in omnibus conclavibus, parietibus & hortorum topiariis innumera refertum sit statuarum tam antiquarum quàm modernarum, aliorumq; anaglyphorum & similium artificiosorum copia, Stockomero nostro vera quasi Schola erat sculptoria, & ad perfectionem occasio exoptatissima: juxta quam sedulò quoq; frequentabat Academias, familiaritate cum primariis professionis suæ inita: Donec cum per annos plurimos ibidem continuasset, collecto thesauro in arte hac incomparabili, tandem tanquam artifex consummatissimus in patriam rediret. Ubi adhuc imaginibus tam magnis quàm parvis sive ligneis, sive lapideis iconophilis servitia præstat gratissima.

XXXV. DAVID HESCHLERUS Statuarius,

SIgismundi Heschleri, Statuarii Memmingensis peritissimi, filius, qui patri suo magno fuit honori inq; sculpendi arte ad gradus ascendit insignes: & præcipuè in ebore opera elaboravit plurima artificiosissima atque elegantissima, quæ à technomatophilis maximi æstimantur: unde artifex hic ab omnibus istius artis fautoribus adhuc magno fovetur amore & honore. XXXV. DAVID HESCHLER Ulmensis.

XXXVI. JOHANNES ULRICUS FüRTERUS Statuarius Ulmensis,

TIguri quidem oriundus est; sed cum Heschleri modò commemorati discipulus esset, Ulmam venit, ibiq; larem deinde fixit. Jactis igitur in sculptura fundamentis legitimis, eburnea potissimum multo Zelo sibi proponebat, statimq; variis imaginibus, tam sacris quàm profanis, sive rotundis sive anaglyphicis in vasis atque poculis elaboratis, haud parvam consequebatur nominis celebritatem: jam enim fabulas, jam Bacchanalia; item triumphos: mox Neptunos, Tritones, Nymphos marinos, mox Amores effigurabat multo judicio, solidâque proportione, partim dentium elephantinorum magnitudine, partim minori mole: unde opera ejus à technophilis insigniter desiderata atque collaudata sunt. Cumque adhuc in flore annorum sit, & simul manu expeditus, atque diligens, multa adhuc ab ipso sperantur optima: præsertim cum omnium artium mater, natura, ingenio ejus ulteriora semper administret, & perfectiora. XXXVI. JOHANNES ULRICUS FURDTER.




CAPUT. XXV.
Chalcographi Germani Quadraginta.

Argumentum.

I. CORNELIUS CORT Chalcographus Hornanus. II. THEODORUS CORNHARDUS Amstelodamensis. III. JOHANNES SADELERUS, Bombardopegus primò fuit: Statura ejus & sedulitas: Francofurtum venit: In Italiam proficiscitur. IV. RAPHAEL SADELER. V. ÆGIDIUS SADELER, Antverpiensis: in Italiam venit. Opera ejus. In servitia Rudolphi Imperatoris assumitur. Opera ejus Pragensia. Picturæ incumbit. Vita ejus civilis. VI. CRISPINUS PAASIUS & Liberii ejus: Magdalena Paasia. Simon Paasius. VII. PETRUS YSELBURGIUS. VIII. JOHANNES TROSCHELIUS in Italiam venit: lapsu moritur. IX. PETRUS JOODIUS. X. HEINRICUS BOLSEWERTUS. XI. HEINRICUS HONDIUS. XII. LUCAS VORSTERMANNUS: modus ejus æs calandi. XIII. MICHAEL le BLON Francofurtanus. Ad gerenda Regis Sueciæ negotia assumitur. Quanta sit differentia inter æris cælaturam & rosionem. XIV. LUCAS KILIANUS. XV. MATTHÆUS MERIANUS Basileensis: Nativitas ejus: Itinera ejus: Theodori de Bry filiam matrimonio sibi jungit. Liberi ejus: Opera ejus: Vita ejus politica. XVI. PAULUS de PONTE. XVII. STEPHANUS de la BELLE. XVIII. ROBERTUS VORSTIUS. XIX. JACOBUS MATTHAMIUS. XX. THEODORUS MATTHAMIUS; Opera ejus. XXI. MICHAEL NATALIS: adjutor est in edendo libro Statuarum Porticus Justinianeæ. In Galliam venit. XXII. REGNERUS de PERSIN. Opera ejus. XXIII. JEREMIAS VALKIUS. XXIV. CORNELIUS BLOMARTUS Amstelodamensis. Opera ejus. Romam deserere non vult. XXV. FRANCISCUS STEENIUS: Opus ejus Viennense. XXVI. ISAACUS MAJOR Francofurtanus: tandem in arte deficit. XXVII. PETRUS JOODIUS junior. XXVIII. WENCESLAUS HOLLARTUS. XXIX. JACOBUS de SANDRART Francofurtanus. Icones ejus, & opera alia. Filius ejus Johannes Jacobus de Sandrart. XXX. RICHARDUS CHOLLINIUS. Prava Chalcographorum quorundam Germanorum opinio. Opera ejus. XXXI. BARTHOLOMÆUS KILIANUS Augustanus. Opera ejus. XXXII. PHILIPPUS KILIANUS Augustanus: Opera ejus. XXXIII. CAROLUS GUSTAVUS AMBLING Monacensis. XXXIV. JOHANNES JACOBUS THOURNEISSEN Basileensis. XXXV. MELCHIOR KÜSEL Augustanus: in arte rodendi excellit. XXXVI. MATTHÆUS KÜSEL Augustanus. XXXVII. ELIAS HEINZELMANNUS & frater ejus Augustani. XXXVIII. ANDREAS WOLFGANGUS Augustanus. XXXIX. JOHANNES GEORGIUS WALDREICH Augustanus. Modus ejus cælandi. XL. JOHANNES FRANK Augustanus.

I. CORNELIUS CORT Chalcographus Hornanus,

I. CORNELIUS CORT Chalcographus.



ARtifex erat insignis, de cujus operibus in Vitis Italorum mentionem fecimus, quia hic primus fuit, qui artem hanc in Italiam detulit, & Raphaëlis Urbinatis, Titiani & aliorum opera nobilissima publici juris fecit. Mortuus tandem est Romæ anno 1578. ætatis suæ 42.

II. THEODORUS CORNHARDUS Amstelodamensis,

II. THEODORUS CORNHART.

ÆVo suo in cælatura æris celeberrimus erat, quod ex operibus ejus plurimis, juxta autographa Martini Hemskerkii & aliorum elaboratis, clarissimè patet. Præter hanc artem laudem quoq; singularem assecutus erat in Poësi. Tandemq́ue Goudæ mortuus est anno Domini 1590. ætatis suæ 78.

III. JOHANNES SADELER.

III. JOHANNES SADELER.

HAnc artem cælandi æris, & omnia, quæ ad effigurationes istius professionis requiruntur, præ cæteris in altum sustulit: natusq́; fuit Bruxellis anno 1550. Cum enim primitùs bombardopegus esset, in diagraphica tantoperè profecerat, ut illius beneficio velocissimè & nemine præeunte chalcographiam addisceret: illis enim temporibus in omnibus ferè instrumentis militaribus, antiquo ritu, manubrita tam selopetorum, quàm selopo-

rum manuariorum & bombardarum minorum, unà cum thecis pulverariis ebore exornabantur, in quo deinceps varia cælo ornamenta, venationes scilicet, prœlia, & curiosa alia singulari arte hic effigurabat cælaturis pice nigra expletis; quæ cum singularem præ se ferrent elegantiam, valdè ipsi lucrosa erant: præsertim cum mira omnia promtitudine expediret, propriaq; inventione omnia, quæcunque desideraret, formaret. Cum autem idem & alii imitarentur, Sadelerus deinceps solis laminis æreis cælandis vacavit, priori velocitate facillimè omnia depromendo: præsertim cum Martinus Vossius inventiones plurimas pulcherrimas ipsi suppeditaret, majorum scilicet figurarum Biblicarum, quas omnes Sadelerus typis æneis exprimebat; plura expediens solus & quasi sine labore, quàm tres vel quatuor alii.

Statura & sedulitas ejus.

Staturâ porrò procerus erat admodum, membrisq; robustus, crine niger, facie fuscus, labore indefessus atq; sedulus, & animo hilaris, unde & Musicus erat insignis, qui arte suâ multos exhilarare solebat. Tanta autem erat industria ejus, ut cum aliquando Antverpiâ Coloniam Agrippinam proficisceretur, ipse, quamprimùm in diversorio sedem inveniret, extractâ laminâ suâ proximam occuparet mensam, cæliq; labore temp' tereret tam antequàm post epulas. Coloniæ Agrippinæ autem multa cælabat, juxta inventiones Crispini Paasii: cum autem majori semper & lucro & gloriæ inhiaret, navi Francofurtum petebat: ubi in navi inter sermones cum comitibus habitos, lamina semper genu, ocularia nasum ejus onerabant, manusq; continuo distentæ erant labore.

Francofurtum venit.

Francofurtum ingressus iconem primò Sigismundi Feyrabendii Bibliopolæ celeberrimi, in pallio pellibus suffulto; deinde historias Biblicas plurimas cælabat pulcherrimas, figuris majoribus animalibusq; & campestribus eleganter exornatas, undè peritia ejus, artisq; usus insignis, nec non ingenium felicissimum mirum in modum elucescebant. Ex hinc in servitia Alberti Bavariæ Ducis concedens, varia Monaci opera præclarissima, juxta prototypa Petri Canditi elaborabat, quorum exempla adhuc supersunt in typis Eremitarum Bavarorum. Istoq; in loco omnia singulari perficiebat dexteritate, quæcunq; ab ipso desiderari poterant: unde à prædicto Principe præter remunerationem ordinariam dono quoq; accipiebat Numisma iconicum, unà cum torque aureo pulcherrimo.

In Italiam abit.

His omnibus non perpensis emolumento semper ulteriori inhiabat Johannes, cumq; frater ejus Raphaël solus omnia hîc abundè præstare posset, in Italiâ autem labores ejus artificiosissimi vehementer quoq; desiderarentur, hinc Monaco valedicens anno 1595. Venetias abiit, ibidemque chalcographiæ similiter specimina edebat insignia. Tandem autem desiderio quoq; ducebatur cum filio suo Justino Romam videndi, certa spe lactatus, se pro operibus suis pulcherrimis, quæ dono hinc inde offerebat, multa accepturum honoraria: Cum autem præter civilitates ordinarias & varias Sanctorum reliquias nihil acciperet, (quæ tam gratæ ipsi non erant, quàm illæ Sanctorum imagines, quæ marsupia exornant;) cum indignatione Venetias vacuus ad suos redibat: ubi febri acutâ extinctus dicitur anno 1600.

IV. RAPHAEL SADELER.

IV. RAPHAEL SADELER.

PRædicti Johannis frater, Bombardopegi filius, fratrisq; in arte Chalcographicâ discipulus solertissimus, tantæque perfectionis, atq; curæ & veritatis naturalis, ut quasi incomparabilis esset. Cum autem per aliquod temporis spatium acies oculorum ejus tanta non esset, ut cælaturæ æris omninò sufficeret, seposito interea isthoc professionis genere in pictoria sese exercebat: restitutus tamen sibi, chalcographicæ iterum elegantiori operam dedit, cumq; fratre Johanne non Anachoretas tantum Bavaros, sanctosq; illorum, sed & insignem aliorum operum copiam summâ cum laude edidit, præsertim juxta venustissima Bassani prototypa picta varia; quibus accessit Arca Noæ; historia Lazari, & alia majora, quæ omnia decore incomparabili & gratiâ admirandâ elaboravit. Postmodum fratrem suum Venetias secutus est, ibidemque similiter annos aliquot arte sua transegit: ubi etiam, quamvis incertum sit quo anno, inter vivos esse desiit. Cœtera laudum ejus supplementa benevolus Lector è labore ipso, nunquam satis laudando superadjiciat.


V. ÆGIDIUS SADELER Antverpiensis,

V. ÆGIDIUS SADELER.

OMnibus non prædictis saltem superior erat, sed neminem quasi, in evehendo cæli labore parem habuit; cum tanto undiquaq; perfectionis splendore diradiaret, ut Germaniæ nostræ præ cœteris nationibus omnibus supremam tribueret gloriam. Maxima enim in operibus ejus inerat gratia, judicium insigne, decor immensus, cum summâ animi ejus nobilissimi harmoniâ, & laude ad tumbam usque continuata. Primum vitæ hujus aërem in Urbe hausit Antverpiana, ubi à teneris quoq; diagraphicæ maximâ incubuit sedulitate; cujus beneficio ad chalcographicam deinceps sese applicuit: unde in Germaniam postea ad Patruos suos Johannem & Raphaëlem, hac in arte, ut dictum est, celeberrimos, sese contulit; à quibus, ob-


MICHEL LE BLON FRANCOFURTENSIS
OO


ÆGIDIVS SADELER ANTVERPENSIS.


GEORG PETELE AUGUSTANUS.


MATTHÆVS MERIAN BASILEENSIS.


RENBRANT a RHEN AMBSTELODAMENSIS
I. v. Sandrart del.


CAROL SCRETA PRAGENSIS.
Philipp Kilian f.

In Italiam venit. servato progressu suo, porrò in Italiam & Urbem præcipuè Romanam perrexit, ubi Academias, ut opera Antiquorum continuatis exercitiis suis eò profundius imbiberet, sedulò frequentavit. Atque hinc factum est, ut multas ibidem tabulas pictas summæ excellentiæ cælo exprimeret, typisq; ederet publicis: & quidem non aliorum more, quorum cælaturæ tantum projecta sunt, & quasi adumbrationes prototyporum, neglectâ intimiore medullâ: sed ipse præter delineationem emendatissimam, totum referebat picturarum argumentum, cum omni singularum partium perfectione consummatissimâ; ita ut quandoq; & sæpius, felici ingenio suo, cæli beneficio, plura præstaret, quàm pictores illi famigeratissimi pēicillo effingere potuerant; unde toti quoq; posteritati occasionem præbuit imitationis tam generalem, ut in omnibus terris quilibet Ægidii Sadleri tantùm vellet esse sectator.

Opera ejus. Exemplum artificii ejus singulare est Imago quædam B. Virginis longè pulcherrima, cum filiolo in gremio ejus sedente, cui Johannes Baptista adstat, è prototypo Raphaëlis Urbinatis, quod pictum in Pinacophylacio Florentino, quod Rotundum dicitur, existit: in quo omnia, tàm caro, quàm capilli, nec non vestes tam laneæ quàm lineæ cæli arte tam distinctè tamque venustè expressa sunt, ut quicquid Theoria suggerere potest, praxis hic exhibeat quàm politissimè. Sic juxta Friderici Barotii picturam, historiam Christi cælatura edidit, Petrum piscatorem è navicula ad se vocantis. Similiter, eâdem folii quantitate, historiam Christi à S. Johanne & Josepho Arimathæo sepulchro impositi, comitantibus mulierculis mœstissimis, ubi præcipuè nudum Christi in sindone decumbens corpus multâ resplendet gratiâ, & elegantia undiquaq; renidet maxima, abundantissima atq; venustissima. Eadem ratione S. cælavit Christophorum, Jesum puerum humeris per mare portantem: Nec non historiam Angeli pastoribus nativitatem Domini annunciantis, in campo, ubi pascentes utriusq; sexus, vestesq;, unà cum bobus, ovibus, capris, & cane, juxta Bassani methodum consummatissimè expressit; ut singula hæc opera auri pondere digniora sint, cum in omnibus perfectione abundet absolutâ, & artificum omnium meritò dici atq; deprædicari queat artifex.

In servitia Rudolphi Imperatoris assumitur. Divulgatâ sic famâ ejus per totam Italiam atq; Germaniam, desideratus pluribus in locis ad Rudolphum tandem II. Romanorum Imperatorem, omnium bonarum Artium Patronum celeberrimum, vocabatur, stipendio sustentatus annuo honorificentissimo: ubi familiaritatem inibat intimam cum pictoribus, statuariis & Architectis aliis celebratissimis, & inter alia Bartholomæi Sprangeri & uxoris ejus; ut & Johannis Brügelii icones æri incidebat. Mox tamen & ipsius Rudolphi Imperatoris cataphractati effigiem exhibebat, cujus non vultus saltem omnia referebat artis maximæ requisita; sed & armatura tam erat naturalis, ut exemplar meritò dici posset istius artis dignissimum. Dehinc iconem quoq; Matthiæ Imperatoris effigurabat coronâ redimiti civicâ rosis intertexta, adjectis figuris pluribus & tribus in specie Charitibus cum ornamentis aliis ditissimis in folio majore, tantâ perfectione coagmentatis, ut simile quid nondum prodiisset. *Opera ejus Pragensia.* Porrò & aliorum Principum atque magnatum effigies orbi propalabat, Sigismundi videlicet Poloniæ Regiis; Cardinalis Dietrichsteinensis; Cardinalis Kleselii; Matthiæ Imperatoris cum Imperatrice conjuge in ornatu Cæsareo: Legatorum quorundam, ut Turcici, Persici, Moldavici, & Tartarici, prout & Principum Christianorum aliorum: item omnium ministrorum totius Aulæ Cæsareæ; quæ effigies omnes apud Artis peritos auri instar asservantur. Dehinc juxta Titiani picturas typis æneis referebat duodecim Imperatores majori formâ; nec non Imperatrices juxta inventiones Sprangeri & Aquani: porrò & varia alia juxta picturas Josephi Heintzii, inter quæ Dianæ balneum & Actæonis fabula: quorū operum omnium tantus est numerus, ut illis describendis integrum vix sufficeret volumen. Cum autem Pragæ constanti commoraretur domicilio, integras quoq; topographias æneis publicabat typis, quarum ingentem copiam juxta picturas Rulandi Saverii elaborabat, juvante eum præcipuè Isaaco Majore discipulo suo. Inter varias icones ære quoq; vulgabat, juxta Titiani prototypon, effigiem Fœminæ cujusdam Italicæ ditissimè exornatam, Estensis, ni fallor, familiæ; vittis pretiosissimis & veste holoserica exhibitæ; cujus una manus elegantissima telam prehendebat vestis sericæ: altera æthiope quodam adhuc puero sursum respiciente nitebatur, quo in opere omnes totius artis dotes cumulatissimè congessit.

Mortuo autem Rudolpho Imperatore, cum imperante Matthiâ bellum in Hungaria exardesceret Turcicum, cujus gratiâ sua Cæsarea Majestas, derelictâ Pragâ, Viennæ residere cogebatur; artifices quidem plurimi partim Pragâ discedebant, partim fato fungebantur, ut Parnassus ille bonarum artium tam diu floridus, omnibus jam Musis privaretur: Solus tamen Ægidius hic noster ibidem remanens totam quasi substantiam suam consumebat, partim occasionis defectu, partim ob senium ingravescens: talem enim anno 1622. Ego eundem vidi, tum temporis ad

huc juvenis admodùm, cum expresſè inſignis famæ atq; peritiæ illius gratia Norinbergâ Pragam ad ipſum proficiſcerer, exhibitisq; eidem ſpeciminibus meis diagraphicis & aliis, in diſcipulum me ipſi offerrem: ubi perhumaniter me quidem accipiebat, omnia quæcunq; poſſideret, vel noſſet, mihi oſtendens (inter quæ hiſtoria Paſſionis duodecim partium, bipedalis altitudinis, inventi ejus proprii, ordine pulcherrimo monochromate nigro picta; cum tum temporis pictoriam penitus amplexus eſſet:) tandem autem poſt exhibita mihi officia plurima humaniſſima & quaſi paterna, hoc mihi ſuggerebat conſilium, ut relictâ chalcographicâ, nobiliſſimam artem pictoriam in Belgio ſectarer, in quibus magnos mihi promittebat progreſſus: cujus autoritate etiam deinceps ad celeberrimos Belgii pictores me contuli, pictoriis deinde ſtudiis totus, atq; ita invigilans, ut conſilii ejus optimi nunquam hactenus me pœnituerit.

Vita ejus civilis. Cœterùm vitam agebat modeſtam, atq; piam, donec ſenectute abſumtus animam Deo redderet: ſepultus magno cum honore in templo S. Johannis lateris minoris anno 1629. quamvis floridiſſima fama ejus, apud technophilos nunquã ſit intermoritura; Effigiem autem Phœnicis hujus artificum, propria manu elaboratam tabulâ noſtrâ OO. exhibuimus.

VI. CRISPINUS PAASIUS, & liberi ejus,

VI. CRISPINUS de PAAS & liberi ejus. Coloniæ natus, diſcipulus erat Cornhardi ſupradicti, Coloniæ quoq; domicilium habens, ubi juxta inventionem Martini Voſſii, nec non aliorum, & propriam, integras hiſtorias tam Biblicas quàm fabuloſas typis æneis edebat. Deinde autem larem Ultrajecti ponebat, educatâ hac in arte etiam filiâ ſuâ Magdalena Paaſiâ, quæ miros hîc faciens progreſſus, varia opera elaborabat laude digniſſima, inter quæ juxta Picturam Adami Elzheimeri obitus Procridis, & campeſtria plurima. Præter hanc filius quoq; ipſi erat Simon, qui ſorori ſuæ nihil penitus concedens, in chalcographiâ inſigniter excellebat; quamvis iconibus potiſſimum daret operam. Vocatus autem à Rege Daniæ, in regno hoc ad finem usq; vitæ ſuæ permanebat. Eodemq; modo & filius ejus Criſpinus Paaſius junior multa hac ipſâ in arte præſtitit laudatiſſima.

Magdalena Paaſia.

VII. PETRUS YSELBURGIUS Colonienſis,

VII. PETRUS YSELBURG. Norinbergæ, ubi domicilium habebat, artem chalcographicam in magnum extulit incrementum, prout de arte ejus teſtimonia perhibent graviſſima quatuor illius Evangeliſtæ, item Chriſtus & Apoſtoli, cum operibus aliis pluribus, pleriſque majori formâ editis. Unde Ego ipſe in tyrocinii mei initio, apud ipſum, tanquam artificem ævi ſui in Germania celeberrimum, anno 1620. commoratus ſum.

VIII. JOHANNES TROSCHELIUS,

VIII. JOHANNES TROSCHEL. Norinbergenſis Sciatericopœi filius, poſtquam in diagraphicis feliciora præbuiſſet ſpecimina, in diſciplinam Petri Yſelburgii chalcographi pro annis aliquot conceſſit, apud quem in delineando, inveniendo & cælando tantoperè profecit, ut paulò poſt, pro majori adipiſcendâ perfectione, Proſpectivæ operam dederit, edita poſtmodum effigie Ferdinandi II. Imperatoris juxta prototypon tum extans in ornatu Cæſarea; nec non curiâ Norinbergenſi tum recenter extructa præclariſſima. Ex quo, ad promovenda ulteriùs ſtudia iſthæc ſua, Romam ſeſe contulit ad Villamenam tum celeberrimum; ubi apud pictores Germanos atq; Belgas in Academiis erat aſſiduus, qui inſigniter eum quoq; amabant, & in profeſſione cælatoria in ſpecie ad elaborandas Theſium figuras majores, ob artificioſam ejus promtitudinem ingeniiq; acumen, plurimùm adhibebant: quo in genere ad tantos quoque properabat gradus, ut cœteris omnibus eſſet ſuperior: cujus teſtimonium opere quodam edebat maximo, pro Patribus Societatis Jeſu Romanis, in Diſputationis cujusdam ornamentum inchoato: quod etiam quàm feliciſſimè ad finem perduxiſſet, niſi caſu quodam triſtiſſimo prepeditus fuiſſet. A cœnâ enim aliquando cum amicis moderatè captâ domum ſolus regreſſus, cum lumine carens per ſcalam aſcendiſſet, errore pedis, jam puero confracti, adeoq; debilis admodùm, ceſpitans retrolapſus occubuit: quamvis id poſt aliquot demum dies obſervaretur, ob januam domus clauſam; nec forte tam ſubitò innotuiſſet, niſi præmemorati Patres, qui opere illo opus habebant, per feneſtram tandem oſtium aperiri jusſiſſent, ubi Troſchelius in imâ ſcalæ parte mortuus reperiebatur ſummo cum dolore omnium technophilorum. Sepultus antem eſt honorificè admodùm in templo D. Virginis Populoſæ: cœterum ſtaturâ procerus erat & corpore obeſo, unde Silenus communiter à Societate pictorum vocabatur.

In Italiam venit.

Lapſu moritur.

IX. PETRUS JOODIUS Senior,

IX. PETRUS de JOODE. Natus fuit Antverpiæ anno 1602. artemq; ſuam didicit ab Henrico Golzio, de quo ſupra egimus inter Pictores. In chalcographiâ enim excellebat ſimiliter; Romamq; profectus ſat longo temporis tractu ibidem commorabatur, donec tan-

dem

dem summâ cum laude Antverpiam rediret, ubi typos æneos plurimos elegantissimos in lucem edidit: mortuusq; ibidem est anno 1634. Imaginem ejus tabula nostra P. P. exhibet

X. HEINRICUS BOLSEWERTUS,

X. HEINRICUS BOLSEWERT.

EOdem tempore isthac in arte pariter celebris admodum erat; natione autem Frisius erat, & Antverpiæ rem familiarem instituerat.

XI. HENRICUS HONDIUS.

XI. HENRICUS HONDIUS.

IN Brabantia anno 1573. è nobili pronatus erat familiâ, & educatus similiter in omnium virtutum cultura assidua: præterea autem in diagraphicâ, chalcographiâ, Mathesi, Geometriâ, Prospectivâ, Architecturaq; tam civili quàm militari peritissimus erat, quibus studiis Principi etiam Auriaco Hagæ Comitis per multos inserviit annos; donec tandem laude plenus ultimum suum obiret diem.

XII. LUCAS VORSTERMANNUS Antverpiensis,

XII. LUCAS VORSTERMANNUS

CUm inter studia educaretur, ad diagraphicam simul sese applicuerat, unde, consulente Rubenio, studium chalcographicum amplectebatur: quâ in arte multa cælavit juxta Rubenii prototypa megalographica, in folio ut plurimum: inter quæ historia Magorum, natum modò Christum adorantium; Lapsus Luciferi è cœlis, deturbante dæmones Michaele, cum variis aliis notioribus, quàm ut referre illa sit opus.

Modus ejus cælandi.

Cumq; hactenus, more tunc usitato, decussationibus optimo ordine incubuisset, id unicè curans, ut lineæ umbratiles longo ductu pulchraq; cœli elegantia invicem concordarent: deinceps consilium Rubenii iterum secutus, (qui ut pingendi methodum ante omnia sectaretur, eidem suaserat.) laboriosum hunc cœli decorem non amplius curabat, sed ipsam solummodò rem effigurandam considerans, unà cum verâ figurarum proportione ante omnia luminis plana evehebat, depressis harmonicè tam dimidiis, quàm integris umbræ planis & reflexionum: quo in genere tam admirandâ pollebat peritiâ, ut rotundâ mole omnia subveheret, magnoq; robore corpora ejus prominerent, qualia ne penicillus quidem monochromate nigricante melius exaltare potuisset. Unde in summam ejus laudem pictorem eum cœli appellabant; cujus historiæ majores famam illius adhuc retinent floridam. Imaginem autem illius tabulâ nostrâ P. P. exhibuimus.



XIII. MICHAEL LE BLON, Francofurtensis,

XIII. MICHAEL LE BLON Francofurtanus.

CUjus parentes, Montibus Hannonianis ob diuturna Hispanorum & Gallorum bella relictis, Francofurtum concesserant, non tantùm naturâ quasi obstetricante ad omnia virtutum exercitia propellebatur; sed & cum in annis suis tenerioribus ad artem Chrysurgicam applicaretur, in diagraphicâ & cælandi arte, cujus amore insigniter flagrabat, tantoperè proficiebat ut omnes coævos longè præcelleret, inq; auro, argento & cupro historias varias minores tam eleganter cælaret, ut haud paucæ sub illius nomine ederentur. Inprimis autem in gyris foliorum, encarpis variis, cassidibusq; insignium excellebat, quo in genere aliquot publicavit libellos, in quibus singula quasi gyrorum folia distinctè dignosci, & juxta ipsasmet naturæ species discerni queunt.

Negotia gerit Suecica.

Cumq; præterea tantâ esset sermonis facundiâ, ut tanquam Orphea auditores eum stuperent, & ob insignem rerum gerendarum prudentiam omnes & singuli ipsum amore prosequerentur atq; honore singulari; Corona Sueciæ ad ministeria status eundem adhibuit, &, ut negotia publica apud Carolum Stuartum Magnæ Britanniæ Regem gereret, in Angliam deputavit; ubi per multos quoq; mansit años, ut & Amstelodami deinde in Hollandia.

Universali autem pollebat atq; perfectissimo in arte imaginum judicio, cujus etiam fautor erat incomparabilis, ut omnes quoq; principes ad similem excitare atque inflammare posset amorem: Unde Mecænatem eum atq; Patrem istarum artium meritò appello, quod non tantùm diagraphica & chalcographica ad libros pertinentia præ omnibus quàm accuratissimè dijudicaret, amaretq; tenerrimè; sed & me ipsum à teneris ad eadem manuduceret, omniq; consilio & auxilio amantissimè juvaret. Finito autem feliciter vitæ suæ cursu, Amstelodami inter vivos esse cessavit anno 1656. relictis in statu optimo omnibus: sepultusq; est magno cum encomio & amore singulorum: unde in singularem quoq; ipsius honorem iconem ejus tabulæ nostræ O. O. inserere voluimus.

XIV. LUCAS & WOLFGANGUS KILIANI,

XIV. LUCAS & WOLFGANGUS KILIAN.

INter primos Urbis Augustanæ Chalcographos celeberrimi erant, à quibus deinde ars ista laudatissima tantoperè propagata fuit, ut numerus illorum semper manserit maximus. Prout autem divina bonitas sæpiùs uni plus tribuit, quàm alteri, quin unus etiam dona sua plus altero excitat; sic Lucas longissimè Wolfgangum antecellebat: tantâ enim industriâ ac arte

magnam clarissimorum operum suorum copiam elaboravit, sive historias spectes majores, sive figuras alias, iconesve, & imagines tam sacras quàm profanas; ut post Ægidium Sadelerum, fama super æthera notum, primus huic debeatur locus. Cælo enim promtissimus, & delineando felicissimus erat; cumq; plerumq; in familiari conversatione pictorum viveret celeberrimorum, quales erant Johannes Aquanus, Josephus Heinzius, Johannes Bononiensis, Bartholomæus Sprangerus, & in summâ omnium, qui in quocunque rerum effigurandarum genere excellerent, quid mirum, si ad istam pro voto suo perfectionem ascenderit longè maximam. Opera ejus recensere omnia miraculum foret: unde paucula hæc saltem attingemus. Effigiem publicabat Ferdinandi III. Imperatoris Romanorum gloriosissimæ memoriæ, equestrem: sic omnium quoq; Electorum & Principum Imperii: Deinde librum Fuggerianum celeberrimum: porrò Consiliarios Cæsareos Viennenses, similiumq; copiam largissimam. Inter alia autem memorabilis admodum est fabula illius de captâ à Plutone Proserpinâ, ubi desertæ, illius nemoris Nymphæ, terrore percelluntur immenso, & omnia atq; singula tantam præ se ferunt curam, ut peritia illius maxima exhinc eluceat ultra modum. Simili excellit elegantiâ opus illius aliud, quo Venerem exhibuit è curru suo descendentem, filioque nimium sagittæ suæ usum inhibentem; ludentibus interea cum columbis ejus puellis duobus venustissimis. Sic & fontes Urbis Augustanæ pulcherrimi; Herculisq;, atq; Mercurii & Cæsaris Augusti; nec non Michaëlis Archangeli in Armamentario locati statuæ, illius manu typis æneis publici juris factæ sunt, cum variis aliis juxta prototypa Johannis Bononiensis elaboratis: ut ita non operum tantùm, sed & laudum immensam post se relinqueret copiam, cum Augustæ tandem, tempore durissimo, naturæ exsolveret debitum.

Lucæ opera.

XV. MATTHÆUS MERIANUS Basileensis,

XV. MATTHÆUS MERIAN Basileēsis

IN arte rodendi æris multitudine operum omnibus antecelluit aliis: cujus occasione paucula hic de isto chalcographiæ genere præfari liceat: Quidam enim erodere æs, & cælare illud pro duabus venditant artibus, cum ad unam tamen artem uterq; labor pertineat. Quicquid enim cælator manu libera cæli beneficio æri incidit, id erosor stylo ceræ inscribit, mastiche & resinâ subactæ, superaffusâq; aquâ stygiâ, æri ductibus illic nudato, istud corrosum figuras dehinc exhibet in lamina cerata prius delineatas, quæ prælum vel millies subire possunt. Utrum autem genus alteri sit præferendum, meum hîc non est dijudicare: id saltem certum est, rosoriam non tantum velocitate præstare cælatoriæ, sed hac quoq; commoditate, quod artifex in diagraphicis sufficienter exercitatus inventa sua pro lubitu juxta ipsas artis regulas in lamina cerata delineare queat; quæ si cælaturam expetit, alterius demum manui, & peritiæ diagraphicæ quandoq; satis leviculæ committere cogitur.

De differentia chalcographiæ rosoriæ & cælatoriæ

Merianus igitur noster hoc artis chalcographicæ compendio tantam partim emblematum, partim topographiarum, prœliorum, venationum, historiarum Romanarum, quin & omnium continuo ordine biblicarum copiam typis publicis edidit, ut insignem ejus sedulitatem nemo satis admirari queat.

Natus autem fuit Basileæ patre Walthero Meriano Senatore illius Urbis anno 1593. à quo in omnibus bonorum morum literarumq; exercitiis educatus, anno ætatis decimo sexto Tiguri in disciplinam tradebatur Theodoro Mayrio tum temporis chalcographiâ rosoriâ celeberrimo; quam artem per quadriennium etiam tam feliciter ediscebat, ut paulò post Nanceium quæ sedes est Ducum Lotharingicorum, vocaretur, ad effigurandas ære roso illius Ducis Exequias, & monumenta alia.

Nativitas ejus.

Itinera ejus.

Abhinc Lutetiam abibat, eodemq; tempore Rosoriam hanc meliorem illuc deferebat, cum celebris ille Jacobus Calotus ibidem quoq; commoraretur. Post annos tamen aliquos, partim emolumento, partim laude plenus, ad parentes suos Basileam redibat, jam nunc in Italiam abiturus. Postquam autem Curiæ transitus ob metum contagii pestiferi occlusus est, Augustam Vindelicorum retrogrediebatur, unde post aliquam temporis moram, Stutgardiam vocabatur, ut ibi unà cum Brendelio Argentoratensi solennitates Baptismales, certamina equestria, comœdias & pyrobolica ære exprimeret, quod etiam juxta Regulas opticas laudabiliter peregit, testantibus de industriâ ejus ipsis exemplaribus. Abhinc in Belgium abibat, & iterum in Italiam tendens Francofurtum, ubi cum Theodorum de Bry Chalcographum & Bibliopolam celeberrimum offenderet, qui, ad perficiendum Itinerarium suum Indicum & figurarum ejus, adjutore opus habebat, contractâ amicitiâ cum illo Oppenheimium abibat; ubi, consummato cum laude opere illo, amore captus filiæ Bryanæ natu majoris, itineris Italici loco nuptias cum illâ celebrabat.

Uxorem ducit filiam Theodori de Bry.

Uxore igitur ducta in patriam regressus; familiam ibi suam quinque filiabus augebat & tribus filiis, quorum natu maximus Matthæus pictor est famigeratissimus,


Liberi ejus

PP


PAVLVS PONTIVS ANTVERPIEN.



LVCAS VORSTERMAÑus ANTW.




STEFFANO DE LA BELLA. FLOR.



ARTVS QVELLINVS. ANTWERP.



PETRUS DE IODE .ANTWERPIENSIS.



LVCAS KILIAN AUGUSTANUS.



mus, prout vita ipsius supra à nobis jam descripta est: alter Casparus chalcographus est celeberrimus; & tertius Joachimus Medicus evasit felicissimus Urbisque Francofurtanæ Physicus.

Opera ejus.

Si quis autem omnia istius Artificis opera describere vellet, is volumine opus haberet integro maximo: cum non manu saltem propriâ multa elaboraverit, sed & à se disposita per alios fieri curaverit plurima. Extantque ab ipso editi non supra tantùm allegati Libri Topographiarum, & Prœliorum; ubi integros tractus circa Heidelbergam & Stutgardiam, nec non Schwalbachium ad nativa delineatos exemplaria publicavit; sed & alia plurima. Exemplaris autem & quasi Ideæ loco ipsi erat Antonius Tempes., quem tamen elegantiâ, observatione regularum de lumine & umbrâ, atq; depressione profundâ superabat. In labore autem quolibet promtissimus & inventionibus admodùm ingeniosus erat, quod omnes ejus Libri & figuræ testantur. Sic Eberhardo Kissero Francofurtano Libros Thesauri Politici in charta delineavit, unumq; ex illis sexaginta figuris constantem mirâ celeritate consummavit. Opus Johannis Godofredi Pastoris Offenbachiani de quatuor Monarchiis aliquot figurarum ænearum centuriis exornavit, eidemq; historias omnium seculorum primarias inseruit. Sic Archontologiæ Urbes & Mappæ totius terrarum Orbis, illius sunt opus, quæ totam quasi vitam Alterius etiam industrii insumerent. Notissimum pariter est Itinerarium ejus Italicum: magisque adhuc Theatrum Europœum, ipsius autoritate & sumtibus editum, & adhuc laudabiliter continuatum. Præter quæ opera amplissima libellos pariter alios minores & tabulas separatas edidit, & inter alia etiam Arcem Palatinam Heidelbergensem, unà cum Horto. Sic Biblicæ ejus figuræ centum & quinquaginta ab Artis peritis atq; Devotis nulla satis laude decantari queunt; ita ut Merianus hic noster decus meritò atq; Lumen omnium Artificum Germanorum, cum immortali laude suâ, dici queat, nihilque magis optandum esset, quàm ut omnium ejus typorum existerent Exemplaria impressa in unum collecta.

Vita ejus.

In vita suâ, Christianas singulariter excolebat virtutes, voluptatibusque mundanis omninò neglectis, Deo serviebat & proximo, Pietatem pro summo totius mundi Bono habens, quod Symbolo quoque suo comprobabat, isto: Pietas contenta lucratur. Exporrectâ autem usque in annum quinquagesimum octavum ætate, cum spe recuperandæ sanitatis Acidulas biberet Schwalbacenses, ibidem obiit; Francofurtumq; delatus in cœmiterio S. Petri summo cum dolore omnium Artis peritorum sepultus est. Iconem ejus tabula nostra O. O. exhibuimus.

XVI. PAULUS de PONTE Antverpiensis,

XVI. PAULUS PONT.

VOrstermanni præmemorati discipulus, vestigiis Præceptoris cum omnium admiratione insistebat; & non tantùm propositum ejus ritè exequebatur, sed majori quoq; cæli elegantia singularem operibus suis conciliabat venustatem: unde in ædes illum recipiebat Rubenius, historiasque per illum varias præclarissimas æri incidi curabat. Sic postmodum & Antonio de Dick cælaturas confecit, prout inter icones illius, multæ hujus nomine signatæ sunt. Effigiem ejus tabula nostra P. P. exhibet.

XVII. STEPHANUS DE LA BELLE,

XVII. STEPHANUS de la BELLE.

FLorentiæ in Italia natus est, unde inter Italos illius jam facta à nobis est mentio. Cum autem iconem ejus tabulæ nostræ P. P. inserere coacti sumus, paucula isthæc adhuc superaddimus, quod non tantùm Pictor fuerit in minutiis variis excellens; sed & artem rosoriam à Jacobo Calloto didicerit, inq; ea pariter eminuerit, prout opera ejus testantur partim campestria; partim introitus, Equos, animalia varia, nec non Ruinas egregias, item Vasa, Alabandæa diversa & alia referentia. Simul autem Cubicularius erat Magni Hetruriæ Ducis, penes quem in singulari vivebat gratiâ.

XVIII. ROBERTUS VORSTIUS,

XVIII. ROBERTUS de VORST.

UNus erat de primariis Ægidii Sadeleri Imitatoribus in arte cælandi æris, quod satis comprobatur effigie Caroli Stuarti Magnæ Britanniæ Regis, juxta picturam Antonii de Dick, ab ipso æri incisâ, cui Conjux Regia imponere Lauream videtur: nec non effigie ipsius propriâ; quæ inter opera Dickiana simul extat: unde patet, quod licet icones reliquæ à celeberrimis tantum chalcographis Antverpianis effiguratæ essent, ipsius tamen labor nullo illorum sit inferior. Quam laudem aliis quoq; operibus plurimis Londini elaboratis constanter promeritus est, unde non amore tantùm plurimo sua Regia Majestas; sed & honore eundem singulari prosequebatur. Patriâ autem, quantum ego recordor, Arnheimiensis fuit, primaque studiorum suorum tyrocinia Ultrajecti exegit. Quoad artem pictoriam verò, Academiam nostram diligenter frequentabat, ubi Ego anno 1625. & 26. familiariter eum novi; nec minus & Londini, ubi anno 1628. ab illo digressus sum. Atque sic beneficio regularum & Academiarum pictoriarum

unà cum ipso omnes ante & post eum alii ad perfectionem ascenderunt, sine quibus regulis nemo quoq; altiora assecutus est. Prædictæ Caroli Stuarti effigiei hoc adscriptum est elogium.

Filius hic Magni est Jacobi; Filia Magni,
Henrici: Soboles dic mihi qualis erit?

XIX. JACOBUS MATTHAMIUS,

XIX. JACOBUS MATTHAM.

HArlemi natus anno 1571. privignusq; atq; discipulus fuit celeberrimi illius Heinrici Golzii, cujus opera plurima cælaturâ æneâ in lucem emisit, unde peritia ejus in chalcographicis insigniter elucescit. Mortuus autem est in urbe patriâ anno 1631.

XX. THEODORUS MATTHAM,

XX. THEODORUS MATTHAM. Opera ejus.

JAcobi prædicti filius delineando & pingendo artem suam inchoabat, ut in cælaturis eò felicius pergere posset, nec infeliciter. Opera ejus etenim, haud pauca sanè Lutetiæ anno 1663. edita sunt sub titulo: Tableaux du temple des Muses tirez du Cabinet de Feu Monf. Favereau; quæ sunt tabulæ 58. ab A. Diepenbeckio delineatæ, & à Matthamio hoc adjutore Cornelio Blomarto Ultrajectino, æri incisæ; idque tantâ industriâ tantâq; cælandi peritiâ, ut opus hoc eodem tempore Parisiis pro excellentissimo haberetur, quod in ista cæli perfectione nihil ibi adhuc fuisset editum, ut Gallorum quoq; natio in chalcographiæ studiis istud imitari magnoperè conaretur.

Ego autem ambos deinde hos Artifices Romam ad me vocabam in palatium Justinianeum, ubi statuas illius Porticus antiquas elegantissimas plurimas, meâ manu delineatas in folio æri inscribebant, ut numerus illarum ad centum & quinquaginta excresceret: quo in labore, cum Michaële Natali & Persinio tã sedulitate quàm ingenio omnem promeriti sunt laudem, ut ad opus ipsum, benevolum studiorum horum Fautorem, brevitatis studio quoque remittam. Porrò Matthamius hic, in Porticu nostra Electorali Bavarica è duodecim mensibus Schleishemianis meâ expictis manu aliquos; quin & Mariam Annam Schleisheimianam, mea quoq; depictam manu, sub forma folii, cupro incidit; prout typus ipse sat cognitus, id palam testatur.

XXI. MICHAEL NATALIS.

XXI. MICHAEL NATALIS.

FIlius erat Leodiensis cujusdam, qui typos ibidem monetarios cælo excavare solebat. Cum autem hicce illius filius Michaël ad altiorem in arte peritiam adspiraret, diagraphicæ primùm, deinde & chalcographiæ incubuit, exemplaribus potissimùm usus minoribus illis Sanctorum Sanctarumq; imaginibus, quæ libellis precum inseri solent; juxta methodum Malerii cujusdam, artificis Antverpiensis tum temporis satis celebris; quem iste in micrographicis elegantissimè assequebatur; ita ut Parisiis (ubi per aliquot annos degebat,) tales effigies cælaret plurimas. Flagranti autem ulteriorum desiderio compulsus, Romam contendit, ubi cum, mediis omnibus atq; subsidiis destitutus, quin & in arte suâ satis adhuc jejunus, à Sympatriotis suis familiaribus meis, mihi commendaretur, eidem mox, in Palatium Justiniani Principis ad me recepto, de mediis omnibus ad studia ejus necessariis prospexi: ubi quoq; in exercitiis diagraphicis beneficio Academiæ nostræ confestim sic proficiebat, ut juxta delineationes meas, statuas antiquas plurimas è Porticu Justinianeâ cælo exprimeret, methodo tunc usus tam eleganti & arte tam conspicuus atque promtus, ut Justiniano Principi ansam daret Volumen aliquod edendi de Porticus suæ statuis, in quo statuæ Antiquæ optimæ in folio centum & quinquaginta; Anaglypha autem semiplena quinquaginta exhiberi debebant. Cujus operis citissimè edendi cura cum mihi demandaretur, in hunc finem Cornelium Blomartum Lutetiæ tunc viventem, cum socio suo Theodoro Matthamio, ut ante jam retuli, ad nos in prædictum Palatium, unà cum Regnero Persinio vocavi, ubi omnes huic operi summo studio quasi certantes invigilavim', ut paucis annis illud absolveremus, & haud exigua hinc Natali nostro resultaret gloria: præsertim cum exhinc aliquas etiam D. Virginis effigies, aliasque historias typis æneis publicaret: è quibus omnib' tantoperè elucescebat ingenii ejus felicitas, ut tandem inter clarissimos seculi nostri numeraretur artifices. Auxilium præstat ad conficiendum Volumen de Porticu Justinianeâ.

Laudibus hisce cumulatus in patriam redibat dilectissimam, Leodium scilicet; ubi juxta exemplar manus meæ Effigiem Serenissimi Electoris Bavariæ Maximiliani æri incidebat: nec non historias alias; unà cum iconibus Sanctorum à Diepenbekio delineatorum: quibus & historiam addebat de Christo, cui Maria Magdalena inter epulas pedes, lachrymis lotos, capillis suis abstergit; in folii quantitate exhibitam; aliasq; plurimas, quibus omnibus commota fama, gloriam ejus per totum Belgium divulgabat, ut & ipse simul Leodii ad officium patris sui assumeretur.

Quin & in comitia electiva Francofurtum perveniens, effigies Sacræ Suæ Cæsareæ Majestatis, nec non Electoris Coloniensis, ad inventum proprium, delineantibus Bartholomæo Flemmalio & Bordo-

nio

nio Parisiensibus, Cælaturâ æneâ elegantissimâ exhibuit.

In Galliam venit.

Tandem autem, (prout mihi relatum est) Lutetiam ad servitia Regia vocatus, & assumtus est; ubi in honore & respectu vixit plurimo; quod cælô suo tantâ uteretur dexteritate, ut omnium rerum proprietates indolemq; & vitam naturali planè similitudine exprimeret, rotundamq; ubique molem & eminentias genuinas produceret: quibus omnibus laudem sibi famamque perpetuam culturæ universalis promeruit.

XXII. REGNERUS PERSINIUS,

XXII. REGNERUS de PERSIN.

IN Societate Cornelii Blomarti & Matthamii Parisiis, prout ante retuli, Romam ad me pariter profectus in Academiam Principis Justiniani cum cœteris recipiebatur; ubi studia sua insigniter provehebat; quemadmodum id cælaturæ statuarum quarundam antiquarum, aliarumque historiarum elegantissimarum satis testantur. Ibidem quoq; per aliquot annos permanebat, donec desiderio videndi patriam abreptus, in urbem reverteretur nativam, Amstelodamum scilicet.

Opera ejus.

Ubi juxta exemplar delineationum picturarumq; mearum, historiam de Leandro, amore Erûs angustias Hellesponti tranante, sed undarum vi suffocato; plangentibus mortem ipsius Sirenibus, Nymphis, Tritonibusq;, & ad littus corpus illius deferentibus; typis æneis exprimebat: quo opere quantam peritiâ nudorum corporum & affectuum polleret, singulariter commonstravit, ut prima ipsi laus inter illius loci artifices tribueretur. Deinde etiam pro me Balthasarem Castilionæū; nec non Ariostum Poëtam sculpebat: & prætere mensses quosdam, Majum scilicet, Junium, Octobrem & Novembrem, manu mea expictos, inq; porticu Electorali Schleisheimianâ extantes.

Cœterum ingenii erat felicissimi, & formæ simul admodum decoræ; ut societas eundem propterea Narcissi nomine insigniret. Uxorem autem Goudæ ducebat, pulcherrimam scil. virginem quandam de primariis: & quia multo opum abundabat affluxu, vix amplius è manu ejus aliquid extorqueri poterat; eò quòd plurimum temporis cum uxore suâ formosissimâ in horto tereret, manu librum plerumque versans elegantem; vitamq; sic in hilaritate transigens atq; tranquillitate.

XXIII. JEREMIAS FALKIUS.

XXIII. JEREMIAS FALK.

POlonus natione, nobili primum diagraphicâ, quæ mater est omnium aliarum artium, naturali inclinatione delectatus, tandem ad artem chalcographicam animum applicuit. In Germaniam igitur & Belgium, Galliamq; profectus, magno ubique colebatur amore, magnis etiam ob artem suam evectus laudibus. Cumq; exhinc Amstelodamum rediret, è porticu, quam ego tum temporis pro Serenissimo Electore Bavarico expinxeram, menses æri incidebat sequentes, Ianuarium videlicet, Februarium, & Martium, idq; mirâ elegantiæ perfectione. Postmodum autem à Daniæ Sueciæq; Regibus vocatus, istorum Magnatum icones æri insculpsit, prout ipsi illius typi luculenter testantur. Tandem Dantisci sedem figebat, ibidemq; ex operibus plurimis, ob miram ingenii fertilitatem, inq; exprimendâ ubivis naturâ elegantiam, cæliq; tractandi dexteritatem insignem, inter Graphicophilos singularem promeritus est existimationem.

XXIV. CORNELIUS BLOMARTUS Ultrajectanus,

ABrahami Blomarti Ultrajectani filius, à Patre suo artifice celeberrimo ad picturam potissimum applicabatur: cùm autem tres jam haberet fratres eidem Professioni addictos, Chalcographicam ipse eligebat, fundamentis in hunc finem apud Crispinum Paasium jactis. Postmodùm autem prudentissimâ Patris informatione adjutus, juxta varias istius delineationes imagines B. Virginis cælabat plurimas, historiasq; sacras alias; & in specie libellos aliquot de variis Anachoretarum habitationibus: unà cum Emblematibus & figuris quibusdam dimidiatis, juxta inventionem celeberrimi ibidem Hundhorstii: cujus auxilio confestim superabat alios. Quod sanè nec mirum erat; cum & in pictura multum præstitisset, hujusq; artis beneficio, accedente præsertim industria ejus singulari, Chalcographus meritò factus sit laudatissimus. Quod exemplo esse poterit omnibus istius artis Tyronibus, ut nempè, si ad aliquem hâc in Professione gradum aspirare nitantur, Pictoriæ regulis, ad propositum istud summè proficuis, omni studio assuescere ne dedignentur.

XXIV. CORNELIUS BLOMART Ultrajectanus.

Opera ejus.

Post hæc initia optima sanè, Blomartus noster Lutetiam sese conferebat; ubi, quemadmodum antea in Vita Theodori Matthamii Socii ejus retuli; Tabulas illas quinquaginta octo, pro opere Templi Musarum è Musæo Domini Faveravii, unà cum isto elaboravit, admiranda ingenii perfectione undiquaq; conspicuas: quo labore non pecunias tantùm lucrabantur sat lautas; sed & in arte hac tam Parisiensibus quàm aliis Nationis Gallicanæ artificibus, facem quasi prætulerunt lucidissimam; quæ etiam causa deinceps erat, ut eadem Natio, nostrates hosce, studio imitari conaretur maximo; eò quod in Blo-

marto omnia iſtius Artis dona perfectius eluceſcerent, quàm in ullo antehac alio, ſive carnoſitatem nudorum ſpectares corporum quaſi naturalem; ſive veſtium & armorum genuinam varietatem; ſive etiam argutiſſimam in exprimendis animalium pilis & lana, tractuumq; campeſtrium arboribus, rupibus undivomis, avibusq; & aliis requiſitis ſimilitudinem.

Finito hoc opere laudatiſſimo me vocante anno 1633. unà cum Matthamio ſuo & Regnero Perſinio, ut dictum ſupra, Romam venit; ubi hi omnes in Palatium Juſtinianeum à me recepti, mecum opus illud ſæpiùs commemoratum Technophylacii Juſtinianei elaborarunt; non mira tantùm ferventes induſtriâ omnes, ſed ne minima quidem unquam ſejuncti diſcordiâ, mirantibus ad ſtuporem non Italis tantùm cœteris, ſed potiſſimum Patrono noſtro Juſtiniano Principe. Inter omnia autem hæc opera, laudem promerebantur maximam, quæ Blomarti erant, adſtipulante & ipſo Natali: eò quod judicium ejus undiquaq; eſſet ſolidum, ingenium ſorte communi ſublimius, cælatura, præter characterem quendam ſingularem, elegantiſſima, & effiguratio ſucci quaſi plena & naturalis; ita ut Phœnix meritò in iſto peritiæ genere nominari potuiſſet.

Porro ibidem quoq; typis æneis exprimebat juxta Pinaco-thecam Principis Juſtiniani, effigies quaſdam D. Virginis; juxta Caracium imaginem illam celebrem Chriſti crucifixi, majori forma: S. Margaretam juxta Raphaëlem Urbinatem: Hortum quendam elegantem juxta Puſinium: Senecam juxta exemplar manus meæ: quin & juxta Petrum Cortonenſem, Andream S ıcchium, atq; aliorum opera Graphicophilis notiſſima, plurima alia; quibus laboribus ipſemet ſemper ita ſeſe onerabat, ut quaſi nunquam vacaret: quamvis in patria ſua usq; adeò deſideraretur, ut Pater ejus integram in hunc finem componeret ciſtam, operibus diagraphicis plenam, quò eadem æri hic incideret. Cumque talia Pater ejus per literas ipſi referret, hoc ipſo in cauſa erat, quod hicce ipſius filius in patriam redire renueret. Unde ſocietas Romana tempore hyemali illum baptizabat, & ipſe Romæ permanebat; pecunias colligens ampliſſimas; & ab omnibus ob moderatiſſimam morum elegantiam amore cultus plurimo. *Romam deſerere renuit.*

XXV. FRANCISCUS STEENIUS Antverpienſis,

XXV. FRANCISCUS van der STEEN.

IN Patria artem diagraphicam & chalcographicam didicerat; quoniam certo quodam caſu altero pede usq; adeò læſus erat, ut ambulandi facultate quaſi penitus deſtitueretur: atq; adeò tranquilla hâc atq; ſedentaria vita ſemet ſuſtentare cogeretur. Unde in ære cælando tantos quoq; faciebat progreſſus, ut Bruxellis â Sereniſſimo Archiduce Leopoldo Wilhelmo glorioſæ memoriæ ad exornandum Technophylacium ſuum multâ cum laude adhiberetur, confectis in hunc finem operibus melioris notæ plurimis. Quare ab Eodem quoq; ad Invictiſſimum Imperatorem Ferdinandum III. glorioſiſſimæ recordationis, Viennam mittebatur, ubi varia quoq; opera æris cælaturâ elaboravit: inter quæ palmarium eſt illud, quod Triumphum refert Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ, juxta Tabulam ſcilicet meam majorem exhibitum: ubi Deorum Dearumq; habitu refulget Archiducalis iſta familia, ita ut ſacra ſua Cæſarea Majeſtas, iconicè Jovis effigiem referens, lauro redimita, fulmen unâ, oleæ ramum alterâ manû tenens, cum Globo Univerſi & Aquila in nubibus reſideat: Minervæ autem inſignia exhibeat Hiſpaniæ Regina; juxta quam & Principiſſæ cœteræ. Apollinis autem figurâ adſtat Ferdinandus IV. Rex Romanorum; & Cupidinis cum arcu & ſagittis Leopoldus, nunc Imperator ſemper Auguſtus; qui tunc temporis erant Sereniſſimi Imperatoris Principes atq; Filii. Imperatrix autem defuncta Maria in cœlo ſub Junonis imagine; & Leopoldina ſub imagine Cereris intra nubes abrepta ſpectatur, quarum Illa Divitiarum; Hæc Fertilitatis refert ſymbolum. Imperatrix autem regens Bellonæ habitu expreſſa eſt, cum variis ad pedes illius inſtrumentis bellicis: & ſupra commemoratus Archidux Leopoldus Wilhelmus Martem exhibet cum diverſis ſimiliter armorum generibus. Quæ omnia tantâ cum laude conſummavit Steenius, ut ſalarium illi propterea adaugeretur, & ipſe perenni in ſervitiis Cæſareis detineretur ſtipendio: in quibus etiam opera in lucem edidit laudatiſſima plurima. *Opera ejus Vienenſia.*

XXVI. ISAACUS MAJOR Francofurtanus,

XXVI. ISAACUS MAJOR Francofurtanus.

IN vita incomparabilis illius Artificis Ægidii Sadeleri à nobis jam eſt commemoratus, cujus etiam Diſcipulus fuit: in Ædibus Præceptoris ſui pluribus vixit annis, artemq; hanc juxta omnes edidicit apices, præſertim in tractibus ſubdialibus exhibendis; quo in genere palmam quaſi Magiſtro reddit dubiam. Exemplo hic eſſe poteſt tabula quædam Topographica major, duobus foliis mediani generis imprimenda, quam juxta Rulandi Saverii picturam æri incidit. In hac S. Hieronymum ſpectare licet, inter montes altiſſimos atq; aſperrimos, unà cum rupibus, ſpeluncis, undarum præcipitiis & arboribus proceris, tantâ arte ad ipſam naturæ veritatem

acce-

accedentibus, ut typis æneis simile quid nondum fuerit exhibitum, quod huic laborum generi ullatenus præferri valeat.

XXVII. PETRUS JOODIUS Junior,

XXVII. PETRUS de JOODE Junior.

ANtverpiam similiter habebat patriam; inq; arte chalcographica omnimodam assecutus erat perfectionem: quod historiæ testantur plurimæ, nec non imagines & icones juxta picturas Rubenii & Dickii ab ipso figuris æneis publici juris factæ; unde laudum ejus vix statuit terminos verorum Artificum deprædicatrix Fama.

XXVIII. WENCESLAUS HOLLARTUS,

XXVIII. WENCESLAUS HOLLART.

PRagensis natione, inter tumultus Bohemicos in juventute suâ jacturâ patiebatur omnium bonorum suorum: unde pro scopo picturam sibi eligebat gummatam; in quâ cùm mirum in modum profecisset, porrò apud Matthæum Merianum Francofurti Chalcographiam rosoriam addiscebat; istudq; studium ad finem usque continuabat. Postmodum in servitia Comitis Arondelii in Angliam discedens, non ibi tantùm; sed & Antverpiæ (ubi tandem vitam cum morte commutavit,) typos æneos edidit plurimos, juxta delineationes elegantissimas: inter quos & subdialia, & urbes, & similia varia: ut proinde memoria elegantissimæ ejus in Cupro erodendo methodi vix sit intermoritura.

XXIX. JACOBUS de SANDRART, Norinbergensis,

XXIX. JACOBUS de SANDRART Norinbergensis.

NEpos meus est ex fratre; cujus prosperitas & educatio tantæ mihi fuit curæ, ut patris potius, quàm patrui loco ipsi fuerim: præsertim cum ingenium ejus adista studia capax, & insignem ejus in diagraphicis industriam, observarem; In quibus maturè tot edebat specimina, ut facilè conjici posset, peritissimum eum & perfectissimum tandem Chalcographum fore. Ne autem ob sanguinis propinquitatem in ebuccinandis laudibus ejus nimius videar, ad opera ipsius potius Lectorem remitto, ut ex illis, quanta sit istius artificis in cælando elegantia, quantumq; judicium, ipse dignoscat.

Icones ejus.

Inter hæc autem illius opera potissimum eminent Effigies invictissimi Imperatoris Ferdinandi III. major, cum parergis variis clarissimis: Porro septem sacri Romani Imperii Electores, unius quantitatis omnes: nec non Serenissimus Princeps ac Dominus Dominus Episcopus Frisingensis; unà cum plurimis partim Principibus partim eruditis & clarissimis viris aliis; quorum icones, haud sanè paucas, typis publicis evulgavit, quæ omnes apud istius artis fautores magni ubiq; æstimantur. In quibus hoc unicum desiderari posset, ut prototypa semper eidem oblata fuissent optimi generis, juxta quæ peritiam suam luci melius exponere potuisset: Cum è contrario, circa delineationem sæpè imperfectiorem defatigato, sæpissimè è manibus elapsa sit occasio exactiora artis suæ edendi specimina. Quod enim, oblatâ delineatione perfectiore, omnes semper adhibuerit artis suæ nervos, hęcce mea testatur Academia: in quâ manu ipsius exercitatissimâ similisq; judicii laude uberrimâ, exsculpta est tabula N. inq; eâ Propertia illa Bononiensis, cum quatuor iconibus aliis. Quibus accedunt Effigies Artificum tabulæ Q. elegantissimæ. Ubi sicco etiam pede prætereundæ non sunt tabulæ quædam Geographicæ emendatissimæ, variarum scil. provinciarum cum regionibus circumjacentibus finitimis: inter quas Danubii Tractus, â Scaturigine suâ, usque in Pontum Euxinum; cum aliis pluribus; quas multa edidit curâ magnáq; cæli perfectione, ut non immeritò his omnibus parta sit nomini ejus apud istius artis cultores immortalitas.

Et alia opera.

Filium ejus natu majorem Johannem Jacobum de Sandrart ipsa quasi natura â primis fermè incunabilis hisce studiis implicuit; ita ut hanc artem cum paternis quasi alimentis domesticâ educatione absorpserit. Ex quo, ætate parum auctior, meam subiit domum; in quâ jam per aliquot annos non benevolentia tantùm variâ, sed & informatione meâ utilissimâ, tam in theoriâ, quàm in praxi utitur; Non ingenio solùm felicissimo; sed etiam diligentiâ suâ indefessâ spem nobis faciens insignem, de fama ejus, aliquando inter artifices uberiùs deprædicandâ: quemadmodum & progressum ipsi faustissimum, & ut scopum, quem sibi proposuit, ex voto assequatur, animitus precor.

Johannes Jacobus de Sandrart filius ejus.

XXX. RICHARDUS CHOLLINIUS,

XXX. RICHART CHOLLIN.

LUxenburgi parentibus natus est magni nominis, quiq; officiis Hispanicis Regiis cum honore diu præfuerant: ibidemq; ad studia primùm educatus est: ubi non tantùm magnam statim futuræ spei messem promisit; sed & suâ sponte artem diagraphicam addidicit: In quâ dehinc frequentando Academiam Antverpianam tantoperè profecit, ut delineationes juxta prototypa viva, summâ cum laude institueret. Mox igitur & ad Chalcographiam nemine præeunte progressus est; & huic proposito tam pertinaciter institit, ut multis eundem patria ipsius nunc cumulet laudibus.

Prava Chaleographorũ quorundã Germanorum opinio.

Quod illustre Tyronibus nostris præbet exemplum; qui satis arti factum existimant, si magistro cuidam per aliquot annos adsint, literisq; dein absoluti tyrocinii instructi, in peregrinas discedunt oras: in tenebris interea pravæ suæ opinionis artisque putatitiæ undiquaq; cespitantes; de connubio maturè sibi prospiciunt, quo ipso in profundissimum miseriæ paupertatisque barathrum sese præcipitant; unde per omnem vitam postmodum eluctari nequeunt. Cùm potius ante omnia id requiratur, ut nobilissima designandi ars fundamenti loco præmittatur; Cujus regulis perfectissimè apprehensio, dehinc ipsum quoq; cælandi artificium, juxta exemplum istius Chollinii, sive cum, sive sine præceptore, eò facilius addiscitur: quod deinceps suam quoq;, ad honores vitæq; commoditates alias, viam sternit: prout præter hunc, etiam priscorum exempla, Alberti Düreri scilicet; Lucæ Lugdunensis; Bartholomæi & Sebaldi Bohemi; Claudii Melanii; Georgii Pensii; Jacobi Binchii; Ægidii Sadeleri & aliorum sufficientissimè testantur.

Opera ejus.

Ut autem & operum ejus artificiosissimorum fiat mentio; illa sanè per totum quasi terrarum orbem nota sunt: Ut propterea titulo quoq;, Regiæ suæ Majestatis Hispanicæ Geographi & Chalcographi insignitus sit. In specie autem totum Belgium, & potissimum urbs Antverpiana (ubi primarii semper floruerunt in hoc cælandi æris genere artifices) eadem admiratur. Nec enim icones tantùm optimæ notæ, sed & historias tã magnas, quàm minutas, edidit tanto numero, ut omnes describi minimè queant: è quibus omnibus ipsa quasi ars laudes ejus gloriosè edisserit, singulorumq; nativa proprietas tam argutè elucet, ut nulla iisdem deprædicandis sufficiant encomia. Cujus exemplum abundè præbet solum ipsius volumen longè præstantissimum de Aurei Velleris Equitibus. Quibus & ego commotus, arte pariter ipsius in Volumine statuarum nostrarum uti volui: in quo Benevolus Lector ipsius manu elaboratas conspicere poterit Statuas Minervæ; Apollinis; Herculis majoris; & Floræ è palatio Farnesio: nec non Veneris Græcæ & Cleopatræ è palatio Mediceo; unà cum Fauno atq; Alexandro Magno & Bucephalo; nec non Peto & Arria atque Sileno è palatio Justinianeo: similiter hic etiam voluminis nostri Architectonici cælavit titulum; unà cum iconibus Holbeinii & Francisci Quesnoji; cum cœteris ibidem adjunctis: multisq; adhuc aliis, tomo nostro secundo & sculpturæ admirandæ veterum insertis: undè meritò & nomini ejus, in Templo gloriæ, sua debentur laudum & honorum Trophæa. Effigiem autem illius exhibet tabula nostra N. 5.

XXXI. BARTHOLOMÆUS KILIANUS Augustanus;

XXXI. BARTHOLOMÆUS KILIANUS Augustanus.

E Celeberrimâ Kilianorum Augustanorum familiâ prognatus, quibus ab utero quasi artem Chalcographicam instillavit natura: Cum non tantùm duo illi fratres Wolffgangus & Lucas Kiliani, suâ ætate admodum fuerint celebres, sed prior quoq; istorum duos reliquerit filios simili professione nobiles, Bartholomæum scilicet & Philippum. Hic igitur Bartholomæus Kilianus indefatigatâ suâ sedulitate artis diagraphicæ perfectionem tantoperè affecutus est, ut postmodum cæli sui elegantiâ undiq; maximam sibi pareret gloriam. Non enim icones tantum plurimorum Principum, nec non Eruditorum aliorumq; magni nominis virorum, præsertim Augustanorum plurimorum: sed & alia opera magno numero artificiosissima, multâ quidem facilitate, sed nec minori perfectione, tanquam artis diagraphicæ peritissimus elaboravit. Præterea theses quoque & conclusiones effiguravit plurimas, duabus sæpè & pluribus, plagulis regalibus imprimendas, quæ apud Technophilos ubivis extant. Sic & tabulæ quædam hujus meæ Academiæ, literis H. & I. insignitæ, authoris hujus laudes meritò decantant, quæ effigies Græcorum quorundam Philosophorum priscæ celebritatis continent. Adde quod & tabulam nostram .7. magnâ cum laude sculpserit, & suam quoq; eidem inseruerit effigiem. Et quis omnia felicissimæ manus ejus opera, quorum infinitus quasi est numerus, enarrando exhaurire posset, sive historias spectemus tam majori quàm minori forma editas; sive effigies diversissimas. Quibus laudibus omnibus, dignum quoq; addit cumulum virtutibus variis tam Civilibus quàm moralibus & potissimum œconomicis: ut à manu ejus adhuc plurima, laude dignissima ulteriore, indies expectent Technophili.

Opera ejus.

XXXII. PHILIPPUS KILIANUS Augustanus,

XXXII. PHILIPPUS KILIANUS Augustanus.

FRatris sui hâc in arte æmulus, similiter innumerâ optimarum sculpturarum copiâ, & iconibus potissimùm quasi nativis ubivis innotuit, quemadmodum hæc opera ejus in Libris technicis Graphicophilorum passim reperiuntur. In hac autem Academiâ meâ, specimina edidit dignissima, expressione statuarum Herculis & Sibyllæ Cumanæ. Deinde ipsius quoq; operâ in lucem prodierunt Tabulæ nostræ B. C. D. E. ibidemque contentæ icones Artificum quorundam Græcorum antiquorum: nec minùs, qui tabulis M. N. O.

Opera ejus.

P. R. S. T.

P. R. S. T. exhibentur Itali; & Tabulis AA. BB. CC. DD. GG. OO. comprehensi Germani; quæ omnia egregiam optimi hujus Artificis laudem Libro benè gestorum cum aliis inserunt: cùm præsertim indies adhuc plura à sedulâ illius manu expectentur.

XXXIII. CAROLUS GUSTAVUS AMBLINGIUS, Monacensis,

XXXIII CAROLUS GUSTAVUS AMBLING Monacensis.

IN primo jam annorum flore tantam, partim industriâ suâ incomparabili, partim ingenio ad sublimia fervido, promittebat spem futuræ perfectionis; ut Serenissimus Bavariæ Elector suis sumtibus Parisiis ipsum per aliquot annos sustentaret: ubi apud Pollium, Chalcographum celeberrimum, ad tantum completæ Artis fastigium ascendit, ut cum maximo honoris cumulo à supradictâ Serenitate suâ Electorali ad ministeria aulica vocaretur atq; susciperetur; ubi insigni Artis suæ peritiâ Germaniæ nostræ adhuc lumen atque decus est maximum. In hocce meo Libro autem, magnam ejus summisque artificibus parem peritiam, luculenter ostentat primum Academiæ nostræ frontispicium; & multo adhuc præclariùs magnus ille Mercurius, cui Cupido alas calcaneis annectit; cum tabulâ N. 1. quæ omnia satis ostendunt, quàm rara artis nobilitate hic noster Amblingius effulgeat. Ita ut haut amplius necesse sit consummatam ipsius artis perfectionem extra Germaniam disquirere: præsertim cum insigne ejus in hâc cælandi arte judicium, in viridante adhuc ætatis ejus juventute, certissimam nobis spem præbeat, quod continuante solertissimâ illius sedulitate, gloriæ ejus nullus statutus sit terminus.

XXXIV. JOHANNES JACOBUS THOURNEISSEN; Basileensis:

XXXIV. JOHANNES JACOBUS THOURNEISSEN Basileësis.

PAtriam suam, quæ progenerandis talibus artificibus aliquandiu fuerat sterilis, ex ortu suo iterum haud parùm nobilitavit. Cum enim, exhaustâ primùm diagraphices amplitudine, sculpturæ nomen dedisset, chalcographiam simul seriò excoluit; inq; eâ, laboris ope indefessi, tantoperè profecit, ut verè de eo dici queat, eundem præter singularem excellendi characterem, non tantùm optimis cultoribus annumerandum, sed ordinanariam in hoc gēere sortem omninò excedere. Testimonia horum præbent, non innumera saltem opera ejus: sed in specie Theses illæ, quas pro Serenissimo Principe Neoburgico, cum Lugduni in Gallia adhuc studiis incumberet, typis æneis in lucem edidit: quo in opere figuræ, imagines atq; effigies ex omni parte excellentiam, unà cum elegantiâ plurimâ, præ se ferunt atque adeò miram ejus in hâc scientiâ perfectionem gnaviter ostentant. Cœtera ejus opera hoc loco enarrare, nimia prolixitas haud admittit. In specie Lectorem technophilum remitto ad statuas quasdam sculpturæ nostræ veteris admirandæ; Laocoontis nimirum, nec non Antinoi, atque Latonæ sive Veneris; quarum præcellentiam omnes istius artis cultores cū stupore admirantur: præsertim singulari hoc Charactere abrepti, quod uno ductu varietatem omnem tam umbrarum obscurissimarum, quam medii & clarioris luminis, gratiosissimè absolvat, perfectamque rotunditatis eminentiam incomparabili argutiâ ob oculos ponat. Unde in speciale laudum ejus augmentum iconem illius tabulæ nostræ N. 5. inseruimus.

XXXV. MELCHIOR KüSELIUS Augustanus;

XXXV. MELCHIOR KüSEL Augustanus.

In arte rodendi excellit.

CHalcographiâ non cælatoriâ saltem, sed & potissimum corrosoriâ, peritiam assecutus est maximam: factisque per varias regiones itineribus, Augustæ Vindelicorum larem tandem fixit, & in utraque hâc arte multa præstitit laudabilia. In specie autem encomio digna sunt plurimo, passio Domini nostri atque redemtoris, juxta inventionem Wilhelmi Baueri artificis ingeniosissimi in unum composita libellum: nec non Ovidius & Pastor fidelis: unà cum insigni copiâ variorum Scenographicè projectorum ædificiorum illustrium, hortorum, fontium, artificiosorum, portuum, atq; navium; prout talia Romæ, Venetiis, inque portu Liburno quotidiè spectantur: quæ omnia undis stigiis elegantissimè exhibuit: Ubi in rasuris hisce ceratis hanc adinvenit gratiam, ut postica ab anterioribus debitâ semper proportione distare videantur.

XXXVI. MATTHÆUS KIESELIUS Augustanus,

XXXVI MATTHÆUS KüSEL Augustanus.

PRioris frater, Chalcographus pariter est celeberrimus, qui opera varia accuratè elaborata, cæli præsertim ope in lucem edidit; quemadmodum illa passim circa Patriam ejus apud Technophilos extant. Præcipuè tamen fama ejus in Aulâ Cæsareâ, nec non Electorali Bavaricâ tam claro patet præconio, ut ibidem multis præferatur aliis.

XXXVII. ELIAS HAINZELMANNUS Augustanus,

XXXVII. ELIAS & SAMUEL HEINZELMANNI Augustani.

UNà cum fratre Samuele in eâdem Arte pulcherrimâ, exoticis primùm operam dederunt, in solum hunc finem, ut perfectionis lauream eò citiùs assequerentur.

Lutetiam igitur Parisiorum, ubi Ars ista ordinariam quasi hoc tempore sedem habuit, sese conferentes, omnes in id naturæ nervos intenderunt, ut tramites inibi solitos transcenderent. Unde inter alia laudatissima plurima, varias quoq; historias majores, juxta tabulas Bourdonii Pictoris celeberrimi typis ediderunt æneis, gratiosissimo semper atque purissimo novoque adeò charactere usi. Ut patriæ illorum dilectissimæ magna nunc spes oriatur, (cũ major natu haud ita pridem eodem sit reversus;) fore tandem, ut desiderata hactenus Gallicana methodus inibi, summâ cum loci & Artificum gloriâ, pleniùs introducatur.

XXXVIII. ANDREAS WOLFGANGUS Augustanus,

XXXVIII. ANDREAS WOLFGANG Augustanus.

SAxo quidem natione est, sed artis Chalcographicæ discendæ causa Augustam Vindelicorum concessit; ubi non rudimenta saltem cum laude præmisit; sed ad penitiora scientiæ hujus adyta continuâ assiduitate perrexit: ut in puriore Undarum Stygiarum usu apud technophilos magni æstimetur. Quemadmodum elegantiæ studium, si cum genuinis Diagraphices fundamentis debitè combinetur, vita reverâ est atque anima omnium cælandi generum.

XXXIX. JOHANNES GEORGIUS WALDREICH Augustanus,


XXXIX. JOHANNES GEORGIUS WALDREICH Augustanus.


IN solo patrio fundamenta quidem Artis suæ posuit; deinde autem factis in exterorum oras itineribus, meliora tanto sectatus est studio, ut incrementa ejus indies sublimiùs assurgerent. Cumque ingenii esset moderatioris, speculationibusque patienter indulgeret; virtutis potius laudem, quàm lucri commoda captans, illos statim longo post sese relinquebat intervallo, qui non tam gloriæ, quàm nummis inhiant. Hæc enim perpetua est bonarum Artium regula, quod qui virtutem negligunt, soli litantes avaritiæ, ab ipsa Virtute iterum negligantur, cum ex adverso genuinæ perfectionis studiosi, debito quoque tandem divitiarum & honorum coronentur prœmio. Dolendum tamen, isthunc nostrum artificem in ipso ætatis suę flore tam præmaturo abreptum fuisse obitu.

XL. JOHANNES FRANCUS Augustanus,

XL. JOHANNES FRANCUS Augustanus.

IPsissimam Artis medullam similiter nunquam non sectatus est, donec subsecutis continuatorum exercitiorum digestionibus, ad veram tandem properaret perfectionis maturitatem. In specie autem operibus Architectonicis potissimum incubuit, ubi miram ubiq; manus suæ patientiam, adeoq; venustatem simul præ se fert gratiosissimam. Exempla autem egregiæ ipsius peritiæ, inter alia varia, nostra quoque exhibet Academia, in quâ non quinq; tantùm ordines Architecturæ; sed & splendidissimum illud Romanæ Urbis Decus Pantheon; nec non templum Nervæ Trajani, unà cum tabulis aliis à N. XXVII. usq; ad XXXVII. elaboravit. Quo in genere ad ulteriores semper celebrioris famæ gradus properat.





Caput XXVI.

TREDECIM PICTORES NATIONIS GALLICANÆ.

Argumentum.

I. BERNHARDUS: Callido sese vindicat astu contra illos, qui labores ejus contempserant: figuræ ejus Biblicæ. II. SIMSON VOUETUS Pictor Parisiensis: Romam venit; artemq; in Galliâ primus restaurat. III. VALENTINUS COLUMBINUS: Opera ejus. IV. NICOLAUS POUSINIUS Normannus: Opera ejus Romana: in servitia Regis Galliæ vocatur: iteratò Romam abit: opera ejus alia. Modus ipsius pingendi. CASPARUS POUSINIUS. V. CAROLUS LOTHARINGUS. VI. ERHARDUS. VII. FRANCISCUS PAROY. VIII. BELLUS REPERIUS AQUITANUS. IX. TRUFEMONDIUS è provinciâ oriundus. X. BRUINIUS. XI. HIERIUS. XII. FRANCISCUS PERRIERIUS. XIII. BORDONIUS: Opera ejus.

I. BERN-

I. BERNHARDUS, five PETIT BERNHARD.

I. BERNHARDUS PARVUS, Gallus,



INter antiquiores Gallicanæ nationis numeratur artifices; nomenq; Minoris à staturâ obtinuit, cum in arte atq; scientia suâ revera magnus esset: quêadmodum opera ejus clarissima in Galliâ, & præsertim in provinciâ Languedocensi & Lugdunensi per templa passim testantur: quibus omnibus satis ostendit, quod consummata fuerit ipsius in arte pingendi perfectio, quam juxta antiquam quidem; sed optimam methodum elegantissimè prosecutus fuit.

Callido sese vindicat astu.

Cœterum quàm lepidi fuerit ingenii, subsequens historia satis declarat, quæ pro verâ mihi enarrata est. Nimirum Religiosi quidam illorum locorum celebrioris ordinis, cujus nomen honoris causâ subticeo, cum ipso convenerant, ut sacram Domini cœnam in magnâ quadam tabulâ ligneâ depingeret: quod etiam tantâ præstiterat sedulitate, ut plenissimè satisfactum esset committentibus. Cum autem hi tum demum de pretio jam promisso multa disceptarent, illudq; pro lubitu minuere conarentur; inq; hunc finem opus hoc tantoperè antehac laudatum, in pluribus jam reprehenderent, nodum ubivis in scirpo quærentes; hic noster, ad indignationem meritò commotus, picturam istam formosissimam coloribus aqueis undiquaq; superinduxit, absurdas singulis quasi Apostolis tribuens actiones: vocatisque iterum Patronis suis, ut emendationem suam contuerentur, speratumque jam pretium non amplius controverterêt, ostendit, ubi optimi illi Patres opus hoc tam miserè depravatum cernentes, ita ut modò barbas sibi invicem evellerent Apostoli, modò cantharis, lagenis & urceis decertarent; alibi ebrii atq; temulenti summo cum scandalo sub mensâ prostrati decumberent, in furorem quasi exciti, rectà ad ædes Gubernatoris properantes, summo cum zelo impium hoc Bernhardi facinus eidem denuntiarunt: qui confestim etiam accensum cum militibus quibusdam emisit, qui pictorem unà cum picturâ ad se deferrent. Cumq; isti, collisis foribus, Bernhardum tanquam maleficum abducerent, ipsamq; tabulam, quam iste interea spongiâ madidâ omninò rursum expurgaverat, ad Gubernatorem apportarent, hic perspectâ picturâ elegantissimâ multisq; actibus devotis exornatâ, Bernhardum audiens, actores mox condemnavit, ut pactum ab initio prœmium eidem numerarent, & in posterum â talibus criminationibus abfisterent. Talia autem de ipso narrantur plura; unà cum gestis aliis memorabilibus variis.

Figuræ ipsius Biblicæ.

Cœterum & in delineandis figuris Biblicis Veteris & Novi Testamenti minoribus, nec non metamorphosi Ovidianâ multum præstitit: prout inter alia duo illius libelli utilissimi Lugduni â Johanne Tournesio Anno 1559. editi satis superq; testantur.

II. SIMON VOVETUS Parisiensis,

II. SIMON VOVET Pictor Parisiensis.

INter primos Gallorum fuit, qui, desertâ methodo pristinâ, ad vera solidioris artis fundamenta sese applicuit. Rariùs enim antehâc in isto regno eminebant artifices; eò quod fautores picturarum viliori quovis pingendi genere contenti essent. Donec Richelius Cardinalis, vir sumi ingenii & judicii acutissimi, huic arti exquisitiùs faveret, largisque prœmiis meliores artifices ad sublimiora excitaret studia. Unde neglectâ humili suâ atq; depressâ simpliciq; antiquiorum methodo, quamvis nec illa suo careret acumine, profundioribus sese applicuerant, nativæ expressionis Characteribus. Hic noster igitur ad gradum elegantiæ progressus haud exilem, postquam cognovisset, Barberinum, qui Nuntius antehâc in Galliâ, Patronusque ejus fuerat, ad papalem dignitatem elevatum esse, spe ductus maximâ, Romam sub istius protectionem concessit, ibidemque non in studiis tantùm sedulò perrexit, sed suum quoque invenit commodum atque emolumentum.

Romam venit.

Totum autem illius propositum in hoc consistebat, ut omnia juxta ipsam naturæ vitæque veritatem efformaret: quo in genere imagines multas dimidiatas, viventium quantitatê, nec non historias & figuras integras magnâ expinxit industriâ; ita ut ante illum Gallorum nemo ad istud fastigium Romæ ascendisset. Cumque characterem præterea haberet gratissimum, hinc sub Protectione Summi Pontificis nec fortuna ipsi deerat; ut relictis post abitum operibus elegantissimis plurimis, frequentatisque utiliter Academiis, cum insigni Nationalium suorum excitamento, partâque laude gloriosissimâ, feliciter tandem Lutetiam reverteretur; ubi à Rege, Richelio Cardinali, aliisque Magnatibus summo colebatur affectu, cum omni promotione & prosperitate ulteriore.

Opera ejus in templis, Palatiis & Conclavibus plurimis, inventionibus Poëticis argutissimis, Allusionibusq; & fictionibus, figurisque similibus variè referta erant, unde pleraque etiam typis æneis publicata sunt, & apud Technophilos adhuc reperiuntur, ad quæ etiam Lectorem benevolum remitto. Id unicum adhuc superaddens; hunc unum fuisse è præcipuis Artis hujus Restauratoribus, qui oculos in illa Natione aperuit plurimis, ansamque,

Artem in Gallia restaurat.

errores emendandi priores, præbuit omnibus. Iconem igitur illius Tabula nostra K. K. exhibuimus.

III. VALENTINUS COLUMBINUS Gallus,

III. VALENTIN de COLOMBIEN.

ANte Vovetum quidem Romæ jam erat; sed nihilominus cum insignem istius Fortunam perspiceret, in disciplinam illius sese committebat: unde & in picturis ad viventium similitudinem institutis, methodoq; omnimodâ Præceptoris vestigiis tam acriter insistebat, ut non tantùm ad sublimiora statim pervolaret; sed & in vivis omnium rerum expressionibus Michaëlem Angelum Caravaggium, ejusdemq; discipulum Manfredum penitùs imitaretur, nulliq; quasi istorum cedere allaboraret: prout multæ adhuc imagines dimidiatæ, Romæ hodienum extantes, id abundè testantur.

Sed & Tabulam quandam integram Romæ pro altari quodam in Templo D. Petri elaboravit, in quâ duo Martyres equuleo à militibus torti, fustibusq; à circumstantibus cæsi exhibentur: quæ omnia, cum debitis circumstantiis suis, tam argutè expressa, tam vivido colore expicta, tamque rotundâ mole elevata sunt, ut meliori harmoniâ, majoriq; naturæ similitudine vix confici potuissent, nulliq; propterea Altari postponenda sint; testantibus id omnibus, qui Artem verè callent, nulloq; præjudicio præoccupati sunt. Inq; hoc plenissimo & ingeniosissimo pingendi genere, omnia scilicet ad naturæ institutum dirigendo, opera conficiebat plurima nobilissima: donec aliquando sub fervidissimis Mensis Augusti caloribus sumtâ cœnulâ, frigidâ lavaret pedes: unde mox lecto sese committere cogebatur, febri propterea agitatus vehementissimâ; quæ & tantoperè affligebat misellum, ut die abhinc septimo nobis Amicis atq; familiaribus suis, mentis adhuc compos, cum dolore valediceret, vitamq; paulò post cum letho commutaret.

Prout autem honestioris semper erat animi; sic præ cœteris Nationem quoque colebat Germanicam atq; Belgicam, cumque talibus libentiùs conversabatur, quàm cum sympatriotis propriis. Eâdem autem adhuc die, juxta morem inibi usitatum, in vestibus suis, inter Exequias splendidissimas, quibus omnes intererant viri clariores, in templo D. Virginis Populosæ, sub cujus Parochiâ larem habuerat, anno Domini 1634. terræ committebatur.

IV. NICOLAUS POUSSIN Andeliensis.

IV. NICOLAUS POUSSINIUS Andeliensis,

ÆMulator erat Valentini, quem ipse tanto imitabatur studio, quo ille Vovetum in orthographiâ, calligraphiâ, universaliq; omnium requisitorum harmoniâ, quâ hactenus Galli plerumq; caruerant, prosecutus fuerat. Cum autem non tam ad imagines, viventium quantitate exprimendas, genio suo ferretur, & ad loca clausa, prout Valentinus; sed majori delectaretur universalitate & liberiore aëre atque campestribus; hinc picturis operam dabat bipalmaribus vel tripalmaribus, historicis plerumq; atq; Poëticis, cum argutissimâ omnium affectuum atq; motuum expressione, in quibus non industriam saltem exquisitam adhibebat, sed totam quasi Romam, ceu Theatrum quoddam Artis hujus illustrissimum exempli loco sibi proponebat, cum summâ Nominis sui celebritate. Studia autem sua adhuc juvenis anno 1622. Romæ inchoabat; inq; Academiis, nec non operibus antiquorum imitandis, Italos semper optimos, nec non Belgas potius frequentabat, quam nationales suos: ubi inter colloquia acutissimæ semper ingenii ejus dotes abundè emicabant. In Diagraphicis autem Raphaëlem, inque colorum usu Titianum primitùs imitabatur, ut mox etiam innotesceret, publicisque celebraretur encomiis.

Priora ejus opera Bacchanalia erant, Satyris, Nymphisque plena, cum adjectis Ruinis & subdialibus similibus; ex Ovidio plerumque. Deinde autem seria magis excolebat, historiasque Græcas atq; Romanas, nec non sacras; quas omnes juxta debita temporum requisita ingenio exornabat profundo, & arte maximâ; ut multas æneâ quoq; publicaret cælaturâ. Juxta supradictam Valentini tabulam, ipse quoque tabulam pingebat aliam in templo D. Petri de S. Erasmo, cui à carnificibus intestina ex abdomine extracta, girgillo obvolvuntur: Cumque opus Valentini jam collocatum esset, & hoc, suo tempore etiam apponeretur, magna inter spectatores oboriebatur judiciorum diversitas, quod alii hoc, alii illud præferre niterentur: cum veri Artis periti utrumq; potiùs maximi æstimarent, & neutrum alteri præferendum judicarent. Sicubi enim Pousfinius expressione Passionum & Affectuumque & inventione præcelleret; Valentinus è contrario In verâ naturæ imitatione, ipso carnis robore, colorum eminentia, atq; harmoniâ præstabat, ita ut ambo quasi certando vincerent, neutriq; sive prærogativa deberetur sive postergatio. Hoc unico excepto, quod Pousfinius vivacitate esset felicior, istâque diuturnitate majorem haberet occasionem in celeberrimâ hâc Academiâ Romanâ ulteriùs semper proficiendi. — Opera ejus Romana.

Ob tantam in arte suâ præstantiam opera ejus à Rege Galliæ, Richelio Cardinali, nec non Mazarinio, aliisq; istius Nationis — In servitia Regis Galliæ vocatur

primatibus sedulò exquirebantur ; ita ut ipse quoq; à Rege Lutetiam vocatus, anno 1643. ibidem ab omnibus Graphicophilis splendidissimè introduceretur: ubi deinde Xystum pinxit Regi, in albario recente, intra arcem Sedis Regiæ Parisiensem, summâ cum satisfactione omnium; quæ opera tamen incendio deinde infelicissimo cum rarioribus aliis, in cineres redacta sunt. Quamvis autem non prœmio saltem à Rege propterea donaretur amplissimo, quin & annuum quoque stipendium pro erigendâ Academiâ in urbe Parisiensi, lautissimum ipsi promitteretur; In speciem tamen saltem consensit, cùm nullæ eidem suppeterent recusandi rationes:& hâc quidem conditione adjectâ, ut post solutas ipsi pecunias Romam priùs sibi liceret regredi, uxoremque suam adducere, quo facto Lutetiæ firmum fixurus sit pedem. Ad quæ promissa nummis donisque sic oneratus abiit, ut splendidâ iterum satis deductione ex urbe excederet. Cum autem nec Aula eidem Parisiensis,nec patria ipsa ullatenus placeret; Romam delatus, per literas sese excusavit, quod uxorem suam, cui Patria Roma sit, neutiquam ad abitum commovere posset: Se tamen interea & illic locorũ ad præstanda suæ Majestati servitia omnia semper fore paratissimum.

Romam revertitur.

Atque tunc picturam inchoabat infanticidii Herodiani, pro Principe Justiniano: quo in opere affectus exprimebat admirandos atque rarissimos ; qui partim terrorem spectanti incuterent, partim ad commiserationem eundem commoverent. Deinde septem quoq; pingebat Sacramenta, in Ecclesiâ Romanorum usitata; tabulis septem specialibus absolvenda,quo labore multos suo more insumebat annos: Cùm præsertim eandem tabulam pluries repeteret: prout eâdem quantitate, quâ opera hæc Romæ confecerat, totidem alia & Parisiis spectantur, mutatâ saltẽ aliquatenus inventione: & alia iterùm eorundem editio, quantitate plagulæ regalis,typis æneis publicata est, quæ adhuc hodiè venalis extat : è quibus omnibus, aliisq; ipsius figuris æneis satis patet, quãto excelluerit in effigurandis historiis judicio.

Opera ejus.

Præterea summam quoq; meretur admirationem Germanicus ejus, exercitùs Romani Dux, propinato veneno lectulo affixus atq; moribundus; ubi cum uxore ejus alii circumstant Chiliarchæ atq; centuriones Romani,Sacramento de vindicandâ morte ejus sese obstringentes ; Romano omnes habitu, magnoq; cum judicio expicti. Præterea & Ariadnen pinxit; Et Baptismum Johannis in Jordane. Porrò & Narcissum:& raptum Divi Pauli in tertium cœlum: similiter sanctam quoq; Magdalenam in deserto : item Christum in oliveto ab Angelo corroboratum: Porrò & assumptionem Beatissimæ Virginis in cœlum : & Israelitas vitulum aureum adorantes ; aliamq; istorum idololatriam, exercitamqu propterea contra eos per glires,mures & similia vindictam. Deinde & historiam de matre quadam, unà cum Infantulo suo pestilenti morbo infectis, sugente maternum uber quantumvis venenatum avidè puellulo; sed horrentibus prostratam humi denudato corpore cognatam matrẽ amicis, aeremq; pestilentem à naribus cohibentibus; unà cum affectibus huc pertinentibus egregiis aliis : Quam tabulam Johannes Baronius Tolosanus typis æneis publici juris fecit : Cum antea pro technophilo quodam Siculo, cui nomen Antonio, latitudine sex & altitudine quatuor pedum incomparabili judicio elaborata esset:quamvis postmodum, conjecto ob debita in carcerem Antonio illo, ibidemq: defuncto, hæc tabula auctione publica mille coronatis Argenteis nobili cuidam Puteolano venderetur. Tandem inter opera ejus memoranda etiam sunt Phaëtontis fabula expetentis paternum Phœbi currum : Item Flora inter Choreas triumphans: Neptunus undarum marinarum domitor : Daphne Apollinem fugiens; cum similibus pluribus, quæ integra per se requirerent volumina ; vel hocce meum solâ illius historiâ opplerent.

Primis autem temporibus suis magnam nobiscum, qui peregrini ibidem eramus, servabat familiaritatem; ita ut sæpius, quando Franciscus Quesnoius statuarius, Claudiusq; Lotharingus & Ego convenerаmus, nos visitaret; Cum in more nobis positum esset, proposita nostra invicem communicandi. Cœterum colloquio erat argutus, semperq; libellum secum gerebat, cui omnia necessaria sive delineando, sive describendo inserebat ; ita ut non rarò in publico, quæ viderat & recenti adhuc memoria tenebat, hisce suis ephemeridibus inferret. Si quædam accurratè picturus erat, historiam primò sedulò perlegebat, præmissâq; meditatione debitâ, tentamina quædam leviora pro observando ordine in chartâ projiciebat: Siq; historia esset, in assere quodam laterculis distincto,icunculas suas nudas disponebat cereas, iis actionibus, quas tota historia requireret: quibus deinde,è papyro madida vel taphetо subtiliore,vestes ex voto filis applicabat, donec omnia, respectu horizontis, genuinam haberent distantiam.Cumq; juxta hoc prototypon in telâ colores primum obscuriores substravisset, in expolitione deinde non rarò exemplaribus utebatur vivis: ad hibito semper largo satis temporum spatio; in quo mox labori paululũ insistebat, mox iterum meditabundus exspatiabatur; interq; deambulandum de opere suo semper sollicitus erat: ita ut omnem vitam suam

laudabiliter aliàs institutam, quantacunq; esset, arti suæ consecraret. Festinationis autem hostis erat juratus, quod omne nimium in vitium verti putaret: quamvis interim nec otio indulgeret; atq; sic vitam suam inter moderata quidem sed continua artis suæ exercitia transigebat; prout Ego eundem semper deprehendi, quotiescunque sive visitandorum operum quorundam causa circa Romam, sive alibi convenimus. Primis temporibus in applicandis coloribus Titianum imitabatur, prout ante jam retuli: deinde autem eousq; in methodum Raphaëlis deviabat, ut priorem illum planè negligeret, quamvis opera ejus multa essent carnosiora & coloribus vividiora, quàm Raphaëlica. Imagines viventium molem æquantes integras haud libenter effigurabat: quin raro etiam dimidiatas & pectoretenus conspicuas: nunquam autem viventium icones: sed in omnibus proprium suum libentissimè sequebatur genium, sive in historiis ipsis, sive in cœteris illarum requisitis; in quibus ubiq; profundam præ se ferebat theoriam, unà cum praxi vias ordinarias longiùs transgressâ: ut non tantùm Artificis titulo meritò superbiret; sed totiùs Artis inter Gallos verè dici posset Restitutor, qui facem prætulit plurimis nationalibus suis singularem, & imitatores post se reliquit haud parvi nominis.

Inter opera ejus si mihi daretur optio, ex Musæo P. Freardi Domini de Chantelou Parisiensi mihi seligerem supra commemorata illius septem Sacramenta; in quibus, quod iterum dico, non magnam tantùm in diagraphicis peritiam, sed & insigne suum in exprimendis affectibus, in conciliandâ omni sexui, vultui, atq; ætati, nationiq; venustate. inq; exprimenda ubivis genuinâ perfectione judicium, tantoperè urget, ut laudem ab omnibus extorqueat maximam: unde etiam à J. Pesnio in formâ majore æri insculpta & Parisiis excusa sunt. Quemadmodum autem foris ab omnibus Graphicophilis maximi æstimabatur; ita domi cum uxore sua vitam agebat sat splendidam quidem & tranquillam; sed sterilem: nullaq; detinebatur curâ aliâ, quàm ut animi sui sensa, quæ judiciosissima semper erant & rariora, accuratè exprimeret.

Casparus agnomine Poussinius.

Cœterum domi suæ habebat Casparum quendam, qui frater erat uxoris ejus, nomenq; Poussinii assumserat: hic colores ejus, penicillosq;, & axiculum, nec non prototypa curabat, ut singula, quibus opus haberet, ad nutum præstò essent. Idem tamen & ipse in pingendis subdialibus insigniter proficiebat: quibus & Poussinius, ob facilitatem, magis semper magisque delectabatur: donec tandem Romanæ Urbi hoc decus suum ulteriùs invideret Libitina; cui tamen Nomen ejus non ita concessit fama, prout exuvias; unde Restauratori huic Artis nostræ inter Gallos, & nos suum assignavimus locum inter Antesignanos, iconemque illius tabulâ nostrâ N. N. exhibuimus.

V. CAROLUS LOTHARINGUS,

V. CHARLE LORAINOIS.

EOdem tempore Romæ è discipulis & imitatoribus Simonis Voveti erat, in Palatio Muti Nobilis Romani, magnique Artis nostræ fautoris atque Protectoris degens. Inter alia autem in templo Gallorum, cui à S. Ludovico cognomen est, Sacellum in albario recente depingebat; quod proximum est sacello Michaëlis Angeli Caravagii. Cum autem opus ipsum ante abitum meum nondum esset retectum; hinc ex aliorum saltem relatione de laudibus ejus testari possum.

VI. ERHARDUS Parisiensis,

VI. ERARD de PARIS.

MAgni simul inter Artifices Nationis Gallicæ erat nominis, quod non diagraphicen tantùm, sed & picturam ipsam, juxta genuinas Antiquorum exemplarium regulas ritè excoluisset. Quin ad tantam quoq; perfectionem studia sua consummaverat, ut administratio illi Academiæ Parisiensis Regiæ committeretur.

VII. PETITUS Gallus,

VII. PETIT François.

INgenio pariter nobilis erat, ut & in arte sedulus; ut postmodum ad gradus perfectionis haud exiguæ enisus sit. Quamvis specialior de ipso notitia ad me non pervenerit.

VIII. RAPHAEL TRICHETUS Fresnensis,

VIII. RAPHAEL TRICHET du Fresne.

UNà cum aliis Nationis Gallicæ pluribus, subsidiis Regiis eodem tempore Romæ degebat, studiisq; nobilissimarum Artium occupabatur; & in specie Picturæ, Architecturæ & Statuariæ operam dabat. In quibus non ipse tantùm mirè progrediebatur; sed pro totâ quoq; posteritate utilissimum linguâ Italicâ edebat Librum, cui titulus est: Trattato della Pittura di Lionardo da Vince; con tre Libri della Pittura; e il Trattato della Statuaria di Leon Battista Alberti. In quo magno cum judicio docetur, quomodo imaginibus motus quasi naturalis, affectusq; genuinus & vita ipsa tribui queat: cum variis figuris Michaëlis Angeli Buonaroti; nec non Nicolai Poussinii, aliorumq;; qua ratione imagines eleganter disponi, vestibusq; decoris superindui debeant; adjectis quibusdam de symmetria, & Proportionibus, nec non occul-

tioribus aliis de Profpectiva: quæ omnia Lector Benevolus ex ipso commodiùs perspicere poterit opere. Ubi id saltem annecto, multas figurarum supradictarum è Musæo Technophili illius celeberrimi Domini de Chantelou defunctas esse; cum aliis quibusdam, quæ è propriis ipsius Autoris studiis promanarunt.

IX. CAROLUS BRUNIUS Pictorum Regis Galliæ primâs,

IX. CAROLUS le BRUN.

Lumen jam est totius Regni Galliarum primarium. Postquam enim Magnus ille hujus Regni Director Cardinalis in ordinem redegisset plurima alia, ad Artium quoq; ruinas conversus, ut easdem restitueret, non maximi tantùm semper æstimavit digniora inq; hisce studiis feliciora ingenia; sed juvenes quoq;, qui aliquam futurorum fructuum spem promitterent, propriis sumtibus sustentavit plurimos, quos deinde suppeditatis necessariis omnibus in Italiam Romamq; in specie misit, ut studiis ibidem Diagraphices, Picturæ nobilioris, Statuariæ & Architecturæ, juxta omnes huc requisitas regulas, sedulò incumberent. Unde Gallorum Natio in omnibus hisce Artibus longè evasit sublimior, & subjecta sibi educavit longè nobiliora, quàm antehac unquam. Idem etiam, ubicunq; sive statuas quasdam antiquas præstantiores, sive numismata similia, sive opera diagraphica, sive tabulas pictas rariores, sive alia singularia atq; curiosa ejusdem generis ullatenus comparare posset, largis sumtibus coëmta in Galliam transferri curabat omnia, sive in Palatium suum Richelianum, sive Lutetiam collocanda, ut tota quasi in Galliam transportata videretur Roma. Hâc igitur methodo, ad sublimiora promovendæ juventutis, Gallorum Natio magnâ hactenus præ cœteris gavisa est prærogativâ: cum præsertim idem à Richelio introductus pridem, in commodum tenerioris ætatis mos, in hunc usque diem continuetur, unde rarioribus ingeniis jam tantoperè abundat gloriosissimum illud Regnum.

Inter illa igitur præcipuam meretur laudem Carolus iste Brunius, pictorum Regiorum Antesignanus: qui non tantùm à tenerâ statim juventâ omnia edidit futuræ perfectionis specimina; sed porrò non minùs in Patriâ, quàm Romæ etiam, & per totam Italiam, tandemq; in specie Parisiis tantam assecutus est magni Nominis celebritatem, ut nunc intimiore fruatur favore Regio. Latissimus autem hîc sese aperiret excurrendi campus, si omnia illius opera laudante describi deberent calamo, quæ plaudente ille expressit penicillo. Sufficere autem poterit vel unicum in gratiam illius compositum carmen, quod brevi claudit compendio amplissimos laudum illius cumulos; cujus verba in linguâ Gallicâ sunt sequentia:

Sonnet
A MONSIEUR
LE BRUN
Premier Peintre
DU ROY,
Pour les Peintures de la Chapelle de Versailles & de la Chapelle de Seaux.

Qu' on peigne mille objets dans un mesme Tableau,
Que de l' ombre & du jour la sçavante imposture
Fasse approcher de nous, ou fuir une figure,
Et rassemble en un point le Ciel, la Terre & l' Eau;
LE BRUN porte plus loin le pouvoir du Pinceau,
Sçavans, ne dites plus, qu' imiter la Nature
Est le dernier effort de la docte Peinture:
Plus d' honneur attendoit cet Apelle nouveau.
Il decouvre le coeur; il rend l' ame visible,
De la Divinité fait un Estre sensible;
Represente la grace; à la gloire il atteint.
Ce que l' oeil ne peut voir son addresse l' exprime:
Comme Paul il s' eleve au Ciel le plus sublime:
Il void ce qu' il y vit; il fait plus, il le Peint.

Quorum sensus idiomate Latino talis est.

Mille tibi variis res parvas pinge figuris:
Fallat jucundis, umbra diesque modis.
Accedat veniens, fugiensque recedat imago:
Et coëant Tellus, Unda Polusque simul.
Peniculo vires majores BRUNIUS addit;
Naturamque sequi non nisi vile putat.
Ipsum Cor aperit, Mentemq; colore rependit;
Ipse ferit sensûs, hoc præeunte, DEUS.
Paule, tuum raptum superat, dum summa pererras:
Tu miranda vides; Iste videre facit.

Inter innumeram autem operum ejus pro Rege elaboratorum copiam haud post-

remæ sunt Tabulæ illæ majores coloribus oleariis expictæ pro tapetibus Regiis, qui etiam juxta has ideas confecti, inq; privato Regis cubiculo expansi spectantur. Hic Alexandri illius Magni gesta tanto ingenio exhibitâ sunt, tantaq; rerum antiquarum peritia juxta illorum temporum, nationumq; ritus oculis exposita, ut ipsis negotiis immisceri se putet spectator. Nunc enim bellicas acies, nunc prœlia ipsa tam pedestria quàm equestria; mediasq; inter turmas immania Elephantorum ad belli usum assuefactorum monstra, miratur: nunc fugientium timore, nunc vincentium ferocitate terretur, cùm cædendi, jugulandi, diripiendi, captivandi, nullus sit terminus. Alibi per flumina natantes videt exercitus integros; alibi irruptiones inopinatas: tandemq; Darium ipsum prœlio victum; & alio in loco matrem ejus uxoremq; cum virginum cœtu pulcherrimarum ab Alexandro summa receptas benevolentia: alibi triumphum Alexandri in Urbe Babyloniorum pomposissimum & similia è ductibus penicilli jucundiùs cognoscere potest, quàm calamus Plutarchi hæc omnia descripsit.

Sunt autem Tabulæ quinq;, quas omnes solertissimus hic noster Artifex ad Fontes bellarum aquarum plerumq; ipsomet Rege inspectante multâ elaboravit curâ, ut viventium molem omnes superent: prout eædem à Gerhardo Edelinkio & Gir. Audran. in plagulis mediani generis majoribus, typis æneis expressæ sunt, eo quidem Argumento, quod nunc suo ordine describemus.

Tabula I. Pugnam Alexandri ad Granicum exhibet longitudine triginta pedum, latitudine sedecim; in quâ

Alexander Magnus, traducto per Granicum fluvium Exercitu, Persas incomparabili copia superiores aggreditur; magnâq; animi virtute innumerum hunc hostem suum in fugam vertit.

Tabula II. Pugnam Alexandri ad Issum continet, juxta quam

Alexander victo iterum Dario ad angustias montium in Cilicia, castra quoq; Persarum pro præda habuit maximâ, captâ etiam Darii conjuge, matre, filio, binis filiabus, cum universâ familiâ; quæ tamen benignè ab ipso excipiuntur, ut exemplum præbuerit insignis Continentiæ atq; Clementiæ.

Tabula III. Pugnam Alexandri ad Arbelam continet, altitudine sedecim, longitudine triginta novem pedum & quinq; pollicum, juxta quam

Alexander ad Gaugamela cum Dario pugnat, aperto quidem, sed difficillimo prœlio, & vincit: quam victoriam Alexander majori ex parte suę virtuti, quàm fortunæ debuit; eâdemq; omnem Persarum Dominatum sustulit.

Tabula IV. de triumpho Alexandri Babylonico, altitudinem habet sedecim, & latitudinem 21. pedum, in qua

Magnâ Pompâ Alexander Babylonem ingreditur sub sono variorum instrumentorum Musicorum, multaq; populi acclamatione.

Tabula V. Victoriam contra Porum exhibet, juxta quam

Alexander in Porum potentissimum Indorum Regem movet, qui ingentem collegerat exercitum, & 130. habebat Elephantos. Vincit tamen Alexander magno conatu & periculo, & Porum captum sanari curat, regnumq; ipsi reddit, valdè etiam adauctum.

Ex quibus omnib' luculentissimè patet, latiùs sese extendere Diagraphices elegantioris & perfectioris picturæ potentiam, quàm plurimi opinarentur: unde Artifex hic noster inter summos meritò numerandus venit, cum lumen in variis, opera ejus sequacibus accendant, quæ aliàs lethæis immersa mansissent umbris. Quamvis autem recentiora hujus Nostri opera, nec non Effigiem ejus magno hactenus sollicitaverim studio, ante impressionem tamen istius Voluminis nostri nihil adhuc ad me transmissum est; unde si quod ulteriùs istorum assecutus fuero, per modum Appendicis id Lectori Benevolo sum communicaturus.

X. HIRIUS

Quidam multâ etiam laude celebratur, non ob diagraphices tantum excellentiam; sed & propter elegantissimum colorum usum. Quamvis major pars perfectionis ejus in coloribus gummatis consistere dicatur. X. LA HIRE.

XI. FRANCISCUS PERRIERIUS,

Non tantùm in patriâ hac in arte diligentissimus fuit, sed & pro majori artis perfectione in Italiam perrexerat: ubi omnes quasi statuas antiquas delineavit, quas ad centuriam usq; sua methodo typis æneis publicavit. Opera autem illius picta circa annum 1634. & 1635. Romæ primùm, deinde & Parisiis innotescebant. XI. FRANCOIS PERRIER.

XII. BORDONIUS,

Inter Gallos quoq; Romæ degentes admodum clarus erat, magnæq; industriæ. Hic autem pro singulari pingendi genere sibi proponebat campos majores imaginibus multis, variisq; animalibus refertos, XII. BORDON.

adeoq;

adeoq; historias plerumq; Scripturæ S. & potissimùm Veteris Testamenti: quibus amplitudinem inventionum suarum, magnumq; animi acumen, nec non promtitudinem quoq; penicilli sui insigniter manifestabat: præsertim cum & in profanis historiis, nec minùs in mechanicis variis mirum in modum excelleret. Multa præstantissimorum operum ejus Romæ extant, quin & per totam Italiam, Galliamq; nec non Germaniam dispersa sunt. In specie autem apud Technophilum illum maximum Baronem de Mayer tam Stockavii quàm Monaci haud pauca inveniuntur; inter quæ summam meretur laudem Fornax quædam calcaria suis flammis exardescens, qualis Romæ spectari solet; unà cum variis negotiis, quæ ibidem geri solent; ut modò homines diversi, modò equi, modò asini onusti, modò canes, mendici, captores felium, popinarii, assantes, comedentes & similia appareant, juxta Bambotii modum; sed majori forma, & expressione admiranda. Larem ut plurimùm Parisiis habuit, ubi Bordonii argutiæ in variis Palatiis, templis & pinacothecis occurrunt: è quibus Natalis Desponsationem Christi cum S. Catharina æri incidit, cum pluribus aliis, ut sunt septem opera misericordiæ & similia, quæ adhuc venalia extant. Quibus addi possunt duodecim menses, quos ipse manu sua ceræ inscriptos aquis stygiis expressit: Unde quoque in Academiâ Regiâ ad dignitatem Directorii elevatus fuit. Et procul dubio multo adhuc plura ab ipso elaborata essent, nisi prematurâ morte periisset: quod cuidã, qui magnæ sit apud Regem autoritatis, imputatur: cujus invidiâ tantoperè oppressus fuerit, ut cum uxore & liberis fame quasi enectus. Interim gloriæ ejus nihil exhinc decedit; operumq; ejus æstimatio inter Artis peritos maxima semper, & memoria ejus honoratissima permanebit.

Opera ejus.

XIII. CAMPANUS,

XII. CHAMPAIGNE.

INter peritissimos similiter est Gallos: quorum opera & vitas cum Parisiis adhuc expectem & fortè Appendicis loco annexurus sim; hinc de isto hæc paucula nunc saltem refero, quod picturis Iconum, Historiarum, quin & subdialium magnoperè sit celebris. Utq; vel unicum laudum ejus commemorem exemplum, ad imaginem S. Augustini provoco, quam deinde Poullius typis æneis, publici juris fecit: quem inspiratione quasi divinâ abreptum interq; studia scribentem tantâ exhibuit perfectione, ut hoc unicum dilatandæ gloriæ ejus abundè sufficiat.

XIV. MIGNARDUS

XIV. MIGNART.

QUoq; silentio minimè est prætereundus, cujus excellentia historiis sese pandit majoribus, nec non Iconibus Virorum Summorum, imò ipsissimâ totius Artis universalitate: quibus omnibus celebritati ejus latissimus adhuc patet campus.

XV. MOLANUS,

XV. Van der Mülen.

BElga quidem natione est, sed Parisiis tamen domicilium sibi elegit: ubi mira penicilli promtitudine & elegantia subdialibus potissimum, prœliisq; minori forma expingendis præter modum inclaruit. Unde omnia quoq; Regis gesta in Belgio, sive prælia sint, sive obsidiones urbium, sive Victoriæ qualescunq; aliæ summa arte depinxit; quorum causa in magno nunc versatur honore. Similiter apographa etiam, minori formâ pro pinacophylacio Regio, elaboravit quinq; illarum Tabularum majorum Brunii, de gestis Alexandri M. quas supra descripsimus: idq; tantâ gratiâ, sive quoad diagraphica, sive quoad colores, ut hisce, similibusq; operibus aliis, tantus artifex suâ meritò extollatur gloriâ.

CAPUT XXVII.

Sedecim Nationis Gallicæ Chalcographi.

Argumentum.

I. BELLANGIUS: Opera ejus. II. JACOBUS CALLOTUS: Opera ejus. Promptitudo ejus in ære rodendo. III. CLAUDIUS MELANIUS Parisiensis. IV. CLAUDIUS ODRANIUS. V. FRANCISCUS & NICOLAUS POLLIUS. VI. ABRAHAMUS BOSSIUS. Libellus ejus de Arte rosoriâ. De Prospectiva: De Architectura: De proportione hominis. VII. NICOLAUS PERELLIUS. VIII. S. MAROTIUS. IX. JOHANNES POTRIUS. X. ISRAEL & MORINIUS. XI. ANTONIUS MASSONIUS. XII. HURETUS, DARETUS; DANOTUS, SCHUPPENIUS, PITAVIUS. XIII. INFANS. XIV. MICHAEL ASINUS. XV. ÆGIDIUS ROUSSELLETUS. XVI. ROBERTUS NANTUELIUS Parisiensis: & alii.

I. BELLANGE.

I. BELLANGIUS,



INter Chalcographos, ad quos nunc, finitâ pictorum Gallicæ Nationis historiâ, me converto; primum meritò locum occupat, quod inter antiquissimos sit Æris rosores, magnâq; opera sua exsecutus sit elegantiâ, prout ipsa illorum testantur exempla, typis publicis variè expressa. Inter illa occurrit historia trium Magorum; nec non trium Mariarum ad sepulchrum Christi progredientium: Porrò facetiæ de Lyricine cœco, qui, cum sociis suis mendicis aliis, partim claudis, partim mutilis jurgia exercet, ubi fulcris & baculis egregiè decertant. Quibus addi possunt imagines pulcherrimarum quarundam mulierum, & similia varia. Ipse autem Autor erat atq; inventor exprimendarum ære roso historiarum integrarum, à quo deinde & Matthæus Merianus & Jacobus Callotus cum aliis pluribus artem suam hauserunt, quæ magis jam in usu est, quàm ipsa æris cælatura.

Opera ejus.

II. JACOBUS CALLOTUS,

II. JACOBUS CALLOT.

DIscipulus erat Bellangii præmemorati, nobili in Lotharingiâ satus familiâ, natusq; Nanceji anno 1589. Cumq; miro semper ad picturam ferretur amore, Diagraphicæ primum sedulò incubit: absolutoq; optimarum regularum fundamẽto iter per Italiam instituit, donec tandem Florentiæ pedem figeret, ibidemq; cum colorum usus difficilior ipsi videretur, Chalcographiam autem erosoriam mirâ tractaret promtitudine, hanc amplexus esset solam. Primùm ergo singularia edebat plurima; deinde autem libellum suum Nugatorium, quod opus est suâ laude dignissimum: unà cum aliis rarioribus, inter quæ Forum Florentinum, quod à S. Laurentio nomen habet, in quo admiranda est & elegantissima imaginum variarum copia, cum tantâ undarum fortium temperaturâ, ut nec antea, nec postmodum tantæ perfectionis opus unquam prodierit. De quo etiam Cornelius Pulenburgius, qui tum pariter à serviitiis Magni Hetruriæ Ducis erat, hoc narrat speciale; se, prout in more ipsis positum fuerit, aliquando circa vesperam eundem visitasse, ut ad deambulandum socium sibi assumeret; istumq; cum eodem momento affundendis undis stygiis occuparetur, tum quidem sese excusasse, & nihilominùs consummato toto ad finem usq; impressionis opere, eâdem adhuc vesperâ ad societatem eorum accessisse, exhibito opusculo, quod ne unica quidem culpabile fuerit macula; cum stupore omnium spectantium. Sed & alia edebat tam inibi, quàm in Galliâ, opuscula quædam longè clarissima, qualia sunt, obsidio Rupeliensis, Bredana & aliæ tabulis maximis: sic libelli quidã de Sanctis variis; de variis disponendi modis, de subdialibus, ruinis, spectris, & in specie prœliis, expeditionibus, insimulq; admirandum libellum suum, quem Miseriam Belli appellat, opus rarissimæ inventionis à plurimis expetitum: quibus omnibus Callotus famam suam per omnes tantoperè propagabat Nationes, ut summè tandem contentus anno 1635. 22. Martii Nanceji mortalitatem exueret: cujus iconem tabulâ nostrâ LL. exprimere voluimus.

Opera ejus.

Velocitas ejus.

Opera ejus alia.

III. CLAUDIUS MELANIUS Parisiensis,

III. CLAUDE MELAN.

EOdem tempore tam picturę, quàm chalcographiæ studebat; cumq; naturâ suâ ad cælaturas acriùs ferretur, Ægidii Sadeleri methodo potissimum insistebat, quam etiam Romæ per multos continuabat annos. Unde non icones tantùm Virorum Summorum plurimas, interq; eas Effigiem Urbani Pontificis maximi; Bentivoglii Cardinalis, Crequii Mareschalli, Borgesii Cardinalis cum similibus; sed & statuas Justinianeas plurimas, mea manu prius delineatas; Thesesq; & titulos Librorum in magnâ elaborabat copiâ, quibus omnibus ubiq; locorum magnam assecutus est nominis celebritatem. Jamq; Parisiis adhuc in vivis esse fertur, & nuper demum opus iterum edidisse statuarum Antiquarum simplici decussatione exaratarum, summa cum elegantiâ: quod existimationi ejus haud parvum adjiciet augmentum.

Opera ejus.

IV. CLAUDIUS AUDRANIUS,

IV. CLAUDE AUDRAN.

CHalcographus Parisiis erat optimus; unde in Italiam progressus multis annis Romæ degebat, ubi partim Theses sculpsit laudatissimas, partim statuas ex opere nostro Justinianeo egregias; & similia: ex quo in patriam remeabat, ubi filium reliquit, de quo inferiùs similiter fiet mentio.

V. FRANCISCUS & NICOLAUS POLLY fratres,

V. FRANCOIS & NICOLA POLLY.

CHalcographi Parisiis erant celeberrimi, cæliq; peritiâ admodum clari, præsertim quod naturam arte suâ tantoperè exprimerent, ut uni operum illorũ haud immeritò adscriptum sit: Non plus ultra. Cum revera ars ista ulteriores vix admittat terminos. Quod satis testatur magna S. Augustini imago in folio; in quâ tanta elucescit perfectio, ut mirum sit huc usq; artem pertingere.

VI. ABRAHAMUS BOSSIUS,

VI. ABRAHAM BOSSE.

PArisiis habitabat, ubi Aquarum corrodentium usu tantoperè excellebat, ut cælatoribus æris non similis tantùm æsti-

Libellus ejus de Arte rosoria. maretur, sed eosdem planè superaret. Quod genus chalcographiæ cum longè sit celerius atq; facilius, ipsius favore quoque jam satis enotuit, eò quod singularem de eo conscripserit libellum; in quo omnia istius artis arcana atq; compendia magnâ exposuit perspicuitate: ut æternas eidem propterea grates debeat tota posteritas. Opera illius prima variæ erant historiæ elegantissimæ, gesta Gallorum quotidiana varia, ludicra, subdialia & similia tanto numero, ut integra exhinc exsurgerent volumina; omniaq; tanta gratia atq; venustate, ut non Gallia tantum, sed tota quasi Europa singulare hinc capiat ornamentum.

Opusculū ejus de Prospectiva. Ad altiora tamen Prospectivæ etiam & Architecturæ studia assurgebat, in quibus ad tantum progressus est fastigium, ut nemo istius professionis eundem sit assecutus. Unde libellum quoq; edebat, sub titulo, Regularum de Praxi Prospectivæ; in quo celeberrimi Domini Desargues secutus methodum, omnium planorum, globosorum, corporum, ædium & figurarum aliarum species & umbras tam regulares quàm irregulares projicere edocuit: ut & in Academia Parisiensi in hac Arte Quæstiones & Responsiones publicè ediderit. Libellus ejus de Architectura. Præterea alium quoq; conscripsit libellum hujus tituli: Traite des Manieres de desergner les ordres de l' Architecture antique; sive Tractatus de describendis Ordinibus Architecturæ antiquæ: quos omnes juxta regulas Palladii Architecti celeberrimi, perspicuè proposuit, adjectisq; typis æneis ipsam simul adjecit praxin. Idem quoque præstabat libris quibusdam aliis Geometricis & Geodæticis: Libellus ejus de Proportione hominis. nec non libello quodam de Symmetria humana ejusdemque usu generali, à statuariis potissimùm adhibenda, & in antiquis Romanæ Urbis statuis adhibitâ. Et similia plura, in usum omnium Artium atq; scientiarum singularem, ab ipso edita sunt.

VII. NICOLAUS PERELLIUS, cum filio;

VII. NICOLAUS PERELLE. Parisiis in arte corrosoriâ Abrahami Bossii imitator erat, in quâ etiam specimina edidit judiciosissima. Inter opera ejus eminet Apollo, juxta picturam Nicolai Poussinii cum Diis aliis Zodiaco insidens, coram quo genibus innixus procumbit Phaëton, diei regimen à Patre expetens: quæ omnia undis corrosivis tam accuratè exesa sunt, ut cælo id pauci assequerentur. Simili perfectione, eroso quoq; ære ab iis expressa sunt Palatia, ædificia alia, pontes, templa, fontes artificiosi, & horti, aliaq; Opera ejus. opera optica in folio: nec non Urbes quoq; variæ, ut sunt Lutetia, Forum S. Claudii, Versaliæ, Tibur, Ruellæ, Fontes bellarum aquarum, Vincentinæ Valles, & adhuc viginti duæ aliæ. Quæ omnia sua laude minimè sunt defraudanda. Iisq; addi possunt adhuc & antiquæ quædam Ruinæ, cum recentibus nonnullis ædificiis Romanis, & similia.

VIII. S. MAROTUS,

VIII. S. MAROT. Idem pariter laborum genus sibi elegerat in effigurandis palatiis, ædificiis, templis, Viridariis, fontibus salientibus, undarum cataractis, & subdialibus aliis, de quibus integros quoq; ære eroso edidit libellos.

IX. JOHANNES POTRIUS.

IX. JEAN le POTRE. Parisiis laborem undarum corrodentium & ipse exercuit, ut optica varia, ædes elegantiores, Palatia rariora, templa magnifica, hortos amœnissimos, hydraulica singularia, tractus campestres, jucundi prospectus; ornamenta variorum clypeorum, trabeationum, encarporum, vasorum, armorum, & præcipuè elegantias Scriniariorum promtissimè expediret. Opera ejus. Cum autem deinceps operam quoq; dedisset imaginibus majoribus, historiisq; & similibus, in hisce pariter eousq; profecit, ut propriâ inventione in folio ederet historias Biblicas, & profanas alias, quin & fabulosas ex Ovidio; quod & promtitudine excelleret & ingenio; quamvis in ornamentis clarior esset, quàm in figuris humanis.

X. ISRAEL SILVESTRE & MORINUS,

X. ISRAEL SILVESTRE & MORIN. Parisiis simili professione inclarescebant, subdialia varia, scenographica artificiosa, Ædificia & hujus generis alia ære roso exhibendo; quibus etiam icones nonnunquam elegantissimas magnâ cum laude addebant.

XI. ANTONIUS MASSONIUS,

XI. ANTOINE MASSON. Eadem in Urbe eandem cælandi æris Artem professus omnibus hisce, in effigurandis iconibus superior erat, quas varia edebat quantitate: inter quas extant Effigies Regis Galliæ; Reginæ; Dominique Colberti insigni magnitudine: Opera ejus. Deinde iconem quoq; Domini Harcourii Campiductoris in armaturâ suâ, formâ maximâ, & imagine dimidiatâ, typis æneis publici juris faciebat; ubi in omnibus & singulis partibus tantam observavit naturæ similitudinem, ut penicillo nihil perfectius & elegantius exprimi posset. Unde lumen haud immeritò in arte hac vocari potest. Ubi obiter id adjicimus, effigiei huic Harcurianæ sequentes adscriptos esse versiculos.

L' hoñeur, qu' il s' est acquis est sy grand & sy juste,
Et l' on aura pour luy tant d' estime & d' Amour;

Que comme les grand Roys prenent le Nom d'Auguste,
Les plus fameux Heros prendront celuy d'Harcour.

Quorum hic est sensus idiomate Latino:

Quantus huic debetur honos, & gloria quanta?
Sicut enim Reges, Augusti nomine clarent;
Harcurii titulo sic quisq; superbiet Heros.

Eadem artis perfectione hic noster Massonius iconem quoq; Ludovici Ducis Vendosmiani ære cælato exhibuit; unà cum pluribus aliis, è quibus omnibus insignia felicitatis ejus dona gloriosissimè elucescunt.

In juventute erat arti Cataphractariæ addictus.

Hic autem Massonius in juventute suâ ad artem Cataphractariam applicitus fuerat, inq; officinis hisce bractearіis armaturas elaboraverat haud paucas. Porrò etiam ad chalybis cælaturam accedens, typos pro excudendis numismatibus incidere solitus erat: donec tandem ad artem Chalcographicam sese conferret, in qua præter specimina alia laudatissima, effigiem quoque exhibuit Petri du Puis Monseortensis Pictoris Regii Academici artificiosissimi, in qua omnes consummatæ artis notæ magna cum laude cumulatæ reperiuntur.

Opus aliud laudatissimum.

Nec sicco prætereundum est pede opus ejus aliud omni encomio sublimius, quod juxta Prototypon Titiani, cujus cineribus æterna debetur reverentia, viventium magnitudine expictum, ære hic publicavit. Ipsa autem tabula pro pinacothecâ primitus Mantuanâ confecta, dehinc anno 1628. cum toto illo technophylacio Carolo Magnæ Britanniæ Regi vendita fuerat; ubi Ego ipse eandem conspexi summo honore elatam: donec tandem distractis sub Cronwellii regimine omnibus hisce rarioribus, in Galliam pro Musæo Regio transferretur, ubi adhuc existit: Christum nimirum exhibens, in cœnâ Emmauntinâ sub fractione Panis à discipulis agnitum. Ubi faciem Salvatoris videas gloriosissimis Majestatis orituræ radiis emicantem & pulchritudine simul plus quàm humana conspicuam; discipulos autem stupore quasi attonitos, & modesto simul pudore suffusos. Quæ omnia tantâ cæli argutiâ expressit Massonius, ut quoad diagraphicen in omnibus assequeretur autorem; quoad rotundas artuum eminentias, lucisq; (tam primariæ quàm reflexæ) & umbrarum conciliationes, omnes observaret minutias; imò vel specificas omnium objectorum proprietates tam exactè referret, ut veram jurares carnem, capillos, linteamina, vestes; & in ipsa mappa modulos deprehendas textorios, inq; tapetibus quasi colores discernas, nec oculos facilè ab obtutu tot unius operis miraculorum queas divellere. Ista autem, ut verè & citra omnem assentandi fucum dicere valeam, Nobilissimus Dominus Carolus præstitit, qui rarissimum hoc opus chalcographicum è technophylacio suo celebratissimo in hunc finem mihi exhibuit, ut debita illius hoc loco fieri posset mentio.

Petrus du Puis, Monseortensis Pictor Regius Academicus.

Ipse autem Petrus Puteanus, de cujus Effigie supra injecimus mentionem, inter Pictorum antesignanos locum procul dubio haud infimum obtinet, cum aliàs tam singulari Artificis nostri curâ in publicum minimè fuisset productus. Quamvis autem exactiorem de ipso notitiam hactenus nondum sim adeptus; inter cœteros tamen, quorum historiam Parisiis adhuc expecto, Appendicis loco à me pro merito similiter commemorabitur.

XII. HURETUS, DARETUS & DANOTUS,

XII. HURET, DARET, DANOIT, S. BERNARD, PITAU, SCHUPPENIUS.

Parisiis florebant in arte isthâc; nec non Schuppenius, S. Bernhardus, & Pitavius.

XIII. INFANS

XIII. L'ENFANT.

Iste qui ex ludibrio cognominabatur, quod in exercitio linguæ Gallicæ saltem balbutiret; in arte tamen cælo utendi perfectionis genuinæ Pater nominari poterat, sive historias, sive icones spectares tam majores, quàm minores. Sic

XIV. MICHAEL ASINUS

XIV. MICHAEL L'ASNE.

Ab Asino quidem nomen habuit; in peritia tamen chalcographiæ eruditissimi potius, quàm rudis appellatione dignus fuit: cum Liber illius Diagraphicus vera esse queat Tyronum norma, & ille potiùs maneat asinus, qui hoc asino edoctus, nihil tamen discit. Porrò &

XV. ÆGIDIUS RUSSELLETUS,

XV. ÆGIDIUS ROUSSELLET.

Præter typos æneos plurimos, etiam libros diagraphicos integros edidit. Sed

XVI. ROBERTUS NANTUELIUS,

XVI. ROBERT NANTUEL.

Tantam in arte cælandi promeritus est gloriam, sive elegantiam spectes, sive vitæ ipsius expressionem, ut pictis iconibus figuræ ejus simillimæ essent. Testimonia autem hic loquantur ipsa, Effigies nimirum Regis, Reginæ & Ducis Aurelianensis, viventium mole efformatæ. Quamvis enim ultra pectus neminis iconem sculpat; in talibus tamèn citra admirationem spectari non possunt ipsius opera.

❧

XVII. EDE LINK. XVII. EDELINKIUS Chalcographus Parisiensis,

SUum pariter inter Artificum consummatorum seriem optimè meretur locum, testantibus non omnibus tantùm Artis peritis, sed ipsis ejusdem operibus. Ut enim unicum hic tantùm allegem exemplum, è supra jam commemoratâ Brunii pictura, cujus partem iste duobus foliis forma regia majoribus in ære exhibuit, de Alexandro scilicet Darii matrem atq; uxorem in tentorio clementissimè excipiente, hîc sanè non in imaginibus tantùm, sed & vestibus, subdialibus, omnibusq; requisitis aliis omnia præstitit, quæcunq; hac Arte ullatenus præstari queunt. Et sic omnia quoque ipsius opera alia eâdem gaudent perfectione.

XVIII. AUDRAN. XVIII. AUDRANIUS,

CLaudii supra dicti filius, patre suo longè excellentior, prout opera ejus testantur plurima. Opera ejus. Præ cœteris autem historiæ quædam Brunianæ typis æneis ab hoc expressæ, de Alexandro scilicet, superato Granico flumine Darium vincente cum insigni Persarum copia. De pugna ad Arbelam, quâ prostratâ omni Persarum potentiâ, arbitrio totius Orientis potitus est Alexander. De triumphante illius in Urbem Babolyniorum introitu. De Victoria ejusdem adversus Porum Indorum Regem; In quibus omnibus tanta latet omnium affectuum perfectio, ut nec cælo nec un iis vires supersint ulteriores.

XIX. LOMBARD. XIX. LOMBARDUS

HIstoriis similiter inclaruit pluribus, nec non iconibus, juxta Antonii Dickii modum elaboratis. Cum autem pauculi saltem de eo mihi suppetant, spe saltem ducor, me ad majorem de eo notitiam perventurum, quam suo tempore lubentissimè pariter communicabo. Sic &

XX. SIMON. XX. SIMON

IN magna est apud Gallos celebritate, ob effigies potissimum præstantissimas, inter quas & Regis ipsius est viventis quantitate cælata; aliorumq; Magnatum aliæ; quæ nullis laudibus satis deprædicari queunt.

XXI. FRANCOIS CHAUVEAU. XXI. FRANCISCUS SCHAVEAU, autem

AGmen hic claudat, quamvis ultra nominis mentionem, quod ob Chalcographiam tam cælatoriam quàm rosoriam satis est gloriosum, plura de eo referre nequeam. Et sic quoq; de aliis, quorum exactiore notitia adhuc careo; unde si quidam fortè, sua laude similiter dignissimi, à me hîc fuerint neglecti, excusationem facilè merebor, quam & expeto.

CAPUT XXVIII.

OMISSA.

Finito nunc Gallorum Catalogo, ad alios jam progredimur Germaniæ partim superioris partim inferioris Artifices, supra a nobis vel planè non, vel non omninò ex voto nostro attactos: ubi primò nobis occurrit

I. JOHANN SCHEUFFELEIN Nordlingensis. I. JOHANNES SCHEUFLINUS Nordlingensis.



HIc inter veteres Germanos ætate sua Artifex erat celeberrimus, de quo antea tam exiguam nactus eram notitiam, ut tacere maluerim, quàm incerta asserere. Civis autem fuit Nordlingensis, quo in loco, ut & Norinbergæ, maximam operum suorum partem pinxit; ut & cognati ipsius Nominis adhuc supersint. Norinbergæ autem (ubi etiam habitasse fertur) magnam post se reliquit figurarum Xylographicarum copiam, historiasq; plurimas, & libros diagraphici generis integros, unà cum tabulis quibusdam pictis, quæ omnia tamen distracta sunt.

Opera ejus. Nordlingæ autem in templo majore tabula quædam ipsius extat picta de Redemtore nostro è cruce ablato, in qua tanta est affectuum expressio, tantaq; elegantia & industria, ut Serenissimus Dux Neoburgicus magno pretio illam emturus, à magistratu ob raritatem operis eam non obtineret. Ibidemq; nomen suum expressit literis H.S. Deinde & in curia in albario recente ab ipso picta extat obsidio Bethuliana, cui nomen suum adjecit integrum, quod opus velo semper tectum servatur, ut illæsum permaneat. Quamvis enim genuinus temporum character quoad armorum vestiumq; genera ab eo non fuerit observatus, (quæ priscorum Germanorum erat simplicitas;) mira tamen ex operibus ejus omnibus elucescit venustas. Et Dürerum quidem tam accuratè imitari f

litus eſt, ut multi etiam curioſi utriusque opera confundant.

II. JOHANNES PHILIPPUS PREYSS Francus,

II. JOHANNES PHILIPPUS PREISS.

ARchitectus & Statuarius Herbipolitanus, tam in Italiâ, quàm alibi in utraq; arte ſua haud pauca edidit ſpecimina, ut à peritioribus magni ſemper ſit habitus. Opera ejus nonnulla in Æde Dominica Bambergenſi extant pulcherrima, multoque plura Herbipoli. Exempla quoque peritiæ ejus Architectonicæ tam civilis quàm militaris haud deſunt: ut dubium ſit, in qua potiùs excellat. Duos autem habet filios, ſtatuariæ pariter addictos, quorum alter Romæ degit, alter Norinbergæ.

Duo ejus filii.

III. GEORGIUS STRAUCH Pictor,

III. GEORG STRAUCH Pictor.

NOrinbergæ natus fuit anno 1613. cumque in Diagraphicis excelleret, non picturam ſaltem tam oleariam quàm gummatam ſectabatur; ſed & encauſticam: unde multis inventionibus ſuis elegantiſſimis tam hiſtoricis, quàm poëticis; nec non ſubdialibus, & Alabandæis magnam aſſecutus eſt celebritatem.

IV. W. VAILLANTUS,

IV. W. VAILLANT.

AMſtelodami nunc degens, ſed aliàs per Germaniam & Hollandiam ſatis notus, picturæ primùm, partim hiſtoriarum, partim imaginum modernarum ſimilium cum laude operam dabat, & præſertim iconum, quarum in ultimâ Electionis Diætâ Francofurtanâ tantam pingebat copiam, ut tandem pro majori celeritate monochromate tantùm eaſdem in charta cœruleâ expriemeret. Iſtoq; modo quaſi omnes ibi præſentes Principes admiranda promtitudine & elegantiſſimè effiguravit, ut nummos ſibi exhinc haud paucos colligeret: ex quo pro aliquo temporis ſpatio ad Sereniſſimum Electorem Palatinum ſeſe conferebat. Inter alia autem Chalcographiam nigricantem eleganter admodùm tractabat, cumq; fratre ſuo, qui qualitatibus hiſce optimis eidem vix cedit, in iſthac arte ad tantum emerſit culmen, ut altiùs illa neutiquam elevari queat, prout opera hæc illius, quæ magno ſatis venduntur pretio, abundè ubivis teſtantur.

Melanographia.

V. BLODELINGIUS,

V. BLODELING Chalcographus Amſtelodamenſis.

CHalcographus Amſtelodamenſis in eadem Arte Melanographica pariter celeberrimus eſt, & cælator ſimul laude digniſſimus: ut decus meritò nunc dici queat Urbis Amſtelodamenſium: quod inſignis iconum ejus præſtantiſſimarum, hiſtoriarumq; & aliorum operum luculentiſſimè teſtatur copia.

VI. MELCHIOR BARTELIUS, Saxo, Statuarius,

VI. MELCHIOR BARTEL.

IN patria ſimilem non habuit, qui ſtatuam ex omni ſubſtantia ſua tam perfectam ſculpſerit; quam artem Romæ quoq; & Venetiis ultra viginti annos ſedulò exercuit, ubi multa ſummâ cum laude reliquit opera. Cum autem in patriam reverteretur, virtute quidem minimè, ſed fortunâ tamen omninò carebat; unde ex morbo tandem ob mœrorem contracto Dresdæ anno 1674. moriebatur, cum ſummo illorum dolore, quibus miræ illius dotes innotuerant. Iconem illius autem tabulâ noſtrâ N. 5. exhibemus.

VII. PETRUS CAROLUS Architectus Noricus,

VII. PETRUS CAROLUS Architectus.

INter omnes Germaniæ Architectos facilè celeberrimus fuit. Natus autem erat anno 1541. Hellingiæ, qui pagus eſt, tum temporis ditioni Georgii Erkingeri de Lendersheim ſubjectus. Cumq; Nobiliſſimus Noricæ Urbis Magiſtratus eodem tempore pontem extrui vellet magni operis, media in Urbe ſupra Pegnitium fluvium, & quidem uno ſaltem arcu conſtantem, qui etiam nimis altum haud haberet aſcenſum; hic noſter Petrus Carolus unanimi voto electus eſt in architectum. Quamvis autem opus hoc in ſe eſſet difficillimum, quod locus nō eſſet, quo tantiſper diverteretur alveus, donec fundamenta ponerentur; iſte tamen præmiſſis fundamenti loco palis partim perpendiculariter, partim obliquè incuſſis cratem firmavit, intra quam palos iterum tanto numero inſeruit, ut omnium numerus eſſet 2123. Huic dein fundamento baſin impoſuit lapideam, adjecta pro arcu extruendo ſubſtructione lignea. Finitâ igitur ſtructurâ è lapidibus cœſis, cum excuſſis clavis ligneis in undas decideret ſubſtructio, graviſſima illa hujus pontis moles fremitu horrendo ſeſe demiſit in aliquot pedum depreſſionem, adeoq; firmisſimo nexu omnia ſibi invicem coagmentata ſunt; prout opus ipſum in hunc usque diem omnium expoſitum eſt oculis. Cum igitur eodem tempore Architectus Eſcurialis Hiſpanici Norinbergâ Viennam iter faceret, ipſe faſſus eſt, hunc pontem unius arcus in tota Germania eſſe præclarisſimum; cui compingendo adhibiti fuerunt lapides 14628. Cumq; è regione Lanienæ deformis quidam relinqueretur angulus, pro illius exornatione arcus quidam erigebatur, cui taurus imponebatur lapideus viventis mole, qui pondere ſuo triginta exæquat centenarios, minùs 24. pondo.

Opus illius eſt Pons lanionum Norinbergæ.

Simili laude Heidelbergæ quoq; inclaruit, ob reſtauratum œcum illius Arcis maximum, cujus columna media ferēdo tecto haud amplius ſufficiebat, ut de diruendâ ſtructura hac pulcherrimâ conſilia jam


Opus illius Heidelbergenſe.


inirent


QQ













Ioach. v. Sandrat delin. Phi. Kilian f.

inirent Architecti Palatini. Vocatus autem à Serenissimo Electore An. 1616. hic Petrus Carolus, remedium adinvenit eximium, ut non tantùm totam contignationem suspenso firmaret opere, sed informem quoq; illam 24. pedum columnam omninò tolleret, liberoq; fornice pulcherrimum illum Oecum quinquaginta pedum altitudine exornaret; quod prædicti Architecti, Salomon de Chaus, & Johannes Schoch opinati non erant. Mense Februario autem anni sequentis 1617. hic noster porrò in negotiis Electoralibus Manheimium, Frankenthalium & Sandhofiam abibat, quo postremo in loco, die dicti mensis 12. in Domino obiit; dieq; 14. Heidelbergæ in templo Petrino sepultus est, Concione publica honoratus ab Abrahamo Sculteto Viro celeberrimo, quæ typis publicis impressa est.

VIII. JOHANNES CAROLUS,

VIII. JOHANNES CAROLUS filius ejus.

Filius ejus anno 1587. Norinbergæ natus, à teneris annis in Architectura Civili & militari informabatur; Cumq; in servitiis Hollandorum, ubi Schola tum florebat rerum militarium celeberrima, præsertim sub Celsissimo Principe Mauritio, exercitiis pyrobolicis omnibus totum sese dedidisset, inq; hoc studiorum genere consummatissimam nactus esset peritiam, dehinc anno 1631. Præfectura Armamentarii Norici ipsi conferebatur, ut simul esset à Tormentis Unionis, quæ tum vigebat, Evangelicæ. Hìc deinde de Arte Hollandorum Tormentaria atq; Pyrobolica egregium conscripsit Compendium, quod opusculum est longè utilissimum. Sed & ad Architecturam tam militarem quàm civilem variè adhibitus est; ut eodem dirigente & Mola Norinbergensis jumentaria & Ratisbonæ Templum Evangelicorum celeberrimum ad S.S. Trinitatem extruerentur: quæ structura posterior amplissima & columnis carens insigne Artificis nostri judicium mirè deprædicat. Mortuus autem est anno Christi 1665. ætatis suæ 78. eumq; in Præfectura Armamentarii Norici cum laude secutus est filius ejus Magnus Carolus.

Compendium ejus Pyrobolicum. Opera ejus Architectonica.

IX. GEORGIUS CHRISTOPHORUS EIMARTUS,

IX. GEORG CHRISTOPHORUS EIMART Senior.

Senior, Pictor & Architectus Ratisponensis, hac in Urbe non picturis tantùm tam oleariis, quàm aquariis, sed & Architectura & similibus clarissimus fuit. Penicillo enim non icones tantùm varias viventium quantitate, sed & figuras alias, nec non obsonia, carnes, pisces, & aves ad nativa exemplaria exprimebat quàm argutissimè; quales picturæ apud Serenissimum Episcopum Frisingensem, & alibi adhuc plurimæ spectantur. Sic & in subdialibus & picturis gummatis multa præstitit: Et in specie in Diæta Electiva Ferdinandi IV. Regis Romanorum Arcus triumphales varios, inventione optima, ordine pulcherrimo, pictisq; Emblematibus, imaginibus majoribus & ornamentis aliis elegantissimè condecoravit; ut laudes illius undiquaq; dimanarent.

X. WENCESLAUS JAMIZERUS,

Natus erat Norinbergæ anno 1508. inq; Diagraphicis & plastica ceraria mirè excellebat, quo in genere Aurifabri Norinbergenses & in specie hic noster suam tum quærebant gloriam. Pro variis igitur partim Imperatoribus partim Regibus multa elaborabat vasa maxima, gemmisq; exornata opera alia. Cumq; omnia juxta regulas Diagraphices & Statuariæ magna arte expoliret, hinc locum meritò nactus est inter Artifices tabulæ nostræ Q. Q. in perpetuum omnium hujus Artis tyronum exemplum, ut diagraphicæ & plasticæ fundamenta accuratè præmittant, si ulla cum laude opera sua dehinc consummare gestiant.

X. WENCESLAUS JAMICZER Norinbergensis, Aurifaber.

XI. ANNAMARIA SCHURMANNIA,

Fœmina ultra sortem erudita, inq; variis artibus ad miraculum usq; excellens, suum hic sibi quoq; locum vendicat: (Annam enim Rœmeriam & Sororem ejus Texeliam Schadiam nunc non commemorabimus.) Illa autem Ultrajecti nata erat anno 1607. triennisq; jam legebat, & sexennis varias è chartâ figuras scindere noverat. Accrescentibus autem annis, variis in artibus mira præstabat. Pingendo enim, flores & insecta tanta exprimebat perfectione, ut opera ejus inæstimabilia dicerentur. Cultro etiam ordinario, nemine præeunte, tres sculpebat imagines, quæ icones erant matris suæ, fratrisq; sui & propria, ut celeberrimus ille Hundhorstius de alterâ diceret, illam mille dignam esse florenis, sed & è cerâ effigiem propriam tantâ arte fingebat, ut gemmæ collo appensæ pro genuinis, oculi pro mobilibus, & capilli pro cincinnis naturalibus haberentur. Adscripserat autem duos hosce versiculos:

XI. ANNA MARIA SCHURMANNIA Fœmina eruditissima & artificiosissima.

En nostram Effigiem, quam cerâ expressimus: atqui
Materiæ fragili mox peritura damus.

Quod facto ipso paulò post comprobatum est; cum opus hoc Amitæ cuidam suæ inspectantiè manibus excideret & confringeretur. Cœterum non in Theologia minùs quàm in Philosophia, nec non omnibus quasi linguis cultissima erat, ut & literarum iniret commercia cum Eruditissi-

mis, seculi nostri viris. Defuncta autem est anno 1674. annos nat. 67. inq; honorem ejus tabulæ nostræ Q.Q. illius effigiem inseruimus.

XII. MATTHÆUS GRUNEWALDIUS,

XII. MATTHÆUS GRÜNEWALD, Aschaffnaburgensis.

SUpra quidem à me jam descriptus est, cum enarratione operum ejus, è quibus adhuc tabulæ nonnullæ etiam à Dn. Petro Spiringio de Nordtholm Hagæ Comitis possessa fuerunt; Diagraphica autem pleraq; Dn. Abrahamus Schelkenius Francofurti in pinacothecâ suâ asservat: è quibus omnibus satis elucescit, quantis naturæ artisq; dotibus effloruerit. Cum autem Effigiem quidem illius etiam adjecerim in tabulà mea C.C. sed qualem junioribus saltem ejus annis Albertus Dürerus tum pinxit, cum altare Jacobi Kelleri Francofurti in templo Prædicatorum simul elaborarent: interea autem apud Dn. Philippum Jacobum Stromerum Senatorem hujus Reipublicæ gravissimum in pinacothecâ ejus splendidissimâ iconem adhuc aliam perfectiorem, provectioribus illius annis confectam conspexerim; istam pariter in honorem Corregii istius Germanici laude summa dignissimi, in Tabula nostrâ N. 4. apponere volui.

XIII. BARTHOLOMÆUS BOEHMIUS Noricus,

XIII. BARTHOLOMÆUS BÖHM.

IN superioribus etiam à nobis debitè collaudatus est, quod in arte Chalcographica Italis, & in Diagraphica juxta Raphaëlis præstantiam Germanis, magnam facem prætulerit, ut & Jacobus Pinkius & Georgius Pensius ambo Norinbergenses, & Artifices maximi, summa cum laude eandem imitati sint. Hîc autem id quoq; superaddo, quod in servitia Ducis Bavariæ assumtus, icones omni emendatione majores confecerit plurimas, in cujus, ut & Neoburgicis pinacophylaciis multa adhuc de Serenissimâ hac familiâ existunt illius exempla. Iconem ejus autem in tabulâ C. C. quidem similiter apposui: sed & aliam, alibi mihi exhibitam, quam pro meliori habeo, tabulâ nostrâ 4. exprimere non dubitavi.

XIV. LAMBERTUS vel LOMBARDUS,

XIV. LAMBERTUS sc. LOMBARDUS.

ALiàs Suavius dictus, & Sutermannus Leodiensis, supra pariter à nobis jam descriptus est, quibus hæc paucula saltem adjicimus, quod inter typos ejus æneos, & Apostoli occurrant & Prophetæ & historia Petri claudum sanantis mendicum: Insimul veram ejus apponendo Effigiem in tabulâ nostrâ N. 4. quæ nuper demum ad manus nostras perlata est.

XV. HUBERTUS GOLZIUS,

XV. HUBERTUS GOLTZIUS.

ET ipse additamenta quædam meretur, quod nimirum Antverpiæ primùm habitaverit, ibidemq; anno 1550. pro Introitu Philippi II. Hispaniæ Regis sub Alostano pictore & Architecto celeberrimo arcus quosdam triumphales magnâ cum laude expinxerit, eosdemq; dein typis æneis ediderit. Nec non quod præter Historiam Imperatorum, & Siciliæ atq; Magnæ Græciæ, aliud ediderit opus, cujus titulus est, De Romanæ & Græcæ antiquitatis monumentis è Priscis Numismatibus erutis per Hubertum Goltzium Herbipolitanum Venlonianum, Civem Romanum; cui operi P. Paulus Rubenius propriâ manu titulum præfixit elegantissimum. Unde in debitum honorum ejus augmentum, iconem ejus tabulæ nostræ N. 4. inserere volui.

XVI. DOMINICUS ZAMPIERI,

XVI. DOMINICUS ZAMPIERI.

BOnoniensis, Annibalis Cæsaris discipulus & imitator, cujus opera supra jam tetigimus; icone sua adhuc pariter honorandus fuit, unde locum ipsi in tabula S. reliqueramus: cum autem citiùs illa ad manus nostras non pervenerit, nunc meritò tabulæ N. 4. eandem inseruimus. Plura de ipso non superaddimus, quàm quod Exemplar simul fuerit singularis Candoris. Cum enim Ego in studiis meis Romæ adhuc infirmior essem, eundem autem Patris loco venerarer, ipse defectus picturarum mearum fideliter mihi aperiebat, multisq; humanitatis atque commendationis officiis me prosequebatur: ut, juxta Italorum Proverbium, Bonus iste amicus, Angeli loco mihi esset.


XVII. THOMAS BLANCHETUS Parisiensis,

XVII. THOMAS BLANCHET.

AD statuariam ab ineunte ætate pronus erat; sed ob corporis imbecillitatem, consulente Sarazinio statuario celeberrimo pictoriam amplexus est; in qua excultâ simul Architectura & Prospectiva tantoperè progressus est, ut in Italiam maturè se conferret. Romæ itaq; in picturis Architectonicis & Scenographicis mox eousque celebratus est, ut commodè exhinc vivere posset: præsertim cùm Parisiis Ruinas & alias Antiquitates La mayrii Pictoris Architectonici celeberrimi, qui in applicandis coloribus circa hoc genus judiciosissimus erat, probè observasset, quas non tantùm strenuè imitabatur, sed alicubi & emendabat. Cum visitante eum Poussinio opusculum quoddam pingeret de Urbe Romana prolapsâ penitus humiq; prostrata, sed Artis beneficio iterum erectâ, multâ statim laude ubivis innotescebat, ut & Alexander Agardus Statuarius celeberri- (La mayrium imitatur.)

mus

MAT. GRUNWALD ASCHAFENBURGENSIS. BARTHOL. BEHAM. NORIBERGENSIS.





HUBERT. GOLTZIUS HERBIPOLENSIS. LAMB. LOMBARDUS LEODIENSIS.





IACOB. IORDAENS ANTVERPIENSIS DOMIN. ZAMPIERI BOLOGN.





I. v. Sandrat del. R. Collin sc.

mus picturis ejus minutis pro exornandis conclavibus secretioribus sæpiùs uteretur, iisq; pingendis ipse non amplius sufficeret. Ad majora igitur, è consilio Andreæ Sackii aliorumq; , digressus , varia pingebat, in Galliam postmodum translata , quæ in pinacotheca Dni. Chaumellii Lugduni adhuc spectantur. Ex quo cum ad mandatum Magistratus illius Urbis , à Pantho pictoræ Lugdunensi ordinario, pro exornanda ejusdem loci Curiâ, evocaretur, ibidem operibus suis variis ingeniosissimis famam assecutus est maximam: præsertim quod opticus beneficio ad muros etiam irregulares & fornice curvatos imagines tamen rectas & perpendiculares appingeret, quod vel judiciosissimi vix auderent. Inter alia quoq; opera ejus celeberrima œcus quidam Dni. Caroli Lugduni ab ipso expictus spectatur, in quo mera artificis consummatissimi edidit specimina.

Opera ejus Lugdunensia.

Cumq; interea magna pars pulcherrimæ illius Curiæ incendii flammis absumta esset, ejusdem restitutio tam quoad Architecturam, quàm quoad picturam huic nostro Blancheto similiter demandata fuit : ubi statua moderni Galliæ Regis equestris, octodecim pedum altitudine in media illius contignatione publicè collocanda fuit. Hinc a Regia Parisiensium Academia in literis, Academici & Professoris titulo honoratus, & ab ipso Rege Directio Academiæ Lugdunensis , curante Brunio , ipsi demandata est: ut optima quævis ab ipsius manu adhuc expectentur. Quare & effigiem illius tabula nostra N. 5. exprimere minimè neglexímus.

Honores ejus.

XVII. JACOBUS JORDANIUS,

XVII. JACOB JORDAENS Antverpiensis

JAm supra effigie pariter à nobis honorandus fuisset ; cum autem eandem in provecta demum ætate ipsius jam nacti simus, hinc illam in Tabula nostra 4. conspicere poterit Lector benevolus. Natus autem cum esset anno 1594. 19. Maji, ante paucos annos tamen in tranquillo adhuc vivebat senio , annorum sc. 84. mortemq; tandem obiit beatam & placidissimam.

Summa autem pars laudum ejus ea fuit, quod historias dexterrimè pingeret megalographicas ; quem picturæ gradum qui semel attigit, in aliis, sive icones fuerint, sive subdialia, sive in albario recente, sive in membranis pingenda, difficultatibus omninò carebit.

XVIII. JOHANNES ERASMUS QUELLINUS,

XVIII. JOHANNES ERASMUS QUELLINUS Antverpiensis.

ERasmi, pictoris & Architecti celeberrimi filius , à Patre in diagraphicis primum , deinde in Architectura & Scenographica , tandemq; in Pictura tanta informatus est fidelitate, ut cum laude iter instituet Italicum , Venetiasq; & Romam atque Florentiam perlustraret , ubi præsertim in Architectonicis , & in specie in Vinea Justinianea integros delineavit. Prospectus, tam Ædium , quàm Arborum , fontium, aliorumq; artificiosorum pulcherrimi illius horti. Cumq; haud ita pridem Viennam vocatus ad elaborandas icones quasdam & alia , iter suum per Urbem nostram dirigeret, non tantum ipse comperi , quanto divinitus in Arte istâ donatus sit talento; sed ipsa quoq; opera ejus Antverpiana, tam picturæ & magnarum historiarum; quàm Architecturæ satis testantur, quanto adhuc saltu gloriæ provehendus sit.

XIX. JOHANNES ASPARIUS Tigurinus Pictor,

XIX. JOHANNES ASPER Tigurinus.

NAtus anno Christi 1499. icones pingebat optimas, & naturæ simillimas, juxta methodum Joh. Holbeinii coætanei sui. Inter opera ejus adhuc occurrunt Effigies M. Huldrici Zwinglii , cum uxore & filiola: nec non effigies Nobilis cujusdam palliati, cum uxore panno Attalico albo , & holoserico nigro vestita, quæ in pinacophylacio Werdtmülleriano adhuc conspicitur: Dehinc icones quoq; Heinrici Holtzhalbii & Dirthelmi Reustii , Patrum Patriæ , quæ à Conrado Mayero typis nunc æneis prodierunt. Porrò ad curiam Tigurinam duodecim etiã menses figuris subdialib' pinxit, adjectis in specie ad singulos piscibus illis , qui in lacu Tigurino suo tempore ob prolificationem capi solent; prout ista ad latus fori piscarii adhuc cum admiratione spectantur. Intra curiam in Oeco insignia pinxit Tigurina cum duobus leonibus naturali quantitate sceptrum gladiumq; tenentibus, adjectis encarpis elegantissimis. Effigies ejus numismate argenteo expressa spectatur uncialis magnitudine , excusa anno Christi 1540. æt. 41. cujus Aversa calvariam exhibet cum lemmate quodam Germanico, cujus hic est sensus :

Opera ejus.

Mors certa est, incerta dies, hora agnita nulli;
Extremam quamvis, pagina sacra docet.

Mortuusq; est anno Dn. 1571. æt. 72.

XX. GOTTHARDUS RINGLIUS Tigurinus,

XX. GOTTHARD RINGGLI Tigurinus

PIctor etiam ingeniosissimus natus fuit anno 1575. 27. Jan. Inter opera ejus tria primaria Bernæ occurrunt in curia de extructione illius Urbis ; & primò quidem Berchtoldus V. exhibetur Dux Zeringensis , cum Nobilibus suis, decretum de condenda hac Urbe sanciens, secundò Nobiles quidam in querceto , eodem sc. loco, ubi urbs condita est, ursos venantes. Et tertiò ipsa hujus Urbis extructio , ubi fabri

signarii ex imo spectantur, ingeniosè expicti. Sic ad turrim quoq; campanariam quatuor pingebat anni tempora, figuris viventium mole spectabilibus: & ad latus turris signiferum cataptractatum cum vexillo illius Urbis. Tiguri autem multæ adhuc extant illius figuræ partim ære roso, partim pictura eleganter ab ipso expressæ: & in specie in Bibliotheca civium, opus quoddam insigne, in cujus medio ditio Tigurina cum territoriis; ad dextram Religio, quæ Virgo est altera manu Biblia, altera frænum, & brachiis crucem tenens, mortemque pedibus proculcans, supra quam Pelecanus sanguine pullos conspergens. Ad sinistram Libertas, quæ Virgo est compedibus liberata, cujus pedibus cavea adstat cum avicula insidente libera, funiculum rostello tenente; supra quam Grus Vigil, cum adscriptis Versiculis elegantibus. Symbolum ejus hoc erat idiomate Germanico; quo nomen simul ejus argutè exprimitur:

Opera ejus.

Durch Misgunst dem nichts wiederfahrt.
Der ehrlich lebt, und auf GOTT HART.
In den ich mein Vertrawen stell,
Man RINGGLI es gleich wie man wöll.

Cujus sensus est:

Volve tuam, Fortuna rotam, quacunque libebit:
Speranti in Dominum nil nocet invidia.

XXI. SAMUEL HOFMANNUS Tigurinus,

XXI. SAMUEL HOFMANN.

Concionatoris cujusdam filius, Ringlii discipulus, in Belgium missus apud Rubenium aliosq; celeberrimos in picturis ad viva exemplaria exprimendis mirum in modum proficiebat, ut Amstelodami multis inclaresceret operibus; uxoremq; ibi duceret, Deinde Francofurtum abiit cum tota familia, ubi post pictas icones plurimas, cum opere quodam magno pro Curia illius Urbis, doloribus Podagricis tandem obiit anno 1649. Ex quo uxor ejus cum liberis Amstelodamum iterum concessit: ubi duæ ipsius filiæ similiter oporetica elegantissima pinxerunt.

XXII. MATTHIAS FUESSLIUS Tigurinus,

XXII. MATTHIAS FÜSSLI Tigurinus.

Ex optima natus familia & Ringlii pariter discipulus. Hic jam in annis tyrocinii sui libera manu magna cum laude quælibet delineabat, apographorum exercitia omninò negligens. Deindè in Italia & Venetiis ut plurimùm degebat, Tempestium magni faciens, & prœlia inprimis nocturna elegantissimè coloribus exprimebat; de Gedeone, puta, facum beneficio Midianitas obruente: de Angelo Sennacheribi castra vastante: de Troja incendii flammis exardescente; quod opus in pinacotheca Werdtmülleriana extat, cum pluribus aliis: necnon de Lotho ab Angelis ex incendio Sodomitico educto: & similibus.

XXIII. JOHANNES JACOBUS THURNEISEN,

XXIII. JOH. JAC. THURNEISEN Basileensis.

Filius Andreæ Thurneisen Senatoris Basileensis & Annæ Schlümbergiæ, Consulis Mülhusani filiæ, in studiis cælandi ad miram provectus est elegantiam atq; peritiam. Opera enim hic loquantur ipsa, quę sunt Laocoon noster, nec non Antinous Tabulæ nostræ aa. ubi decussandi artificium in naso cœptum totam efformat imaginem elegantia admirabili. Atq; sic etiam Latonæ statua, quæ ab artis peritis cœteris omnibus præfertur, prout Tabula bb. pluribus ostendit. Plura non opus est ut adjiciam, nisi quod iconem ejus Tabulæ nostræ 5. insertam benevolus Lector spectare queat.

XXIV. RICHARDUS COLLINIUS,

XXIV. RICHARD COLLIN.

Latiùs antehac à nobis descriptus hæc paucula quoq; adhuc requirit, ut operibus ejus adjiciamus, quæ in hoc opere nostro ulteriùs elaboravit: ut sunt Tituli trium Artium; Statua M. Aurelii; Seneca, Cupido, Meleager, Galathea, Belisarius, Sabina, Poësis, Gladiatores, Pan, Natura, Pœnitens, Pastor, Leo, Equus, cum omnibus subsequentibus Numismatibus, & iconibus Tabulæ 5. inter quas & propria.

XXV. DANIEL BLOCKIUS Pictor;

XXV. DANIEL BLOCK.

Martini Blockii filius, (qui Mercator erat Stetinensis) natus anno 1580. inq; disciplinam traditus Jacobo Scherio Gedanensi an. 1593. in pingendis iconibus insigniter proficiebat, ut pro Christiano IV. Daniæ. & Gustavo Adolpho Sueciæ Rege multas conficeret. Deinde totam expinxit Genealogiam Ducum Megapolitanorum, viventium magnitudine antiquo habitu: istiq; familiæ à servitiis aulicis fuit per 44. annos, donec partim bello Germanico, partim incendio Schwerinensi anno 1651. ubi à filio natu minimo Benjamine cum uxore è flammis extractus fuit, omnibus spoliatus bonis, ad summam redigeretur paupertatem, tandemq; anno ætatis 81. Rostochii in Domino obdormiret.

Opera ejus.

Quatuor autem ipsi erant Filii, quorum tres, Emanuel scilicet, Adolphus & Benjamin in pictoriâ similiter insigniter profecerunt: & primus quidem in iconibus & immotis; alter autem in historiis & equis; & tertius in variis. Utq; de hoc paucula

Benjamin Block.

THOMAS PLANSCUET PARISIENSIS



I. IACOB THURNEYSER BASILEENSIS




RICHART COLLIN LUXEMB.



BENNIAMIN BLOCK LUBEC.



IOH RUD. WERDMÜLLE. TIGURINUS



MELCHIOR BARTEL SAXO.



referamus, natus ille est Anno 1631. Lubecæ: specimina autem artis egregia jam Anno 1647. edidit, dum iconem Adolphi Friderici Ducis Megapolitani solo calamo, viventis mole, tam eleganter effiguravit, ut typus videretur æneus. Dehinc in aula Augusti Ducis Saxoniæ Halensi icones similiter totius Serenissimæ familiæ ipsiusque Ducis coloribus expressit. Postmodum in Hungariâ in servitiis Francisci Comitis Nadasti varia quoq; elaboravit opera, nimirũ quinq; Altaria in æde Lauretana Hungaricâ: nec non tabulam majorem pro Altari magno Jaurini in Hungariâ, quæ mille & trecentis æstimabatur Florenis. Porrò in Italiam Anno 1659. profectus, commendatione Comitis prædicti, Romæ non tantùm ad rariora plurima admittebatur; sed & Effigiem P. Athanasii Kircherii pingebat. Ex hinc visis etiam Florentia, Senis & Venetiis, ubi Effigies tam magnas quàm parvas pingebat plurimas; tandem in Germaniam reversus est: & confectis priùs iconibus multorum Electorum, Principum & Comitum, Halam tandem rediit: ubi totius iterum familiæ ducalis, nec non Serenissimorum Fratrum Mauritii & Christiani Ducum Saxoniæ Effigies exhibuit: uxoremq; duxit Anno 1664 Annam Catharinam Johannis Thomæ Fischeri Norimbergensis Illuminatoris celeberrimi Filiam: quæ & ipsa in arte pictoriâ tantoperè eminet, ut non solùm Serenissimam Ducissam cum Filiabus in florum pictura erudiret; Sed & istud pingendorum florum studium adhuc exerceat, & effigies similiter tam olearias quàm cretatas elegantissimè pingat. Ipse autem Blockius dehinc pro Celsissimo etiam Principe & Domino, Domino Marquardo Episcopo Aichstadiano icones & historias multas magnâ arte elaboravit: nec minùs Viennam delatus, ipsam quoq; Sacram Cæsaream Majestatem in ornatu Cæsareo tabulis tam magnis quàm parvis effiguravit: ut plures effigies alias multorum Ministrorum in aulâ Cæsarea aliorumque variorum silentio hic prætercam. In hoc enim genere non tantùm insignis est naturæ imitator; sed gratiæ etiam ubique studiosus, & præterea mira promtitudine excellit, ut ipse quoq; meam effigiem bis ab eo confieri curaverim.

Opera ejus.

Uxor Anna Catharina in arte pictoria versatissima.

XXVI. JOHANNES RUDOLPHUS WERTMüLLERUS.

XXVI. JOHANN. RUDOLPHUS WERTMüLLER.

NAtus est Anno 1639. 17. Maji, Patre Johanne Georgio Wertmüllero Senatore & Rei tormentariæ præfecto Generali Tigurino & Anna Wertmülleria. Cumq; ad artem pictoriam applicaretur, primò per totum triennium in Diagraphicis exercebatur; Juxta Exemplaria tam figurarum ænearum quàm Anaglyphicorum statuarumq; & viventium; quorum Exempla adhuc supersunt plurima, de quibus nonnulla Pinacothecis inseri possent celeberrimis. Ad colores autem applicitus, in disciplinam tradebatur Conrado Majero pictori Tigurino famigeratissimo. Absoluto autem Tyrocinii triennio, apographa faciebat picturarum quarundam Pauli Veronensis, de Susanna scilicet in viridario: Item de Mercurio & Herse, tantâ elegantiâ, ut authographis essent simillima. Quibus Icones similiter quasdam & opera alia opo retica & subdialia varia juxta Exemplaria nativa adjiciebat, simulq; Architecturæ tam civili quàm Militari gnaviter operam dabat. Dehinc instituto in Belgium itinere Amstelodami ad ulteriora perrecturus erat: sed morbo acutissimo ad vesaniam usque correptus, sanitatiq; vix restitutus in Patriam remeare cogebatur: ubi non tantùm icones quasdam egregias; sed duas quoq; tabulas majores subdialium juxta autographa Claudii Lotharingi diligentissimè depingebat. Mox plasticæ etiam operam dabat, effictis ex argillâ Apolline, nec non Pallade: Item Milone majora forma, & Sirene pro opere quodam Hydraulico. His & mechanica quædam addidit, Syringas nimirum incendiarias, (in quibus Pater ipsius tantoperè excellebat, ut machinam inveniret undas continuas in octoginta pedum altitudinem evomentem) & Hydraulica quædam elaborando: donec Anno 1668. in Galliam abiturus, sed mutato consilio nocturno itinere domum reversurus, Syllæ Fluvii undis per errorem immersus, summo cum dolore suorum omniumq; concivium suffocaretur. Iconem autem illius Tabulâ nostrâ 5. sat accuratam propterea inter alias exhibere voluimus, quod maximam jam insignis Artificis de se spem porrigeret, cui mirum in modum profuisset pinacotheca Patris sui celeberrima; quæ tamen tribus jam destinata videtur ipsius fratribus, Jacobo, Heinrico, & Conrado, juvenibus præter ordinaria studia sua, ad Architecturam quoq; & Picturam cum laude adspirantibus, quibus hoc modo campus patet ad decurrendum solidioris gloriæ stadium amplissimus.

Opera ejus.

Mors ejus tristissima.

XXVII. OWINIUS,

XXVII. OWINS

PIctor est, historiarum præcipuè, insignis; nocturnisq; simul operibus celebris admodum, colore igneum quasi præ se ferens ardorem, & ordine copioso admirandus; à servitiis autem Ducis Holsatiæ est Fridericopoli.

XXVIII. STEINWINCKEL,

XXVIII. STEINWINCKEL.

CIrca annum 1640. Hafniæ florebat apud Daniæ Regem, picturâ præsertim

Equorum clarus, ut hoc in genere incomparabilis esset: tantâ enim aliquando proprietate Equum depinxerat, ut vivus ad illum properaret caballus: quem propterea Christianus IV. Daniæ Rex magni æstimavit.

XXIX. WILLINGER.

XXIX. WILLINGERUS,

IN pingendis similiter historiis excellere dicitur, Berolini degens in Aulâ Serenissimi Electoris Brandenburgici, ubi præclara ipsius opera prostare feruntur plurima; in quibus Antonii Dickii sectari methodum, & in calligraphia insigniter efflorescere fama est. De quo propterea plura superaddere non valeo, quod ex voto de operibus illius ad me nihil pervenerit.

XXX. JOHANN STUMM.

XXX. JOHANNES MUTUS,

ANno 1647. Hamburgi degebat, loquela quidem & auditu orbatus, coloribus tamen facundus admodum, ut icones expingeret viventibus simillimas, paucosq; tum haberet æquales: quamvis ductu duriore moveret peniculum.

XXXI. LAUCH Vienensis

XXXI. LAUCHIUS,

VIennæ Cubicularius est & Pictor familiaris Imperatricis Viduæ solertissimus, in minutis potissimum; & effigiebus majoribus, nec non immotis aliis præter modum excellens, in quibus tantâ utitur colorum vi, tantâq; ad naturalem usq; similitudinem picturâ, ut obtutu vix satiari queat oculus. Sunt quædam eidem quoq; sorores, picturæ studio haud parum nobiles, nec non Arte Musicâ singulariter excellentes. Inter has una, connubio juncta Bremero Cubiculario Cæsareo, magno similiter hujus Artis fautori, picturas subdiales tanta exhibet industria, ut vel naturam ad certamen provocare videatur: & frigora præsertim, nivesq; adeò ad veritatem depingit, ut nulla hic locum habere queat emendatio. Præterea

XXXII. BATAVA quædam

XXXII. N. N. BATAVA quædam,

PIctrix adhuc cælebs in pingendis minutis ad istud ascendit fastigium, ut minori forma majoriq; veritate & rotundiori mole nihil unquam sit expictum. Inter alia autem pro Emblemate Vanitatis immota varia unico in opusculo cumulavit, omnem laudis tramitem transcendentia: inter quæ Vitrum, pictricis faciem tanta similitudine reflectens, ut viventis videatur; deinde & spica triticea à musculo arrosa; nec non calvaria humana, quæ naturalia dici possent omnia. Et istam quidem Tabellam Serenissimus Archidux Leopoldus Wilhelmus pro Technophylacio suo Viennensi mille coëmit Imperialibus specie talibus; quamvis ab Artis peritis longe majori digna judicetur pretio.

XXXIII. DE BAR.

XXXIII. DE BAR.

SAcræ Cæsareæ Majestatis Inspector Pinacophylacii Leopoldini, clerici ordinis, pictor etiam florum est præstantissimus, quos coloribus gummatis amœnissimis & luminosissimis ad proximam naturæ similitudinem in feriis potissimum effingit. Sed quid in explicandis laudibus ejus uberiùs divagor; cum fatendum omninò sit, Elegantiam ejus omni majorem esse Eloquentia.

XXXIV. BARO de SCHALL,

CIrca annum 1639. in arte pictoria similiter plurima præstabat, nec iconibus tantùm, sed & historiis rariori præcellentiâ nobilis. Multa enim tum pro Serenissimo Duce Megapolitano Adolpho Friederico, præstantissima; nec non pro Christiano IV. Danorum Rege pingebat, qui magnis ipsum cumulabat muneribus. XXXIV. BARO de SCHALL.

XXXV. CORNELIUS STOP,

ANglus Speluncarum picturis delectabatur, quas multo horrore exhibebat refertas, variisq; prospectibus Scenographicis admirandas. XXXV. CORNELIUS STOP.

XXXVI. HAMILTONIUS,

ANglus similiter natione, uvas potissimum coloribus exprimit verè naturales; quin & Aves mira colorum politura atq; similitudine: quo in genere, præter immota alia, pro Serenissimo Electore Brandenburgico pinxit plurima. XXXVI. HAMILTHON.

XXXVII. MICHAEL CONRADUS HIRTIUS,

ICOnibus etiam excellebat, nec non historiarum picturis; arteq; sua in Aula Electorali Brandenburgica famam sibi comparavit insignem, præsertim ob firmiorem colorum constantiam. XXXVII. MICHAEL CONRAD HIRT.

XXXVIII. PAUDITIUS,

EX inferiore Saxonia oriundus discipulus erat Rembrandi præstantissimus, qui pro Serenissimo Principe Episcopo Frisingensi & Ratisponensi, Alberto Sigismundo Duce Bavariæ multa pinxit opera clarissima, Frisingæ adhuc conspicua. Inter alia autem cum pictore quodam Norinbergensi, Röslero, certamen iniit in pictura unius argumenti, de lupo nimirum agnum discerpente: quem ambo quidem argutissimè exprimebant; ita tamen, ut Pauditius elevatiori mole præpolleret. Quamvis alii tabulam Röslerianam ob pilorum accuratiorem polituram præferre niterentur: quod tanta Pauditium affecit XXXVIII. PAUDIZ.

ANNA FELICIT NEUBERGERIN. CARL GUSTAV AMBLING NORI





LILLY Sive LELIO LONDI IOH PHILIP LEMBKE NORI





BART FLA LEODIENSIS GLAV ALB SEVIN BRUXE





ægritudine animi, ut paucis exactis diebus fato fungeretur, dolentibus ob multam artis ejus præstantiam plurimis.

XXXIX. MUETENIUS, | XXXIX. MUETENS.

BAtavus est Hagæ Comitis degens, iconibus pingendis exercitatissimus, positúq; & similitudine excellens; quo in genere pro Serenissimo Electore Brandenburgico, & Principissa Anhaltina Dessaviensi multa elaboravit elegantissima.

XL. DE VETTI, | LX. DE VETTI.

BElga est in arte nostra pariter clarissimus, in historiis potissimum minutioribus excellens, quas ordine, copia, colorum vi, & veritate, una cum accuratâ delineandi sollicitudine tam solerter expingit, ut admirationem potius quàm vituperium mereatur.

XLI. HOCHSTRAETIUS, | XLI. HOCHSTRAET.

DIscipulus Rembrandi, effigiebus pingendis magna laude similiter pollet, inque immotis præterea eminet, quæ verâ elevat mole & naturæ exhibet simillima: quo in genere Viennæ potissimum inclaruit, ubi in Porticu technicâ insignia operum ejus extant specimina: qualia procul dubio adhuc uberiori copia Dordracensium Urbs possidet, quæ patria ejus est.

XLII. MEGANIUS, | XLII. MEGAN.

BRabantus natione, subdialibus præcellit tam majori, quàm minori forma pingendis, in quibus inventionibus abundat pulcherrimis, arborumq; varietate elegantissima; prout ipsa illius opera partim Viennæ in aula Cæsareâ, partim alibi extantia, abundè testantur.

XLIII. A. BLOOTOLINUS, | XLIII. A. BLOOTOLIN.

CHalcographus est in omni istorum studiorum genere nobilis, ita ut non cælo saltem & undis stygiis, sed & arte melanographica ea omnia præstet, quæcunque humanæ manui possibilia videntur. Exempla posterioris generis ab ipso profluxere varia; inter quæ Judith, juxta prototypon Raphaëlis Urbinatis pictum, exhibita, sub formâ Fœminæ stantis formosæ admodum, caputq; Holofernis obtruncati aspicientis: quæ figura tantâ arte & veritatis æmulatione elaborata est, ut quicquid Umbrarum Luminisq; regulæ requirunt, abundè inibi sit observatum. Sic Icones quoq; Principis Auriaci, & Serenissimæ Conjugis; nec non Wittii Pensionarii, fratrisq; ejus, unà cum aliis pluribus, majori formâ ab ipso confectæ prostant, unde peritia ejus mirum in modum elucescit; quam quotidianis etiam exercitiis indesinenter, summaque cum laude adhuc cumulat.

XLIV. DANIEL PREISLERUS, | XLIV. DANIEL PREISSLER.

PIctor & Iconopœus, natus est anno 1627. Pragæ, unde ob turbatam Religionem Parentes ejus Dresdam concedebant; ubi hic noster in disciplinam traditus est N. Schieblingio Pictori Aulico celeberrimo: à quo in fundamentis Artis nostræ adeò proficiebat, ut peracto per Germaniam & Bohemiam itinere, Norinbergam tandem perveniens, larem figere posset. Quamvis autem ob varia impedimenta Italiam, orasq; exoticas alias videre non potuerit; quin & Norinbergæ ad viliora primum adhiberetur: tandem tamen anno 1650. in Diæta Pacificatoria visis Iconibus nostris, | Opera ejus. factisq; Apographis Iconum Regis Sueciæ, Ducisq; Amalphitani, & aliorum; ad picturas Iconum ipse quoq; sese applicuit, inq; eodem genere pluribus variorum Statuum, & in specie Principibus quoq; circumjacentibus cum laude inserviit. Alia picturarum ejus exempla Norinbergæ similiter extant varia: Inter quæ ad valvas organi majoris in templo Sebaldino Hypotyposis musicæ tam cœlestis quàm terrenæ; quo in opere icones spectantur variæ ad veritatem quàm proximè accedentes: In templo Xenodochii novi pro tabula Altaris historia missi Spiritus S. In templo Arcis pro Epitaphio Führeriano historia Ascensionis Christi, & similia, quæ omnia facilè ostendunt, ad quos gradus adhuc eniti potuisset, nisi anno 1665. ex hac mortalitate fuisset exemptus.

XLV. ANNA FELICITAS NEUBERGERIA, | XLV. ANNA FELICITAS NEUBERGERIN.

DAnielis Neubergeri Augustani, de quo supra plura commemoravimus, filia, ingenio & arte tam nobilis est, ut præter manuaria Gynæcæi ordinaria, quamvis rarissima, ad sublimiora & inimitabilia quasi pervolârit. Pingendo enim tam oleario, quàm glutinario & cretaceo genere excellit; Plasticam cerariam ultra cæterorum Artificum modulum exercet; in sculptura autem minutissimorum usq; adeò præcellit, ut in unico cerasi nucleo integra efformet prœlia, etiam equestria; in unico cannabis grano facies varias, quin & historias integras; & imagines Redemtoris crucifixi tam minutas, ut per foramen | Opera ejus. acus facili negotio transmittantur: Qualia cum pluribus aliis ipsam fidem excedentibus, in variis tam intra quàm extra Germaniam Technophylaciis cum stupore omnium spectantium passim asservantur. Unde in debitum Artificis hujus nostræ honorem, effigiem ejus tabulæ nostræ 6. inserere non dubitavimus.

XLVI. CARL GUSTAV AMBLING

XLVI. CAROLUS GUSTAVUS AMBLINGIUS,

E Sinu matris Noridos in lucem editus, postquam ad studia Diagraphices applicitus esset, in Chalcographum tandem evasit longè nobilissimum. Cum enim stipendio Serenissimi Electoris Bavariæ gratiosissimo, in Gallia apud cælatorem quendam celeberrimum ad studium perfectionis anniteretur, sæpiùs accidit, ut Discipuli hujus manus pro manu Magistri haberetur. Unde postmodum in servitiis prædicti Electoris per multos annos substitit, illiusq; Effigiem viventis magnitudine summâ cum laude in lucem emisit. Exemplum aliud consummatorum illius studiorum præbent Icones præmemorati Electoris & Serenissimæ Conjugis minori forma ab ipso elaboratæ, in quibus tanta elucet cæli elegantia, tanta ad naturam ipsam accedens similitudo, ut non cælatum opus quis diceret, sed monochroma expictum, in quo caro ipsa, crines, linteamina, tela serica, & armatura ferrea mera sunt artificia, mera ulteriorum conatuum theatra. Idipsum Benevolus Lector judicare etiam poterit ex Icone Neubergeriæ Virginis tabulæ nostræ 6. insertâ, & ab ipso sculptâ; nec minùs ex Icone Reverendissimi Abbatis in cœnobio S. Udalrici, quod Augustæ est: porrò è Titulo Libri nostri primi: & è statuis Rotatoris, Mercurii, Lucii Veri & Marci Aurelii Libri nostri Secundi. Quam laudem suam ad summa jam properantem, pluribus adhuc indies adauget operibus aliis, nunquam adeoq; intermorituram: unde & tabulæ nostræ 6. effigiem ejus meritò inseruimus.

XLVII. JOHANN PHILIPP LEMBKE.

XLVII. JOHANNES PHILIPPUS LEMBKIUS,

NOrinbergensis, Georgii Strauchii ibidem discipulus, in ipsis tyrocinii annis variis jam indulgebat inventionibus de casibus œconomicis, bellicisq; diversis, quos magnâ jam tum delineabat solertia. Dehinc Exempli loco sibi proponebat duos subdialium pictores celeberrimos, Johannem Bothium, ejusq; fratrem; donec Petri Laërii, qui aliàs Bambotius dicitur, eidem innotescerent opera, quorum causa Romam adibat, ubi ad consummatissimam hoc in genere mox ascendebat peritiam, quam per multos etiam tam Romæ quàm Venetiis annos, magis semper, magisq; perficiebat: donec in Patria tandem rem familiarem institueret. Ubi hisce adhuc studiis invigilat, & quidem prœlia potissimum tam equestria, quàm pedestria, nec non obsidiones, velitationesq;, quales inter Christianos occurrunt atq; Turcas, mirâ arte effingit: quibus & venationes sæpius superaddit, magno ex omni parte ingenio elaboratas. Exempla autem clarissimorum illius operum nobiliora occurrunt in pulcherrima Domini Fleischbeinii pinacothecâ; (ubi simul etiam quatuor extant tabulæ Bassani, de quatuor anni temporibus; nec non subdialia varia Bemmelii, unà cum iconibus rarioribus Ulrici Mayeri & similia:) Sic etiam in ædibus Domini Græffelii; Domini Winteri; & Domini Langii; præ cœteris autem apud Dn. Johannem Fregneau, ubi in tabula quadam magnum spectatur prœlium inter duos exercitus sat numerosos commissum, in quo inter alia ex parte vincentium Chiliarcha quidam lethali vulnere decumbens inter varia auxilia tam chirurgica, quàm spiritualia animam agere videtur, quæ actio miris extollitur laudibus.

Pictor prœliorum accuratissimus.

XLVIII. LILLY aliàs LÆLIO.

XLVIII. LILLIUS aliàs LÆLIUS,

LOndini in Anglia adhuc floret; de cujus operibus nihil quidem ad manus meas pervenit, præter icones quasdam, inter quas Effigies Marchionis de Montagu elegantissima. Nihilominus Effigiem ipsius, propter rarissima Artis ejus merita, Tabula nostra 6. exhibere voluimus: in quam Poëta quidam nostràs sequentes composuit versiculos.

Was reimet sich auf wahre Kunst?
Herr Lilly saget: Königs - Gunst.
Den Reim er uns im Wercke zeiget.
Der Scepter sich zur Lilie neiget:
Zeigt, dass wie Er herrscht über Menschen Sinn.
Also sie sey der Blumen Königin.

Quorum sensum aliquatenus refert hoc Epigramma.

Peniculi ductu quod regnat Lilius, atque
Rex favet Artifici; quare mirabitur Orbis?
Cum florum in regno sceptrum quoque Lilia captent.

XLIX JOH. BAPTISTA de RUEL.

XLIX. JOHANNES BAPTISTA RUELLIUS,

ANtverpiæ natus & educatus, Musicæ vocali studia sua primitus dicaverat, donec Moguntiæ sub præsidio Domini Caroli Heinrici de Metternich, Capituli Moguntini tum Custodis, mox Archiepiscopi, pro addiscenda Arte pictoria Johanni Thomæ, qui Ipenarius vocabatur, subderetur, qui hac in Arte egregia ediderat specimina, & historiarum quidem majorum potissimum, inter quas in Æde Dominica historia Nativitatis Christi singulariter laudatur. Hoc præeunte mirum in modum hic noster profecit, ut in pingendis iconibus

admo-

admodum excelleret. Unde Viventium magnitudine pinxit Serenissimum Electorem Palatinū, & Serenissimum illius filium Principem, nec non Serenissimam Conjugem Regia ortam prosapia: porrò Electorem quoque Moguntinum demortuum; item Celsissimum Principem Episcopum Herbipolitanum, cum variis Magnatibus aliis, in quibus omnibus magno semper usus est judicio, mirâq; in similitudine felicitate. Nunc autem Herbipoli sedem sibi delegit, quæ Patria quondam fuit Huberti Goltzii, de quo suo loco.

L. BARTOLETTUS FLAMALIUS Pictor,

L. BARTOLET FLAMAEL.

Leodii natus, in diagraphicis à teneris exercebatur, unde perlustratâ Italiâ, Romæ ad summum in Arte suâ adspirabat cacumen. Abhinc cum in patriam remeaturus esset, Parisiis detentus à Rege, in pingendis historiis nonnullis majoribus singularia edidit specimina, in quibus & affectuum argutia, & diagraphices elegantia, & Antiquitatis notitia, cum ipsâ naturæ expressione summâ cum spectantium admiratione elucescebant: ut propterea à Belgis quoq; Raphaël Belgicus vocaretur. Istamq; laudem suam, profectò inter summas numerandam, in Patria dehinc solertissimè propagavit; pictis, pro Electoribus quibusdam, aliisq; Graphicophilis, historiis variis colore potissimum oleario, in quibus ubiq; temporum & nationum exacta observavit discrimina. Quibus & specimina adjecit Architectonica & diagraphica singularia, in quibus nihil fortuiti, nihil levi brachio adjecti, sed judiciosa & acutissima omnia, ut Effigiem illius propterea Tabulâ nostrâ 6. exhibere commoti simus.

LI. CLAUDIUS ALBERTUS SEVINIUS,

LI. CLAUDIUS ALBERTUS SEVIN.

Bruxellis cum natus esset, Patrinos habuit Celsissimum Principem de Ligny &c. & Marchionissam de S. Martino, à quibus ad Pictoriam applicitus, tantoperè profecit, ut picturis tam majoribus quàm minoribus mox inclaresceret: quare & in Regiis tam Angliæ quàm Sueciæ Aulis opera elaboravit plurima, pinacothecis illorum locorum inserta. Sed & iconibus excellebat, & quidem gummati generis potissimum, quod Exempla testantur Cardinalis Landgravii Hassiæ, nec non Archiepiscopi Mechliniensis, aliorumq; in Aula Bruxellensi, ubi hic larem habebat, plurimorum. Sic & tabulam quandam ibidem pro Altari magno egregiè expinxit, nativitatem Salvatoris referentem, ut fama illius indies excresceret. Donec tandem anno Christi 1676. cum Jubilæi gratia Romam commigrasset, die Maji 29. ibidem vitam cum morte commutaret. Cumq; Echo ibidem appellaretur, in debitum illius honorem hoc post obitum ejus compositum fuit carmen:

Carmen in ejus obitum.

Heu Dea conqueritur vocis lachrymantis imago!
Claudius it Romam; num *remeabit? abit.*
Ne Libitina vocet *vereor? reor*, anxia clamat.
An se famosum reddere *sperat? erat.*
An Romæ Nomen *retulit? tulit.* An fuit *Echo?*
Echo. Quam citò vox *deperit?* illa *perit.*
An veterum mores imitatus in arte *reluxit?*
Luxit. Et ars tabulis *irradiat? radiat.*
Italicæ graphices tetigitne *cacumen? acumen.*
Ars illi famam *vicit?* & *icit*, ait.
Claruit in rebus *minimis? nimis!* anne *tabellis?*
Bellis. An palmam *promeruit? meruit.*
Insignis? signis. Quam dignus *vivere! vere!*
Nonne mori è patriâ *pœnituit? nituit.*
An jubar eximium *appellem?* respondet: *Apellem.*
Illane Sevino gloria *debita? ita.*

LII. N. WAGNERUS Norinbergensis,

LII. N. WAGNER Noricus.

Discipulus celeberrimi Juvenelli, post tyrocinia absoluta Italiam frequentavit, & Romam in specie, ubi in conficiendis iconibus, pingendisq; historiis egregiè inclaruit, quam laudem Architecturæ studio aliisq; Artibus cumulavit. Unde in Aulam Palatinam Heidelbergensem vocatus, specimina ibidem edidit clarissima: præsertim sub introitum Principissæ Regiæ Danicæ ejusq; cum Serenissimo Principe Carolo connubium, ubi Arcum quendam triumphalem octoginta pedum altitudine conspicuum, ab ipso Serenissimo Electore inventum, variis condecoravit Emblematibus, quæ publicis dehinc typis edita sunt. Sed & picturis iconicis apud Magnates varios, & præsertim in Serenissimâ domo Hassiacâ Darmstadianâ magnam assecutus est famam, quam in hodiernum usq; diem ulteriori semper magis magisq; confirmat experientia.

LIII. MARIA SIBYLLA GRAVIA, Francofurtensis,

LIII. MARIA SIBYLLA GRÆVIN

A Nobis jam supra uberius collaudata est; quibus id adhuc subnectimus, quod jam dum Norinbergæ habitet, varia quoq; edide-

ediderit Artis suæ specimina, inter quæ singularem meretur laudem Fasciculus illius Florum, centum constans foliis, pro informatione studiosæ juventutis admodùm proficuus. Cui adhuc aliud adjiciet opus de variis insectis atq; erucis, cum illorum transmutatione in papiliones, ciborumq; generibus & proprietatibus, typis æneis mox publicandum: quæ omnia de magno illius judicio testimonia edunt luculentissima.

LIV. GOTHOFREDUS LEYGEBEN Saxo,

LIV. GODOFREDUS LEYGEBEN.

SCulptor in re ferraria insignis, cui ceræ loco indomitū illud metallum subditur, ita ut ex integra quadam massa, omnia efformet, quæcunq; sibi proposuit. Sic enim exempli gratia, è massa quadam ferreâ sexaginta septem pondo pendente, mallei cæliq; beneficio S. Georgii efformabat figuram equestrem, gladio evaginato septicipitem atque alatum interficientem Draconem, ita ut capita omnia discretim agnoscerentur, quæ Leonis, Ursi, Canis, Cameli, Lupi, Asini & Suis erant. Vultus autem iconem referebat Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis genuina similitudine conspicuam. Sic pellis quoq;, piliq; Equi tanta nitebant proprietate, ut nulla ibi asperitas sed politissima omnia, ita tamen ut & venæ accuratè discerni, ephippiumque & phaleræ nulla emendatione corrigi possent. Sic & capulos elaborat pro gladiis, ensibus, sclopetis, clunaclis venatoriis, cultris, nec non columnas palmatas cum statuis & similia cum admiratione spectantium: unde in magnâ quoq; gratiâ Serenissimi Electoris Brandenburgici Berolini vivit. Ubi filius ejus natu major Ferdinandus, in Architectura militari à servitiis est Electori; cum minor interea Lipsiæ apud Erasmum Lutherum pictoriam discat Artem.

LV. GERHARDUS de LAIRESSE,

LV. GERHARD de LAIRESSE.

PAtriam habet Leodium, quâ ex Urbe plurimi exorti sunt tam in Picturâ, quàm in Sculpturâ & Architecturâ Artifices, nempè Lambertus Suavius Præceptor Francisci Floris; Theodorus & Israël de Bry; Michaël Natalis; Bartolettus & tandem Regnerus Lairessius, pictor haud infimi ordinis, Gerhardi nostri Pater: qui filium hunc suum ad studia primùm, & inprimis ad Poësin atq; Musicam, deinde ad Diagraphicen & Pictoriam applicuit; qui etiam, quod non tantùm paternâ uteretur manuductione, sed insignia etiam in Altaribus quorundam Cœnobiorum Vallis nimirum Benedictæ; S. Ursulæ; Angelorum &c. ante oculos haberet exempla, miros statim faciebat progressus, ita ut vix quatuor decim vel quindecim annos natus jam Bartolettum sibi imitandum proponeret; quem in finem Autores quoq; pervolvebat optimos, noctuq; & interdiu hisce studiis invigilabat. Hinc in Iconicis stàtim picturis specimina edebat singularia; inter quæ Effigies Reverendissimi Abbatis ad S. Honorium, Natalis, & alia partim apud Cancellarium; partim apud Celium & Rossium Consules; nec non Baronissam Lindanam, ejusq; Amitam similesq; extantia: quibus laudem sibi comparabat maximam, nummosq; colligebat haud paucos.

Opera ejus.

Interea instituto ad Serenissimum Electorem Coloniensem itinere, Aquisgrani in transitu pro templo S. Ursulæ martyrium istius Virginis pingebat viventis quantitate, cum invidiâ omnium illius loci Pictorum incredibili: cum juvenis tantùm esset viginti annorum. Unde Patriam repetens picturis variis pecuniam lucrabatur immensam, quam tamen ubertim iterum profundebat, cum non tantùm vestium varios excogitaret modos, & in specie quæ utroq; latere gestari possent, ita ut unicâ quandoq; die horis antemeridianis Auroræ, pomeridianis cœlestino colore superbiret: sed limbos quoq; sibi pingeret denticulares pro linteaminibus, in telâ subtilissimâ, partim foliorum gyris, partim historiis inusitato luxu decoros, ut nemo idem imitari auderet. Cumq; & cantu simul excelleret & fidibus, hinc consortia continuata, Amorumq; simul illecebræ sumtus ab ipso exigebant haud exiguos. Interim fœminam amabat, peregrinam quidem parumq; honestam, sed formâ insignem admodùm, cujus retibus adeò illaqueabatur, ut regressum experiretur difficillimum: unde ad evitandos ulteriores prostibuli nexus, clam abiens, haud parvo temporis spatio patriam deserebat. Redux tamen in majus adhuc incidebat periculum, quod, mutato in vindictam amore, meretrix cum sorore cultris eum impeteret, jugulumq; ipsi vulneraret, majora etiam ausa, nisi gladio ab ipso fugata asylum tandem reperisset officinam pharmacopolii cujusdam. Quibus commotus matrimonium tandem inibat cum quadam cognatâ sua, cum quâ dehinc clanculum Amstelodamum discedens, securitati suæ prospiciebat: ubi adhuc degit, multoque ab omnibus ob insignem Artis suæ præstantiam morumq; honestatem, colitur honore.

Leodii interea non icones tantùm confecerat plurimas, sed inter alia Tabulam quandam ad S. Ursulam, de Pœnitentia S. Augustini, deq; illius Baptismo aliam, viventium magnitudine ambas, multâ arte notabiles.


Cum autem eodem tempore non tantùm ob gestum cum Anglis bellum, sed & ob pe-

stife-

PATH. MAT. KIRCHER,



GAL GALILILÆ, MAT.



IOH. HENRIC. ROOS. PICT.



THEODOR ROOS. PICT.



GERAD. LARESSE PICT.



BARTHOLOME KILIAN SCVLP.



B Kilian sculp:

ſtiferum contagii virus Artium favor nimium quantum tepeſceret, & ipſe Ultrajecti in tranſitu non morbo ſolùm corriperetur contagioſo, ſed uxoris quoq; impediretur puerperio, interea autem peregrinis hiſce in oris, nec linguæ commercio commodè uti poſſet, adeoq; haud parvâ premeretur neceſſitatis extremitate: Artis tamen, & DEI, mox iterum emergebat auxilio. Quàmprimum enim vires paululum recollegiſſet, pictam quandam à ſeſe tabulam loco illo exponebat publico, ubi picturæ venales conſpici ſolent. Quæ cum ab omnibus mirè probaretur, tertiâ mox abhinc die emtorem reperiebat Dominum Hooftium Amſtelodamenſem: quo commendante paulo poſt Amſtelodamum vocabatur, ubi adhuc continuatis Artis hujus occupatur exercitiis; cum opera ejus ab omnibus expetantur Magnatibus, & in ſpecie à Sereniſſimo Electore Brandenburgico, nec non Colonienſi; Principe item Auriaco, & omnibus Graphicophilis Batavis. In ſpecie autem tabula quædam illius de Heliodoro theſaurum templi Hieroſolymitani abrepturo multis argutiis referta, apud Dn. Petrum Honton Amſtelodami extat. Duas deindè pinxit de Cleopatra & Marco Antonio hiſtorias in Angliam transmiſſas. Item Ulyſſis & Calypſus fabulam, quæ apud Dn. Kerkringium aſſervatur. Extat & hiſtoria illius de Stratonica: nec non opus quadraginta pedes longum de triumpho Pauli Æmilii, quod apud Dn. Pancratium Conſulem conſpicitur, typis æneis vulgandum. Deinde viventium magnitudine multa pingebat, ſculpturis è marmore candido operis anaglyphici ſemipleni, quæ cum admiratione ſpectantium adhuc apud Dn. F. Deſlinium exiſtunt, cum pluribus tabulis aliis: quales & frater illius Dn. Gisbertus Deſlinius poſſidet. Præterea pro Sereniſſimo Principe Auriaco Sousdiki Oecum exornavit majorem, expicto toto fornice admirando ornamentorum genere. Sic Amſtelodami quoq; novum picturis Theatrum condecoravit. Adhuc alia illius tabula mortem Germanici exhibet, qui filius erat Tiberii, quam apud Dn. Chriſtophorum Swollanum Poſtarum Magiſtrum ſpectare licet.

Opera ejus alia.

Vita ejus civilis.

In vita civili comis eſt, Muſicesq; fautor, cui hebdomadatim unum tribuit diem: hybernas autem noctes inventionibus inſumit hiſtoricis, ære dehinc eroſo exhibendis, quo in genere elegantiſſimâ utitur methodo, quæ laude ſpeciali minimè indiget, cum ipſa per ſe opera in omni parte ſua perfectionem ſpirent, praxinq; ſimul & theoriam plenariam, præſertim quoad Antiquitatis peritiam, Architecturæ culturam, ſubdialium elegantiam, Scenographiæ ſymmetriam, ornamentorumq; plenitudinem præ ſe ferant.

Typi ipſius ænei argumentis prodiere variis: inter quæ Joſephus à fratribus agnitus in folio, Salomon unctus in folio. Timor Domini à Minerva ſeu Virtute contra invidiam defenſus, adjecto hoc Lemmate: *Una & Eadem.* Devotio neceſſitate promota, adjectis his verbis: *Ubi neceſſitas ſperanda Benignitas.* Endymion à Diana ad Lunæ lumen viſitatus. Immoderatum Dulce-Amarum. Liquor Bacchi. Silenus dormiens, cum Lemmate: Vinum cautis innocuum. Sapientia Unigentia Dei Maximi. Beata Tereſia. Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos. Venus Æneam ardente nunc Troja, è ſomno exſuſcitans. Batavia à Wilhelmo Principe Auriaco liberata. Hercules Harpyias, Hydramq; ex horto Batavo expellens; eâdem magnitudine omnes. Bacchanalia majori forma. Sophonisbe. Semiramis Leonum venationi inſiſtens. Argumentum iſtius dicti: Quem Mars nunquam, vicit Venus. Mars à Mercurio admonitus, ut Venerem caveat. Venus Æneæ, arma nova offerens. Quatuor anni tempora. Cum pluribus minoribus aliis ex Ovidio, Virgilio, aliisque adinventa.

Tanto igitur Artifici iconem propriam tabulâ noſtrâ 7. dicare præſumſimus, pro meritâ laudum illius immarceſcibilium coronide.

LVI. GALILÆUS GALILÆI.

LVI. GALILÆUS GALILÆUS.

GAlilæus Galilæus (*Jano Nicio Erithræo* teſte) *Florentiæ* nobili ac vetere proſapia, clariſſimum ſolis jubar adiit, atq; umbris ſimiles in eo maculas deprehendit; latos in Luna campos & colles & valles inſpexit; novas etiam in æthereis ſiderum orbibus *ſtellas* invenit; quas *Mediceas*, ex Principum ſuorum cognomine, appellavit. Cum olim *Patavio*, ubi octingentorum aureorum ſtipendio mathematicas diſciplinas juventuti tradebat, veniſſet *Venetias*, admonitus eſt à quodam patricii ordinis viro, in Germania inventum eſſe oculare, quod res quantumvis remotiſſimas ea, qu. eſſent magnitudine, aſpicienti ſubjiceret, ille, ſimul ac domum ſe recepit, fiſtulæ plumbeæ, ex organo detractæ, vitreos varii generis orbes ad certum intervallum accommodavit; unde eventum ſibi ex ſententia proceſſiſſe cognoſcẽs, ejus ocularis periculum in turri campanaria S. Marci fecit. Hinc notum erat omnibus, ocularis à ſe inventi ope, novas in cœlo ſtellas orbesq; omnibus antè ſeculis, obſtructas ac reconditas, eſſe detectas; quare & elegantiſſimus ille *Nuncii Siderei* titulo inſcriptus ab eo liber exierat. Hac fama compulſus Magnus Etruriæ Dux accerſivit eum *Piſas*; ut mathematicarum artium Doctoris nomine, centenos ſingulis menſibus nummos

argenteos magnos, quos laminas vocant, acciperet; alterum verò artis suæ vicarium sibi substitueret: Quapropter nullius rei egens, complures pertinentes ad Mathematicam libros composuit; & in his *Dialogum de Systemate mundi*, in quo præclaram suam de terræ, circa cœli orbes, nullo agitatos motu, conversione sententiam aperuit; quamvis postea Romam evocatus, à Quæsitoribus fidei palinodiam canere coactus sit. Quatuor fermè & octuaginta complevit annos, quorum postremos, luminibus orbatus, in tenebris vixit: Obiit in villa agri Florentini, cujus fines ne excederet, Quæsitorum fidei sententia cautum fuit. *Part. I. Pinacothecæ imaginum illustrium, num. CLIII.* Magni igitur Viri illius memoria me admonet, quàm familiariter ac benignè hoc ipso, Romæ, cum Inquisitionis negotio inibi vacaret, usus sim, in *Palatio Mediceo*; quod omnis antiquitatis verum armamentarium, & rarissimarum rerum singulare theatrum tunc erat: Hîc enim *Opticæ* simul ac *Geometriæ* studiis summoperè oblectatus, ab illustri doctore ac magistro ea didici, quæ universus orbis splendidè mecum ignorabat; Quid multa? per tubum, in cubiculo suo ad Lunam haud difficulter directum, montes & valles, & sylvas, & regiones, & lucem & umbram, & omnia ad oculum ostendit. Hic mihi habitus ab Eo honor, ut imaginem Ipsius debitis vicissim honoribus colerem, stimulator & concitator fuit.

LVII. JOHANNES HEINRICUS ROOSIUS,

LVII. JOHANNES HEINRICUS ROSS.

Otterbergi in Palatinatu inferiore natus est anno 1631. ipso Michaëlis festo, Patre Tectoriæ Artis opifice; undeob tumultus bellicos fugatis parentibus & post triennie in Urbe Cliviæ, cui Vesalia inferior nomen est, exilium anno 1640. Amstelodamum delatis, ad Pictoriam hic tandem anno 1647. applicitus est, sub informatione Juliani du Gardeyn pictore historiarū satis claro: à quo transactis tyrocinii annis ad Cornelium de Bey pictorem subdialium judiciosissimum concessit, ubi in picturis campestribus adeò profecit, ut nunc, ceu Rosa in Viridario Artis nostræ multo cum splendore floreat, picturæq; ejus in pinacothecis Cæsareis, Regiis, Ducalibus, aliorumq; Graphicophilorum magni æstimentur. (Opera ejus.) Varia enim subdialibus suis inferere solet animalia, quasi vivida, ut integras quandoq; Boum, ovium, Equorum, Caprarumq; greges, utroq; sexu notabiles uno in campo exhibeat, quem tuguriis simul ruralibus, Ruinis, arboribus, montibus, cataractis, nec non pro re nata figuris quoque humanis tam argutè exornat, ut incomparabilem dicere queas: cujus egregium nuper adhuc edidit exemplum in magnâ quâdam tabulâ, Domino Johanni Frageneau nostrati Graphicophilo maximo transmissâ, in qua omnes argutiarum subdialium characteres cum admiratione cumulatæ spectantur.

Adde quod & iconibus clareat, & Effigiem Electoris Moguntini defuncti viventis magnitudine ad genua usque cum laude confecerit, pro quo labore, ultra præmium torque etiam donatus est aureo, numismate mnemonico insignito: qualia munera ab aliis quoq; Principibus aliquoties accepit. Subdialia tamen primarium ipsius sunt talentum; quæ etiam Francofurto ad Mœnum, ubi nunc larem habet, frequenter in Angliam, Galliam, atq; Italiam transferuntur: ut Effigies ejus inter alios artifices nostros Tabulâ operis nostri 7. locum meritò invenerit.

LIII. THEODORUS ROOSIUS,

LVIII. THEODORUS ROSE.

Præmemorato fratre septennio minor natusq; Vesaliæ, quæ inferior dicitur, anno 1638. mense Septembri, à teneris quasi, sua sponte ad Diagraphicen tractus est, unde anno ætatis duodecimo in informationem traditus est Cornelio de Bey, qui eundem, quod delineandi exercitia jam satis tractasset, tertio statim mense ad colores admisit, quos tanto etiam fervore tractavit, ut absoluto altero tyrocinii anno cum parentibus anno 1653. in patriam remeare potuerit. Ubi cum manuducente fratre ad ulteriora progressus esset, Moguntiæ primum in societate fratris pro cœnobio quodam nonnulla elaboravit: (Opera ejus.) deinde à Serenissimo Principe Ernesto Landgravio Hassiæ vocati Rheinfelsiæ, per triennium substiterunt, exercitiis pictoriis magis semper magisq; invigilantes, vitâq; aulica à proposito suo minimè abstracti. Cum autem an. 1657. frater natu major in urbe Sancti Goari matrimonium iniisset, hic noster sequenti anno Manheimium abiit, ubi Tribunos civicos trium cohortum pedestrium egregiâ inventione in tabula exhibuit, quæ ibidem in Curia adhuc spectatur. Istoq; labore tantoperè delectatus est Serenissimus Elector Palatinus, ut viginti Imperialibus pictorem donaret: hoc munere usq; adeò excitatum, ut sepositis omnibus juvenilis ætatis vanitatibus, artem suam summa cum laude excoleret, & in iconicis potissimum ad fastigium properaret. Argentoratum igitur concedens, ubi adhuc habitat, Academiam instituit Diagraphicam, cujus beneficio docendo semper factus perfectior, per vicinas statim innotuit Aulas, Veldentianâ scilicet, Birckenfeldiana, Badensi, Hanovianâ, Leiningensi, Nassovica &c. ubi absolutis feliciter picturis iconicis variis, ultra præ-

mia

mia ordinaria, muneribus quoq; plerumq; donatus est singularibus. Quo successu etiam Principissæ Electoralis Palatinæ elaboravit effigiem, cum Duci nuberet Aurelianensi, muneratusq́; similiter fuit Effigie Electorali aurea. Nuper autem cum per septem menses in Aula Wirtenbergica Stutgardiana octo pinxisset icones viventium quantitate, præter mercedem & munera specialia, tituloquoq; honoratus est Pictoris Wirtenbergici Aulici. Cumq́; & durante bello nupero Gallico â variis Præfectis militaribus utriusq; Exercitus ad pingendas passim Effigies evocatus esset, hinc factâ nuper Argentoratensium deditione, ingressisq́; in Urbem Gallis, præ cœteris civibus immunitate confestim donatus est tam hospitiorum, quàm aliorum onerum. Revera enim, quamvis ipse sit modestissimus, laudes ejus paucis absolvi haud possunt lineis; cum non tantùm in diagraphicis fundamento nitatur solido, sed & colores adhibeat omninò naturales vereq́; stabiles, gratiâq́; polleat singulari, & similitudine ad ipsam accedat vitam. Unde effigiem ejus tabulæ nostræ 7. inserere nulli dubitavimus.

LIX. ATHANASIUS KIRCHERUS,

LIX. ATHANASIUS KIRCHERUS.

Athanasius Kircher S. J. natione Germanus, patria *Fuldensis*, Philosophiæ Moralis, Matheseos, Linguarum Hebrææ & Syræ in Academia *Herbipolensi* Professor; inde per tempestatem à Suecis concitatam ejectus, in Galliam concessit, & *Avenione* easdem facultates explicuit. Deinde totus *Romæ* in communem utilitatem intentus, in Ægyptiacam, & cœteras Orientales linguas, in lucem proferendas incubuit. Erat, ut ipse de se scribit, *vera artium & scientiarum simia;* & nunc geometram egit, modò geographum, jam mechanicum & nautam, sæpe magum & astronomum, subindè philosophum & medicum, imò theologum. Edidit *Artem Magnesiam, Horologiam novam specularem, Prodronum Coptum sive Ægyptiacum, Thesaurum linguæ Coptæ, Speculam Melitensem Encyclicam, Oedipum Ægyptiacum, Opus de Combinatoria arte, Obeliscum Pamphylium, Oedipum, Mundum Subterraneum, Chinam, Musurgiam, Archetypon Principis Christiani;* & plura alia, quæ recenset *Phil. Alegambe in Bibliotheca Scriptorum S. J. fol. 48. & 49.* Fatis concessit anno 1680. sub finem Novembris. Multæ industriæ & magni laboris vir ille tantum evigilavit in studio mathematico, ut maximo ingenio (quod in Illo summum erat) gratia omninò habenda videatur. Hoc, inquam duce, *thermas Diocletiani*, face prævia, sed adverso lemurum spiritu extincta, tandem ingressus sum; ut ex ipsis ruderibus prisca regiæ hujus architecturæ fundamina diligenter inspicerem, & animo partes omnes perlustrarem. Quapropter Illius effigiem simulacrumque Tab. 7. servare, grato ac familiari homine haud indignum fore existimavi.

LX. SUSANNA SANDRARTIA, Norinbergensis,

LX. SUSANNA de SANDRART.

Virgo viginti annorum Jacobi Sandrarti filia, Norinbergæ, quæ bonarum Artium meritò Mater dicitur, nata, non ad alias solum educata est virtutes tam civiles quàm œconomicas, sed & in diagraphicis usq; adeò exercitata; ut Chalcographiam rosoriam felicissimè excolat, partim subdialia, partim ædificia, & ornamenta similia, partim etiam historias elegantissimè & promtissimè expediens. Ne autem ob consanguinitatis vinculum assentandi me arguat suspicio, Lectorem ad ipsa illius remitto opuscula, qualia sunt, Figuræ Veteris & Novi Testamenti; Fontana quædam Romana; Libellus de Zophoris & Trabeationibus modernis; Libellus de Ornamentis Romanis; Sex opera hydraulica in hortis quibusdam Cryptisq́; Italicis prosilientia; Libellus de Vasis antiquorum, eorumque ornamentis; Libellus de Vasis modernis & ornamentis eorundem; Libellus de Gyris foliorum, encarpisq́; & similibus elevatis, planis atq́; arcuatis: & in specie typi duo ænei, operi huic nostro inserti, de Nova nupta in thalamo geniali juxta ritum antiquorum Romanorum exhibita: quæ omnia quid ingenii hîc lateat, abundantissimè testabuntur.

LXI. & LXII. JOHANNES ZACHARIAS & GODOFREDUS KNELLERI Fratres,

LXI. & LXII. JOHANNES ZACHARIAS & GODOFREDUS KNELLERI.

Lubecæ nati post absoluta in arte pictoriâ tyrocinia Bataviã primò, deinde Italiam, visitarunt, ubi Godofredus picturas historicas viventium mole exhibendas amplexus, icones simul excolebat, in quibus tam quoad veritatem, quàm quoad colorum gratiam mira præstabat: quo in genere etiam exempla quædam in transitu Norinbergæ reliquit laudatissima. In patriam igitur regressus, Hamburgi primùm magnâ quadam in tabulâ Icones Domini Jacobi de le Boë, uxorisq́; ejus & liberorum omnium expingebat, quo opere famam assecutus est maximam: quod hic non ipse tantùm Graphicophilus esset insignis, sed & hæreditate fratris sui Sylvii Medicinæ Doctoris & Professoris in Academia Lugdunensi celeberrimi, Technophili pariter prudentissimi, magnâ ditior factus esset picturarum rarissimarum copiâ, quarum aliquæ ab incomparabili Gerardo Dau, quin & Miresio elaboratæ vix palmum exæquantes sex-

centis, octingentis, imò mille coëmtæ erant florenis.

Tandem in Angliam hi fratres profecti, Icones tam Regis quàm Reginæ, totiusq; familiæ Regiæ elaborabant, & summa quidem cum laude. Alter enim fratrum Zacharias in Architectura, subdialibusq; & immotis ad consummatam properat perfectionem. Cumq; uterq; civilitate morum singulari polleat, Magnates plurimi & Graphicophili innumeri conspectis illorum operibus Effigies suas ab illis confieri desiderant. Inter quas nuper ad me delata fuit Effigies Serenissimi Principis & Marchionis Brandenburgici Onolzbacensis Londini viventis magnitudine picta, quæ egregiè & cum omni boni Artificis qualitate expolita erat. Unde & his locum inter Artifices laudatissimos in tabulâ nostrâ 8. tribuere volui.

LXIII. NICOLAUS REGNIERIUS MABUSÆUS.

LXIII. NICOLAUS REGNIERIUS MABUSÆUS

FActo apud Abrahamum Jansonium initio Antverpiæ artem pictoriam didicit. Positis autem fundamentis in Italiam sese contulit, ibidemq; primò methodum Sectatus est Bartholomæi Manfredi, cumque exinde Romæ laudes sibi acquisiverit non contemnendas, famosissimus ille Virtutis amator Marchio Vincentius Justiniani pro Domestico recepit, ubi imagines dimidiatas, cum variis iocantium conventiculis, ut & Historias sacras & profanas, juxta viva exemplaria elaboravit. Venetiis tandem Larem fixit, ubi in picturis Iconicis excellens animam efflavit. Vir fuit magnæ civilitatis & integritatis vitæ, qui inter alia memorabilia Venetiis in templo Tolentinorum Sancti Caetani, & in templo S. Lucæ, S. Ludovici Galliarum Regis, nec non S. Margarithæ & S. Ceciliæ effigies, cum aliis hinc inde laudatissimis operibus reliquit.

LXIV. DAVID LOGGAN Londinensis, Chalcographus,

LXIV. DAVID LOGGAN Londinēsis.

PAtriâ Gedanensis, patrem Scoto-Britannum habuit; *Gedani* celeberrimo artis scalptoriæ magistro, *Wilh. Hundio* per integrum quadriennium feliciter usus est: Hoc ipso vita excedente iter ad *Amstelodamum* direxit, ut studium suum perpoliret atq; conficeret; ab haud inglorio artifice *Crispino de Pas* tam diu eruditus, donec itinerum suorum ratione habita, (cum anni septem interfluxissent) sese in regnum *Angliæ* trajiceret; iter in *Galliam* simul ac *Italiam* facere instituens. Sed ita Dei fatum ordinavit, ut *Londini* statio sua tunc placeret, & primitùs Cromwelli Protectoris imagine in summam statim gloriam veniret. Postquam verò annus pestilens erat urbi, in agros evasit; dein *Oxonium* concessit, suisq; sumtibus cuncta inibi Musarum palatia æri incidit; ab Illustri hac Academia, omnium artium matre, & scientiarum Regina, honorarium quotannis stipendium accepit, Londinumq; repetiit; quanquā Chalcographus Academiæ ejusdē ordinarius, cujus laudes opus quoddam ebuccinat, quod ab ipso *Oxonia illustrata* vocatur, quadraginta quatuor plagulis editum, typisq; æneis præfigurans Topographiam duplicem totius tractus atque Urbis, unà cum istius ichnographiâ; deinde Frontispicium Academiæ propriè dictæ, cum omnibus illius Auditoriis: porrò Bibliothecam publicam; Theatrum novum Sheltonianum (ob conventus Academicos & Typographiam incomparabilem celebratissimum:) vestitum Academicum; Templum Urbanum ad D. Virginem; Hortum Medicum; Collegium Universitatis commune; nec non Collegia sequentia, Balliolense; Mertonense; Exoniense; Orielense; Reginense; Novum; B. Mariæ de Winton; Lincolniense; Omnium Animarum; B. Mariæ Magdalenæ; Ænei Nasi; Corporis Christi; Ædis Christi; SS. Trinitatis; Johannis Baptistæ; Jesu; Wadhamense; Pembrodianum; S. Albani. Porro & Aulas quasdam paulo minores, ut sunt Cervina; S. Edmundi; B. Mariæ Virginis; B. Mariæ Magdalenæ & Glocestrensis, unà cum Hospitio novo. In quibus omnibus non symmetria tantùm cum omnibus solidioris Architecturæ regulis; sed elegantia quoq; sculpturæ tam rara elucescit, ut simile quid oculis usurpasse vix meminerim. Quod amussitatum ac consummatissimum opus cum Magnæ Britanniæ Regi, Domino suo Clementissimo, nuncupasset, magnam quoq; gratiam, majorem tamen animum induit; ut Regiæ etiam Academiæ (sic enim *Cantabrigiensis* jure ac merito suo vocatur) Collegia & Aulas cælo suo in ære efficeret: Tres partes illius absolutæ jam sunt, quibus summam manum mox adjiciet. Denique illustrium, familiariumq; Virorum capita & summa pectoris, velut alter Apelles, politissima arte perficit; nec colorum varietate, sed cerussæ (quam falsum plumbum appellant vulgò) simplicitate humanas species celerrimè effingit: Unicum illud documentum, quod novissimè Urbi Norinbergæ dedit, artis hujus cultores, admiratione obstupefacti, more adorantium, omnes venerantur!

LXV. JANUS LUTMA Amstelodamensis,

ARgyropœus fuit artificiosissimus, Pauli Vianensis discipulus, in anaglyphicis semiplenis argenteis admirabilis, qui anno ætatis 85. obiit. Ejusdem autem filius etiam vocabatur — LXV. JANUS LUTMA Pater.

BARTH. MO RILLIVS. PIC.



SVSANNA DE SANDRART



IOH. ZACH. KNELLER. PIC.



GERARD. KNELLER. PIC.



IACOBVS. DE. NIES. PICT.



GABRIEL GRVPELLO. STAT.



R Collin

LXVI. JANUS LUTMA,

LXVI. JANUS LUTMA

Qui non tantùm paternam artem examussim excoluerat, sed novum genus Chalcographicum adinvenit, quod opus mallei vocavit. Quemadmodum enim Chalcographia cælo acuto sulcos è cupro eruit; sic isto in genere laminæ æneæ imponitur cestrum, quod malleolo pecutitur, typumq; æri imprimit, qui in charta non aliter apparet, quàm sculptura ordinaria, sed multò mitior atq; gratior. Istoq; genere hic noster viventis quasi magnitudine exhibuit Effigiem Oratoris illius celeberrimi P. C. Hoofdii Amstelodamensis, cum hac subscriptione: ALTER TACITUS. OPUS MALLEI PER JANUM LUTMA. Eodemq; modo etiam elaboravit Effigiem Clarissimi J. VONDELII, adjectis Apollinis lyrâ, cygnoq; cantante, & hoc lemmate: OLOR BATAVUS. Tertiò Patris sui quoq; iconem sic edidit cum nomine: JANUS LUTMA. Et tandem Effigiem similiter propriam, cum hac inscriptione: JANUS LUTMA BATAVUS, *per se, opere mallei. 1681.* Quæ omnia tantum præ se ferunt ingenii acumen, manusq; promtitudinem, ut vix sufficiat, si Antecessores præcellere dicatur omnes.

LXVII. JACOBUS DENYSIUS.

LXVII. JACOBUS DENYS.

Natus est Antverpiæ an. 1645. Discipulusque fuit celeberrimi illius Erasmi Quellini. Post tyrocinia sua instituto in Italiam itinere miros inibi faciebat progressus, ut reverà in arte sua præ multis excelleret. Venetiis apographa plurimarum faciebat tabularum Pauli Veronensis, Tintoreti, Titiani & aliorum: progressusque Romam per integrum triennium non diagraphices saltem exercitia juxta Statuas antiquas continuabat, sed & Raphaëlis opera longè inter modernos celeberrima in apographa reducebat, multâq; imitabatur industria.

Dehinc Neapoli quoq; aliquandiu degebat, Romamq; primò reversus, mox Boniam petebat, ubi iterum pulcherrima Guidonis Rheni transsumebat opera, nec non Caracii & Dominichini: prout & Parmæ Corregianas, & Mantuæ Julii Romani tabulas in usum suum transferebat; ubi & ad ministeria Serenissimæ Archiducissæ Mantuanæ pictoria admittebatur, missusque ab hac ad Magnum Florentiæ Ducem, icones conficiebat totius illius Serenissimæ familiæ egregias, muneratus propterea numismate Ducali & torque aureo cum Effigie.

Opera ejus.

Mantuam porrò redux plurimas pingebat historias pro diversis illius Palatii Conclavibus, nec non icones & tabulas altarium haud paucas. Transactis autem quatuordecim in Italia annis, impetrataque tandem à Serenissima Patronâ in patriam redeundi venia cum testimonialibus, salvoq; conductu, Antverpiam deniq; feliciter redibat: ubi iconibus mox tantoperè inclarescebat, ut & Effigiem Ducis Parmensis cum laude conficeret, & ab hoc Bruxellas invitaretur, ad elaboranda ibidem in Aula Brabantina opera varia, in quibus etiam tanta usus est felicitate, ut gloriam sibi compararet inter omnes hujus seculi Graphicophilos maximam. Iconem ejus Tab. 8. repræsentat.

LXVIII. GABRIEL GRUPELLO.

De prosapia quadam Italica Bruxellis natus est, & ad statuariam applicitus Præceptore usus est celeberrimo illo Sculptore Antverpiensi Arto Quellino: è cujus Schola dimissus, & quidem cum singulari perfectione, Parisios abiit, ubi ad opera magni nominis variè adhibebatur, donec tandem Bruxellis sedem sibi eligeret. Hìc artem jam exercet sculptoriam successu admirando, approbantibus opera ejus ad stuporem usq; omnibus spectantibus. Inter hæc præ cœteris magnam meretur laudem statua quædam lapidea, Fidei symbolum præ se ferens, cujus venustate omnes quasi in admirationem rapiuntur. Sic pro Domo Piscatorum statuam quoq; sculpsit Neptuni, ut & Thetydis; cum curiosis quibusdam aliis; quæ omnia tam sunt consummata, ut opera ejus specimina perfectionis dici soleant. Sic maxima pars templorum pulcherrimis illius nitet sculpturis, statuis, effigiebus, & monumentis sepulchralibus magnificentissimis, è quibus omnibus insignis elucet artis ejus excellentia. Imò tanta est illius peritia, ut unicè quasi nunc requiratur solus, unde tam ampla nomini ejus exsurgit celebritas, ut perennantes illius laudes cum admiratione propagatura sit omnis posteritas. Iconem ejus tabula nostra 8. exprimit.

LXVIII. GABRIEL GRUPELLO.

LXIX. MICHAEL WILLMANNUS Pictor Libusiensis,

Cujus laudes, antequam finem huic operi imponam, fortunâ favente, adhuc subnectere licuit, natus est an. 1630. in Electorali Prusfiæ Metropoli Regiomontanâ. Patre Petro Willmanno, pictore haud ex infimis. Dumq; naturali quâdam ad Picturam ferretur inclinatione, à primis statim adolescentiæ annis colore tam oleario quàm aquario promtissimi edidit ingenii sui specimina, ita ut anno ætatis suæ vigesimo omnes ferè patriæ Artifices longo post se relinqueret intervallo. Cumq; ad acquirendam majorem in Arte peritiam in Hollandiam, & potissimum Amstelodamum

LXIX. MICHAEL WILLMANNUS Pictor Libusiensis.

Itinera ejus.

se reciperet, insignia ibidem fervoris sui incrementa persensit non visitatis tantùm illius loci Artificibus; sed & perlustratis operibus in eâdem Urbe celeberrimis variis. Sic enim repletum est Admirandum hoc Europæ Emporium omnigena artificiosissimarum Tabularum varietate, ut omnes quasi illius incolæ amore Artis nostræ flagrent, & quilibet Graphicophili nomine superbire gestiat; quod nnumera quasi opera rarissima in pinacothecis hinc inde extantia satis superq; testantur.

Quamvis autem informationi Celeberrimi cujusdam Artificis sese committere minimè detrectasset; didactri tamen excessu deterritus, mediorumq; penuria impeditus, id quod in Præceptorem expendere cogeretur, in prototypa impendere statuit: Cumq; in Diagraphice jam esset versatissimus, hinc propositis sibi Jacobi Backeri, ut & Rembrandi aliorumq; methodis, privato labore, continuatisq; noctu & interdiu exercitiis feverioribus, victum sibi parare cogebatur, ut Italiam petere hâc ratione minimè posset. Nec enim Regionem parere Artificem dicebat, nec loca vel itinera longinqua; sed ingenium ipsum atq; naturam hominis, â Deo sibi concessam ad Artis propellere culmina, legesq; dictare quibusvis optimas. In Polonia tamen & Germania quicquid celebriorum operum extabat, visitare minimè negligebat, & in specie in Pinacophylacio Cæsareo Pragensi mirum in modum proficiebat: donec peractis integro decennio peregrinationibus hisce citerioribus, Libusii tandem, qui locus est Silesiæ amœnissimus, firmum poneret pedem, ibidemq; per opera sua multâ arte insignia, sedulitatemq; semper ad meliora progressam, famam nominis sui longè lateq; disseminaret.

Libusii pedem figit.

In specie autem pro Serenissimo Electore Brandenburgico magnum quoddam elaborabat Opus de Vulcano cum Cyclopibus suis arma Marti, & clypeum lanceamque Minervæ fabricante, fugientibus interea quàm lepidissimè scintillarum structuras, ustrinæq; fœtorem Venere atq; Cupidine: quod opus tam gratum fuit Serenissimo Electori, Artis hujus Patrono optimo maximo, ut ad varia alia rariora Artificem hunc adhiberet, multis propterea cumulatum muneribus; prout & ab aliis sollicitè conquirebantur labores ejus: cùm & inventione polleat, tanquam historiarum & Poëmatum lectioni deditissimus, & penicillo sit promtissimus, vitamq; & naturalem rerum colorem quàm proximè imitetur, multoq; vigore lumina exprimat, & universali quodam pingendi studio præmineat.

Opera ejus.

Vratislaviæ in conclavi Senatorio duæ visuntur tabulæ ejus majores, judicium nempè Salomonæum, & judicium Cambysis. In templo S. Vincentii Ordinis Præmonstratensium omnia fermè Altaria ab ipso expicta sunt. In Templo illius Urbis Elisabethano, imago S. Elisabethæ, & Cœna Dominica ejusdem manu similiter elaboratæ sunt. In alio quodam templo Salvator noster crucem gestans; Imago S. Apolloniæ, & S. Michaëlis, opera ejus quoq; sunt: imò in omnibus ferè monasteriis, templis & Palatiis specimina Artis ejus extant insignia admodùm. Sic in specie pro Illustrissimo Comite Nostitio Cancellario Regni Bohemiæ Arcam Noæ pictura exhibuit argutissimâ. In Cœnobio Ducali Libusiano, cujus Præsul omnium bonarum Artium meritò vocatur promotor, innumera quasi extant illius opera, & inter alia singulari cura elaborati sex Dies Creationis.

Præterea pro ornamentis Altarium Architectonicis singulari inventione opera lignea dentis beneficio tam eleganter expolire solet, ut marmor exactissimè imitetur, tam nigrum, quàm fuscum, aliove colore nitens, fuisq; venis variegatum dexterrimè.

Marmor imitatur.

Pro majori gloriæ suæ incremento Artifex iste privignum suum Johannem Christophorum Liccam tam sedulò in eâdem arte instruxit, ut post sexennium peregrinationis suæ ex Italiâ nunc eundem revocaverit, magnoq; progressu ad majora applicet. Sic & filiam suam Annam Elisabetham Willmanniam, virginem vario virtutum flore decoram, in tenera adhuc ætate sua ad penicillum assuefecit, ut mira jam edat specimina: adeoq; magna jam illis in locis ef florescat futurorum progressuum spes. Unde pro debito laudum ejus cumulo Iconem quoq; ipsius tabula nostrâ 9. exprimere voluimus.

Privignus nec non Filia ejus in eadem arte florere ncipiunt.

LXX. LEONHARDUS HECKENAVER;

LXX. LEONHARDUS HECKENAUER. Pater & Filius.

Aurifaber est Augustanus, multâ celebritate insignis, gloriamq; Patriæ suæ tot artibus claræ mirâ cumulans industria: ita ut apud omnes ferè Magnates atq; Principes specimina quædam Artis ejus rariora reperiantur.


Hujus filius, Leonhardi quoq; nomen habens, cum à teneris statim ungviculis ad diagraphicen ferretur, inq; Academia, â me tum temporis in gratiam studiosæ juventutis ibidem erectâ, inter primos atque optimos numeraretur, ad Chalcographiam sub Bartholomæo Kiliano sese applicuit; ubi tantoperè profecit, ut Italiam atq; regiones alias miro progressu visitaret. Finitâ autem peregrinatione sua in patriam redux connubio ibidem sese firmavit honestissimo, operibusq; exhinc inclaruit optimis atq; plurimis. Inter quæ præ cœteris

Fili⁹ Chalcographus est.

Opera ejus.

emi

OLVS PATIN MED D PROF. GABR. CAR. PATIN







TIBERIO TINEL LI PICT: VEN. CAROLVS MARAT TVS PICT. ROMA





SEBASTIANVS POM BELLI PICT. VEN. MICHAEL WILMAN PICT. CONINGSB.





Leonhard Heckenauer sculp. Aug.

eminet Effigies Electoris Trevirensis, viventis ferè magnitudine sculpta, opus variis genuinæ Artis Characteribus ditissimum. Sic pro Volumine etiam nostro de Sculptura veteri admiranda, idem elaboravit Gladiatorem Currentem; nec non Venerem Victricem, & Commodum Imperatorem: item tabulam Iconum 9. in quâ sex effigies, interq; illas Horneri occurrunt: quæ omnia laudibus artificis nostri insigne tribuunt incrementum.

LXXI. FERDINANDUS NEVBERGERUS.

LXXI. FERDINANDUS NEVBERGERUS.

DAnielis Neubergeri frater; in præcedentibus cùm hujus vitam descripsimus, à nobis jam commemorandus fuit: quod cum tum temporis casu neglectum sit, jamjam sub finem operis supplendum censuimus. Non minori enim peritiâ hic clarus fuit, quàm prædictus frater ejus in Plasticâ cerariâ excelluit: præsertim si artem colorandi ceras spectemus, duritiemque iis conciliandi, quas deinde in effingendis imaginibus atq; historiis tantâ tractare potuit dexteritate, ut marmor candidum, Achaten, Onychem, Sardonychem, Jaspidem, Lapidem Lazuli, Rubinum; quin & chalybem, ferrumq; nec non aurum vel argentum exactè referrent. Præterea Historias biblicas minores argutissimè concinnare solebat, ut anaglypha semiplena vel extantiora, vel planè rotunda exhiberent, figuris plerumq; copiosis admodum refertæ. Sic & Fabulas poëticas, & historias profanas, & Metamorphoses Ovidianas & similia rariora tanto elaboravit numero, ut multæ hîc non sufficiant centuriæ. In specie autem pro Serenissimo Principe ac Domino Dn. Johanne Friderico Marchione Brandenburgico de familia Onolzbacensi opuscula effinxit plurima artificiosissima, ita ut in Technothecâ istius Principis, ceu promotoris omnium liberalium Artium gloriosissimi, rarissimi hujus artificis labores asservati reperiantur: cum non tantum Onolzbaci per multos annos pro isto Principe ceras tractaverit, sed & ultimum ibidem clauserit diem; Cumq; præter insignem suam in arte Plasticâ perfectionem, vitam pariter egerit honestissimam; hinc vidua quoq; ejus, cum liberis, & duobus inprimis filiis illius Godofredo & Christophoro, virtutum artiumque paternarum æmulis, Ducali ibidem adhuc fruuntur gratia.

Ceras colorare durasq; reddere feliciter potuit.

Opera ejus.

Liberi ejus.

LXXII. GULIELMUS FAITHORNIUS Londinensis,

LXXII. GULIELMUS FAITHORNE Chalcographus.

CHalcographorum Londinensium famigeratissimorum haud postremus, cùm laude hîc quoq; nominandus est, non ob cæli tantùm gratiam, sed & ob ingenii dotes insignes. Dolendum tamen, quod ultra nomen famamq; vix nobis, quod de illo scribamus, suppetat, cum difficillimè obtineantur illius opera, quamvis haud leviter â nobis expetita. Unde hæc paucula de illo tetigisse sufficiat.

LXXIII. LUCAS JORDANUS Neapolitanus,

NOstris temporibus, ut diximus, degit vitam in inclyta Penelope, Josephus Riverius, Nobilis Hispanus in pingendis juxta naturam Historiis peritissimus. Hic habuit Discipulum Lucam Jordanum Neapolitanum, quippè qui hujus Methodum tam artificiosè sequutus est, ut & Excellentissimi, ejus pro Riverii operibus agnoverint quàm sæpissimè. Ex Inventionibus propriis, non Copiis, Imitator aliorum etiam fuit strenuus, de cujus industria & assiduitate haud facilè reperietur par exemplum. Spiritus ejus, ut breviter dicamus, innotescit è Tabula magna, quæ vocatur absumtio Christi de Cruce, cum multis aliis apud Nobilissimum Dn. Fontanam à Canal grande Venetiis, Artis Cultorem maximum, visu dignissima. Confecit etiam in Templo salutis ibidem opus, præsentans in Altaris Tabula Matris Christi nativitatem, cum S. Anna Sanctoq; Joachimo, & aliis circumstantibus, artificiosissimum; ubi non minus in altera Artis tabula, Beatissimæ Matris Dei ascensio ad Cœlum, adstantibus Apostolis, optimè elaborata videtur.

LXXIII. LUCAS JORDANUS Neapolitanus.

LXXIV. CAROLUS MARATTUS Romanus Pictor.

INter modernos Academiæ Romanæ Cultores, jure meritoq; adscribendus est Carolus Marattus, Andreæ Sacchi Discipulus, cujus nobile ingenium & experientia magna, in picturis Historicis, oleo, aquave, in fresco, ut vocant, elucescit. De quibus & Romæ, & Venetiis, & alibi pulcherrima reperienda sunt exempla, inter quæ laudem meretur non ultimam Tabula Altaris in Templo Minervæ Romæ, de B. Virgine in gloria, cum quinque Sanctis à Clemente X. canonizatis An. M.D.C.LXXI. ubi Dei Matrem in gloria Cœli, associatam multis Angelis Sanctisq;, inprimis verò prædictis quinq; novis sanctis, laudabiliter elaboravit. Ejusdemq; ingeniositatis Tabulam videbis in Templo S. Crucis Hierosolymitanæ Romæ, præsentantem in Altari secundo S. Bernhardum, ut & in Templo S. Isidori varia opera; In Templo S. Josephi, S. Therestæ effigiem, inq; Capella del Monsignor Benigni alla Pace Visitationem S. Elisabethæ cum multis figuris aliisq; requisi-

LXXIV. CAROLUS MARATTUS Romanus Pictor.

quisitis circumstantiis. Methodus ejus est spiritosa, bonæ inventionis & vagæ, ornata cum gratia & coloribus pulcherrimis, insuper in rotunditate & naturali rerũ elevatione insignis, utpote Dona in hujuscemodi subjecto laude & commendatione dignissima. Effigiem autem ipsius tabula nonâ expressimus.

LXXV. TIBERIUS TINELLIUS, Pictor & Eques,

LXXV. TIBERIUS TINELLI Pictor & Eques.

VEnetiis natus anno 1586. Patre Johanne Baptista Tinelli textore panni holoserici, honestaq; educatione enutritus; ad Diagraphicen primò applicabatur: ubi à primis statim initiis magni edebat ingenii signa, quæ communiter augurium esse solent subsecuturæ perfectionis. Præceptore autem primitus utebatur Johanne Contarino, qui haud ita pridem è Germania reversus & ab Imperatore in ordinem Equestrem elevatus erat; inq; arte nostra picturis potissimum Iconicis excellebat. Deinde autem Bassani insistebat methodo, quam tanta similitudine exprimebat, ut multi picturas ejus pro Bassanianis haberent.

Opera ejus.

Dehinc etiam historiarum pingendarum amplectebatur studium, in quibus delineationes suas magnâ curâ elaborabat. Prima autem opera ejus sequentia erant: Paradisus multis figuris expictus: Cœna Domini nostri cum Discipulis: Salutatio Angelica, & similia alia.

Conjugiũ ejus.

Inescatus autem blandissimis Amoris illecebris Paradisiacam sibi imaginabatur vitam, si voti sui compos fieret: unde & connubio sibi jungebat virginem quandam formosam. Ast Zelotypiæ mox incendio exustus, nec non in acerrima cum socero & affinibus prolapsus dissidia, nil nisi adversitates in hoc statu reperiebat, turbasq; atq; tædia, ut & studiorum suorum & ingenii culturam quasi omninò negligeret. Præsertim cum ad Patrem regressa uxorcula ejus, negotia ipsi facesseret continua, donec tandem divortio iterum separarentur. Ubi ipse ad Matrem suam sese conferebat, majori in posterum tranquillitate professioni suæ vacans, majorique diligentia. Inprimis autem Iconibus pingendis plurimum tribuebat, in quibus magnâ pollebat peritiâ, ad consummatam usq; perfectionem progressus: cum non tantum similitudini vultuum, sed & elegantiæ multum invigilaret, ut à Magnatibus & Graphicophilis sollicitè conquirerentur illius tabulæ. Solebat autem historiis plerumq; uti ad concinnandas Effigies suas: atq; sic Davidis Spinelli Philosophi iconem sub formâ Marci Antonii, & conjugis ejus sub Cleopatræ figura expresserat, quasi nimirum hæc Margaritam eidem offerret, in historiis notam, tenente phialam filiolo.

Icones ejus.

Sic Julium Strozzium Poëtam illustrissimum laureâ coronatum: nec non Lucam Nellium; Marcum Antonium Benzium; Widmannum Baronem; Johannem Paulum & Ludovicum filium ejus Comites, multa cum laude iconicè expresserat. Similiter anno 1633. effigiem Ludovici Rossolini, Legati Regis Galliarum apud Rempublicam Venetam; & paulò post iconem Ducis Crequii, ceu campiductoris cataphractatam exhibuerat: qui tantoperè isto labore delectabatur, ut à Rege suo Ludovicò XIII. ordinem S. Michaëlis huic Artifici impetraret; cui hic in grati sui animi testimonium picturam offerebat virginis cujusdam pulcherrimæ sub figura Auroræ, flores manu tenentis elegantissimos.

Interea sæpiùs quidem picturas etiam historicas inchoabat; sed paucas absolvebat, cum iconibus nimium interpellaretur; quæ tanta tamq; sublimia non requirebant studia, ut historiarum argumenta. Aliquando eundem visitabat Laurentius de Medicis Dux Hetruriæ, iconem Fœminæ cujusdam Venetæ formosissimæ; necnon Effigiem alterius cujusdam sub figurâ Vigilantiæ ab illius manu sollicitans. Hoc modo Icones pingebat quasi innumeras variorum Principum, Comitum, Prælatorum, Nobilium, Equitum, & in specie fœminarum plurimarum, floridâ ætate, vultusq; elegantiâ oculos fascinantium: quo in genere, ob singularem quandam inclinationem, mirum in modum excellebat, quamvis & tabulas similes multas relinqueret imperfectas.

Præ cœteris autem summam meretur laudem operum ejus ultimum, Effigies nimirum Æmiliæ Papafaciæ Borromeæ, in cujus laudem multa composita fuere carmina, quæ brevitatis causa hoc loco omittimus.

Sic vitam agebat Tinellius noster, Zelotypia plerumq; Amorumq; turbis miserè divexatus, & fortunâ parum usus propitiâ; quo in statu sat lamentabili, isthoc quidem erigebatur gaudio, quod Regum quidam magno eundem favore prosequeretur, variiq; Magnates pro laboribus suis omnimodam ipsi protectionem pollicerentur atque benevolentiam; sed ista eheu! munera, vix ad rem faciunt. Tandem anno ætatis suæ quinquagesimo secundo ob supradictos excessus in morbũ prolapsus Medicis ignotum, paulò post sectam sibi venam animam efflabat, anno æræ Christianæ 1638. in æde S. Cantiani honestâ tumulatus sepulturâ. Effigiem ejus Tab. 9. repræsentat.

Vita ejus

atq; obitus.

LXXVI. PETRUS de VECCHIA.

LXXVI. PETRUS de VECCHIA.

VIncentiæ natus, Venetiis inclaruit picturis potissimum majoribus figurisq;

dimi-

dimidiatis, colore oleario magnâ satis mole elaboratis & lumine admodum vivido, atq; corpore extantissimo quasi prominulis: quo in genere Giorgionium, pictorem quondam clarissimum de Castello Franco, tam proximè imitabatur, ut & inventio, & diagraphice, & colorum vigor & peniculi ductus planè videretur idem; & vel expertissimi istarum rerum dijudicatores duarum harum arborum fructus sæpiùs confunderent: præsertim quod imitatio hæc non apographa referret, sed Prototypon ipsum exprimeret. Qui error mihi fermè ipsi accidisset. Cum anno 1650. Serenissimus tum temporis PRINCEPS CAROLUS GUSTAVUS COMES PALATINUS RHENI, deinde Rex Sueciæ, Norimbergæ Tabulam quandam mihi exhiberet, picturam militis continentem, qui præ iracundia pugionem stringere videbatur; quærens insimul, cujus manu eam censerem pictam? ubi, perpenso diu opere, vix tandem ex aversa parte Tabulæ linteum adhuc recens agnoscebam; unde colligere poteram, non ipsum Giorgionium, cujus manum exactè referebat, illius esse Authorem. Sic militem quoq; pinxerat juniorem sedentem atq; cataphractatum pilamq; manu tenentem: quâ è Tabula tantum elucebat judicium, ut SERENISSIMUS PRINCEPS ROBERTUS COMES PALATINUS RHENI militem hunc manu propria melanographicè exprimeret: Idq; tanta cura atque perfectione, ut toti huic arti melanographicæ singulare exhinc lumen accederet. Sic Serenissimus Princeps etiam LEOPOLDUS WILHELMUS ARCHIDUX AUSTRIÆ, ceu accuratissimus rerum pictarum censor, huic nostro Artifici, ob varia illius opera, laudem pariter tribuebat eximiam. Genius illius audaculus erat: Unde opera ejus, pro mero lubitu, rariore quodam habitu insignita spectantur: Ita ut capitibus Bireta imponeret cristata, vestiumq; genera, partim ex antiquo, partim è moderno desumeret modo, discisso sæpè usus habitu & copioso linteamine: quandoq; & telâ sericâ pannisq; Attalicis & holosericis, prout opera ejus apud magnum FLORENTIÆ DUCEM varia, nec non porticus quædam Vincentinæ integræ, & in specie in domo Tebaldina, & alia passim testantur. Sic Venetiis etiam in æde Sancti MARCI Tabula quædam ipsius visitur de Christo, mercatores expellente: nec non Crucifixio salvatoris nostri in monte Calvariæ: quod opus multis extollitur encomiis. Unde à Serenissimâ quoq; Venetorũ Republica ad hoc adhibebatur munus, ut delineationes conficeret omnium illorum operum historicorum, quæ in templo S. Marci opere Musaico elaborata sunt. Vitam autem Venetiis tandem multo cum dolore omnium graphicophilorum finiebat, ibidemque splendidissimis exequiis terræ committebatur.

Giorgionium exactè imitatur.

Opera ejus.

Modus illius vestiendi.

Tabulæ ejus Venetæ.

Obitus ejus.

LXXVII. BARTHOLOMÆUS MURILLIUS.

Natus est Hispali (quæ hodie Sevilia est,) è nobili quadam familia; cumq; à primis statim tenerioris ætatis annis mirum in modum deditus esset delineationibus, Pater ipsius exhinc commotus ad Artem pictoriam eum applicabat. Absolutis ergò sub Præceptore quodam tyrociniis, cum se in primo adhuc ætatis flore cerneret constitutum; in Indiam Occidentalem iter instituit, ubi artem suam magna continuabat industria, quippè cujus amore totus exardescebat. Cum autem in multis hisce terris, parum se proficere in studiis suis animadverteret, Hispalim regredi statuit. Ast quoniam nec inibi Artifices satis inveniret claros, à quibus ad ulteriora promoveri posse judicaret, in Italiam iter fecit: ubi tantam inveniebat complendi desiderii sui occasionem, tantisq; in diagraphicâ atq; pictoriâ progressibus ad fastigium properabat, ut opera ejus cum stupore ab omnibus spectarentur.

LXXVII. BARTHOLOMÆUS MURILLO.

In Indiam abit.

& in Italiam.

Exactis autem aliquot in Italia annis, in Hispaniam revertebatur, ubi à Rege, atque Magnatibus Regni ad varia adhibebatur opera. Quin ipsa etiam Aula Romana ipsius penicillo haud rarò utebatur; ita ut tabulas pro diversis Cardinalibus complures pulcherrimas expingeret, quæ tanti æstimabantur, ut artificem hunc nostrum alterum dicerent Paulum Veronensem. Atque sic tota quasi Hispania repleta est elegantissimis illius tabulis, pro Altaribus, aliisq; casibus confectis; quales etiam in Belgio conspiciuntur plurimæ, magnique passim æstimantur.

Labores ejus.

Cœterum & doctissimus erat in vario studiorum genere, ita ut amorem singulorum in se alliceret, cumque fatis fungeretur, universalem quasi in Patria sua relinqueret dolorem. Mortuus autem est mense Augusto anni 1682. & exequiis tum solennissimis honoratus, ita ut feretrum ejus portarent duo Marchiones & quatuor Equites diversorum ordinum, sequente turba quasi innumerabili: exclamantibusque, ereptum esse seculo nostro Virum exemplo atq; virtutibus longè clarissimum; quem Deus gloria coronet perpetuâ. Effigiem ejus Tab. 8. expressimus.

Obitus ejus.

LXXVIII. PETRUS LIBRIUS.

Patavinus patriâ, in primo statim annorum vere & ingenio pollebat & industria, ut ad culmina maturè aspiraret, inq; juventâ adhuc operibus quibusdam eleganter expictis famam sibi acquireret. Majorem autem tum acquirebat emergendi

LXXVIII. PETRUS LIBRIUS.

Opera ejus.

gendi occasionem cùm Serenissima Venetorum Respublica magnum illud eidem committeret opus, de Victoria Classis suæ contra Turcas anno 1656. in freto Hellesponti obtentâ, sub Navarcho Laurentio Marcello; quod in magnifico quodam Oeco Venetiis deinde publicè erectum est, & ibidem adhuc spectatur, cum infinito ferè Artificis encomio.


Super hoc fortunæ suæ fundamentum, ulteriores gloriæ suæ superstruebat gradus operibus sequentibus, qualia sunt: Crucifixio Domini in Æde S. Marci, inventione longè pulcherrimâ elaborata. Imago B. Virginis cum filiolo, S. Josepho, S. Catharinâ, S. Thomâ Aquinate, & S. Johanne Baptista in Æde S. Stephani collocata. In Castello Sacrarium integrum, historiis plurimis è vita D. Virginis Matris exornatum. In Æde S. Proculi Assumtio D. Virginis pro summo Altari, quod opus est præclarissimum. In Templo S. Justinæ historia Nativitatis Christi. Porrò Imagines quatuor Evangelistarum in quatuor Angulis Templi atq; Xenodochii SS. Johannis & Pauli: nec non tabulæ complures in Xenodochio Mendicantium, de miraculis S. Philippi Neri, inter quæ tabula quædam, de Anima in cœlum elevatâ, singulariter præeminet; nec non alia ibidem, de Assumtione B. Virginis Deiparæ. Porrò in templo D. Virginis Carmelitarum Altare de S. Alberto, opus admirandum. Sic magni illi Gigantes in albario recente monochromate depicti in templo S. Jacobi monachorum S. Augustini; itemq; in eodem templo S. Trinitas; nec non Altare ibidem: & alia parerga illius Ædis Angelis variè exornata, unà cum quatuor Evangelistis. Imò diem tererem, si omnia, quæ illius manu elaborata sunt, inq; templis, Palatiis, Scholis, ædibusque privatis Urbis Venetæ passim spectantur, prolixè enumerare vellem.

In omnibus autem picturis suis gratiæ admodum studet atq; lepori; in vita civili præterea, eloquentiæ; & in domo suâ Oeconomiæ, quæ omnia gloriam ejus mirè provehunt.

LXXIX. FRANCISCUS RUSCHIUS.

LXXIX. FRANCISCUS RUSCHIUS.

Pictor historiarum fuit celeberrimus, qui opera in hac arte reliquisse dicitur longè dignissima, quorum specialem notitiam adhuc expecto; atq; tunc Benevolo Lectori lubenter sum communicaturus. Hic pro singulari laudum ejus charactere subnexuisse sufficiat, quod Præceptor fuerit Antonii Zanchii, cujus vitam jam sum descripturus. Hic enim



LXXX. ANTONIUS ZANCHIUS.

LXXX. ANTONIO ZANCHI. Opera ejus.

Pictor est historiarum megalographicarum Venetiis præstantissimus, tam in oleario pingendi genere, quàm quod in albario recente exercetur. Inter opera ejus singularem promerentur laudem Schola S. Rochi, in qua tam Frontispicium exterius, quàm interiora varia ab ipso expicta sunt, & in specie opus quoddam pulcherrimum propè Scalam, quod insigne de maxima Artificis perfectione edit testimoniū. Sic in Schola S. Hieronymi pictura Samaritani, misericordiam erga vulneratum exercentis; & è regione historia filii Prodigi à Patre in gratiam recepti, eundem agnoscunt Autorem. Ejusdem opera etiam sunt sequentia: Altare quoddam in templo S. Lucæ de Salutatione Angelica. In templo S. Juliani istius Sancti martyrium; ubi ex una parte exhibetur illius ad supplicium deductio, sub quâ mortuum quendam resuscitat; filiumq; Tyranni ad Christianam fidem convertit; ex alterâ autem istius Sancti decollatio, cum conversione plurium ad veram religionem: quod opus ipsam quasi transcendit laudem. Porrò ab ipso quoq; pictum est Altare Ædis S. Philippi Neri; item historia de Angelo Castra Sennacheribi devastante: præ cœteris autem contagium Pestiferum, quod anno 1630. Venetiis grassatum est, in Schola S. Rochi elegantissimè ab ipso effiguratum visitur. Deinde in Æde Salutis historia Vesperæ Passionalis; in Æde D. Virgnis Carmelitarum duo miracula lepidissimis inventionibus exornata. Alibi historia Davidis, Caput Goliathi Regi suo exhibentis: item historia Abigailis Davidi occurrentis; nec non historia Diluvii in templo S. Hieronymi, ipsius debuccinant laudes: præter recentia illa, quæ à Serenissima Republica aliisq; privatis eidem jam demum commissa sunt. In quibus omnibus magnum ubiq; prodit judicium, inventionum argutiam, colorum robur, vultuum gratiam, vitæq; expressionem laudatissimam.

LXXXI. PETRUS NIGER,

LXXXI. PETRUS NEGRI. Tabulæ ejus.

In eodem Hadriatici maris Emporio longè celeberrimo, celebritatem quoq; nominis haud exiguam affecutus est operibus quibusdam laude suâ dignissimis, inter quæ Altare quoddam imaginem B. Virginis continens cum filiolo & S. Thoma Aquinate. Deinde & imago Matthæi Evangelistæ, cum angelo, & ornamentis aliis elegantissimis. Præ omnibus autem singulariter excellit magnum quoddam opus in Schola S. Rochi erectum: in quo Protector istius Reipublicæ S. Marcus intra nubes apparet coram D. Virgine, quam Chorus

Ange-

Angelorum cingit copiosissimus, accedentibus etiam S. Sebastiano & S. Rocho. Coram his è throno suo demissa apparet Venetorum Respublica, comitantibus eandem quatuor Virtutibus Theologicis, & sustentantibus ipsam Fide atq; Religione. Hæc genibus innixa cum sociabus prædictam Virginem orat, ut salutem impertiatur Populo suo. Has preces exaudiri radius quidam è cœlo vibratus innuit, qui Mortem, quam Pestis amplexatur, in fugam conjicit; quibus prætereuntibus aliqui exanimari videntur. Dein Angelus quoque vastator, ut ostendat, placatam esse iram divinam, gladium in vaginam recondit. Hoc opus anno 1673. Artifex hic noster elaborabat curante Guardiano Grandi, cum ad istam dignitatem promotus esset. Sic in templo etiam S. Jacobi varia reliquit Artis suæ monumenta, inter quæ miracula nonnulla S. Wilhelmi. Omnia autem pulchritudine superbiunt & mole colorumq; vigore simul & gratia.

LXXXII. CAROLUS PATINUS.

THeatrum, inquit Tullius, *cum commune sit, rectè tamen dici potest, ejus esse locum, quem quisque occuparit*; hinc magnus ille Vir, CAROLUS PATINUS, Eques D. Marci, Doctor Medicus Parisiensis, & in Academia Patavina Professor Celeberrimus, non in medio se loco, sed modestus ac prudens imo collocavit, ob veterem venerandæ Antiquitatis picturam, remque nummariam, vel summo dignissimus; dignior tamen hoc ipso, ad memoriam æternitatis, elogio, ceu monumento: LXXXII. CAROLUS PATINUS.

CAROLO PATINO,
Guidonis Professoris Regii *filio*,
Naturæ ac antiquitatis mystæ consultissimo,
Quem Parisiorum Lutetia,
Galliarum, ne dicam orbis, Metropolis
in lucem edidit;
Ipse patriam suam clariorem reddidit,
Qui tanquam Sol alter
Totam penè Europam lustravit, & illustravit.
Anglia, Belgium, Germania, Italia
Tanti Viri doctrinã divinámq; medendi peritiam admiratę,
Vt olim *Hippocratem* Græcia, & *Galenum* Roma,
Divinis propemodum sunt honoribus prosecutæ.
Sacra Cæsarea LEOPOLDI Majestas,
Serenissima VENETIARUM Respublica,
multíque alii Principes
Aureis torquibus cum *Equitis titulo* collatis.
Plura de ipso ex suo ipsius *Lyceo* eliciantur;
cui tamen parcè fides habenda,
cum nimis parcè, ac submissè nimis
Ipse de se sit locutus.

LXXXIII. GABR. CAR. PATINA PARISINA, ACADEMICA. ÆT. AN. XVII.

GABRIELIDEM CAROLAM PATINAM exhibet hæc tabella: Nomen apposui, Lector, ne Nympham, Musam, aut Charitem censeres. Tanta quippe ejus oculis inest venustas, tanta fronte majestas, tanta ori dignitas, tantus animo cultus, ut è

mortalibus procreatam vix ullus mortalis conciperet. Parentes ipsi sunt *Carolus Patinus & Magdalena Hommetz*, in jugibus literarum deliciis sese exercentes, à quibus suavissimam morum temperantiam, deinde à sanctissimis monialibus pietatem, omnium bonorum scaturiginem, & linguam *Latinam* edocta est. *Germanicam* mira celeritate addidicerat (dum invisendi patris desiderio flagrans VI. annos nata Argentoratum deducta est) velociori *Italicam*. Geographiam sphærámque tenet. Eruditæ antiquitatis mysteria plurima callet; numismatibus valdè delectatur. Poëtis, Oratoribus, Historicisque perlegendis maximè incumbit; quibus & quidpiam de suo adjecturam, non exigua spes est.

Cedite jam Divæ, quas pastor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.
Hanc utinam faciem nolit mutare senectus,
Et si Cumææ sæcula vatis aget.

LXXXIV. SEBASTIANUS BOMBELLIUS Vedinensis.

LXXXIV. SEBASTIAN BOMBELLI.

CUm à teneris statim ad studia ferretur, inter alia & Diagraphicen excolebat; quam, cum matrem esse deprehenderet diversarum Artium liberalium, tantoperè amabat, ut tandem ad Pictoriam abriperetur, electâ præ cœteris eleganti illâ Pauli Veronensis methodo, in qua circa picturas historicas incomparabili progressu inclaruit. Et procul dubio in universali hâc viâ longè scandisset altius, nisi felicissima manus ejus ad picturas iconicas quasi invita abrepta esset; cum ob singularem assimilandi, gratiamq; conciliandi dexteritatem ab omnibus quasi sollicitaretur effigierum causa. Unde & Sacra Sua Cæsarea Majestas Viennam eundem vocari jussit, ubi totius familiæ Cæsareæ icones elaboravit: quod pariter contigit in Aulâ Bavarica, Florentina, Mantuana, Parmensi; nec non ad instantiam Ducum Brunsvvicensium & Lunæburgensium; variorumque Cardinalium; ita ut vix Magnates quidam existerent in viciniâ, vel etiam qui ab exteris Venetias venissent, quorum non Effigies Bombellio pingendæ fuissent. Hinc munera ipsi affluebant largissima, ut nihil de honorariis superaddam, quæ â privatis in magnâ cumulabat copia. Effigiem ejus Tab. 9. repræsentat.

In picturis historicis excellit.

Sed magis iconibus

LXXXV. MICHAEL NEYDLINGER, Noribergensis.

LXXXV. MICHAEL NEYDLINGER, Noriberg.

ARtis pictoriæ studia, eâ prosequutus est laude, ut inter alia memoratu digna, in templo ad S. Annam Cœnobiali Venetiis, opus celebre, Apparitionem nempè B. Laurenti Justini, B. Nicolosæ, prædicti Cœnobii Abbatissæ, Sacramentum porrigentis, & in templo del Soccorso tabulam, una parte præsentantem Christum mortuum in gremio Matris positum, altera verò, ipsius resurrectionem, associatis Evangelista Johanne, multisq; Angelis & Militibus, post se reliquerit.

LXXXVI. GEORGIUS JACOBUS LANG, Noribergensis,

LXXXVI. GEORGIUS JACOBUS LANG, Noriberg.

CUjus Parens summus fuit Artis Amator, jactis in pictura dexterrimè fundamentis, Italiam adiit, ubi in pingendis tam Historiis, quàm picturis Iconicis, profectus non mediocres dedit: Redux verò in Patriam, Illustrium Personarum, aliorumque Icones tanto studio exhibuit, ut de ingenio ejus multa præclara nobis polliceamur, maximè, cum & ipse de novis inventionibus ex Virgilio Marone, adhibita figurarum Chalcographicarum Johannis Mayeri Tigurini ope, in lucem edendis sollicitus sit.

LXXXVII. WOLFGANGUS LAURENTIUS HOPFER, Augustanus.

LXXXVII. WOLFGANGUS LAURENTIUS HOPFER, Augustanus.

HAud ita pridem ex Italia reversus est, quippè qui in conficiendis Iconicis specimina præstitit non pauca, & adhuc præstabit. Ejus laudem extollit similitudo penicillo exprimens, Coloribus adhibitis pulcherrimis, & hinc Principibus hujusq; Artis Amatoribus maximè commendatus.



MERIA

MERIANORUM TRIGA.

LXXXVIII. MATTHÆUS MERIAN, Avus.

UBeriorem ſanè mentionem Pag. 359. Celeberrimi illius Viri, MATTHÆI fecimus MERIANI, & quidem natu prioris; cui in hoc ipſo ſtudio ſua ubique gloria debetur quam ex perclaris Ejusdem operibus effulgentem ſæpè conſpicimus: Ad hæc verò accuratiùs perficienda libente animo plurima cum Illo liberaliter communicavi, quæ ad inventiones, delineationésve manu factas, à tenuitate mea petiit, impetravítque: Ac ne veteri amicitiæ noſtræ quicquam deeſſet, filium Ipſius (qui ſtirpis maximus erat) MATTÆI quoque nomine appellatum, pro diſcipulo meo habui, docuíque: Hujus verò laudes, in hac ipſa Arte conſummatiſſimi, rurſus iterúmque repetere, haud opus eſſe autumo; quas *Fol. 324.* ſatis ſupérque, pro merito ſuo, commemoravi.

LXXXIX. MATTH. MERIAN, Filius.

Dúmque totus propemodum in eo nunc ſum, ut colophonem Operi huic imponam, quaſi comite Fortuna tertius ad me venit MATTHÆUS MERIANUS, quem ſui ſimillimum pater filium, avus nepotem, corporis & artis ſuæ imaginem produxerunt. Is ipſe, inquam, velut è veſtigio Romani itineris ſui, pede fauſto, ad me acceſſit, amicitiámque annorum LXVIII. in memoriam mihi denuò revocavit pariter ac confirmavit: Quem nec amore noſtro indignum eſſe cenſeo, ob tot illuſtria Artis hujusdem ſpecimina, hinc inde abs ſe edita: In hiſtoriis enim excellit, imagines coloribus & ſiccis & oleo uvidis verè depingit; Magnatum Mæcenatúmque gratia, imprimis autem SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI, Herois Illius Incomparabilis ſingulari uſusclementia, ad longè majora anxio pede contendit: Nec mirum eſt, Tantum Principem favere Pictoribus, qui principatum in cunctis artibus ac ſcientiis non ſolùm tenet, verum & in medio Parnaſſo jam dudum regnat, & in ipſas Muſas dominatur: Hujus certè beneficio ac munere perfectiſſimus ille Artifex floret, labore atque induſtria evaſurus multò ſuperior. Qua veluti gemmarum triga hoc Opus meum (à Nobiliſſimo hujus Interprete DN. CHRISTIANO RHODIO, &c. Liberal. Art. Studioſo, è Germanico Latinè verſum, & felici ſtylo conditum) tandem obſignabo; haud immemor Auſonii, in grypho ternarii:

XC. MATTH. MERIAN, Nepos.

TRIS NVMERUS SVPER OMNIA.



Index omnium celeberrimorum Artificum, Memorabiliúmq; in hoc opere contentorum.

A.

Aaron, Statuarius 40
Abbreviatio nimia Imaginum evitanda est 9. quid sit abbreviatio figurarum 10. hac in parte excelluit Michaël Angelo. ib. istius artis methodus ab ignorantibus parvi penditur. ib. quomodo vocetur. ibid.
Abondius senior. Ejus Imagines cereæ magni æstimantur 339. in servitia Cæsarea Pragæ assumitur ib. Junior in Bavariam venit ibid. ejus opera & matrimonium ibid.
Abron. Pictor. 77
Academiæ pictorum, in quem usum institutæ sit 3
Actiones imaginum naturam imitari, cumque decoro efformari debent 10
Actius Priscus, Pictor 83
Adamus de Viana. Vide *de Viana*
Adrianus Ultrajectanus Pictor. 291
Ægyptii primis temporibus nullas imagines sculpebant artificiosas 40. Delineationis inventionem sibi tribuunt 49
Ælius Hadrianus Vide *Hadrianus*
Ætates in imaginibus sunt observandæ 10
Affectus in arte pictoria propterea observari debent, quia formam immutant atque colores 11. Affectus jucundi qui? ib. unde eorum nativitas ib. affectus molestiores qui? ib.
Agatharchus, ejus insolentia 57
Agoracritus discipulus Phidiæ 54
Ahaliab, Statuarius 40
ab *Aken* Pictor Coloniensis 276. Venetias abit, Romamque & Florentiam, dehinc Monachium & Aulam Cæsaream ib.
Albanus Pictor Bononiensis, Phaëtontem pingit 182
Albertus Chalcographus 196
Album Anglicum, qualis color. 31. quæ sit significatio coloris albi 32
Alcimachus Pictor 76
Alcisthene picturam exercet 85
Aldegrafius Pictor & Chalcographus Soëstensis 233. ejus Chalcographica ib.
Aletsius Pictor Romanus 184
Alexander Severus Imperator pinxit 84
Algarde Statuarius Bononiensis 348. ejus Legatum ibid.
Altdörfferus parvorum pictor 220
Ambergerus pictor 224. historia ejus Josephi ib. opera ejus Augustana ib. Effigiem Caroli V. pingit. ib.
Amor, ejus effectus in facie 11
Amman Tigurinus Pictor 243
Amblingius Monacensis 365. 386.
Amulius Pictor 83
Anatomia, conducit, ut Pictor eam intelligat, propter musculos & ossa 7
Androbius Pictor 76
Angelo Gaddi Pictor Florentinus 101. opera ejus ib. est Architectus ib.
Angor, ejus effectus 12
Antidotus Pictor 65
Antiphilus Ægyptius Pictor 74
Antonellus Messanensis Pictor, picturam oleariam discit 105. ejus Epitaphium ib.
Antonius Sangallensis, Statuarius. Ejus ædificia Florentina 114. & Pisana 115. ejus inventa ib.
Antverpia est felicior Româ 282
Apelles pictorum Antiquorum princeps 67 quo tempore vixerit ib. quo præceptore usus sit ib. omnium clarissimus est ib. opera ejus modernis haud cedunt ibid. illius in arte venustas 68. quidnam intelligendum sit per lineam Apellis ib. festinationem carpit ib. aliorum Judicia de labore suo libenter admittit 69. ansam dat proverbio: ne Sutor ultra crepidam 69. Illius Comitas ib. ab Alexandro M. amatur ib. Historia de Campaspe ibid. opera ejus magni erant pretii 69. inimicos habuit æmulos ib. â magno salvatur periculo ib. pictura ejus de Calumniâ ib. Artifices sui generis promovet 70. similitudine indiscreta pingit ib. opera ejus alia ib. Romam venit, & multa ibidem pingit ib. equus ejus admirandæ similitudinis 71, alia ejus opera ib. vernicem invenit pro conservandis picturis ib. nec non atramentum eburneum ib.
Apollodorus Atheniensis, Pictor & Statuarius 55. primus est, qui pulchritudinem decenter exprimeret. ib.
Apollonides sculptor Gemmarum 342
Aqua. Pictura subactu aquario facta, vulgò alla Temperara 15. seq.
Arbores sunt camporum musculi 24
Architecti antediluviani qui? 40
Architectura sub Constantino Imp. in aliquo adhuc manebat pretio 43. ejus decrementum ib. ejus incrementum 45
Ardices Corinthicus Pictor 50

Arellius Pictor 82
Aristides Thebanus, quando vixerit 61. Istius nominis plures fuere 61. omnium primus animum pinxit ibid. unum ejus operum magno emitur pretio ibid. aliud per inscitiam pictoris cujusdam corrumpitur ibid. alia ejus opera carò divendita ibid.
Aristolaus Pictor Atheniensis 75
Aristarete picturam exercet 85
Aristophon, Pictor 76
Aristoteles Philosopus 88
Arpinas Pictor Romanus 177. in Diagraphica sedulus ib. pro Papâ laborare incipit ib. opera Ferrariensia ib. in ordinem equestrem evehitur 178. Templum S. Johann. Lateran. renovat ibid. Lutetiam venit ib.
Ars in vita humanâ est ad delectationem utilis 48
Ars Diagraphica & pictura ipsa ita se habent ad invicem, sicut corpus & Anima 18. artem, quam quis exercere vult, sciendam prius esse, & habitu possidendam 19. Vide *Diagraphica.*
Artemisia Gentilesca, Neapolitana, pictoriâ celebris 192
Artemon Pictor 76
Artus Lugdunensis Pictor 250. discipulus est Cornelii Engelberti 250. discipulos & ipse habuit ib. opera ejus ib. gesta quædam illius lepida 251
de *Artois*, Pictor Bruxellensis 311
Asclepiodorus, Pictor & Statuarius 73. opus ejus m ximi pretii ib.
l'*Asne*, Chalcographus Parisiensis 367
Aspar Pictor Tigurinus 381
Assur, Architecturæ peritus 40
Aterius Labeo prætor, Præses, & pictor 83
Athenion Maronites. Ejus vita & opera 65
Atrum ex ossibus, qualis color 31. è fuligine inconstans ibid.
Attalus Rex, Pictores magno honore afficiebat 41
Audrani, Parisienses Chalcographi, Pater & Filius 374. 377
Auer Pictor Noribergensis 334. Opera ejus ib.
Augustinus Venetianus Chalcographus, ad Bandinellum venit ib. ejus opera 195
Aurora Pictori probè est consideranda 24
Autor excellit in conficiendis picturis nocturnis 29
Axillæ, quomodo in imagine sint repræsentandæ 9. Regulæ de iis ib.

B.

Babure Ultrajectensis Pictor 308
Baccarelli Antverpiani 291
Baccius Bandinellus Pictor & Statuarius Florentinus, Gigantem de nive format 148. est Rustichi discipulus 148. ibid. ceraffe dicitur ideam Michaëlis ibid. picturæ se dedit ib. ad Statuariam redit ib. In Galliam venit ib. æri quædam incidi curat ib. Hieronymum plasmat ib. Romam venit. ib. incivilis est ib. Laocoontem format 194. Orpheum facit ib. in Ordinem equestrem elevatur ib. Herculem sculpit ib. Palatio eum donat Pontifex ib. A Michaële Angelo contemnitur ib. Opera ejus Romana ib. â Statuario contemnitur ib. duo monumenta Papalia fabricare debet ib. Michaëlis Marmora frangit ib. Opera ejus Florentina ib. Statuæ ejus taxantur 150. defectus ejus ib. Beneventum Statuarium non suffert ib. gratia Ducis excidit ib. sepulchrum sibi parat ib.
Bachmannus, Fridbergensis Pictor 318
Backerus Harlingensis pictor ob velocitatem celebratus 301. moritur Amstelodami ibid.
Badens, Pictor Antverpiensis 281
de *Balen*, Antverpiensis Pictor 300
Balli Pictor Lugduni Batavorum 311
Balton Pictor Antverpiensis 260
Bambotius. Vide de *Laër.*
de *Bar* Viennensis Pictor 384
Barbierus da *Cento* Pictor 187
Barent discipulus est Titiani 262. opera ejus ibid.
Barlachius, Chalcographus 195. 196
Barozius, Pictor Urbinas. Ejus peritia 177. opera ib. Chalcographus 197
Bartel, Saxo, Statuarius 378
Bartoli Chalcographus 198
Bassanus, excellens in conficiendis picturis nocturnis 29. 172. animalia pingit 172. facilis est ibid.
Batava quædam pictrix celeberrima 384
Batavi in arte, colores miscendi & infringendi, excellunt 17
Bauer Argentoratensis Pictor in variis curiosus 300. opera ejus typis æneis vulgantur 300
Beccafurnius, Senensis Pictor 142. Romam venit ibid. varia alit animalia ib. Lapsum Luciferi pingit. ib. Genuam venit 195
Beckius Delphensis Pictor 305
Belgæ in arte colores miscendi & infringendi excellunt 17
Bellange Chalcographus Gallus 374
de la *Belle* Chalcographus 359
Bellinus Pictor Venetus. Opera ejus 116. encomium ibid.
Bellum. Brevis enarratio variorum apud antiquos instrumentorum bellicorum 80. seq.
Belzer Sculptor 344
Bemmelius Ultrajectanus, pictor subdia-

lium celeberrimus 334. opera ejus Augustæ & Noribergæ magni æstimantur ibid.
Benedetto, s. *Benedictus*, Genuensis pictor & Chalcographus 197
Bergmann, Clunderensis Pictor 313
Bernard Chalcographus Parisiensis 376
Bernhardus Bruxellensis Pictor 227. opera ejus Antverpiana & Mechliniensia 227. alius cognomine *Petit* 367. callido sese vindicat astu ib. figuræ ejus Biblicæ ib.
Berninus Franciscus, Statuarius Neapolitanus 187. ejus filius Laurentius ibid. & p. 188
Berretinus Cortonensis Pictor. Opera ejus 188. ejus encomium 189
Bezaliel, Statuarius 40. Sculptor Gemmarum 342
Binkius Chalcographus 223
Birkenmayer. Vide *Burgmayr*.
Blanchetus Parisiensis 380. opera ejus Lugdunensia 381. ejus honores ib.
de *Bles* Bovinensis 234. opera ejus ib.
Blockius. Daniel, Pictor 382. filii Benjamini opera ibid. Uxor Anna Catharina in arte pictoria versatissima 383
Blockland. Vide *Montfortensis*.
Blodeling Chalcographus Amstelodamensis 378
Blomartus Gorcumensis Pictor. Itinera & opera ejus 290. ejus filii ibid. ejus opera 361
le *Blon* Francofurtensis Chalcographus 357
Blootelinus Chalcographus 385
Bocksbergerus Pictor. Opera ejus 251
Böhm, Bartholomæus, Chalcographus & Pictor Norinbergensis 221. 380. ejus picturæ 222. Chalcographica ejus ibid. alius ejusdem cognominis, Johannes Jacobus Chalcographus 222; Character ejus.
Bol Pictor Mechliniensis 263. opus ejus Dædali fabula 263. opera ejus Antverpiana 264. discipuli ibid.
Bolsevvert Chalcographus 357
Boltzius asper, Statuarius 218
Bombelli in picturis historicis excellit, sed magis in iconibus. 399
Bonamicus Buffalmaccus Pictor Florentinus 100. opera ejus ibid. Imagines vocales ibid.
Bonaventura Petri, Pictor Antverpiensis 305
Boom pictor subdialium 204
van der *Borch* s. *Borchensis* Pictor, in Italiam abit 301. Francofurtum venit ibid. filii ejus ib.
Bordon Pictor Gallus 372. opera ejus ibid.
del *Borgo* Johannes & Cherubinus, pictores 184
Bos pictor Boscoducensis 231. opera ejus ibid.
de *Bosco* picturis fructuum atq; florum insignis 232
Bosbomius Statuarius 350
Bosiutus Pictor 185
Bosse Parisiensis Chalcographus 374. Libellus ejus de arte rosoriâ 374. de prospectivâ ibid. de Architecturâ & proportione hominis 375
Bothius & frater ejus, Ultrajectenses 306. socii sunt laborando 307. opera eorum ibid. alter fratrum undis suffocatur ibid.
Boticellus Pictor Florentinus 107. otio ad paupertatem redigitur ibid.
Brachia atq; pedes in imaginibus utrinque projectione & retropositione alternẽt 8. regulæ de iis 9
Bræmerus Delphensis Pictor 311
Bramantes Urbinas Architectus 117. opera ejus Neapolitana, Romana ibid. Hieroglyphica ædesque sacræ ibid. ejus genius ibid.
Brauer Pictor Flandricus jocosus est 298. opera ejus incomparabilia. ibid.
de *Breda* Antverpiensis Pictor 313
Brein Tigurinus Pictor 314. versiculi Germanici de seipso ibid.
Brendel Pictor Argentoratensis 304
Breugel Pictor 249. quo præceptore usus sit ibid. Antverpiæ habitat 250. opera ejus ibid.
Brietes Pausiæ pater & Præceptor 63
Brilli Matthæus & Paulus fratres, & pictores Antverpienses 277
de *Bronchorst* Ultrajectinus Pictor 312
Broshamer Fuldanus 223
Brüederle Monacensis pictor 320
Brun Coloniensis Pictor 303
le *Brun* Pictorum Regis Galliæ primus 371
Brunus Color, ejus significatio 33
Bueckläer Pictor Antverpiensis 251. fructuum & rerum culinariarum Pictor 251
Bularchus Pictor. Ejus pictura auro rependebatur 51. Inventor effigierum coloribus pictarum ib.
Buonasone, Chalcographus 196
Burgmayr Augustanus Pictor 220. opera ejus ibid.
Busebetus Architectus Græcus 45. ejus monumentum atq; Epitaphium ibid.
Bylertus Ultrajectensis Pictor 300

C.

Caballinus Pictor Romanus 100. ejus Epitaphium ibid.
Cælatores quidam antiquissimi 207

Cæsar d'Orvieto Pictor 183
Cæsar de Salusto Pictor 184
Calaces tabellas comicas pinxit 74
de *Calchar* pictor, Discipulus Titiani 232. opera ejus ibid.
Caliarius Veronensis Pictor 169. Venetias venit. ibid. Pictores vincit ibid. opera ejus Veronensia ibid. Brixiana 170. typis æneis Düreri utitur 171. ejus virtutes ibid. â Titiano honoratus ibid. in Hispaniam vocatur ibid. Apophthegmata ejus ibid. epitaphium 171
Callicles parva fecit 74
Callimachus Atheniensis, pictor & Statuarius 55. calumniator propriorum operum ibid. Lucerna ejus mirabilis 56
Callotus Lotharingus Chalcographus 374. ejus velocitas & opera ibid.
Calypso picturam exercet 85
Camasius Pictor 190
del *Campo* Cameracensis Pictor 308. rebus forensibus operam dat ibid. Madritum abit ibid.
Candito. Pictor Monachiensis 225
Caput & Corpus in Imagine non simul convertantur versus eandem partem 8. in picturis sacris caput ne nimis intorqueatur ibid. quousque caput imaginis retroverti queat 9
Caracci, Ludovicus, Augustinus & Annibal, Pictores Bononienses 178. egestas Annibalis 180. septem opera misericordiæ pingit ib. Augustinus Chalcographus 196. ut & Annibal 197
Caravagiensis Longobardicus Pictor 130. monochromate delectatur griseo ib. opus ejus veruculatum ib. subdialibus est clarus ib. Neapolin abit, & Messanam ib. â Servo occiditur 131
Carolus Lotharingus, Chalcographus 370
Carolus Architectus; opus illius est pons lanionum Norībergæ 378. aliud opus Heidelbergense ib. ejus filius 379
da *Carpi* Xylographus Italorum primus 195
Carpophorus Tenchala Bissonensis Pictor 332. artem pingendi in albario recente reducit 332. opera ejus ibid.
Cassierus Antverpiensis Pictor 311
Catagrapha. Eorum inventor Cimon Cleonæus 51
da *Cento* Pictor 187
Ceres, ejus imago prima Romæ 42
Cesius Chalcographus 198
Ceuperus Londinensis Pictor 312
Chalcographia. Itali inventæ Chalcographicæ laudem sibi tribuunt, cum ea Germanis debeatur. 193. 206. differentia Chalcographiæ rosoriæ & cælatoriæ 358
Champaigne Pictor Gallus 373
Chauveau Chalcographus 377
Cherubin Albertus Chalcographus 196
Chinenses imagines peramant 34. de coloribus tamen oleariis nullam habent notitiam ibid. picturis tantùm utuntur simplicibus ibid. pictor illius gentis clarissimus Higiemondus ibid. descriptio operum quorundam â Chinensibus pictorum ib.
Cimabue pictor Florentinus 94. præceptores suos superat ib. operam dat picturis iconicis ib. Opera ejus Florentina & Pisana ib. Epitaphium 95. discipulus gloriam ejus offuscat 95
Cimon Cleonæus inventor Catagraphorum 51
Cinnabaris, qualis Color 32
Cleanthes Corinthius Pictor 50
de *Cleef*. Vide *Clivensis*
Cleophantus Corinthius Pictor 51
Clesides, ob contemtum amores detegit clandestinos 77
Clivensis Joas, Pictor Antverpiensis 246. alius Martinus, & Frater Heinricus 248 item Wilhelmus ib.
Cocxie Pictor Mechliniensis. Opera ejus Italica 262. & Belgica ib. Raphaëlem sectatur ib.
Cœnus Stemmatographus 76
Cœruleum ultramarinum, color est perfectus 31. cœruleum germanicum & montanum fugax 31. quæ sit significatio coloris cœrulei 32
Cola de Matrie Pictor 133. uxor ejus amore pudicitiæ undis se submergit ib. opera ejus 134
Collin Luxenburgensis 363. ejus opera ib. 382
Collum in imagine ne sit nimis breve 9
de *Colombien* Gallus, pictor 368
Color discordia Colorum & concordia picturæ 13. colores sunt applicandi cum judicio ibid. eorum observanda est harmonia ibid. ipsi sunt distribuendi ad usum legitimum 13. in copulandis Coloribus vitanda est durities & confusio 14. ab iis natura Imaginum dependet 14. quinam ad picturam subactu aquario factam sint idonei 15. ipsi fiunt per oleum puri, molles & vivaces ib. Colores pro fundando s. imprimendo linteo ib. eos natura distribuere docet 16. eos docet natura per flores ibid. Color viridis ibid. flavus è cœruleo pulcherrimè promicat, cœli exemplo ib. quomodo color colorem amet 17. colorum distributionem natura docet in avibus & conchyliis marinis, nec non in iride ibid. fluor colorum ibid. Color griseus ib. Colores circa fundorum extremitatem duriores sunt evitãdi ib. Color â Colore decorè est separandus ib. colores venenati ib. duri, clariores & emicantiores evi

tandi, vel juxta conformitatem naturæ infringendi 17. eorum elegantia 19. quinam requirantur ad picturam in fresco 22. sunt duplices, naturales & arte inventi 30. Lumen & umbra duo sunt colores principales, fundamentalesque artis pictoriæ 30. albedine & nigredine colores fiunt nobiles & ignobiles ibid. antiquitùs quatuor tantum colores in usu fuerunt ib. septem sunt colores principales 31. multi inventi sunt ad picturam ib. Colores pro subactu oleario 31. Pictori nota esse debet Colorum significatio 32. quæ sit significatio coloris albi 32. flavi ib. Cœrulei ib. rubei ib. cum carneo & purpureo 33. viridis, bruni & nigri ib. colores mixti sequuntur significationem colorum suorum principalium 33. qui primi coloribus pinxerint. 41

Colothas Pictor & Statuarius 52

Complexiones in Imaginibus sunt observandæ 10

Conclave pictoris quoad longitudinem & latitudinem 28

de *Coningh*, Amstelodamensis pictor 310

de *Coninxloy* Pictor Antverpiensis 269

Constantinus Imperator. Sub eo pictoria & Statuaria notabiliter decrescunt 43

Cope Fiamengo, Statuarius in minutis excellit 346. in magnis autem inexpertus est ibid. Vita ejus misanthropica. ibid.

Cornelius Cornelii Pictor Lugdunensis 232. Lucas Cornelii pictor ibid. in Angliam abit. ibid. alius ejusdem nominis pictor Harlemensis 278. opera ejus & discipuli ib.

Corpus humanum assimilari potest structuræ templi cujusdam 6. ejus longitudo ib. quomodo octo capitum habeat longitudinem 7. latitudo corporis masculini & fœminini ibid. quâ ratione vestiendum sit corpus nudum, ut in illo â vestibus nulla exoriatur obscuritas 13

Cornhardus Amstelodamensis Chalcographus 353

de *Corregio* excelluit in conficiendis picturis nocturnis 29. ejus opera, mores & Epitaphium 119

Cort, Chalcographus 169. 353

Cosimo sive Petrus *Cosmus*, Pictor Florentinus. Opera ejus & discipuli 114. Andreas Cosmus Florentinus 132. ejus opus veruculatum f. sgraffito ib.

Cosinus Statuarius Fesulanus 116

Cransee Pictor 204

Craterus Pictor 77

Crayer Antverpiensis, pictor 310

Cromius, sculptor gemmarum 342

Crus Regulæ de Cruribus 9

Crystallina vasa 343

Ctesidemus Pictor 75

Ctesilochus Pictor & Statuarius 75

Cubitus antiquorum 6

Culenbacensis Pictor & Xylographus 221

Cuoburger Pictor Bruxellanus 295

Cydias, Pictor. Ejus opera 64

D.

Dankerus de *Ry*, Amstelodamensis Pictor 312

Danoit Chalcographus Parisiensis 376

Daret. Chalcographus Parisiensis 376

Dau. Lugdunensis Pictor 316. opera ejus & patientia admiranda ibid. Melancholiæ causa est in effigiebus ibid. Taxa operum ejus ibid. ejus Conclave pictorium 317

de *Deinum*, Antverpiensis pictor 313

Dellus, musculorum pingendorum inventor 102

Delineatio. Ejus Origo est ratio, non verò Casus fortuitus 2. ejus definitio ibid. qualis ad delineandum requiratur manus ibid. Statuarios quandoque delineationis loco uti exemplaribus quibusdam plasticis ibid. de variis delineandi modis ibid. quâ ratione delineatio ad Statuariam conducat 3. quo pacto quàm optimè addisci possit 3. ab iconibus & statuis faciendum est delineandi initium ibid. dehinc delineandæ sunt res vivæ ibid. delineatio ingeniosam requirit inventionem, optimam distributionem, & congruam dispositionem 4. Unde bona delineatio suam habeat originem ibid. fit rubricâ vel graphide cretaceâ ibid. ars delineatoria & pictura ita se habent adinvicem, sicut corpus & anima 18. primam delineationem Gyges Lydius fecit 40. 48. quem Græci secuti sunt. ibid. ars ista adscribitur puellæ cuidam amore captæ 41. delineatoriæ artis inventionem sibi Ægyptii tribuunt 49

Democritus Philosophus 88

Demon Atheniensis Pictor. Ejus opera, â fulmine ambusta, non obliterabantur 59. multa elaboravit ibid. sed quo nemo insolentior & arrogantior 60. â Timanthe in certamine vincebatur 60

Demosthenes, Orator Atheniensis 87

Denysius, Antverpiensis Pictor 393

Deus primus est inventor pictoriæ & Statuariæ 39

Diagraphica ars, & pictura ipsa ita se habent ad invicem, sicut corpus & anima 18. ante picturam & sculpturam exculta, harumque mater fuit 42

de *Diepenbeck* Boscoducensis pictor 314. ejus opera ib.
Dietericus Harlemensis Pictor 205. diu ante Dürerum vixit ib.
Dieterlinus Argentoratensis Pictor & Architectus 304
Dimensiones faciei, manus, Brachii, capitis, frontis, nasi, pedis, pectoris &c. 6
Diogenes Philosophus Cynicus 89
Dionysius Anthropophagus 74
Dioscorides, Sculptor Gemmarum 342
Dominicus discipulus Antonelli 106. miserè occiditur ib.
Dossus, Pictor Ferrariensis 116. opera ejus Ferrariensia, & Vrbinatica 117
Drivesteinius Pictor præstans 296
Duccius Senensis marmore pingit 142
Dürerus haberi potest pro magistro vestium pingendarum 26. Discipulus est Wolgemuti 210. cælaturæ ejus juvenilibus annis factæ ibid. ejus methodum sequuntur artifices præclarissimi 210. ejus opera & icones 211. Scientia & autoritas 211. varia ejus diagraphica ibid. Opera ejus Pragensia, Francofurtensia, Viennensia, Monachiana 212. ejus opera, quæ in Technico Sandrartiano extant. ibid. Belgas visitat 213. ejus virtutes ibid. Epitaphium & Encomium ibid. Vita Alberti Düreri Senioris 215. Obitus 216. paucula quædam alia de Alberti Düreri Junioris vitâ 216. ejus Præceptor 217. habitatio ibid. Erasmus Roterodamus de Dürero ibid. Hartmannus de eodem ibid.
de *Dyk* Pictor Antverpiensis in Angliâ multa elaborat 297. in Iconicis Titianum sequitur ibid. volumen ejus iconicum 298. uxorem ducit ib.

E.

EDelink Chalcographus Parisiensis 377
Effigies quomodo rotundandæ sint 3. Bularchus est Inventor effigierum coloribus pictarum 51
Eimartus. Opera ejus 335. Senior, quis & qualis 379
Elotas Ætolus 78
van der *Elz* Amstelodamensis Pictor 312
Elzheimerus excelluit in pingendis vestibus 26. in picturis nocturnis 29. Romam venit, & picturis parvis studet 286. Iter Tobiæ pingit. ibid. Latonam, & alia ibid. ejus nocturna ibid. profunditas ingenii ejus, 287. modus ejus vivendi ib. ejus perfectio in pingendo. 288
Encaustica, eam invenit Polygnotus 49. de modis pingendi encausto apud antiquos 84
l' *Enfant*. Chalcographus Parisiensis 376
Engelbrecht Pictor Lugdunensis 226. opera ejus Lugdunensia & Ultrajectina 226. 227
Engelhardus Insignium Sculptor 219. gemmarum 343
Epitaphium Buscheti Architecti 45. *Cimabue*, Pictoris Florentini 95. *Margaritonis* Pictoris, Sculptoris & Architecti 97. *Giotti*, Sculptoris & Statuarii Florentini 99. *Stephani* Pictoris Florentini 100. *Caballini*, Pictoris Romani ibid. *Simonis Senensis* 101. Angelo *Gaddi* ibid. *Masaccii* 103. *Fesolani* 104. *Philippi Lippi* 105. *Antonelli* 105. *Pollaivoli* 106. *Manteneæ* 108. *Corregii* 119. *Sanzii* 125. *Julii Romani* 138. *Tintoreti* 168. *Caliarii* 171. *Johannis ab Eyck* 203. *Alberti Düreri* 213. *Kageri* 318
Erigonus pictor 78
Erhard de *Paris*, Chalcographus 370
Ermel Norinbergensis 335
Euderus Pictor 77
Evenor, pater atque præceptor Parrhasii 59
Eumarus Atheniensis primus omnium imitator 51
Euphranor pictor, Statuarius, cælator & faber ærarius 63. opera ejus Colossi ib. Heroës ib. Vita ejus in pingendo ibid. scripsit de picturâ ib.
Eupompus Sicyonius, Tertii picturæ generis inventor 60
Eutychides Pictor 77
ab *Eyck* Johannes & Hubertus inventores picturæ subactus olearii 15. 202. quorum etiam soror pictoriæ arti operam dat 201. Johannes Brugas venit ibid. vernicem invenit pro coloribus glutine atque ovo subactis. ibid. opus eorum Gandavense 202. cujus apographon fieri jubet Philippus Rex ibid. varia ejus opera 203. ejus epitaphium ibid. mors & sepultura Huberti fratris ibid.

F.

FAbius pictores magno honore afficiebat 41. primus inter pictores Romanos 80
Facies in imagine versus brachium anterius se convertat, & non versus pedem anteriorem 8. est cordis index 12. per eam homines atque nationes ab invicem discernuntur 12
Faidherbe Statuarius 350
Faithorne Chalcographus 395

de *Falkenburg* Lucas & Martinus, pictores Mechlinienses 263. opera Lucæ ib. alius Martinus Pictor Francofurtanus 290
Falconus Pictor Neapolitanus 191
Falta Chalcographus 198
Fanelli Sculptor Florentinus 349
Fenestræ papyraceæ. Earum commoditas ad pingendum 29
de *Fiesole* monachus & Pictor 103. opera ejus monochromatica majora 183. discipuli & epitaphium 104. alius sculptor & Architectus 115. hujus defectus & Encomium 116
Figuræ, quid circa eas observandum 5. abbreviatio earum unâ serie seinvicem subsequentium ib. 10. notatu digna de figuris ligno incidendis 35
Figuratio expressior, quâ ratione in recenti albario sit designanda 5
Fischerus Petrus Senior, conficit monumentum templi Sebaldini 209. ejus filius 218. Johannes Fischerus Augustanus Pictor 318. alius 320
Flamael Leodiensis Pictor 387
Flavus color è cœruleo pulcherrimè prominet cœli exemplo 16. flavum ebulinum fugax est 31. flavum plumbeum qualis color 32. quæ sit significatio coloris flavi 32
Flegel Francofurtensis, oporeticorum pictor 289
Flepp Pictor Bernensis 244
Flinkius Clivensis Pictor 314
Flœtner sculptor parvorum 219
Flores pingere didicit Pausias ex amore erga coronariam 16. per flores natura colores docet ib.
Floris Pictor Antverpiensis 252. judicium Italorum de ipso ibid. ejus genus 253. discipulus est Lamberti ibid. domum revertitur ibid. Matrimonio infelix est ibid. promptissimus est 254. opera ejus ibid.
Fœminæ quo pacto pingendæ 10. fuere ipsæ pictrices 85
Foquierius Gallo-Belga 305
Franciscus Francia Bononiensis pictor 109. mœrore extinguitur ibid. ejus epigramma ib.
Francois, Mechliniensis Pictor 313
Francus Augustanus Chalcographus 366
in *Fresco* pictura, quid sit 22. ejus pictorem agilem esse debere atque exercitatum ibid. quinam colores huc non conducant ibid. methodus ad hoc pingendi genus in figuris grandioribus ibid.
Fueslinus Tigurinus Pictor 382
Furdterus Statuarius Ulmensis 352



G.

Gaddo Gaddi Pictor Florentinus 97. artificiosus est in opere Musaico Florentiæ, Romæ, & aliis in locis ib.
Galilæus Galilæi Mathematicus 389. seq. ejus effigiem Tab. 7. repræsentat.
Gasselius Helmontiensis subdialium pictor 237
Gaudium, ejus affectus in facie 11
Gaudtius Comes Palatinus Romam se confert 302. opera Elzheimeri typis æneis vulgat ibid. in amentiam incidit 303
Geiger colore oleario vitra pingit 244
Geldorp Londinensis Pictor 311
Gemmæ, earum sculptores 342
Gentilescius excelluit in pingendis vestibus 26. ejus opera 291. in Angliam venit ibid.
Gentilesca Neapolitana, pictoriâ celebris 192
Genu. Regulæ de iis 9
Georgius de Castello Franco Venetus pictor 118. opera ejus ibid. imago ad quatuor latera spectabilis ib.
Gerbierius Antverpiensis Pictor 310
Germani. Eorum laboriosa pingendi elegantia 18
Gerhardus Harlemensis 204. opera ejus in templo S. Johannis 205. alius pictor Brugensis 261
Gestus personarum, pictor sæpius delineet 5
de *Geyn* Pictor Antverpiensis 278. filius ejus gummatis studet & Chalcographiæ 297
Giacomo da Puntormo. Vide *Puntormo.*
Giessius Pictor 190
Gillius aliàs *Loraines*, Pictor 328. artocreata pinsere discit ibid. ad Augustinum Tasum venit pictorem Romanum 328. methodus addiscendi artem ibid. vita ejus civilis ibid. opera 329. pingendis imaginibus infelix est ibid. opera ejus in albario recente omnem superant laudem.
Gioann Benedett Castilione Chalcographus 197
Gioanni da Udine 143. Romam venit ad Raphaëlem ibid. plasmata gypsata invenit ibid. Tapete picto cubicularium Pontificis decipit ibid. pro uno opere dono accipit toparchiam integram 144. Vedinum abit ibid. inventor dicitur vaccæ pictæ ibid.
Giorgione da Castello Franco, Pictor Venetus 118

Giettinus

Giottinus Pictor Florentinus 102. opera & methodus ejus. ibid.
Giotto præceptoris Cimabue gloriam haud parum offuscat 95. fuit opilio 97. amicum habet Dantem ibid. opera ejus Affisii 98. Navem templi Petrini Romæ facit ibid. Opera ejus Avenionensia & Neapolitana ibid. honores ejus ib. Joci 99. Epitaphium ibid.
Girlandæus Pictor Florentinus 106. opera ejus Florentina ibid.
Giuliano di S. Gallo, Statuarius & Architectus 114
Giulio Romano Pictor & Architectus 137. ejus opera Architectonica & pictoria ib. salarium & epitaphium 138
Gœdelerus Pictor & Architectus 336
de *Goës* pictor 203. opera ejus Gandavensia in templo S. Jacobi 204
Goltzius Pictor, Chalcographus & historiographus Venloënsis 256. Lombardi discipulus ibid. opus ejus de Iconibus Imperatorum ibid. Libri ejus alii. ibid. inter equites Romanos recipitur ibid. ejus picturæ ibid. epigramma ibid. Juvenilibus adhuc Annis matrimonium init 273. per Germaniam proficiscitur in Italiam, ubi Statuas antiquas delineat 273. Neapolin proficiscitur ibid. Chalcographica ejus. ibid. picturæ 274. Apophthegmata ejus ibid. ejus discipuli ib. alia de eo 380
Gondolachius Hassus, Pictor 317. Augustæ Vindelicorum sedem figit ib.
de *Graësbeck* Pictor Antverpiensis 299
Græci in Statuariâ insignes erant Artifices 41
Grimmerus Moguntinus 220. alius Antverpiensis, subdialium pictor 259
Grobius Harlemensis pictor 295
Gravius Pictor Noribergensis 337. uxorem ducit in arte pictoriâ versatillimam 337. 388
Grottæ, unde nomen acceperint 44
Grünvvaldus excelluit in arte Xylographicâ 35. Matthæus Aschaffenburgensis Pictor 225. ejus diagraphica ib. opera ejus Francofurtana, Isenacensia, Moguntina ibid. plura de eo 380. alius Johannes, pictor 226
Grupello Sculptor 393
Guido Bononiensis Chalcographus 197
Guido pictor Romanus 184
Guido Rhenius Bononiensis 185. opera ejus ibid. ludendo chartulis sibi nocuus 186
Gyges Lydius in Ægypto primam fecit designationem 40. 48

❁ ❁ ❁
❁

H.

HAdrianus Imperator 84. pictor & Statuarius ibid.
de *Haën*, Roterodamensis pictor 308
de *Hagelstein* patritius Lindaviensis & Pictor, præfectus annonæ fit apud Cæsareanos 288
Hainz. Pictor Bernensis Romam venit 277. Opera ejus Bernensia 277
Hamilton Anglus Pictor 384
Hannemannus Hagensis Pictor 317
Hasselin aliàs *Krabetier* Hollandus 304
Heckenauer pater & filius 394
de *Heel* Bruxellensis pictor 311
de *Heem* Ultrajectensis pictor 307. alius Antverpiensis artifex incomparabilis 313
de *Heere* Pictor & Poëta Gandavensis 258. discipulus est Francisci Floris 259. in Galliam abit ib. opera ejus ib. antiquitatis Studio delectatur ib.
de *Heil* Bruxellensis Pictor 312
Heinzelmanni Augustani, Chalcographi fratres 365
Heifs Memmingensis Pictor 336
de *Held*, Neomagensis Pictor 312
de *Hemsen* Pictor 204
Hemskerken Pictor, â patre ad Agriculturam adhibetur 265. artem pictoriam discit â Johanne Schoreel ibid. opera ejus ibid. Romam abit, & in Belgium redit ibid. pictura ejus ibid. Testamentum 266
Heraclides, Macedo Pictor 75
Heraclitus Philosophus Ephesius 86
Heringus Pragensis pictor 312. epigramm in ipsius honorem ib.
Herr, Pictor Noribergensis 336
Heschlerus Statuarius Ulmensis 352
Hetruria. In eâ multa sunt inventa antiquarum sculpturarum rudera 41
von der *Heyden* Chalcographus Argentoratensis 304
Higiemondus Pictor clarissimus natione Indus 34
Hippocrates Medicus excellentissimus 87
la *Hire* Pictor Gallus 372
Hirschvogelius pictor vitrorum 219
Hirtius Pictor 384
Historiæ, quid in earum picturis observandum sit 5. quæ regulæ occurrant 20
Hochstraëtius, Pictor 385

de *Hoëcb*

de *Hoeck* Antverpiensis pictor 313., versus in ejus honorem 314
Hofmannus Pictor Tigurinus 382
de *Hoie* Antverpiensis Pictor 319
Hollartus Chalcographus 363
Hollius Augustanus Architectus 350. ejus nepos ex fratre etiam Architectus 351
Holbeinius excelluit in arte Xylographicâ 35. senioris & junioris opera 238. Junior in Angliam venit 239. opera Anglicana 239. effigies ejus 240. ejus diagraphica ibid. Itali eum imitantur 241
Holzmannus Coloniensis Pictor 303
Homerus non est primus Poëta 42. est excellentissimus in arte suâ 86
Homo est prima & optima Statua 39
Hondius Chalcographus 357
Hopferus Augustanus Pictor 399
de *Houk* Antverpiensis, in servitia Leopoldi Archiducis assumitur. 303
Hofnagel Antverpianus, Pictor atque Poëta 292. in paupertatem incidit ibid. in aulâ Bavaricâ iterum emergit ibid. quatuor ejus libri de animalibus 293. in arte Poetica excellit.
ab *Hundhorst* excellit in conficiendis picturis nocturnis 29. 296. opera ejus Romana ibid. in Angliam vocatur 297. vita ejus civilis ibid. opera ejus pro principe Auriaco 297. iconibus incumbit ib. ejus frater Wilhelmus 305
Huret Chalcographus Parisiensis 376

I.

Jacobus Cornelii Ostsamensis Pictor 205
Jacobus Puntormensis. Vide *Puntormo* 144
Jamiczer Noribergensis aurifaber 379
Jansonius Antverpiensis Pictor 293. curriculum vitæ ejus ibid. modus ejus pingendi ibid. opus ejus Campodunense 294. alius Londinensis Pictor 314
Icon, ab iis faciendum est delineandi initium 3
Idololatria, unde originem habeat 40
Imago. Quare non omnes imagines pictæ oculis placeant 8. in rectâ lineâ consistit 8. seqq. in imaginibus nudis artus decenter connectantur 9. nimia earum abbreviatio vitanda ibid. imagines contortæ protervæ sunt & informes ibid. quâ ratione imago sursum respicere, seseque inclinare debeat ibid. professio personarum in imaginibus respicienda est 10. Muhammetani nullas tolerant imagines 34. Chinenses eas perimant ibid. Ægyptii primis temporibus nullas imagines sculpebant artificiosas 40. quare olim imagines funditus fuerint eversæ 44. Leopoldus III. Imperator omnes Imagines evertit atque comburi jubet 45. quanti æstimanda sit Imaginum pictura 311
Imitatio naturæ est perfectio picturæ 4
Incarnatus color. Ejus significatio.
Imperium Romanum Occidentale. Ejus interitus secum traxit interitum omnium artium 43
Infans, ejus porportio 7
Intellectus noster verus est Magister 42
Inventio, in quo consistat 5
Joas Clivensis, pictor Antverpiensis 246
Johannes Vedinensis 143. Vide *Gioanni da Vdine.*
de *Joode* Senior Chalcographus. 357. Junior etiam Chalcographus 363
Jordan Pictor 261.
alius Antverpiæ manet, nullis factis itineribus 333
opera ejus ibid.
cum Rubenio certat ibid.
vita ejus civilis 334
alia quædam de eo 381
Lucas Jordanus Neapolitanus 395
Joris pictor Delphensis 24
Iphis pictor 77
Ira, ejus effectus circa formam externam 11
Irene picturam exercet 85
Israëlitæ Statuarii 40
Israël Mechlinienfis pictor 204. Chalcographus 206
Judicium. In picturis proprio nunquam fidendum est judicio, sed alieno 19
Julianus Sangallensis Statuarius & Architectus 114
ædificia ejus Florentina ibid
& Pisana 115
ejus inventa ibid.
Julius Romanus pictor, & architectus insignis 139
opera ejus pictoria ibid.
Juvenellus, Senior & Junior 266

K.

Kagerus Augustanus pictor 317. Opera ejus & Epitaphium 318
Kain, architectus antediluvianus 40
Kay pictor Bredanus. Opera ejus 255. terrore moritur 256
Keller Francofurtensis pictor 243
Kern sculptor & Statuarius 341. reliquit tres filios ibid.
de *Kessel* Pictor 313

Kettel Pictor Goudensis in Galliam venit 272. in Angliam abit ib. & opera quædam ibi conficit ibid.
Kiliani Lucas & Wolffgangus Chalcographi 357. Lucæ opera 358. Bartholomæus 364. cujus effigies tab. 7. repræsentatur. Philippus ejus frater ibid.
Kircherus vir profundæ eruditionis 391. ejus effigiem tab. 7. repræsentat.
Klaës Pictor 204
Klein Pictor 204
Kleffecker Statuarius Mindanus 351. Opera ejus Bambergensia ibid.
Klöknerus Pictor Svecicus Regius 331. autodidascalus est 331. in Hollandiam iter instituit ibid. ad Reginam Sveciæ pervenit, dehinc in Italiam ibid. in Sveciâ picturis aulicis præficitur ibid. modus ejus pingendi 332. inter celeberrimos artifices jure numeratur ibid. vita ejus civilis & elogium ibid.
Knelleri Lubecenses Pictores 391. quorum effigies tab. 8. repræsentantur.
Knipferus Lipsiensis, historias minutas pingit 300
Koekius Pictor & Architectus Alostanus 233. Constantinopolin venit ibid. Historias Turcicas delineat ibid. Scripta ejus ib.
Kornmannus Augustanus, Pictor 317. ejus opera ibid.
Kraft Statuarius Noribergensis 208. opera ejus ibid.
Kranichius Pictor & Aulicus Electoris Saxoniæ 219. ejus filius 220
Krugerus Chalcographus 223
Küselius Melchior, Augustanus, in arte rodendi excellit 365. Matthæus ibid.

L.

Lacca est color debilis 31
de *Laër* aliàs *Bambotius* Harlemensis. Opuscula ejus Juvenilia 305. memoria & modus pingendi 305. ejus vita communis 306. forma corporis ibid. ludicra instituit varia ibid. Acumen Ingenii ib. Harlemum venit ibid. moritur sexagenarius 306
de *Laireffe* Leodiensis Pictor 388. ejus opera ibid. & 389
Lala virgo vestalis 85
Lambertus Lombardus Pictor & Architectus Leodiensis 237. discipuli ejus & Itinera ibid. ejus opera Chalcographica ibid. & 380
Lanferrius Chalcographus 196
Lanfrancus Bononiensis, in ordinem equestrem evehitur 187. opera ejus ibid.
Langius, Norinbergensis, Pictor 399
Lapis, qui Lapides ad pingendum sint idonei 16. versicolores non sunt apti ibid. in lapide pingi potest non factâ impressione fundi ibid.
Latitudo corporis masculini & fœminini 7
Lauchius Viennensis Pictor 384
Laurati Pictor Senensis 100. opera ejus Senensia & Aretina ibid.
Lekerbetien Pictor 190
Lehmannus gemmarum Sculptor 343. ejus privilegia Cæsarea ibid.
Lemke prœliorum pictor 337. 386
Leo III. Imperator omnes Imagines evertit, atq; comburi jubet 45
Leontiscus Pictor 77
Leon Pictor 77
Leo Baptista Alberti Pictor & Architectus, libros edit 103
Leux Antverpiensis Pictor 318. Imperatori Ferdinando II. à Servitiis 318
à *Leyden*. Vide *Lucas Lugdunensis.*
Leygeben Saxo, sculptor in re ferrariâ 388
Librius Pictor. Opera ejus 397. 398
Licinius Joh. Antonius Pordenonensis. Opera ejus Vedinensia, Mantuana, Vicentiana, Veneta & Genuensia 128. Ferrariæ moritur 129. alius dictus *Julius* Licinius pingit Augustæ Vindelicorum 173
Lilly aliàs *Lelio*, Anglus, Pictor. Epigramma in ejus laudem 313. 386
Lignum. De figuris ligno incidendis notatu quædam digna 35. Vide *Xylographia.*
de *Lint*, Antverpiensis Pictor 311
Lippus Pictor Florentinus 102
Liranus Pictor Antverpiensis 260
Livens Pictor Lugdunensis 307
Loggan Londinensis Chalcographus
Lombardus Chalcographus 377
Longitudo corporis humani 6
Lorenzettus Pictor Senensis, meteora pingit 100
Loth Monacensis Pictor 319. opera ejus ibid. ejus filius etiam pictoriam exercet ibid
Lucas Lugdunensis excelluit in pingendis vestibus 26. excelluit in arte Xylographicâ 35. anni tyrocinii ejus 228. opera ejus juvenilia ibid. comparatio ejus cum Dürero ib. Chalcographica ejus alia ib. opera ejus caro veneunt 229. picturæ ejus Lugdunenses ibid. alios visitat artifices 230
Lucerna Callimachi mirabilis 56
Lucretia Quistelli Mirandulana 192
Ludius Romanus Pictor, primus topiariorum in muris 83

Lumen quomodo cum umbris debito ordine temperandum 3. ejus reflexio 4. pictoris lumen majus & minus 28. debet esse Septentrionale ibid. ejus altitudo 29. Lumen & Umbra sunt duo totius mundi principales colores, fundamentalesque artis pictoriæ 30
Lutma pater & filius, Amstelodamenses Chalcographi 393
Lux, quâ ratione omnia detegat 30
Lydi artem pictoriam in Italiam deferebant 48
Lys Oldenburgensis pictor, alias *Pan* dictus 309. opera ejus Veneta ib. genus vivendi 310. peste moritur ib.
Lysippus Statuarius 60

M.

de *Mabuse* pictor, novam methodum in Flandriam defert 234. opus ejus Mittelburgense ib. è papyro telam Damascenam format 235
Major Francofurtensis Chalcographus 362
Malteso tapetum pictor 191
de *Mandern* pictor & poeta Meulebrecanus 267. anni tyrocinii ejus ibid. Opera ejus Italica & Belgica ibid. pingit historiam Passionis 267. scripta ejus ibid. filii opera præcellentissima 315
Mandinus Pictor 204
Manfredus megalographicis studet 181
Mantegna, Mantuanus pictor 107. opera ejus Patavina ibid. in odium præceptoris incidit ibid. opera ejus Mantuana 180. ejus Epitaphium 108
Manuel Bernensis, opera ejus 242
Manus, Regulæ de iis 9
Marattus pictor Romanus 395
Marcellus Pictores magno honore afficiebat 41
Marcus Antonius Chalcographus, Düreri opera imitatur 193. opera ejus juxta Diagraphica Raphaëlis ibid. ejus discipuli ibid. carcere punitur 195
Marcus Calaber pictor. Opera ejus 133
Marcus de Ravenna Chalcographus 194
Marcus Senensis pictor 185
Mareel, pictor Francofurtanus 337
Margariton pictor, Sculptor & Architectus 97. invenit methodum linteo obducendi tabulas ib.
Marot Chalcographus 375
Marsyas. Deglubiti Marsyæ antiqua effigies 8
Masaccius. Ejus artificium 102. opera & Epitaphium 103
Massimi eques picturâ clarus 182
Massonius Parisiensis Chalcographus. Opera ejus 375. in Juventute erat arti cataphractariæ addictus 376. opus aliud laudatissimum ibid.
Mattham, Jacobus Chalcographus 360. filii ejus Theodori opera 360
Mayer Augustanus Pictor, in Belgium venit 325. ob Iconum picturas celebratur ibid. opera ejus ibid. ejus dotes animi & corporis 326
Mayria Pictrix Augustana 326
Mayr, Dietericus, Tigurinus Pictor 245. ejus tres filii Johannes Jacobus, Rudolphus ac Conradus, pictores ibid.
Mayvogel Seelandus pictor 308
Maurer Jodocus Tigurinus, Pictor & Mathematicus 243. ejus filius Christophorus 243
Mazzolius parmensis pictor. Opera ejus: Parmensia, & in Ducatu Mantuano 134. Romam venit ibid. inter milites salvus ibid. Bononiam venit 135. Carolum V. pingit memoriter ibid. Ejus mors 136
Mecophanes Pictor 75
Meganius Pictor 385
Melanochalcographia. Inventor istius artis quis fuerit 35. W. Vaillant mira in hac arte præstat ibid.
de *Melan* Parisiensis Chalcographus 374
Melitensis, Tapetum pictor 191
Membra Principaliora, quantum possibile est, in imagine in oculos incurrant, ne contegantur 9
Memmelink Pictor 204
Memnon fuit antiquissimus in Ægypto pictor & Statuarius 49
Mensura. Multis uti mensuris Statuariorum potius est, quàm pictorum 7. mensurandi observandus est modus 7. in membris reflexis mensura est moderanda ibid.
Merian Matthæus, nobilis arte Pictor, est discipulus Sandrarti 320. visitat varia Regna & Regiones ibid. opera ejus Norinbergensia ibid. matrimonium 321. edit theatrum Europæum 321. Consiliarius fit Brandenburgicus & Badensis ibid. Artemisia ibid. plura de eo 358. seqq.
Messala Magnus Pictoriæ fautor 80
Messis, faber dictus, pictor Antverpiensis 230. fabrilem primò exercet artem ibid. miro casu pictoriam prosequitur 231. opus ejus de Christo è cruce sublato 231 epigramma ibid.
Metrodorus Philosophus & Pictor, Patriâ Atheniensis 76
Michaël Angelus Bonarotus Pictor, & Statuarius

rius & Architectus, discipulus Girlandæi 155. præceptorem emendat ibid. Typis Schœnii utitur. ibid. ad Laurentium Medicæum venit ibid. in Statuariâ se exercet ibid. Torrigianus nasum ipsi infringit ibid. Bononiam venit ibid. Florentiam redit 156. Davidem Florentiæ sculpit ibid. varia ejus opera ibid. in magno œco Florentiæ laborat 156. Romam vocatur 156. opera ejus Romana alia ibid. Pontificem deserit ibid. reconciliatus eidem 157. Indignatus Franciæ Pictori ib. sacellum pingere cogitur ib. Laus operis ejus ib. opera ejus Florentina ib. Ferrariam venit ib. iterumque Florentiam 158. Ledam pingit ib. extremum judicium repræsentat ib. pictura & sculptura ejus ultima ib. structuræ Petrinæ præficitur 158. Encomium ejus ib. ejus testamentum 159. Romæ & Florentiæ sepelitur ibid.

Michaël Angelus Marigius Caravagiensis pictor, nil nisi ad vivum exemplar pingit 180. cum Josepho Arpinate inimicitias fovet ibid. ejus opera 181. inter Equites Melitenses recipitur ibid.

Michaël Angelus de Marca pictor 190

Millichius Statuarius Suecicus 345. ejus elogium ib.

Mirefeldius Pictor Delphensis 294. opera & discipuli ejus 295. effigies plus quam decies mille confecisse dicitur ib.

Mires Pictor accuratus 317

Miseron gemmarum sculptor 343. ejus filius ib. nepos ib.

Mnesarchus Sculptor gemmarum 342

Molinaër, pictor Antverpiensis, in subdialibus excellit 259

Monochroma, s. pictura unius coloris 50

Monsignorius favore Ducis Mantuani gaudet 136. Christum & Apostolos pingit ib. canem & avem decipit 137

del *Mont*, Astronomus, Pictor & Architectus. 303

Montfortensis, discipulus Francisci Floris 257. magnis studet ibid. methodus ejus pingendi 258. ejus opera ibid. in Italiam abit ibid. ejus discipuli ib.

Moreelsen s. *Moreelius*, Pictor & Senator Ultrajectensis 301

Mortuo da Feltro Pictor, militiam sequitur 133

Morin Parisiensis Chalcographus 375

Morus Pictor Ultrajectinus. Discipulus est Schorelii 248. Iconibus præcellit 249. opera ejus ib.

Mostardi, Franciscus & Ægidius 264. Johannes, Pictor Harlemensis 247

Muetens Patavus Pictor 385

Muhammetani nullas tolerant Imagines 34

van der *Müllen* Pictor 373

Müllerus, Augustanus Pictor 326. ejus tyrocinia, iter Italicum & opera ibid. specimen Architectonicum & honores 327

Mulieres, earum primus pictor erat Polygnotus Thasius 52

Murillo Pictor, in Indiam abit & Italiam 397

Musivaria ars 95. opus Musaicum Græci in Italiam deferunt 96

Muzianus præstantissimus fuit in pingendis tractibus provincialibus & subdialibus 24. 183

Mycon Atheniensis 55

N.

Nagel Pictor 259

Nantuel Chalcographus Parisiensis 376

Natalis Leodiensis cælator, auxilium præstat ad conficiendum volumen de porticu Justinianeâ 360

Natura, ejus imitatio est perfectio picturæ 4. colores distribuere docet 16. est primum statuariæ & pictoriæ initium 42

Nealces Pictor. Ejus opera 74

Negri, ejus tabulæ 398

Nero Imperator & Pictor 83

de *Neve* Antverpiensis Pictor 312

Neuberger, Daniel, Augustanus. Opera ejus Plastica 349. Metamorphosis Ovidiana 349. effigies Imperatoris ibid ceram indurat ut ferrum ibid. modus ejus fingendi ceras ibid. ejus filia 385. Ferdinandus Neubergerus plastes 395

Neufchastel Pictor è comitatu Montano Hanoniæ 256

Neuland Antverpiensis, Pictor Amstelodamensis 305

Neudlinger Noricus, Pictor 399

Nicearchus Pictor 77

Nicias Atheniensis Pictor, primus picturæ imminentis Cultor 65. opera ejus ibid. vixit temporibus Alexandri M. 65

Nicolaus Calaber pictor. Uxor ejus amore pudicitiæ undis se submergit 133

Nicomachus pictor, ejus opera 60. discipuli 61. quando vixerit ib.

Nicomedes Pictores magno honore afficiebat 41

Nicophanes vetustorum operum studiosus 73

Niger, ejus tabulæ 398

Nigrum, per illud in albo docentur omnes homines, & conservatur humana societas 30. nigrum cœrulascens & carbonaceum qualis color 31. nigri coloris significatio 33

Nimrod, Architecturæ peritus 40

Noa, Architectus antediluvianus 40

Nocturnæ picturæ. Quomodo circa eas sit procedendum 29. qui color iis sit tribuendus ibid. præclara picturarum nocturnarum exempla ib.
Nupta in thalamo 89

O.

OChra, flava, qualis color 31
Oenias Pictor 77
Oleum. Pictura subactus olearii 15. per oleum fiunt colores puri, molles atque vivaces ibid. qui Colores sint pro subactu oleario 31. Chinenses de Coloribus oleariis nullam habent notitiam 34
Olivvier Londinensis pictor membranarum 311
Olympias picturam exercet 85
Onaras Statuarius, filius Myconis pictoris 55
Orator. Ipsi, & Pictori, atq; Poetæ unus est professionis scopus 12
Ordo. Ipsi omnia subjecta sunt 20
Orgagna Florentinus, Pictor, Sculptor, Architectus & Poeta 101. delicias Mundi & miseriam humanam pingit ib.
Orlandus Chalcographus 196
ab *Ort* Pictor 204. 279
Offenbekius Roterodamensis Pictor 319
Ouvvater Pictor 204. opera ejus ib.
Ovvir Pictor 383

P.

de PAas Chalcographus, & liberi ejus 356
Pacuvius Brundusinus, Pictor & Poëta 80
Palamedes Palamedis Pictor 295
Palma Pictor Venetus 177. ejus opera ib. alius Palma ib.
Pamphilus præceptor Apellis 60. ejus opera 61. primus in pictura omnibus literis eruditus ibid. Apophtegma illius ibid. minoris talento docuit neminem 62. hujus autoritate effectum, ut ingenui tantùm eam exercerent artem ib.
Panæus Atheniensis Pictor 51
Paracius Architectus & Chalcographus 184
Paris Pictor Romanus 183
Parmegianus Chalcographus 195. rosionem æris juxta Germanos instituit 196
Parrhasius. Ejus certamen cum Zeuxide 57. Evenor Pater ipsius atque Præceptor 59. primus argutias vultus, elegantiamque capilli excoluit, in lineis extremis palmam adeptus 59. terrâ utebatur Eretriâ candidâ 59
Paschalinus de Marca Pictor 184
Passiones animi in arte pictoriâ propterea observari debent, quia formam immutant atq; colores 11
Patenierus in subdialibus excellit 234
Pauditius Pictor 384
Paulus Hispanus Pictor 185
Paulus Veronensis excelluit in pingendis vestibus 26
Pausias, ejus amor erga coronariam effecit, ut flores pingere disceret 16. 63. pictura encausticâ nobilis ibid. ejus pater & præceptor ibid. pinxit Parietes parvasque tabellas 63. opera ejus ibid. ars ejus in elevandis & rotundè terminandis membris ibid. patria ejus, pictorum patria ibid.
de *Pay*, Pictor 370
Pedes atq; brachia in Imaginibus utrinque projectione & retropositione alternent 8
Pedius pictor mutus 83
Pellegrino de Modena Pictor 126
Pennius Joh. Franciscus, Pictor Florentinus 126. opera, Societas, & frater ejus Lucas ibid.
Pensius, Pictor & Chalcographus Noricus 222. ejus pictura 223. Chalcographica ejus ibid.
Peregrinus Mutinensis 126
Perelle cum filio 375
Pericles Dux Atheniensium, Phidiam pictorem in amicitiam adsciscit 54. Tumultus Athenis contra eum ibid.
Perrier Pictor Gallus 372
Perseus discipulus Apellis 74
de *Persin*, opera ejus 361
Perspectivæ quàm diligentissimè studendum est 5
Perusinus pictor. Opera ejus Florentina 110. avarus est ibid. atheismi vitio laborat 111
Pes, quomodo in imagine sit repræsentandus 9. regulæ de pedibus ib.
Petel Sculptor, Romam venit 340. in Sueviam regreditur ibid. magnum erat Germaniæ decus 341
Petit François 370
Petrus Franciscæ de Castello S. Sepulchri 103
Peruzzius pictor Senensis 195
Pfrintin artem colorandi ceras invenit 337
Pfründtius architectus fit Bernhardi Ducis Vinariensis 342. itinera ejus ibid. Dur laci extremum obit diem ibid. ejus Elogium ibid.
Phalerion Pictor 77
Phidias Atheniensis, Pictor & Statuarius 52. ejus opera sunt: Ægis Palladis & Statua Jovis Olympii, quæ figuris æneis in hoc opere nostro repræsentantur 52. Porrò Statua Minervæ 53. Nemesis Rhamnusia ibid. Cliduchus, Venus &c. 54. anaglyphica invenit ibid.

eum Pericles in ſuam adſciſcit amicitiam ibid. ejus opera alia: Minerva formoſa & aurea 54. propter Periclem in odium venit 55. furti accuſatur, & quamvis innocens, in carcere moritur ibid.

Philippus Lippus 104. arte ſuâ è ſervitute liberatur ibid. laſcivus eſt ibid. veneno necatur 105. filius ejus ejusdem nominis modos quosdam antiquorum reproducit 109. ejus converſatio ibid.

Philiscus Pictor 77

Philocles Pictor Ægyptius 50

Philochares Pictor 66

Pictores, in quem uſum eorum Academiæ inſtitutæ ſint 3. quantum profit, ſi ipſi ſæpius variarum perſonarum geſtus delineent, libelloque peculiari conſignent 5. conducit, ut ii anatomiam intelligant, propter muſculos & oſſa 7. ipſis, & oratoribus atque Poëtis unus eſt profeſſionis ſcopus 12. eorum metus in pingendo defectum indicat ingenii atque experientiæ in artifice 15. ipſi in operibus ſuis nullum debent tolerare errorem 19. pictores hiſtoriarum ab ordine & regulis non excipiuntur 20. ipſis aurora probè eſt conſideranda 24. eorum conclave & lumen 28. neceſſe eſt, ut pictores opus propoſitum è longinquo examinare queant 29. ipſis nota eſſe debet colorum ſignificatio 32. olim ſimul Philoſophi fuerunt & Poetæ 41. â Græcis & Romanis magno honore multisque muneribus afficiebantur 41. Italorum & Belgarum differentia 252

Pictura, ejus definitio 2. quâ ratione ad eam delineatio conducat 3. ejus perfectio eſt imitatio naturæ 4. hæc addiſcenda eſt beneficio corporum nudorum, nec non anatomicè diſſectorum ibid. quid in picturâ hiſtoriarum & circa figuras obſervandum ſit 5. in eâ artis atque diligentiæ ſolers requiritur harmonia 5. cognitio Symmetriæ & proportionis ejusdem, unum eſt de ſtudiis ad picturam maximè neceſſariis 6. in picturâ affectus & paſſiones propterea obſervari debent, quia formam immutant atque colores 11. pictura ſubactu aquario facta, vulgò alla Tempera 15. pictura ſubactus olearii ibid. ejus inventores ibid. quædam fit liberâ manu 15. picturæ in lapide factæ 16. duæ ſunt methodi pingendi 18. Germanorum laborioſa pingendi elegantia ibid. laudabilia picturarum opera laudabilia potius ſunt, quàm videri debent ibid. optimus eſt pingendi modus, qui fit juxta elegantiam 19. picturæ è loco propinquo & è remotiore ſpectandæ 19. recentior veraque pingendi methodus ibid. ſeptem regulæ de picturis hiſtoricis 20. quid ſit pictura operis albarii, quam vulgò in freſco dicunt 22. quid in picturis topographicis ſive campeſtribus & ſubdialibus obſervandum 23. quæ in pingendis veſtibus & pannis obſervanda 25. ſeqq. quomodo procedendum circa picturas nocturnas penes ignem & candelas repræſentatas 29. qui in hac arte excelluerint. ibid. ad picturam multi inventi ſunt colores 31. Chinenſes picturis tantùm utuntur ſimplicibus 34. regulæ quædam de ea 36. primus pictoriæ artis inventor eſt Deus 39. pictura prima perfectiſſima quæ? ibid. qui primi coloribus pinxerint 41. â Græcis & Romanis pictura magno honore afficiebatur ib. eſt imitatrix naturæ 42. quâ ratione Romæ primùm emerſerit ibid. ars pictoria notabiliter iterum decreſcit ſub Conſtantino Imperatore 43. tandemque propter invaſiones Barbarorum planè diſperit ibid. ejus reſtauratio 45. quàm vilis fuerit antiquorum pictura 46. Lydi artem pictoriam in Italiam deferebant 48. picturam igne factam invenit Polygnotus 49. pictura prima nuda erat circumductio, cujus inventor Philocles fuit & alii 50. pictura unius Coloris vocatur monochroma ib. ars pictoria primis temporibus Romæ parum viget 79. mox tamen inclareſcit ibid. ejus incrementum ſub Cajo Julio Cæſare 82. ſub Auguſto ibid. refloreſcit anno 1240. in Italiâ 94. picturæ in albario difficultates 157. non ſtatim benè pingit, qui benè delineat 310. nec benè delineat, qui benè pingit ib.

Pierinus de Vaga, Florentinus Pictor & Architectus, Romam venit 140.
- opera ejus ibid.
- ſocietas 141
- Romæ capitur ibid.
- Genuam venit ibid.
- Piſis domicilium figit ibid.
- ad miniſteria Pontificis aſſumitur 142
- multitudo operum ejus ibid.

Pietro S. Bartoli Chalcographus 198

Pinus Pictor 83

del *Piombo* Venetus pictor 139
- opera ejus ibid.
- methodum invenit colore oleario in muros pingendi 139
- in ſervitia papalia venit ibid.

Piſani Statuariam emendat atque reſtituit 45

Pitau Chalcographus Pariſienſis 376

Plato Philoſophus 88

Plautilla Abbatiſſa pingendi peritisſima 192

Plicaturæ vestium non debent esse superfluæ 26. differunt pro diversitate materiarum 26. per eas nullum membrum nullumque lumen in specie obtegendum vel obfuscandum 27. nec nimiæ, nec nimis paucæ adhibendæ sunt plicaturæ ibid. earum abbreviatio ibid. longitudo ibid.

Poch. Constantiensis Pictor 318. ejus frater è Societate Jesu 319. tertius frater Statuarius Viennensis ibid.

Poëta, primus non est Homerus 42

Polidor da Caravaggio. Vide *Caravagiensis* 130

Pollaivoli, pictores duo Florentini 106. epitaphium utriusque ib.

Pollii, Parisienses Chalcographi 374

Polygnotus, Atheniensis pictor 49. picturam igne factam invenit, quæ Encaustica dicitur, 48. & quam repræsentat Figura nostra ænea Literâ C. notata 49. artem pictoriam in meliorem gradum evehit, circumducta delineationis elementa intus explendo 50. Polygnotus Thasius pictor mulierum primus 52

de *Ponte* Antverpiensis Chalcographus 359

Poppius Norinbergensis Pictor 335

le *Potre* Parisiensis Chalcographus 375

Pourbus Petrus & Franciscus 260. opera Petri ibid. Francisci ibid. ejus mors 261

Poussinus Andeliensis, Pictor 368. opera ejus Romana ibid. in Servitia Regis Galliæ vocatur ibid. Romam revertitur 369. opera ejus ibid. Casparus agnomine Poussinius 370

Praxiteles Statuarius 63. Opera ejus: Venus Coa vestita; Venus Gnidia nuda 64

Preislerus Pictor Noribergensis 385

Preiss architectus & Statuarius Herbipolitanus 378

Primaticius Bononiensis pictor & Architectus 160. in Galliam venit, & Statuas multas secum defert ibid. fit Regis Architectus ibid.

Primo, Bruxellensis Pictor, Romæ commoratur per sedecim annos 315

Profil, expressior figuratio, quæ architecturæ potissimùm inservit 3

Propertia, Bononiensis, exsculpendis nucleis persicis & marmore clara 191

Protogenes, Caunius, quando vixerit 72. opera ejus: Jalysus, perdix & canis ibid. animositas ejus ibid. usus artis pictoriæ ibid. ejus temperantia ibid.

Proverbium, ex ungue Leo: id est: Intellectum ex unica corporis parte, totam ejusdem colligere symmetriam 2

Pruchertus Monacensis Pictor 320

Pudor, ejus effectus 12

Pulenburgius Ultrajectanus Pictor 298

du *Puis* Pictor 376

Puligus Pictor Florentinus. Opera ejus & defectus 115

da *Puntormo* Pictor & adjutor Sartorii 144. Bonarotti de eo vaticinium 145. Ejus larvaturæ pro festo Bacchanaliorum ib. opera ejus alia ib. Albertum Dürerum honore prosequitur ibid. pro plebejis libentius pingit 146. Florentiæ Sacellum S Laurentii pingit ib. perfectionis morbo laborat ibid.

Purpureus Color, ejus significatio 33

Pyreicus humilium pictor 74

Pyrgoteles Sculptor gemmarum 342

Pyrrhus primus inter Græcos pictor, Dædali nepos 49

Q.

QUellinus Erasmus, Philosophus & Pictor Antverpiensis 334. gradum Magisterii in Philosophia adipiscitur, & est lumen pictorum ibid. Artus Quellinus Senior & Junior, Statuarii 350. Johannes Erasmus, Architectus & Pictor 381

de *Quesnoy* Statuarius, Romam venit 346. ejus opera ibid. invidiam Italorum experitur 347. Cupido ejus præstantissimi operis ibid. certamen init cum Statuariis primariis in elaborandâ Statuâ S. Andreæ ibid. â quodam diu impeditur ibid. opus tamen perficit summo cum gaudio Pontificis 348. multa conficit Epitaphia ibid. vita ejus civilis ib. in Galliam vocatur ib. frater ejus pessimè vixit ib.

R.

RAphaël, ejus laus circa pingendas vestes juxta ritum antiquorum Romanorũ 26. circa picturas nocturnas 29. Vide *Sanzius.*

Raphaël Rheginus. Opera ejus 183

Ravensteinius Hagensis Pictor 295

Reflexio Luminis 4

da *Regio.* Vide *Raphaël Rheginus.*

Regnierius, Mabusæus Pictor 392

Rhenius. Vide *Guido Rheen.*

Religio Christiana multum contulit ad artium iconopoëticarum exterminium 44

Rembrandus de *Ryn* proprias sibi adinvenit artis Regulas 322

ejus divitiæ ib.
verum colorum usum pictores docet 323
modus ejus pingendi ib.
à *Ribera* Pictor, horrendis delectatur. 182
Ricciarellus Volaterranus Pictor & Statuarius 152
Romam venit, & opera ejus hujus loci ibid.
in Pierini locum venit ibid.
Statuariæ incumbit 153
Michaëlis Angeli quædam corrigit ib.
Statuam fundit æneam maximam ibid.
Richardus Pictor 311
Ringli Tigurinus Pictor 381
Ritterus Aurifex & Sculptor 351
Riverius. Vide à *Ribera.*
Robustius. Vide *Tintorettus* 168
Rogerius Pictor Brugensis 203
Roma subterranea 44
Romanellus Pictor 191
Romani sibi ipsis ponunt statuas 42. quod à Græcis didicerunt ib.
Romanum Imperium Occidentale. Ejus interitus secum traxit interitum omnium artium 43
Roosius Joh. Heinricus, Pictor 390
alius Theodorus ejus frater ibid. quorum effigies tab.7. repræsentantur.
Rosa Pictor subdialibus celebris 190
Rossus Florentinus, Pictor & Architectus 131
Opera ejus Florentina, Romana, Perusina, Aretina, Gallica 131.132.
Veneno se perimit ibid.
Rotenhamerus Pictor Monacensis. Opera ejus 279
ejus Vita 280
Rousselet Chalcographus 376
Rubens Pictor Antverpiensis. Præceptores ejus 282
in servitia Alberti Archiducis assumitur ib.
Romam venit, ibique opera quædam conficit ib.
In Belgium redit, magnamq; ibi conciliat autoritatem ib.
Artifices Batavos visitat 283
Judicium ejus de Pictoribus Hollandis ib.
methodus ejus informandi discipulos ib.
inventio ejus ditescendi ib.
Abraham Janson fortunæ ejus invidet 284
Legatus in Angliam mittitur ib.
ob concredita negotia status periclitatur ib.
magnum operum artificiosorum thesaurum colligit ib.
ejus sepultura 285
Rubeus Color, ejus significatio 32
Rubrica Anglicana, qualis color 31
de *Ruel* Antverpiensis Pictor 386
Rugieri inventores picturæ subactus olearii 15
Rustichi Pictor, Statuarius & Architectus. Ejus methodus optima quæq; elaborandi 147
Mercurii Statuam ex ære fundit ib.
Opera ejus varia ib.
Ejus Liberalitas erga pauperes ib.
Societas thrullæ ib.
in Galliam venit ib.
Ruschius Pictor historiarum celeberrimus 398

S.

SAchius Romanus Pictor 189. 190
Sachtliven Roterodamensis Pictor 311
Sacrifica. Instrumenta in iis adhibita 85
Sadeler Johannes Chalcographus 353
ejus Statura & sedulitas 354
Francofurtum venit ib.
in Italiam abit ib.
ejus frater Raphael Chalcographus 354
patruus Ægidius ib.
in Italiam venit 355
in servitia Imperatoris Rudolphi assumitur 355
vita ejus civilis 356
Salimbenius Senensis Pictor 185
Chalcographus 197
Salvator Rosa, subdialibus celebris 190
Salviatus Florentinus Pictor 150
amicus Vassarii ib.
opera ejus juvenilia ib.
ad Cardinalem Salviatum venit ib.
opera ejus Romana 151
Florentina & Veneta ib.
Romam redit ib.
ubi domicilium figit ib.
odia ejus 152
Mœrore extinguitur ibid.
de *Sandrart* Johannes Francofurtanus. Opera ejus 335
Joh. Jacobus 336
Jacobus Chalcographus 363
ejus icones & alia opera ib.
ejus filia Susanna 391
cujus effigies tab.8. repræsentatur.
Sanzius Urbinas, Pictor & Architectus. Ejus nativitas 120
Ejus Imago D. Virginis puerulum gremio gestantis ib.
opera ejus Perusina ib.
Sepultura Christi ib.
Opera Romana: Unio Theologiæ cum Philosophia, Astrologia & Poesi ib.
Cognitio omnium rerum ib.
Poësis ib.
Parnassus 121
Disputatio Theologorum de hostia & missa ib.
historia de Jure Canonico & Civili ib.
duæ Icones ad S. Mariam populosam ib.
Propheta Esaias ad S. Augustinum ib.

Galatea in palatio Chisii ibid.
Sacellum in æde S. Mariæ de Pace ibid.
Tabula summi altaris in templo, quod Ara Cœli dicitur ibid.
miraculum sacerdotis, cui colliquescit hostia ib.
Petrus in vinculis dormiens in carcere ibid.
Heliodori Sacrilegium 122
fuga Attilę ibid.
ejus Opera Neapolitana ibid.
S. Cæcilia, opus Bononiense ibid.
Florentiæ altaris tabula ibid.
Opera Romana alia ib.
Incendium Borgense: Anchises ab Æneâ è flammis Trojanis gestatus, quod opus miraculosum ob incomparabilem perfectionem, æri incisum ab Autore repræsentatur 123
Connubium Psyches ibid.
Opera ejus extera ibid.
transfiguratio Christi 124
ejus divitiæ ibid.
æneis quędam typis edit. ibid.
Amori indulget ibid.
æmulatio inter ipsum & Michaëlem Angelum ibid.
ejus mors & Elogia 125
du *Sart* Sculptor, Romam proficiscitur 349
in Servitia Regis Anglicani assumitur. ibid.
Hagam Comitis se confert 349
Sartorius Florentinus Pictor 126
Opera ejus ibid.
in Galliam abit 127
Florentina ejus opera ib.
Savery Pictor Flandricus 298
in subdialibus excellit ibid.
Pragæ commoratur 299
Opus ejus laude dignissimum 299
Ultrajectum venit ibid.
de *Savoye* Antverpiensis Pictor 305
Saudtmann Harlemensis Pictor 305
de *Schall* Baro & Pictor 384
Scheifelein Nordlingensis Pictor 377
Schizzi, rudis & informis designatio. 2
Schœnefeld Augustanus 324
ejus modus pingendi ib.
Opera ibid.
Schœnius Pictor 204
singulariter familiaris est cum Petro Perusino 208
Opera ejus ibid.
Schorelius Pictor, Discipulus est Mabusii 235
ad Albertum Dürerum venit ibid.
Hierosolymas abit ibid.
ejus Opera 236
in Galliam vocatur, ibid.
à Rege Sveciæ amatur ibid.
Schreiber Frisingensis Pictor 335
Schudt Antverpianus 295
Schuppenius Chalcographus Parisiensis 376
Schurmannia, Fœmina eruditissima & artificiosissima 379
Schwanenfeld de Wurde Pictor 311
Schwanhardus Georgius, artem Statuariam discit à Christophoro Harrigio 344
Heinricus, ejus filius, integras urbes in vitro cælat 345
Vitri rodendi artificium invenit ib.
alter filius Georgius moritur ib.
Schwartz in albario recente excellit 254
Opera ejus olearia ibid.
alius Groningensis Pictor 247
Schweickardus Sculptor Noribergensis 352
L. *Scipio* acta propria picta proposuit 80
Screta Pragensis Pictor 323. ejus Opera ibid.
Sculptura est imitatrix naturæ 42
difficile est, ejus inventorem denominare ibid.
quâ ratione Romæ primùm emerserit 42
quàm vilis fuerit antiquorum Sculptura 46
Sebastianus de Plumbo Venetus Pictor 139
Segerus Gerhardus, Pictor Antverpiensis 294
ejus Methodus ibid.
modum pingendi alium assumit ibid.
Daniel, Societatis Jesu, pictor 307
ejus opera ibid
Semiramis architecturæ perita 40
Seneca Philosophus 88
Serapion magnarum tabularum pictor 74
Sevin Bruxellensis pictor 387. carmen in ejus Obitum ib.
de *Siegen* inventor artis melanochalcographicæ 35
Signorellus Pictor Cortonensis 111
Opera ejus Orvietana, Lauretana, Cortonensia & Romana ibid.
Silvestre Parisiensis Chalcographus 375
Simandius Rex Ægypti. Ejus sepulchrum 49
Simon Chalcographus, Gallus 377
Simon Senensis Lauram pingit 101. ejus epitaphium ibid.
Simonides Pictor 77
Simus Pictor 77
Socrates Pictor 75. Philosophus Atheniensis 87
Soënsis, Pictor Antverpianus 184
aliàs Pictor Boscoducensis 275
subdialibus excellit 275
Sol. ab eo lumen accipiunt Planetæ atque terra 28
ut & naturalem suum colorem res omnes atque singulæ ibid.
Sommerii Pictores celebratissimi 296
Sophocles Poëta tragicus 87
Sophonisba Cremonensis, pictoriâ celebris 192
Soriau Pictor Hanoviensis 289
Filius ejus ibid.
Spes, ejus effectus in facie 11

Spielbergerus Hungarus 336. Opera ejus & obitus ibid.
Språnger Antverpienſis, Pictor evadit Aulicus Pii V. Pontificis 269
Opera ejus Italica ibid.
majora & minora 270
Viennam venit, ibique in ſumma eſt gratia apud Rudolphum Imperatorem 270
Statuæ. ab iis faciendum eſt delineandi initium 3
antiquarum perfectisſimus veſtitus 26
prima & optima eſt homo 39
à quibus primæ ſtatuæ fuerint elaboratæ 40
exindè Idololatria exorta ib.
Romani ſtatuas ſibi ipſis ponunt 42
quare olim funditus fuerint everſæ 44
Statuaria. Quâ ratione delineatio ad eam conducat 3
ejus primus inventor eſt Deus 39
Chaldæi inventores Statuariæ 40
Græci in ea inſignes artifices 41
eſt naturæ imitatrix 42
hæc ars notabiliter iterum decreſcit ſub Conſtantino Imperatore 43
tandemque propter invaſiones barbarorum planè diſperit ib.
Piſani eam emendat atque reſtituit 45
Statuarii quandoque delineationis loco utuntur exemplaribus quibusdam plaſticis 2
antediluviani qui? 40
olim ſimul Philoſophi fuerunt & Poëtæ 41
Staturæ longiores & breviores 7
uſus longiorum minus reprobatur ibidem.
van der *Steen* Antverpienſis Chalcographus 362
Opera ejus Viennenſia ibid.
Steinmüller Auguſtanus Pictor 318
de *Steinwig* Pater & Filius Pictores 292
Steinwinkel Pictor Hafnienſis 383
Stephanus Pictor Florentinus 99
Opera ejus Piſana, Florentina, Aſſisſiana 99. 100.
Stephanus de la Bella Chalcographus 197
Stimmerus Schafhuſanus Pictor 244
Xylographica ejus ib.
figuræ biblicæ ibid.
Stockamerus 352
Stop Anglus Pictor 384
Storerus Conſtantienſis Pictor 320
Stoſſius Sculptor & Pictor. Opera ejus 218
Stoßkopf Argentoratenſis, diſcipulus eſt Soriavii 304
in errorem inducit Imperatorem ibid.
Stradanus Pictor Brugenſis 268
Opera ejus 269
Strauchius Pictor Noribergenſis 378
Strauſius Statuarius 351
Stumm Pictor Hamburgenſis 384
Suſteri, Lambertus, Fridericus, & Johannes, Monachienſes fratres 224
Sutermanni tres fratres, natu major & minor pictores, natu minimus muſicus 304
Symmetria. Ejus Cognitio unum eſt de ſtudiis ad picturam maximè neceſſariis 6

T.

Taffi Florentinus. Ejus ars muſivaria 95
Talentum quid? 62
Tauriscus Pictor 78
Teledeus, Sculptor Gemmarum 342
Telephanes Sicyonius, Pictor 50
Phocenſis, Statuarius 50
Tempeſt Chalcographus 197
Tenierius Senior Antverpienſis 303
Junior 314
Terra eſt pictura perfectisſima 39
Terra viridis, qualis color 31
Terror, affectus moleſtus 12
Teſchlerus Statuarius 218
Teſſin architectus Svecicus 345
Italiam & Galliam inviſit ibid.
ejus opera primaria & elogium 346
Teſta Lucanus. Opera ejus 190
Undis ſubmergitur ibid.
eſt & Chalcographus 197
Theodorus Pictor 77
alius, Sculptor Gemmarum 342
Theon Pictor 78
Theophraſtus Ereſius 88
de *Thielen* Mechlinienſis Pictor 312
Thoman Patritius Lindavienſis, Præfectus annonæ fit apud Cæſareanos 288
alius *Thoman* architectus 351
Thourneiſſen Baſileenſis Chalcographus 365
Filii opera 382
Tiberius Imperator picturis favet 83

Timagoras Chalcidensis Pictor 52
Timanthes Pictor. Illius opera 60
vincit in certamine Demonem Atheniensem ibid.
Timarete Picturam exercet 85
Timomachus Byzantius 78
Timor, affectus molestus 12
Tinellius Pictor & eques 396
Tintoretta, Filia Tintoretti, iconibus celebris 169
trigesimo ætatis anno moritur ib.
Tintorettus Venetus Pictor 167
novis inventis abundat ibid.
certando pingit ibid.
Opera ejus alia ibid.
promptissimus est picturâ 168
Titianus præstantissimus fuit in pingendis tractibus Provincialibus & subdialibus 24
in pingendis vestibus 26
Vide *Vccellius*.
Tomasinus Chalcographus 196
Torrentius Amstelodamensis, picturis minutioribus operam dat 299
in suspicionem hæreseos incidit ibid.
equulei cruciatu moritur ibid.
Totilas imagines & statuas olim evertebat 44
Trichet du Fresne Gallus 370
Tristitia. Per eam emoritur pulchritudo 12
Troschelius Noribergensis Chalcographus in Italiam venit 356
lapsu moritur ibid.
Tubalkain Statuarius antediluvianus 40
Turpilius primus Pictor Venetus 83

V.

VAillant mira in arte Chalcogrophica præstat 35
est Pictor & melanographus 378
Valerianus Imperator pinxit 84
Valerius Sculptor Gemmarum 342
Vandali olim imagines & statuas funditus evertebant 44
Vassarius Aretinus, Pictor & Architectus scribit de pictoribus. Venit Florentiam & Romam 173
sedulò omnia delineat 173
Architecturæ operam dat 174
ejus cura pro sororibus ibid.
aulam deserit ibid.
Romæ delineat varia ibid.
Noctem nativitatis Christi pingit 174
opera ejus Bononiensia ibid.
pro Pontifice pingit 175
moritur ibid.
Vasa Antiquorum immolatoria 85
Vccellius Titianus Cadorensis Pictor, Bellini discipulus 160
præcox icones pingit ibid.
Opera ejus ibid.
figuras typis Xylographicis edit 161
Opera ejus Ferrariensia ibid.
â Carolo V. amatur 162
Philippus Rex Hispaniæ propriâ manu ad ipsum scribit ibid.
opera ejus in templis 163
cum eo Pordenonius certat ibid.
ab Imperatore bis mille coronatos accipit 163
Mantuana ejus ibid.
Romam venit 164
Michaëlis de eo judicium 164
opera ejus Veneta ibid.
picturæ ejus Poëticæ ibid.
de Methodo ejus pingendi ibid.
Picturæ in senio ab ipso factæ 164
opus nocturnum 165
opera priora immutat ibid.
Peste moritur ibid.
ejus frater Franciscus ab eo invidiâ â pictoriâ abstrahitur 166
Filius *Horatius* Iconibus excellit 167
hujus opera ibid.
Romam venit ibid.
Chymiæ operam dat ibid.
da *Vdine*. Vide *Gioanni da Vdine*.
de *Vecchia* Giorgionium exactè imitatur 396. 397
de *Veen* Pictor Antverpiensis. Opera ejus. 279
de *Velde* Hagensis Pictor 304
Verbrug Pictor Ultrajectensis 301
Verbruggen Antverpiensis Sculptor 350
Verhoech subdialium pictor 280
Vermeyen Beverovicensis, cum Carolo V. peregrinatur 245
Johannes Barbatus dicitur 246
Verocchius diagraphices callentissimus 107
artem gypso plasmandi invenit ibid.
Venetias vocatur, & Venetos placat ibid.
Vervvilt Roterodamensis pictor 313
Vestis. Quâ ratione vestiendum sit corpus

nudum, ut in illo â veſtibus nulla exoriatur obſcuritas 13
honeſtatis æſtusque & frigoris atque pluviarum cauſa veſtibus incedimus 26
eæ juxta ſexum, ſtatum, nec non diſpoſitionem perſonarum, quin & pronationum diverſitate diſtinguendæ ſunt ibid.
Lucas Lugdunenſis excelluit in pingendis veſtibus 26
veſtis exterior & rotunditas plicarum ibid.
Laus Raphaëlis circa pingendas veſtes juxta ritum antiquorum Romanorum ibid.
excelluit in hac arte Titianus, Paulus Veroneſius, Adamus Elzheimerius & Horatius Gentileſcius 26
veſtibus Statuarum Antiquorum ibid.
de *Vetti*, Belga, Pictor 385
de *Viana* Argyropœus 339
ei crimen blaſphemiæ imputatur 340
moritur cælebs ibid.
frater ejus idem artis genus excolebat 340
Villamena Chalcographus 196
da *Vince* ſ. *Vincius* Pictor & Statuarius 111
præceptorem ſuperat ibid.
tapetem pingit ibid.
genius ejus & opera 112
Anatomicus eſt ibid.
libros de pictoria ſcribit 112
iconibus pingendis incumbit 113
prœlium pingit ibid.
vernices parat ibid.
inter ipſum & Michaëlem Angelum æmulatio ibid.
Vinkeboom Pictor Mechlinienſis. Opera ejus 281
Virgilius Solis illuminator & Chalcographus 219
Viridis Color 16
ejus ſignificatio 33
Viſigothi imagines & ſtatuas olim funditus evertebant 44
Vffenbachius Pictor Francofurtanus. Ejus opera 285
Vmbilicus eſt centrum circumferentiæ circa corpus ductæ 6
Vmbra & Lumen ſunt duo totius mundi colores principales, fundamentaleſque artis pictoriæ 30
umbra terrea, qualis color 31
Vorſtermannus Chalcographus Antverpienſis 357
modus ejus cælandi ibid.
de *Vorſt* Pictor & Chalcographus 359
de *Vos* Pictor Antverpienſis 268
Vovet Pictor Pariſienſis, Romam venit 367
artem in Gallia reſtaurat ibid.
de *Vries* Statuarius 340. in Italiâ, Florentiâ & Germaniâ celebris ibid.
Vroom Pictor Harlemenſis 274
primò plaſtes eſt ibid.
Itinera ejus ibid.
rebus nauticis pingendis incumbit 275
Vtenvval Pictor Ultrajectinus 280
ab *Vtrecht* Pictor 291

W.

de *WAël* Pictor Antverpienſis 299
Wagnerus Noribergenſis Pictor 387
Waldreich Auguſtanus Chalcographus 366
Walteri, Senior & Junior, Argentoratenſes 304
Wauter Antverpienſis Pictor 305
Wernerus Bernenſis, diſcipulus eſt Matthæi Meriani 330
in Italiam venit ibid.
picturis membranarum incumbit 330
in Galliam venit ibid.
opera ejus ibid.
Auguſtæ Larem figit ibid.
ejus Encomium 331
de *Wert* Pictor Bruxellenſis 247
Coloniam venit ibid.
ejus opera ibid.
Wertmüllerus Pictor 383
opera ejus & mors triſtiſſima ibid.
Willartus Antverpienſis 299
Willebort Bergenſis Pictor 307
Willingerus Pictor Berolinenſis 384
Willmannus Pictor Libuſienſis 393
Wingen. Opera ejus Belgica 271
adhuc alia ejuſdem ibid.
ejus filius iconibus excellit ibid.
de *Witt* Pictor Brugenſis 277
alius Antverpienſis 313
Wolfgangus Auguſtanus Chalcographus 366
Wolgemuth Pictor Noribergenſis 206

X.

XYlographia, de eâ notatu quædam digna 35
haec ars ad inveniendam artem typographicam primam dedit ansam ibid.
in hac arte excelluerunt Lucas Lugdunensis, Grünvvaldus & Holbeinius 35
Itali Inventionem Xylographiæ sibi attribuunt, quæ tamen Germanis debetur 206

Y.

YSelburgius Coloniensis Chalcographus 356

Z.

ZAmpierus Bononiensis Pictor 186
opera ejus ibid.
alia memoratu digna de eo 380
Antonius Zanchius. Opera ejus 398
Zeuxis Heracleotes 56
ejus opes ibid.
opera, apophthegmata, & vitium in pingendo 57
Tabulam ad exemplar quinq; virginum vivarum pingit Agrigenti ibid.
ejus certamen cum Parrhasio 57
ejus judicium de picturâ propriâ 58
opus ejus Helena cognomine pulchra ibid.
nihil pingebat, quod vulgare esset ib.
opera ejus sunt Centaura quædam lactans & Marsyas 58
quo tempore vixerit 59
Zuccherus Thaddæus, Pictor, Romam venit 154
ad Danielem Parmensem se confert ib.
opera ejus ibid.
Urbinum vocatur ibid.
Romam redit ibid.
opera ejus Romana ibid.
Trophæa pingit pro Carolo V. 155
Effigies Pontificis 155
ab osoribus non opprimitur ibid.
opus ejus ultimum ibid.
Frater ejus Fridericus Romam venit 175
qui quatriduo totam passionem pingit ibid.
corrigentem fratrem haud fert 176
Itinera ejus ibid.



NOBILIS-



NOBILISSIMI atq; STRENUI
DOMINI
JOACHIMI à SANDRART
in Stockaw, Sereniſſimi Ducis Neoburgici Conſiliarii

VITA atq; OPERA

à

Patruelibus atq; Diſcipulis ejus collecta,
nunc contractius edita.

Argumentum.

Autor vitam propriam deſcribere recuſat. Majores & Parentes ejus. Educatio ejus. Applicatio ad Chalcographiam. Studia illius pictoria. Gratia utitur Caroli Stuarti, Britanniæ Regis maxima. Picturæ quædam Anglicanæ rariores. Artifex iſte in Italiam abit. Venetias venit. Operis Titiani de martyrio S.Petri apographon conficit. Nec non operam quorundam Pauli Veronenſis. Bononiam venit: Et Florentiam: tandem Romam. Illius receptio. Duodecim opera duodecim Artificum ſingularium. 1. Guidonis Rennii raptus Helenæ. 2. Guerzinii de Cento Cædes Didonis. 3. Joſephi Arpinatis. 4. Maſſimii. 5. Horatii Gentileſci. 6. Petri Cortonenſis, raptus Sabinarum. 7. Valentini Colombii quinq; Senſus. 8. Andreæ Sacchii Providentia. 9. Johannis Franci Calliſto & Actæon. 10. Dominichini Bononienſis Diana venatrix. 11. Nicolai Pouſſinii plagæ Philiſtæorum. 12. Sandrartii noſtri Seneca moriens. A Principe Juſtiniano ſuſcipitur. Effigies Raggii equeſtris. Fatuum cujusdam circa pingendam iconem ſuam deſiderium. Cædem Catonis pingit. S. Hieronymum & S. Mariam Magdalenam. Duodecim myſteria D. Virginis. Ejusdem in pingendo modeſtia. Opus Juſtinianeum. Neapolin abit. Inq; Siciliam; & Meliten. Pontificis iconem pingit. Malevolos ſuperat. Amicum habet Claudium Gillium. Româ abit. In Germaniam redit: Et Francofurtum. Icones ejus primariæ. Matrimonium ejus. Amſtelodamum abit. Opera ejus Batava. Hollandiam deſerit; Venditis magno pretio rarioribus ſuis. Prædium ſuum nobile reſtaurat. Denuò incenſum iterum reſtituit: vendit. Auguſtæ larem figit. Opera ejus Bavarica, duodecim menſes. Lepus ab ipſo pictus à canibus petitur: In Menſes ejus Epigrammata Barlæana. Opus ejus de miraculoſa piſcium captura, Cum pluribus aliis. Ab Archiduce Leopoldo Wilhelmo inviſitur. Archimedes ejus. Opus ejus de Diviſione Apoſtolorum. Opera ejus in diæta pacificatoria Norinbergenſi. Effigies Caroli Guſtavi Com. Pal. Defectus naturales obtegit. Effigies Vrangelii. Piccolominii. Octoginta

Suecica, & aliæ plures. Pictura Convivii Pacificatorii. Encomium ejus Harsdörfferianum. Opus ejus de Decollatione Johannis Baptistæ. Effigiem Ferdinandi III. Imperatoris pingit; Et Imperatricis: Regisq; Romanorum; & Leopoldi Archiducis. In magna est gratia Imperatoris. Inventio Imperatoris pro iconibus familiæ Austriacæ. Opus Aichstadianum de oleo S. Walpurgis. Opera Lambacensia; 1. Assumtio D. Virginis. 2. Origo Rosarii. 3. Reliquiæ S. Juliani. 4. Martyrium S. Sebastiani. 5. Obitus S. Josephi. 6. Martyrium S. Placidi. 7. Triumphus S. Benedicti. Pinacotheca ejus Lambacensis. Cæna ejus Dominica Lynciana. Martyrium S. Barbaræ. Imago Crucifixi. Dolores B. Virginis. Salisburgi Baptismus Christi. Imago D. Virginis. Obitus ejusdem. Ratisbonæ Martyrium S. Haymerani. Antonius de Padua. Paulus & Antonius. Inventio Crucis. Viennæ crucifixio Domini. Josephus cum filiolo. Desponsatio Mariæ cum Josepho. Fuga Christi in Ægyptum. Historia de Christo inter Doctores in templo sedente. Historia demissi cœlitus Spiritus S. Waldhusii. Extremum judicium. Omnia consummat Sandrartius, inq; arte semper proficit. Opera illius alia; Crucifixio Domini. Martyrium Petri & Pauli. Et altare ejusdem templi summum. Tabula Altaris maximi in Templo S. Cajetani Monacensi. Uxoris illius primæ obitus, & matrimonium ejus secundum. Larem Norinbergam transfert. Scripta ejus in lucem edita. In ordinem Palmiferum suscipitur. Opera ejus Lambacensia ulteriora. Ultimum opus ejus Extremum judicium.

Autor. Vitam propriam describere recusat.



NE magnus iste Artis Pictoriæ in Germania post tumultus bellicos Restitutor planè maneret intactus in Opere hoc Academico, nostrum fuit, qui sanguine non minùs, quàm Gratitudinis obligatione eidem tantoperè devincimur, tumultuario saltem ordine quædam ab ore ipsius carptim hausta de Vita & operibus ejus corradere, & Appendicis quasi loco huc subnectere. Quamvis enim in aliorum gratiam magnis sumtibus tam splendida ediderit Opera Academiæ pictoriæ Germanicæ; Architecturæ; Sculpturæ; Iconologiæ Deorum; Sculpturæ Veteris Admirandæ, tandemq; Academiæ hujus Latinæ: in sui gratiam tamen, obstante modestia, quicquid rogando urgeretur, ne tantillum quidem conscribere voluit, ne laudes debuccinare videretur proprias.

Majores & Parentes ejus.

Originem autem trahit ab antiquissimâ nobilissimaque familia Wanguetiorum in Comitatu Artesiæ quondam celebrium, qui deinde sub nomine Sandrartiorum innotuére, jamq; circa annum 1078. pro Nobilibus fuére agniti: unde & jam circa annos 1371. 1418. & 1423. Sandrartii quidam magno resplenduerunt honore, testante Johanne Carpentario in historia sua Genealogica anno 1662. Lugduni Batavorum impressa: item Viro celeberrimo Del Roy Leodiensi. Abavus autem ejus Johannes Sandrartius Montibus Hanovianis domicilium habens, ingenio & fortitudine tam nobilis erat, ut ab Alexandro VI. Pontifice Romam evocatus cohorti præficeretur Prætorianæ, confirmatâ insuper nobilitate ejus per investituram duarum Dynastiarum de Lescaille & Fay: ubi etiam per aliquot annos larem habebat; ducta interea uxore Maria Rengallia, è qua duos suscipiebat filios Johannem & Georgium. Quamvis deinde Romam ad supradictum officium suum regressus post aliquot annos fato ibidem fungeretur, anno nimirum 1509. ubi splendida quoq; honorabatur sepultura.

Filius ejus natu major Johannes Sandrartius Canonicus erat & Doctor Theologiæ, tandemq; Decanus Nobilium Virginum Montensium ad St. Waudre, in quorum templo, ad columnam ante Altare chori Epitaphium ejus anno 1538. erectum adhuc visitur.

Alter illius filius Georgius Sandrartius in plena supradictorum Bonorum possessione jure hæreditario permanebat: quamvis ob subsecutos tumultus bellicos eadem postmodùm insigniter devastarentur.

Filius Georgii hujus natu major Johannes in lucem editus fuit Montibus anno 1524. ductâq; uxore Juliana Pressia, septem generabat liberos, Jacobum, Johannam, Johannem, Petrum, Catharinam, Laurentium & Franciscum.

Inter hosce Laurentius Sandrartius Montibus natus; anno 1597. Valentianæ uxorem ducebat Antonettam de Bodeau, Domini Jacobi de Bodeau & Dominæ Collectæ le Grand filiam: cum quâ ob adauctos belli motus patriam tandem deserens Francofurti ad Mœnum domicilium constituebat, ubi liberos quoq; ex eâ suscipiebat, Petrum, Jacobum, Laurentium, Joachimum, Mariam, Emanuelem, Antonettam, & Jonam: è quibus Joachimus hicce noster in lucem editus est anno 1606. die Maji 12. post tertiam matutinam.

Hic cum in tenerâ jam ætate non rudimenta saltem Scholarum ordinaria, sed & aliquot linguas exoticas facili Minerva addidicisset, ad diagraphicen autem singulari inclinaret affectu, ut inter ipsa exercitia Scholastica integros typos tam Chalcographicos quàm Xylographicos calamo — Educatio ejus.

imitaretur, quos Theodorus de Brie, & Matthæus Merianus, aliiq; pro autographis non rarò habebant: quibus etiam delineationes juxta viva exemplaria adjungebat varias felicitate maximâ; hinc ad artem Chalcographicam primò sese applicabat, tam cælatoriam quàm rosoriam, non Francofurti tantùm, sed & Norinbergæ, ubi Petri Iselburgii aliquandiu sese committebat informationi.

Applicatio ad Chalcographiam.

At quoniam eodem tempore celeberrimus ille Chalcographus Cæsareus Ægidius Sadlerus Phœnicis instar hac in Arte inclaruerat, hic noster quindecim tum annorum adolescens pedestri Pragam ad eundem se recipiebat itinere, exhibitisque speciminibus suis variis, in discipulum sese eidem offerebat. Ubi maximi Vir ille & judicii & Candoris observatis juvenis istius profectibus, â Chalcographiæ studio tædiosissimo eundem dehortabatur, ad pictoriam potius illum stimulans, in quâ procul dubio ad extremum consummatæ artis ascensurus esset fastigium.

Studia illius Pictoria.

Quod consilium secutus, Ultrajectum sese conferens, celeberrimum tum Gerhardum Hundhorstium sibi eligebat Præceptorem: cujus ductu tam feliciter progrediebatur, ut, superatis condiscipulis omnibus quam plurimis, ab ipso Magistro in socium eligeretur pro itinere Anglicano, ubi pro Carolo Stuarto Magnæ tum Britanniæ Rege opera ipsi pingenda erant varia singularia. Quâ in societate tantam quoq; promerebatur laudem, ut dimisso largis cum muneribus Præceptore, ipse à Rege summo cum favore ad ulteriora detineretur: nec sine commodo, cum è picturis Regiis rarissimis secretissima istius artis arcana feliciter sibi excerpere, inq; usum proprium convertere liceret. Nec facilè tam favorabilem deseruisset conditionem, nisi patratâ anno 1627. cæde Ducis Buckinghamii, motus Anglicani adversa minitati essent varia: quorum metu, hic noster, prætendens iter Italicum, factaq; Regi spe reditûs, veniam petebat abeundi, quàm vix citra indignationem tandem etiam obtinebat.

Gratiâ utitur Caroli Stuarti, Britanniæ Regis maxima.

Picturæ autem & statuæ, quarum beneficio hic noster Artifex adeò proficiebat, quarumq; apographa etiam fecit plurima, potissimùm erant sequentes. In horto nimirum Comitis de Arondel pulcherrimo statuisq; antiquis excultissimo, statua primùm erat Consulis cujusdam Romani togati, sic tamen, ut corporis habitus undique eleganter elucesceret. Deinde Statua Paridis, cum plurimis aliis partim integris, partim pectoralibus, partim capitibus quasi innumeris, & anaglyphis semiplenis, marmoreis omnibus & rarissimis. Porrò in porticu illius horti longâ, præter opera aliorum varia, picturæ Holbeinianæ potissimum præeminebant, quæ alibi ab Autore jam descriptæ sunt. Deinde & icones nonnullæ Holbeinii singulares, Erasmi sc. Roterodami; Thomæ Mori Cancellarii summi Henrici VIII. Angliæ Regis; nec non Principissæ cujusdam Lotharingicæ, â Rege amatæ, inq; matrimoniũ, sed propter maculam uxoricidii cum repudio expetitę. Porrò icones ibidem quoq; erant aliæ partim Germanorum veterum atq; Belgarum, partim Raphaëlis Urbinatis, Leonardi Vincii, Titiani, Tintoreti, & Pauli Veronensis, quarum causa Comes iste aliquoties in Italiam, Germaniam atq; Belgium itinera etiam quandoq; sat diuturna instituerat, ut autographa saltem clarissimorum hinc inde conquireret Artificum.

Picturæ quædam Anglicanæ rariores.

In magnifico Regis Palatio Withallensi in Oeco Manuscriptorum, (ubi & S. Apostoli Pauli, Augustini, Ambrosii & Johannis Wiclefii Manuscripta quædam asservantur) tabula illa extabat Titiana de manifestatione Christi Emmauntinâ, de qua alibi in hoc opere facta est mentio. Ex altera conclavis istius parte tabula erat Raphaëlis Urbinatis lignea coloribus oleariis picta de Jesulo in gremio materno detento, adjectis cunis, figurisq; Johannis & Josephi; quod opus ob incomparabilem picturæ elegantiam à Duce Mantuano, toto Marchionatu primitus comparatum, huc deinde translatum fuit: apographum ejus autem Romæ in Altari quodam templi S. Sabinæ conspicitur; & pluries alibi.

In Oeco quodam alio tabula Antonii Corregii primaria conspiciebatur; in qua coram Venere in tractu quodam subdiali elegantissimo stante, Mercurius Cupidinem docet literas. Ubi ejusdem quoq autoris adhuc alia extabat tabula, de nympha quadam nuda in gramine dormiente, accurrentibus è fruticetis duobus Satyris, quod opus ob gratiam plusquam humanam pretii dicebatur inæstimabilis.

Porrò ibidem quoq; extabant duodecim Imperatores Titiani viventium molem excedentes, qui ab Ægidio Sadlero typis æneis expressi sunt. Nec non Bacchanalia Titiani, à pastoribus, nymphis, Satyris & similibus frequentissimè celebrata in nemore quodam transparente; ubi subdialia omnia cum figuris tantam præ se ferunt amœnitatem atq; lætitiam, ut majori judicio atq; veritate vix aliquid reperiatur expictum. Similibusq; tabulis rarissimis Pauli Veronensis, Giorgonii, Pordenonii, Tintoreti, Guidonis Rennii, Hundhorstii, Gentilescii, Rubenii, Antonii Dickii, & aliorum conclavia etiam reliqua omnia exornata erant.

Et quamvis tum temporis etiam Palatium Buckinghamianum picturis pretiosissimis refertum esset: Illæ tamen sub tur-

bis Britannicis disperfæ, àq; Ferdinando III. Imperatore gloriofiffimæ memoriæ, pleræque pro Pinacotheca Pragenfi recenti, coëmtæ funt, ubi adhuc extant.

Artifex ifte in Italiam abit.

Interea Italiam invifurus Sandrartius nofter Francofurti primùm iconibus quibusdam fpecimina edidit primitiarum fuarum gloriofiffima: poftmodùm inftituto per Sueviam itinere Auguftæ Vindelicorum opera infpexit in tranfitu rariora, partim in domo Hopferia à Rotenhamerio, five in albario extrinfecus five in porticu appicta; partim in pinacophylacio Steiningeriano alia egregia Titiani, Pauli Veronenfis, Tintoreti, Baffani, Polydori, aliorumq; celebriorum manibus elaborata.

Venetias venit.

Venetias autē cum perveniffet, à Johanne Lyfio, qui aliàs Pan dicebatur, nec non Nicolao Regnero civiliter exceptus, ad omnia conducebatur illius Urbis rariora, five in Palatiis, five in templis & alibi hinc inde extantia; inter quæ præ cœteris ipfi perplacebat opus quoddam magnum fummæq; æftimationis Titiani, de martyrio Petri, quem una manu ad folum depresfum altera gladio ferit miles, cœlum interea devotè contuentem & à duobus Angelis confortatum: in tractu quodam fubdiali, Horizonte admodum depreffo, fylvaq; magna & arbore procera elegantiffimè exornato: cujus etiam mox faciebat apographum, quod in pinacophylacio fuo adhuc fummo cum honore affervat.

Operis Titiani de martyrio S. Petri apographō conficit.

Præterea apographa etiam conficiebat variorum Pauli Veronenfis operum, præfertim eorum, quæ in templo S. Sebaftiani extant: nec non operis illius rariffimi in Refectorio Servitarum extantis de Maria Magdalena pedes Chrifti ungente, murmurantibus interea Pharifæis; quod ob fingularem rerum Architectonicarum laudem pro primario Veronenfis opere celebratur. Qualia opera Venetiis reperiuntur plurima, quamvis inventione potiùs & colorum ufu, quàm diagraphices genere imitanda.

Nec non operum quorundam Pauli Veronenfis.

Bononiam venit.

Quibus omnibus fatis imbibitis Romam fefe convertebat hic nofter in focietate Patruelis fui Le Blon Chalcographi laudatiffimi, inftituto per ditionem Ferrarienfem & Bononienfem itinere, ubi picturis famigeratiffimis fcatent omnia. Pofteriore igitur hoc in loco Guidonem Rennium vifitabat, qui humaniffimè eundem fufcipiens omnia ipfi oftendebat, quæcunq; tunc manui fuæ elegantiffimæ fuberant. Sic Francifcum Albanum quoq; invifebat, qui opera tum infignia, inventione & g atia refertiffima elaboraverat, è quibus omnibus maximum hic nofter hauriebat emolumentum. Porrò omnia quoq; Ædificia, templa, Palatia & pinacophylacia iftius Urbis fpectabat, & inter alia Cæciliam illam Raphaëlicam, de qua fuo loco jam dictum: fimiliter extra Urbem in cœnobio Capuccinorum; nec minùs in cœnobio S. Michaëlis in nemore imagines illas crucifixi Guidonianas rarisfimas; prout & porticum integram de vita S. Benedicti pictam ab Hannibale & Ludovico de Carraza, quorum omnium Artifex ifte faciebat apographa, ut in ipfum, ceu Oceanum artis, omnia quafi confluerent optimorum ftudiorum flumina, in publicum ufum iterum evomenda.

Abhinc Florentiam pergebat, fpectata fimul in via pulcherrimâ illa domo voluptuariâ, cui Fiorenzola nomen, locoq; deliciarum, qui Pratolino vocatur. In ipfa autem urbe confpectis operibus Michaëlis Angeli, Leonardi Vincii, Andreæ Sart nfis, aliorumq; Artificum, quibus Technophylacium Magni Ducis, Palatiumq; rotundum refertum eft, non diu commorabatur; fed ob imminentem Æftatis calorem, cum prædicto focio fuo per Urbes celebriores, Senas, Aquampendentem, Montem Fiafconium, tandemq; Viterbum, perq; Viam Flaminiam Romam tendebat.

Et Florentiam.

Tandem Romam.

Hic contracta ftatim cum omnibus illius loci Artificibus, tam Picturâ quàm Sculptura præftantibus familiaritate, non praxin faltem vivendi addifcebat, fed occafionem quoq; nancifcebatur rariora quævis confpiciendi, faciendiq; pro lubitu quorumvis apographa. Quem in finem inftituto pro more convivio; eosdem, (quorum numerus tum ad quadraginta fefe extendebat) non tantùm omnes invitabat, fed colloquio quoq; tam Gallos atq; Italos, quàm Germanos & Belgas, fuâ linguâ fingulos humanisfimè detinebat: dum primarii ex illis interea dum dapes appararentur, in vicino quoq; conclavi Parnaffum erigerent artificiofisfimum, lucernis undiq; ingeniosè illuftratum, in cujus cacumine Apollo refidebat cum Mufis omnibus, ad quem Mercurius adducturus videbatur Poëfin, Sculpturam & Picturam ceu hofpites à Mufis recipiendas; quibus & immixta erant pyrotechnica quædam, junctis acclamationibus, pro felici Sandrartii & Le Blonii adventu fauftisfimis; quæ convivii præludia epulum fequebatur inter colloquia & compotationes lætisfimas per totam noctem exporrectum.

Illius receptio.

Interea diu latere non poterat Artificis noftri ingenium atq; perfectio, præfertim inter exercitia diag aphica atq; Academica, ita ut elaboratis duobus faltem operibus, inter duodecim illos computaretur totius Italiæ Artifices, à quibus pro Rege Hifpaniæ pingendæ erant duodecim tabulæ unius molis juxta viventium prototypos concinnatæ: ubi cum in Fefto D. Virginis Conftantinopolitanæ durante Procesfione publicè exponerentur illa opera, Sandrartianum à Cardinalibus, Princi-

Duodecim opera duodecim Artificum fingularium.

pibus-

pibusq; & Graphicophilis illius Urbis aliis inter meliora numerabatur. Argumenta autem tabularum illarum erant sequentia:

1. Guidonis Rennii, raptus Helenæ.

Prima à Guidone Rennio Bononiensi confecta, Paridis exhibebat raptum; ubi Helenam ad littus deductum virgines sequebantur variæ, cum servis quibusdam aliisq; parergis: quæ tanto omnia elaborata erant ingenio, ut certare viderentur Natura, Ars atq; Gratia.

2. Guerzinii da Cento cædes Didonis.

Secunda à Guerzinio da Cento picta, Didonem exhibebat violentas sibi in rogo inferentem manus; ubi plangentium affectus moribundæq; facies tanta expressa erant argutia, ut vera viderentur omnia.

3. Josephi Arpinatis. 4. Masfimii. 5. Horatii Gentilesci.

Tertia, quam Josephus d' Arpinas Nobilis Hispanus; Quarta etiam, quam Massimius Nobilis Neapolitanus; & quinta, quam Horatius Gentilescius Florentinus pingebant, nondum ad finem erant perductæ, adeoque etiam exhiberi non poterant.

6. Petri Cortonensis, raptu Sabinarum.

Sexta, quæ Petri de Cortone erat, Romulum proponebat, raptum Sabinarum instituentem; quo in opere tanta erat aggressorum, renitentiumq; varietas, ut hoc opus pro palmario istius Artificis reputaretur.

7. Valentini Colombii quinque sensus.

Septima à Valentino Colombio Gallo picta, argumenta quinq; Sensuum exhibebat in convivio quodam cumulata; ubi edentibus quibusdam atq; bibentibus, alii partim chartulis partim aleâ ludebant, alii inspectione monetarum, odore florum alii, instrumentisq; alii musicis delectabantur, dum quidam & cædibus sese invicem lacesserent. Quod opus ob colorum potius elegantiam, quàm ob inventionem atq; diagraphicam laudabatur.

8. Andreæ Sacchii, Providentia.

Octava Andreæ Sacchii, Divinam exhibebat Providentiam inter Virtutes plurimas throno insidentem: ubi ingenii profunditas atq; delineatio pluris æstimabantur, quàm colorum favor.

9. Johannis Franci Callisto & Actæon.

Nona, quæ Johannis Franci erat, Dianam referebat, inter Callistûs atq; Actæonis fabulas, mira veritatis expressione.

10. Dominichini Bononiensis, Diana venatrix.

Decima Dominichini Bononiensis, Dianam exhibebat præmia certaturis proponentem Nymphis, quarum actiones, sive certamen inchoantium, sive captis jam feris redeuntium, sive in fonte lavantium, unà cum bibentibus ibidem canibus, tam erant argutæ, ut opus hoc nulli præcedentium cederet.

11. Nicolai Pousfinii plagæ Philistæorum.

Undecima Nicolai Poussinii Galli erat, pestem exhibens cum plaga murium è Veteri Testamento; ubi ægrotantium, languentium atq; morientium, sub cura etiam medicorum tanta erat varietas, ut ob insignem artis curam opus hoc deinde Romæ mille veniret coronatis.

12. Sandrartii nostri, Seneca moriens.

Ultimum Sandrartii nostri nocturno genere Senecam exhibebat moribundum, apertis nimirum in balneo, jubente Nerone, venis ejus. Ubi Paulinam uxorem imperterrito Philosophus alloqui videbatur animo; notantibus interea in palimpsesto verba Magistri, Philone & Demetrio discipulis; & adstante cum face tribuno militum, ad cujus splendorem guttæ illæ sanguineæ sive in nudo Senis corpore, sive in armis vestibusq; circumstantium conspicuæ verus videbantur esse sanguis. Adde quod & delineatio, atq; inventio unà cum coloribus exquisitissimi essent generis, & affectuum veritas omninò naturalis.

A Principe Justiniano suscipitur.

Hoc opus tantam ipsi Romæ famam conciliabat, ut ab omnibus Artisperitis magni haberentur opera ejus, & in specie Vincentius Justinianus Marchio propterea in Palatium suum ipsum susciperet, apud quem etiam, quam diu Romæ degeret, permansit.

Effigies Raggii equestris.

Apud hunc autem Principem Iconem inter alias pingebat Raggii cujusdam Nobilis Genuensis viventis magnitudine Equo pulcherrimo albido insidentis; quæ Cardinali ejusdem nominis tantoperè placebat, ut hic Artificem nostrum exhibito opere Urbano VIII. Pontifici propterea commendaret, unde & ab isto in variis adhibitus est Sandrartius, largisq; semper cumulatus muneribus.

Fatuum cujusdam circa pingendam iconem suam desiderium.

Eadem icone commotus Nobilis quidam alius à Sandrartio suam quoq; pingi petebat Effigiem, quasi prætergressi in magnificentia sua solitâ, domum Fœminæ cujusdam pulcherrimæ Nobilis, quæ conspecto ipso è longinquo, caput quidem intra fenestram reduceret, oculis tamen posthac eundem sequeretur, & ad repetitam salutationem suam benevolo responderet nutu. Quo cognito, ad Bambotium amicum suum, hunc remittebat Sandrartius, quod nemo meliùs bestias pingeret juxta nativa prototypa.

Cædem Catonis pingit.

Postmodum relictis iconibus historias majores prosequebatur, quo in genere Cardinali Barberino aliisq; Graphicophilis pro Pinacothecis suis varia pingebat. Sic historiam Catonis Uticensis pingebat, post illatum sibi feralem ictum è lecto in terram provoluti & à Demetrio filio militibusque Romanis è sanguine suo erecti: nocturnum opus, in quo præter artificiosam affectuũ expressionem, elegantissima spectabatur luminis ad corpus nudum armaturasque circumstantium allisio.

S. Hieronymum & S. Mariam Magdalenam.

Porrò & S. Hieronymum pingebat, & Mariam Magdalenam pœnitentem in Eremo, quod opus Cardinalis Barberinus Hispaniarum Regi per Monteregium Comitem, Legatum muneris loco, cum rarioribus quibusdam aliis, mittebat.

Duodecim myſteria D. Virginis.

Iterum tabulam pingebat pro Altari quodam in Æde D. Virginis de Roſario, in qua S. Maria cum filiolo exhibebatur, & duodecim illius myſteria, inter angelos nudulos varios, à Maſſimio Nobili confieri juſſam. Quod opus quidem, (quia centum coronatorum pretium eidem videretur nimium;) aliquandiu emtore caruit, quod & in vituperium ejus plurimi trahebant; ſed tandem a Mercatore quodam Belga ducentis viginti quinq; coronatis coëmtum; iterumq; à Duce Crequio, conſulente Joſepho de Arpina Nobili & Pictore clariſſimo, quadringentis comparatum eſt coronatis, miſſumq; in Galliam pro Sacello Cardinalis Richelii: ubi opus hoc ab ipſo Rege tanti æſtimabatur, ut pro exornando Oeco quodam cũ Franciſco du Queſnoy Statuario & Nicolao Pouſinio, etiam Sandrartius noſter ab eodem in Galliam vocaretur; è quibus tamen Pouſinius tantùm abiit, multisq; muneribus dives Romam rediit.

Ejusdem in pingendo modeſtia.

Cœterùm in picturis Sandrartianis inſignis ubiq; eminebat modeſtia, quam alii pro nimia habebant: quamvis nulla aliàs in iisdem occurreret menda, & veritas rerum expreſſarum cum diagraphice Antiquorum certamen in iis inire viderentur, ut ſimul & inventioni ſua laus eſſet & coloribus, ſive vultuum ſpectares characteres, ſive veſtium curam.

Opus Juſtinianeũ.

Interea Juſtinianus Marchio Statuas Technophylacii ſui, quarum aliquot erant centuriæ, in publicum emiſſurus ſub titulo Porticus Juſtinianeæ, delineationes illarum à Sandrartio noſtro confieri volebat, cumq; opus hoc vivente adhuc Patrono, qui ſeptuageſimum jam ſeptimum agebat ætatis annum, edendum eſſet, Artifex noſter Chalcographos propterea conquirebat celeberrimos Claudium Mellanium, Auderanum Greuterum, & e Belgis Blomartum Ultrajectanum, Theodorum Matthamium Harlemenſem, Raphaëlem Perſinium Amſtelodamenſem, & Michaëlem Natalem Leodienſem, qui ſimul omnes atque ſemel operi huic inſiſtebant diagraphica Sandrartiana æri incidentes. Cum ipſe Sandrartius unico ſaltem, Petro Teſta, juvene paupere, ſed ingenii promti, diligentiæq; exquiſitæ pro quodam delineandi ſubſidio uteretur, quem proprio etiam ſalario detinebat, iſtiusq; laboris beneficio magnam in arte diagraphica perfectionem provehebat.

Neapolin abit.

Peractis autem jam Romæ annis aliquot, ut reliquam quoq; videret Italiam, Neapolin ſeſe conferebat Sandrartius, ubi ſollicitante Artemiſia Gentileſcia (Horatii filia, qui Londini magnus ipſius fuerat fautor) pictrice megalographicorum clariſſima, Catonem ſuum Uticenſem iterum pingebat. Sic ad nativa quoq; exemplaria delineabat Veſuvium flammas tunc evomentem; nec non campum Puteolanum, item Os inferni, & Campum Elyſium in Campania, cujus & Virgilius meminit. Porrò in Siciliam vectus Inſulas quoq; Vulcanias ſpectabat, & in Inſula Ætnam, ejusq; cacumen ignivomum: & ſimiliter in freto Scyllam atq; Charybdim, quæ omnia fideliter à Sandrartio delineata Merianus deinde Archontologiæ ſuæ inſeruit, itemq; Itinerario ſuo Italico.

Inque Siciliam.

Et Meliten.

Hinc Maltam digreſſus, tabulam ibidem Michaëlis Angeli da Caravaggio de decollatione Johannis Baptiſtæ ſpectabat, mole planè rotunda naturaliter omninò expictam: tandemq; per Apuliam Romam redibat.

Pontificis iconem pingit.

Ubi porrò & ad pingendam Urbani VIII. Pontificis iconem admiſſus, tanta illam laude conficiebat, ut multa deinde opera partim hiſtorica partim Poëtica eidem committerentur. Qua occaſione apographa ſimul faciebat ſtatuarum antiquarum aliarumq; picturarum rariſſimarum in tanta copia, ut integra congereret volumina.

Malevolos ſuperat.

Cumq; & malevolos haberet haud paucos, iſtorum tamen detrectationes in uſum ſuum magno cum lucro convertebat: eò quod ab amicis, quorum numerus oſores ejus longè ſuperabat, plerumq; de his admonitus, errores ſuos ſemper dexterrimè corrigeret, ut exhinc ad perfectionem magis ſemper magisq; accederet.

Amicũ habet Claudium Gillium.

Inter fideliſſimos autem amicos ſuos Claudium Gillium numerabat, natione Lotharingum, ſubdialium pictorem, qui cum Artifice noſtro non Tibure tantùm, ſed & in horto Juſtiniani Principis juxta nativa prototypa ſæpiſſimè magnas delineabat arbores, tractus campeſtres, & præcipitia undarum, quibus exercitiis ambo eousq; progrediebantur, ut naturam ipſam quàm proximè aſſequerentur. Unde & opera quædam Gilliana à Sandrartio coëmta in Pinacophylacio hujus adhuc conſpiciuntur.

Româ abit.

Transacto igitur ſeptennio, quod Romæ tantum, præter loca Italiæ alia inſumſerat, repetitaq; rariorum omnium inſpectione, ſub initium Junii reditum in patriam inſtituebat, facto per Florentiam, Bononiam, Venetias, Mediolanum, totamq; Longobardiam itinere. Cumque omnes tunc Germaniam agitarent Furiæ, haud ſine vitæ periculo Briſaco, Spirâ, Franckenthalio & Oppenheimio Francofurtum tandem iterum attigit: quæ Urbs tamen eodem tempore, An. 1635. ſcilicet, à Gallaſio tredecim mille Cæſareanorum exercitu obſidebatur, ubi per caſtra Croatorum nocte Pentecoſtali clanculum pedes tranſire cogebatur, ſolo fruticeto quodam obtectus, ut ſic illuceſcente die, admiran-

In Germaniam redit.

tibus

tibus excubitoribus ad portam illæsus accederet, & à cognatis suis summo cum gaudio exciperetur.

Et Francofurtum.

Icones ejus primariæ.

Hic pictis iconibus aliquot, Bernhardi sc. Ducis Vinariensis, aliorumq; tam Generalioribus quàm minoribus Officiis illustrium, statim usq; adeò inclarescebat, & Domini de Neufville, qui Graphicophili erant singulares, tanto eundem amplectebantur affectu, ut connubio ipsi jungerent cognatam suam Johannam de Milkau in Stockaw, Virginem nobilitate atq; virtutibus decoram, in hunc procul dubio finem, ut secum eundem detinerent. Sed cum tanta esset rerum Germanicarum miseria, & præter pestem fames quoq; tantoperè grassaretur, ut Discipulum quoq; ipsius Merianum juniorem, circa vesperam ob negotia quædam ad Affinem suum missum, quidam, quos rusticos fuisse famelicos compertum fuit, fune injecto strangulare tentarent; è quorum manibus fugâ tamen sese proripuit: hinc securitati suæ consulturus Amstelodamum cum suis concessit: ubi peculiarem quasi studiorum pictoriorum erigebat Parnassum, vitamq; agebat non Arte tantùm, sed omnigeno variarum Virtutum splendore usq; adeò conspicuam, ut paucos hoc in genere haberet similes, & ab omnibus honore coleretur maximo. Inter opera autem illius ibidem elaborata præ cœteris eminent tabula quædam magna, in Hospitio magno Cleveniriano collocata, quæ integram exhibet Civium cohortem, à quibus Maria Medicæa Galliæ Regina in Amstelodamensium Urbem introducta est: nec non singularia quædam apud Dominum Fontanium, & alia apud Graphicophilum insignem Dominum de Bicker extantia, cum pluribus aliis; inter quæ etiam numerari possunt Icones Domini Spiringii Legati Suecici famâ publicâ celebratissimi, & conjugis ejus, viventium quantitate & veritate maxima expictæ.

Matrimonium ejus.

Amstelodamum abit.

Opera ejus Batava.

Interea cum hæreditario jure in ipsum devolutum esset prædium nobile Stockavv, propè Ingolstadium in ditione Neoburgica situm, Amstelodamum ipsi similiter deserendum fuit, ut possessionem scilicet illius caperet. Ubi ad enixam Graphicophilorum instantiam pleraq; opera sua artificiosissima post se reliquit, quamvis magno divendita pretio, ita ut prædictus Dn. Spiringius pro duobus voluminibus operum Diagraphicorum Italicorum ter mille quingentos florenos ipsi numeraret; & in auctione publica pro diagraphicis & chalcographicis variis quater mille quingenti & quinquaginta quinq; floreni, & pro reliquis picturis rarioribus quater decies mille quingenti & sexaginta sex floreni eidem persolverentur: ex quo, cum insigni Amstelodamensium dolore (testibus carminibus publicis, & in specie Justi Vondelii,) in Palatinatum sese recepit Neoburgicum.

Hollandiam deserit,

Venditis magno pretio rarioribus suis.

Ubi prædium ejus tantopere hactenus in turbis istis bellicis desolatum fuerat, ut propriis sumtibus subditos suos recolligere, novâq; structura omnia reparare cogeretur, quod eò tamen faciebat libentiùs, quò eò faciliùs illud aliis vendere posset. Sed eventus longè sequebatur alius. Cum enim restituta jam essent omnia, in ultimo Bello Bavarico anno 1647. nova tamen sub oriebatur ruina, ut quamvis jure Neutralitatis gaudere debuisset Stockavium, tanquam in Ducatu Neoburgico situm, à transeuntibus tamen Gallis ex mera malitia totus iterum pagus, cum Arce & omnibus ædificiis contiguis, nec non triginta septem ædibus atq; molendinis subditorum incenderetur, flammisq; absumeretur, inspectante è turrè quâdam Urbis Ingolstadianæ, quò interea cum mobilibus confugerat, non sine ingenti animi contristatione, ipso Possessore. Ubi tamen sequenti anno, exortâ tandem Pace desideratissimâ, omnia de novo erigi curavit Sandrartius, & augustiori longè atq; commodiori forma quàm pridem fuerat.

Prædium suum nobile restaurat.

Denuò incensum, iterum restituit.

Quamvis tandem, cum nulla ampliùs ipsi superesset spes prolis, totum illud prædium Nobile cum omnibus subditis, Amico suo maximo & Graphicophilo incomparabili Dno. Libero Baroni de Mayr venderet, & ipse Augustæ Vindelicorum larem denuò poneret.

Vendit.

Augustæ larem figit.

Interea, quamvis haud parum temporis ipsi præriperent negotia Oeconomica, jurisq; nonnulli Processus, (quibus, quod ipse suos optimo cum successu formaret libellos, horas potissimùm consecrabat nocturnas:) studia tamen Artis suæ minimè negligebat, sed tam pro secularibus quàm pro Ecclesiasticis varia sedulò elaborabat.

Sic pro Serenissimo Electore Bavariæ Maximiliano (qui, ut omnes illius Antecessores, artem hanc singulari amplectebatur favore, & propterea Sandrartium nostrum gratia prosequebatur inusitatâ;) duodecim Menses pinxit; cum Diei Noctisque argumentis, figuris viventium quantitatem exhibentibus, pro singulari oeci majoris in Arce Schleisheimianâ ornamento: unà cum tabulâ minore pro Altari in Sacello ejusdem loci, in quâ B. Virginem exhibuit, tenentem filiolum, cui à S. Johanne, præsentibus S. Anna & Josepho, agnellus offertur. Hæc opera miracula artis dici poterant, cumq; ipsius naturæ stupore erigebantur. Cum enim ab Electore inter alia tabula mensis Novembris aperiretur, in qua Venator quidam leporem captum à tergo portare videbatur, vertagi quidam casu præsentes assultu atq; latratu testabantur se leporem pro nativo habere.

Opera ejus Bavarica duodecim mẽses.

Imago B. Virginis.

Le us ab ipso pictus i canibus pe:itur.

Et hæc quidem duodecim mensium argumenta in Hollandia dehinc æri incisa, âq; Barlæo & Vondelio Poëtis clarissimis, versibus latinis & Batavicis illustrata sunt; è quibus priores hic sequuntur.

In menses ejus Epigrammata Barlæana.

In Menses Duodecim
à
JOACHIMO SANDRARTIO
à Stockau, pictos & Bavarorum Ducis filio inscriptos.

Cui patriis vernans crescit virtutibus ætas,
Et pietas certam spem facit ipsa sui:
Accipe zodiaci menses & sidera, Princeps!
Et toto solis tramite sospes age.
Qui puer imperii tot signis emicat, illi
Fas est signiferi tot famulare faces.

JANUARIUS.

Janus adest, geminusq; bifrons sua lumina Phœbo
Objicit: hinc veteri proximus, inde novo.
Frigidus humentem profundit Aquarius urnam,
Et liquidas stringit vis glacialis aquas.
Sulcamus ferro fluvios, portamur ab undis;
Dum gelidus solem quærit in igne senex.
Ponite, mortales, veteris tot nomina culpæ!
Hic veniens aliis moribus annus eat!

FEBRUARIUS.

En fervent calidæ, cœli sub Piscibus, ollæ,
Et dapibus gaudet fœta culina suis.
Cruda jacent passim laxis obsonia mensis;
Materies laudis quanta, Magire, tuæ est!
Qui Curios simulant, jam Bacchanalia vivunt,
Et stygio vultu dissimulatur homo.
Vera loquor: quisquis ficto sub dæmone prodit
Stultitiam, multum Dæmonis intus habet.

MARTIUS.

Martius hic à Marte animos & nomina sumit.
Inchoat hoc veteres Itala terra dies.
Ver oritur, pellitq; trucis tot tædia vitæ,
Et captura mari piscibus ampla datur.
Pellitur in scopulos puppis, totum æstuat æquor,
Et socio, tonitru, fulmine summa ferit.
Dum medium lampas Titania scindit Olympum:
Virtutis medium nos teneamus iter.

APRILIS.

Terribilis cœlo vernantem trudit Aprilem
Taurus, & adstrictam frigore solvit humum
Gramina jam campis redeunt, tot floribus hortus
Pingitur, & superûm munere ridet ager.
Prima suam Daphnis vocat ad mulctralia Nisam,
Dum violas calathis colligit illa suis.
Sed tu Nisa cane, occultam ne forte per herbam
Tentet inexpertam Daphnis inire viam.

MAJUS.

Nunc, Meliboee, tuæ gliscant in Doride flammæ,
Dumq; virent passim prata, virete duo.
Sol est in geminis: gaudent hoc sidere nuptæ,
Et faciles spondent astra benigna thoros.
Cœlum, terra, dies omnes, noctesq; procantur,
Dum tulipam digitis demetit Ida suis;
Lesbia cur tacitum nutrit sub pectore vulnus?
Dissimilis Matri non cupit esse suæ.

JUNIUS.

Dum Caneri chelis Phœbæos implicat ignes
Signifer & summum lux vehit alma diem:
Lanigeras tondet pecudes intonsa senectus,
Et nunquam-querulæ vellera carpit ovis.
Quas geritis Domini vestes, hæc lana fuêre:
Materiam fastûs sordida præbet ovis.
Junius est: assurge puer, dumq; ætheris alta
Sol habet, in recti vertice fige pedem.

JULIUS.

Pone premit Titam Nemeæi terga Leonis,
Et ferus exsuccas Sirius urit agros.
Pascua diffusis resecantur gramina campis,
Pabulaque hinnitu belliger optat equus.
Nunc pisces fluviis gaudent, falconibus æther,
Et spoliis aër totus & unda patet.

At tu, Nympha, tuis pisces quæ retibus abdis,
Effuge amatoris retia vafra tui.

AUGUSTUS.

Triptolemi jam dona vides, Cererisque beatæ,
Quasq; ferax messes colligit omnis ager.
Fasciculos Corydon densis adstringit aristis,
Et tot fasciculis horrea plena tument.
Adspicit hæc Virgo, & cuperet non Virgo vocari,
Et fœtus etiam gignere posse suos.
Curia, Palladiæq; vacant hoc mense cathedræ,
Cumq; facit tellus maxima, nil facimus.

SEPTEMBER.

Libra dies noctesq; pares suspendit in astris,
Et medio Phœbus cernitur ire gradu.
Poma dat autumnus, morbisq; alimenta ministrat,
Prunaq; , quam spectas rustica Chloris, amat.
Venantur Bavarumq; Duces, Bavarumq; juventus,
Et fugiens mediis præda tenetur aquis.
Aëris aura tepet: qui sidera respicis, ignes
Concipe, non tepida relligione, pios.

OCTOBER.

Scorpius adversi dum spectat sidera Tauri,
Pone sequi Caprum Phillyridemq; videt.
Ecce, novum potat noster Silenus Jacchum,
Et sociis risum spongia plena facit.
Grus, anser, merula & turdus, fringilla, Scolopax,
Advolat in cupidam victima crebra gulam.
Tempestas anni varia est: ea pessima non est,
Fercula quæ denti fert peregrina meo.

NOVEMBER.

Jam nova Nobilium mensis obsonia fumant,
Pabulaque in luxum frigida prata ferunt.
Jam damæ, lepores, cervi, sunt præda molossis,
Et profugæ laqueis tot capiuntur aves.
Lapsa cadunt folia arboribus, Chironq; supernè
Flaminaq; & pluvias ejaculatur aquas.
Venator toto canibus venare Novembri
Securus, num sit mœcha marita domi.

DECEMBER.

Delitet in tenebris, dum lux Phœbæa fatiscit,
Cereaque exanguis lumina portat, anus.
Nec tamen illa latens Judæum porca Decembrem
Arguit, hos jugulos horret Apella facer.
Sus immunda placet nobis, his vivimus extis,
Dummodo cœnosum proluit unda pecus.
Optima sus, quoties tu testamenta resignas,
Me dic hæredem suminis esse tui.

DIES.

Pulchra dies, pulchram forma fulgente juventam
Exhibet: O vitæ dulcis amica meæ!
Irradiat semet radiis, mundumq; videndum
Objicit, inq; oculos, quæ latuere, rapit.
Solis fida comes gaudet cum sole renasci,
Præcipitatque suas, sole ruente, faces.
Si natura diem nobis concesßit, in ipso
Fas est justitiæ nos habitare die.

NOX.

Languida dormitans hæc fœmina noctis imago est,
Sideribus vestes undiq; picta suas.
Cingunt demissam Lethæa papavera frontem;
Et pueris juxtà membra sopore jacent.
Interea pernox ferali carmine bubo
Ingemit & toto mussat in orbe quies.
Evigila è tenebris, anima, & dum cœlica versas
Displiceat vitæ nox scelerata tuæ.

Deinde pro eodem Electore Sandrartius noster aliam quoque pingebat tabulam majorem de Christo è navicula sermonem habente ad populum in littore stantem: ubi pisces à piscatoribus capti tantam præ se ferebant viventium similitudinem, ut nil nisi motus ipsis deesset: quibus omnibus non munera saltem largissima, sed & favorem sibi acquirebat exoptatissimum. *Opus ejus de miraculosa piscium captura.*

Porrò etiam alia ibidem extant opera, quæ de arte ipsius testimonia præbent luculentissima, qualia sunt Regina Cœlorum apud PP. Societ. JESU: Salutatio Angelica in Æde D. Virginis: Joachimus & Josephus in tractu quodam campestri pro Æde D. Petri. Sic Frisingæ *Cum pluribus aliis.*

quoq; apud Serenissimum illius loci Episcopum, imago B. Virginis cum filiolo jacente, quem Josephus nutritius blandissimè osculatur: Nec non B. Deiparæ Assumtio. Item tabula quædam Altaris in Æde Dominica, de S. Joachimo & S. Anna in devotione sua cœlitus exhilaratis: & in Æde D. Andreæ, istius Apostoli martyrium.

Ab Archiduce Leopoldo Wilhelmo invisitur.

Interea accidit an. 1646. cum Leopoldus Wilhelmus Archidux Austriæ & Campiductor Exercitus Cæsareani, ob Consultationem aliquam Monacum adiisset, inq; Technophylacio Electorali opera illa Sandrartiana rarissima vidisset, ut ipse in reditu cũ sequacibus Stockavium ad Artificem nostrum veniret, & aliquot horas cum illo disserendo insumeret. Cumq; properantem ob urgentia belli negotia hic Neoburgum comitaretur, ille, visis in templo Jesuitarum tribus tabulis Rubenianis, colores quidem præ diagraphices exactitudine laudavit: conspecto autem in Pinacotheca Ducali, Archimede Sandrartiano, circulorum quorundam dimensionibus in obsidione Syracusana nimiùm intẽto, in hæc verba erumpebat: Nihil profectò ingeniosius, nihil magis ex arte, nihilq; verius, hoc Archimede, qui coloribus exceptis totus vivit, magnâque vim picturę vel nolẽtibus inculcat. Hæc enim figura mortuo vitam, vacuo rem, muto sermonem, inanimato rationem tribuit. Quo dicto, dono statim illi hanc tabulam offerebat Serenissimus Dux Neoburgicus, id simul rogitans, ut Exercitum è terris suis abducere dignaretur: quod etiam obtinebat. Hoc autem opus dono deinde offerebatur Ferdinando III. Imperatori, Pragamq; delatum, cum tabula adhuc alia Sandrartianâ de Maria, Jesu, Catharina, Leopoldo & Wilhelmo, in tractu quodam subdiali amœnissimo constitutis, in locum Pinacothecæ primarium collocabatur.

Archimedes ejus.

Opus ejus de Divisione Apostolorum.

Similiter Landshuti quoq; apud PP. Soc. Jesu tabula quædam istius Artificis extat de Sebastiano Martyre: itemq; alia de Exitu Apostolorum, ubi inter alia amplexus Petri & Andreæ fratrum, per devolutas ex oculis eorum lachrymas tenerrimè expressus, & Gloria illa de cœlis ipsis affulgens magnâ curâ inter eos distributa est. Cumq; Vrangelius Exercitus Suecici Ductor anno 1648. eandem urbem occupasset, has tabulas statim quæsivisse, diuq; spectatas omni affectu collaudasse dicitur. Unde in ultimam Barlæus quoq; elegantissimum hoc composuit carmen.

In picturam Principis Pictorum Excellentissimi
JOACHIMI SANDRARTI,
Quâ Apostolorum in omnes terras abitionem, Landishuti in templo Patrum Societatis Jesu exhibet.

Adspice Apostolicos Vultus, spectator, & ora,
Totq; Sacrosancto Nomina Sacra Deo.
His potuit peccans famulis resipiscere mundus;
His ducibus mores induit ille novos.
Hi sunt, qui fœdâ mersas caligine terras,
Nosq; reos certæ surripuēre neci.
Hi sunt, quos stygii tremuere palatia Regis,
Impietas quorum concidit icta sonis.
Sal terræ; lux ista hominum est; & buccina veri,
Plurima & ætheree signa facesquę viæ.
Agricolas, testesq; vides, patresq; piorum,
Et celeres in tot nuncia læta pedes.
En abeunt missi per rura, per oppida; quisq;
Intrepidus CHRISTI voce vocatus abit.
Dant dextram dicuntq; vale, mentemq; tonanti,
Quilibet è cœlo pectora tacta vovet.
Nil restat nisi flagra, cruces, tormenta, secures:
Sustinet hoc pretio spes animosa loqui.
Regnantumq; minas, populiq; opprobria spernunt:
Et volupe est, Jesu sub Duce, cunct pati.
Quæ licet excellens Sandrarti dextera mundo
Pinxerit in templis conspicienda tuis:
Hoc primum summumq; reor, si maximus orbis
Quæ Sacri Vates nos docuere, velit.

Opera ejus in Diæta Pacificatoria Norinbergensi.

Congregatis deinde anno 1649. pro Executione transactæ Pacis Norinbergæ, partibus belligerantibus hic noster quoque Sandrartius, ad nutum magnæ cujusdam manus, præstò aderat, variisq; specíminibus incomparabilem penicilli sui gloriam toti quasi terrarum orbi propalabat.

Effigies Caroli Gustavi Com. Pal.

Prima autem illius Effigies erat Serenissimi Comitis Palatini Caroli Gustavi, Exercitus Suecorũ Ductoris Generalissimi, Sueciæq; deinde Regis, viventis mole equo insidentis nigro curvatâ calce juxta regulas subsilienti: Ubi nõ faciem tantũ affectumq; Insessoris verissimè, sed spumantia quoq; Equi ora, & ignivomos quasi illius oculos tantâ arte expresserat, ut adductus huc caballus vivus, isto conspecto hinnitum ederet, & Serenissimus ille Princeps, quibusdam, qui non satis opus hoc laudabant, opponeret: En patet, equum hunc meliùs artem novisse, quàm vosmet ipsos.

Defectus naturales obtegit.

Ut autem in formandis iconibus ea, quæ majorem gratiam habent, in lucẽ semper

pro

producere, ita defectus quosdam naturales argutè contegere est solitus. Sic Legatum, Galliæ Regis Dominum de Servien, qui luscus erat, laterali adspectu pingebat; & Citharœdum quendam insignem ex utero cœcum, cui nomen Provenzali, tali situ, quasi ludendo acriter intenderet citharæ, & umbra simul pilei apertos aliàs illius cū magna deformitate oculos argutè offuscaret; retentâ tamen in cœteris omni similitudine.

Effigies Vrangelii.

Deinde Vrangelium Suecorum campiductorem in campo pinxit quasi vivum cataphractatum inter tormentorum fulmina, converso erga adventantem hostem pectore. Sic Celsissimum Principem Octavium Piccolomini Ducem Amalphitanum Vicarium GeneralemCæsareum viventis quoq; statura, obsidioni Ratisbonensi adstantem, mandantemq; Chiliarchæ Ranftio, ut per murorum vallorumq; ruinas assultum faciat. Præterea icones confecit omnium Generali quovis officio illustrium aliorū, unà cum Chiliarchis & Nobilibus præcipuis; quæ, vel è parte Suecica sola circiter octoginta fuerunt; omnesq; dehinc in palatio regio Holmiano in memoriam benè gestorū collocatæ sunt: easq; omnes tanta celeritate, ut unica die sæpius absolveret unam, imò duas, cum singulæ quinquaginta imperialibus redimerentur.

Piccolominii.

Octoginta Suecicæ; & aliæ plures.

PicturaCōvivii Pacificatorii.

Clarissimum autem operum ejus, tum in lucem editorum, Conviviū illud erat, quod an. 1649. in Curia Norica à parte Suecica pro voto Pacis institutum fuit, ab omnibus tum præsentibus Magnatibus atq; Legatis, nec non Magistratu Norico frequentatum: quorum omnium icones ad vivum inibi exhibuit. Inter quos labores omnes à præmemorato Suecorum Generalissimo non tantum libero sustentabatur victu, sed & pro opere conviviali bis mille florenis Rhenanis, torqueq; simul aureo ducentorum ducatorum cum numismate Regio, (quem propria ille collo ej⁹ aptabat manu) munerabatur: quibus muneribus Senatus quoq; Noricus, cum Coronæ Suecicæ nomine tabulam hanc eidē offerret, (prout illa in curia illius Urbis adhuc extat;) ulteriora quoq; pro demonstrando affectu suo adjiciebat.

Inter hęc dona illius singularia, hoc tum prę cœteris singulariter extollebatur, quòd in conclavi suo pictorio, quod in Hospitio Generalissimi, Ædibus nimirum Winklerianis, cubiculo Serenissimi proximum erat, à tanta visitantium Nobilium atq; officialiū omnium Nationum copia, nunquam turbaretur, sed ad oblata omnia, suâ cuique linguâ, sive Gallica esset atq; Italica, sive Germanica atq; Belgica, imò & Anglica, inconcusso interim labore, responderet.

Encomiū ejus Harsderfförianum.

Cumq; intereà cū Dn. Georgio Philippo Harsdörffero, Patritio atq; dein Senatore Urbis Noricæ spectatissimo, membroq; Societatis fructiferæ celeberrimo, singularen quoq; contraheret amicitiam, ille Apellem istum Teutonicum sequenti etiam honorabat Epigrammate:

Cum, Sandrarte, tuas tabulas Natur. videret,
Queîs facies rerum perpetuare soles:
Obstupuit, tinxitq; genas, pudibunda rubore,
Optans esse suum, quod videt Artis, opus.

Idem etiam alio quodam in loco scriptorum suorum singulariter extollit leporem illum à Sandrartio nostro, tanta veritate depictum, ut à canibus pro vero agnosceretur, de quo jam supra; nec non tabulam aliam, de Cimone quodam, à filia nocturno tempore in carcere, proprio lacte conservato: ubi mixtos illos in facie gnatæ gaudii metusq; affectus egregiè illustrat; hoc adjecto Epiphonemate: Illum non Zeuxidi saltem similem, sed pluribus aliis superiorem, cum omnia ejus opera plus insinuēt quàm exhibeant, & solæ illius adumbrationes consummata aliorum opera confundant.

Finita Diætâ hac pacificatoriâ in Prædiū suum ære gravis maximo reversus pro Ecclesia cathedrali Bambergēsi tabulas quasdam pingebat; quarum una nocturno opere Johannis Baptistæ decollationem admiranda veritate exhibet: altera pro altari quodam, de protectione D. Virginis: alia itidem de Christo è cruce ablato, & alia de Ascensione B. Virginis, confecta est, quæ duæ posteriores Herbipoli in Æde Dominicâ ante chorum spectantur. In decollationē autem Baptistæ sic lusit Harsdörfferus:

Opus ejus de decollatione Johannis Baptistæ.

In picturam Basilicæ Bambergensis,
Quâ
Princeps Pictorum Excellentissimus
DN. JOACHIMUS SANDRARTUS
in Stockau. &c.
S. Johannis Baptistæ necem stupendâ dexteritate effigiavit.

Respice Zachriadem, cui nomen dulce Johannis,
Tendentem innocuum veriloquumq; caput!
Ceu roseas Matuta genas abscondit ad ortum
Solis: sic Christus surgit, & ipse cadit.
Victima diva perit, (mundi monstrave rat agnum.
Mundavitq; undâ) sanguine fœda madens.
Scilicet insontem subito promissa cruentant:
Conculcat magnum parva puella virum.
Sic saltasse nocet. Matris nę justa capessis
Impia, ah Sancti comprimis arte caput.

Spondere & patrare nefas, injuria duplex,
Quàm satius fuerat contemerare fidem.
Obstupuére: timor jubet impallescere vultum;
Velle suum non vult, virgo, petita paret.
Heîc præsens juvenis lachrymas compescere nescit:
Cor, fax, & facies cerea, commaduit.
Judicis officium violavit dura tyrannis:
Displicet ille sibi principis obsequio.
Emicat è vultu pietas generosa: securis
Imminet, atq; ictum dum ferit, ipsa tulit.
Lugubre post fatum remanet constantia victrix,
Quam decorat superûm, fronte virente, chorus.
Hæc pinxit nostri secli, Sandrartus, Apelles,
Ceu præsens tragicam viderit ipse necem.

G. P. Harsdörfferus.

Effigiem Ferdinandi III. Imperatoris pingit.

Circa idem tempus à Sacra Sua Cæsarea Majestate Ferdinando III. missis literis securitatis hic noster Artifex Viennam vocabatur: ubi summum hoc mundi Caput in ornatu suo Cæsareo, quasi vivum effiguravit: quæ Effigies tantoperè etiam suæ Majestati perplacebat, ut simili quantitate etiam Effigies Imperatricis ipsi pingenda esset; pariq; statura etiam Ferdinandi IV. Romanorum Regis; nec non Archiducis Leopoldi, qui summas nunc rerum tenet, icones. Quâ occasione Plastes ille celeberrimus Daniel Neubergerus in conclave Cæsareum simul admissus effigiem Cæsaream cerâ pariter fingebat; Artificisq; nostri prototypo deinde ad multa sua opera utiliter usus est. Pro his omnibus Artifex hic noster non larga saltem remuneratione cumulabatur, sed torquem simul aureum cum numismate Cæsareo dono accipiebat, confirmatâ simul nobilitate ejus priore & insignibus suis, novo præterea coronæ Regiæ augmento amplificatis, & concesso eidem in perpetuum nomine â Sandrart in Stockau.

Et Imperatricis, Regisque Romanorum. Et Leopoldi Archiducis.

In magnâ est gratiâ penes Imperatorem.

Cumq; Sacra Sua Cæsarea Majestas peritiam Artis pictoriæ haberet perfectissimam, non parum sanè exhinc adaugetur Patroni nostri gloria, quod tantus Princeps atq; monarcha incomparabilis non summoperè tantùm contentus esset felicissimis illius operibus, sed & ad arcana sæpiùs illum admitteret colloquia gratiosissima, singulariq; eundem clementia foveret: effigiemq; præterea suam ab isto confectam, manu Steinii Chalcographi celeberrimi forma majore typis æneis publicari curaret. Adde quod propriâ sæpè manu eidem scriberet, communicatis nonnunquam inventionibus suis poëticis (quibus revera excellebat Majestas sua,) quarum exemplum non immeritò hîc subnectimus.

Inventio Imperatoris pro iconibus familiæ Austriacæ.

Jupiter aquilæ insidens in terrâ, dextrâ oleæ ramum, sinistrâ fulmen suum tenens, lauro coronatus meam referre posset iconem. E cœlo duæ Imperatrices demortuæ, ut Juno & Ceres, divitias illi & ubertatem; Regina Hispaniæ ut Minerva armaturam & Artem offerant; Bellona Imperatrix nunc viva, instrumenta bellica; Leopoldus Wilhelmus Archidux in forma Martis, alia instrumenta militaria pedibus ejus submittant; Romanorum Rex in forma Apollinis instrumenta musica; & filius meus minor in formâ Amoris, vestitus tamen, pharetram arcumq; exhibeant.

Quod opus iconicum cum deinde Serenissimus Elector Brandenburgicus Pragæ in pinacotheca Cæsarea singulariter laudaret, dono eidem à S. S. Cæs. Majestate oblatum, Berolinumq; transportatum est, ubi honoratissimo quodam in loco adhuc conspicitur.

Opus Aichstadianum de oleo S. Walpurgis.

Obtentâ tandem omnium clementissimâ dimissione, Stockavii iterum tabulam pingebat Celsissimo Principi Episcopo Aichstadiano pro altari Ædis S. *Walpurgis*, magnitudine triginta pedum. Ubi Celsitudo sua in pergula quadam Episcopa induta habitu ab omnibus illius Capituli Canonicis cincta spectatur, quasi auxilium levatis è cœlo oculis sollicitans pro magna quadam ægrorum copia, qui ab oleo illo è tumba S. Walpurgis exsudante, & ab angelis quibusdam distributo sanitatem expectant. In hac autem turba cœci sunt, claudi, variisq; morborum generibus vexati, ex omni statuum genere; tam Christiani, quàm Turcæ, Persæ, Æthiopes, & exotici alii, partim equis advecti, partim ab aliis apportati & adducti; quorum omnium gestus, affectusq; tanta arte expressi sunt, ut oculus considerando deficiat, integrumq; iis describendis vix sufficeret volumen. Unde multi quoq; Principes atq; magnates miraculi hujus pictorii gratia hunc locum visitant, quiq; exinde multò factus est frequentior: ut propterea Artifex noster largis quoq; oneratus sit muneribus.

Opera Lambacensia.

Ut autem ad alia quoque illius rariora transeamus, præ omnibus hîc occurrunt septem Altaria Lambacensia, sollicitante Reverendissimo illius Cœnobii Abbate Placido, tanta varietate elaborata, ut omnia quasi in illis concurrant picturarum genera, & Academia hic potiùs inveniatur integra, quam nuda unius templi ornamenta: unde tanta quoq; nunc est illius loci, quamvis solitarii aliàs, frequentia, ut Imperatores quoq;, Cardinales, Archidu-

ces

cès aliiq; summi ordinis Magnates eò divertere sint soliti:

1. Assumtio D. Virginis. Primum autem Assumtionem D. Virginis exhibet, quæ terram omnem penitus exuisse, cœlestiq; gaudio plenissima jam esse videtur, elevata scilicet à blandissima quadam tripudiantium ad Musicæ divinioris concentum angelorum turmâ. In terris autem sepulchro ejus adstant Apostoli, piæq; mulieres variæ, mœstiores aliæ ob linteamina vacua; admirantes cœteræ, oculisq; eandem sequentes; summa cum gratia atq; venustate.

2. Origo Rosarii. Alterum S. Dominicum genibus innixum in nube proponit, oblatum à filiolo virgineo rosarium accipientem, jamque ut sacrarium hoc distribuat descensurum; quod etiam in terris Pontifex, Cæsar, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, aliique omnium ordinum ecclesiastici, & in specie Dominus Prælatus, iconicè ad vivum depictus, devotè expectant.

3. Reliquiæ S. Juliani. Tertium historiam continet de reliquiis S. Juliani, quas magna pompâ Pontifex Claudiæ Archiducissæ Oenipontanæ, tradit; & hæc iterum prædicto Domino Abbati pro templo suo recenter extructo dono offert; ubi iconem propriam inseruit Dominus noster à Sandrart.

4. Martyrium S. Sebastiani. Quartum martyrium habet S. Sebastiani, sagittis, postquam arbori alligatus esset, transfixi, sed abrupto ramo ob syncopen in sanguinem provoluti, cui noctu ad faces, Irene cum suis misellum liberatura, sagittas è vulneribus extrahit, inq; vitam è deliquio aliquatenus, ad cœlum suspirantem, revocat. Ubi mirâ arte in opaca sylva ad arbores, corpusq; martyris reflectitur facum lumen, tantamq; commiserationem excitant lachrymantes moribundi oculi, atq; gestus, ut multi spectatores, (quod & Barlæus in carmine suo attigit,) à lachrymis sese continere haud potuerint.

5. Obitus S. Josephi. Quintum excessum S. Josephi nocturno opere similiter effiguratum refert, præsente Christo, & Maria atq; Apostolis, tanta luminum argutia, ut affirmantibus Artis peritis omnibus, per totam Germaniam similis pictura nocturni generis non reperiatur.

6. Martyrium S. Placidi. Sextum martyrium S. Placidi præ se fert: qui cum Abbas esset cœnobii cujusdam propè Messanam in Sicilia, à se extructi, cum Flavia sorore aliisq; amicis à Musso pirata captus, & ad abnegandum verum Numen adactus, mortem potius cum suis sustinuit. Ubi pictura occisos seminudos vario exhibet situ, partim obliquo, partim catagraphico alio: Flaviam autem capillis solo allisam, elevatis in cœlum oculis ultimum pugionis ictum expectantem; nec minus Placidum ad extrema gladiorum imminentium fulmina jam paratum. Ubi interea alii spoliis navem onerant; paulò post procellis ad inferos demersi.

Septimum de triumpho S. Benedicti agit, qui ab angelis è cœlo deductus, librum manu tenens sepositis pedo & infula benedictionem miseris impertit variis, adstantibus omnium statuum devotis, honorem Sancto huic exhibentibus. Quod opus tot habet singularia, tantamq; rerum omnium veritatem atq; gratiam, ut cœteris omnibus meritò præferatur. Et ut paucis dicamus omnia, nihil hic occurrit, quod non admirationem mereatur: sic ubiq; inventio arguta, icones simillimæ; historiæ exactæ; ædificia singularia; scenographica exquisitissima, tractus subdiales arboribus magnis, montibus remotis, nebularum caligine; diei, vesperæq; diversitatibus, Solis lunæq; splendoribus, noctiumq; horrore excultissimi, oculos abripiunt: sic linteamina verum usum, vestimenta plicaturam naturalem, vultus fœminei venustatem, pueriles & juveniles gratiam, seniles veritatem, militares furias, devoti modò non ecstases præ se ferunt, ut septem hæc opera, miracula Sandrartiana citra assentandi levitatem dici queant. 7. Triumphus S. Benedicti.

Quamvis præterea integra quoq; in eodem cœnobio pinacotheca alia conspiciatur, operibus Sandrartianis omninò referta, quæ omnes tabulæ sunt bipedales, historiis aliisq; picturis rarissimis insignitæ, ut pro thesauro haberi queant curiositatis. Pinacotheca ejus Lambacensis.

Porrò pro templo Parochiali Urbis Lyncianæ tabulam Altaris magnam expingebat, de S. Domini cœna: quod opus est nocturnum, figuris viventium magnitudinem habentibus, & lumine artificiosissimo resplendentibus verè decorum. Similiter & minori paulò forma martyrium S. Barbaræ crudelissimum. Item pro PP. Capucinis illius loci imaginem Crucifixi planè vividam: & opus adhuc aliud de doloribus B. Virginis, cum angelis quibusdam, mira devotione conspicuum. Cœna ejus Dominica Lynciana. Martyriũ S. Barbaræ. Imago crucifixi. Dolores B. Virginis.

Exhinc etiam pro Ecclesia Cathedrali Salisburgensi, urgente Archiepiscopo de Thun, quædam pingebat: Baptismum sc. Christi: imaginem D. Virginis, Sanctis circundatam variis: nec non Assumtionem B. istius Deiparæ, circa quam in lectulo mor bundam variis mœrentium gestibus spectantur Apostoli, mulieresq; circa Levitam quendam diversæ, quarum una vigiliis diuturnis languens sellæ insidet, caput manu sustentans; delabentibus interea ad suscipiendam Beatissimam hanc animam Angelis. Quod ultimum tamen opus suo in loco, in templo sc. Petrino ad S. Vitalis tumbam, nondum est collocatum, sed Monaci post secundum jam & vigesimum annum adhuc asservatur. Salisburgi Baptismus Christi. Imago D. Virginis. Obitus ejusdem.

Ratisbonæ martyrium S. Emerani.

Ulterius Ratisbonæ in cœnobio S. Emerani pro altari magno ab ipso pictum est istius S. Martyrium, opus parcitate quidem Prælati neglectius, sed aliis Ratisbonensium picturis, (si eas, quæ apud PP. Soc. J. extant, excipias,) longè excellentius.

Antonius de Padua. Paulus & Antonius. Inventio crucis.

Sic Messanæ in Sicilia ab ipso pictus extat Antonius de Padua: Leodii, Paulus & Antonius, primi Anachoretarum: Brinnæ in Moravia historia Crucis ab Helena inventæ; quæ opera suas per se spirant laudes.

Viennæ Crucifixio Domini.

Viennæ in æde S. Stephani historia crucifixionis Dominicæ ab ipso picta extat, ubi imago Salvatoris tam rara est tamq; naturalis, ut Italorum optimi summum Artis conatum agnoscant; & inter illos Marius Florentinus, Artifex longè clarissimus, rogante Imperatore, responderit: naturam hic æmulari arti rarissimæ, & alius ejusdem nationis id dixerit: futuros fortè qui invideant, qui imitentur nullos.

Josephus cum filiolo. Desponsatio Mariæ cum Josepho. Fuga Christi in Ægyptum.

Ibidem, desiderante Eleonora Imperatrice vidua, pro cœnobio Virginum ad S. Josephum, Imaginem Josephi cum filiolo: & pro PP. Soc. Jesu Desponsationem Mariæ cum Josepho, multa effiguravit elegantia. Pro iisdem etiam elaborabat fugam Christi in Ægyptum, nocturno opere: ubi Maria cum infantulo asinæ insidens à Josepho deducitur, sinistra capistrum, dextra tædas tenente: quarum lumine, singulari judicio, resplendescunt rivulorum quorundam præterlabentium undæ, unde naturalis quædam reflexio in viatores redundat. Quibus & pastores quidam accedunt igni assidentes, & confabulando nocturna fallentes silentia: & tandem ad ultimos Horizontis terminos exorta jamjam Luna. Ubi quatuor hæc lumina singulares suos in hac tabula, verèq; naturales, & supra modum jucundos edunt effectus. Quare in laudem tam rari Operis à Francisco Lichtio, Barlæo aliisq; Poëtis magni nominis elegantissima composita sunt Epigrammata, prout Barlæanum hoc satis testatur:

Dum subit illius tristissima Noctis imago,
Christo supremum tempus in orbe Deo:
Mens fugit, & Ratio, propriâ statione relictâ,
Denegat assensum sensibus ipsa suis;
Ni pellat tenebras mirâ Sandrartius arte,
Et probet in tenebris umbra venusta diem.
Sic subit illius lætissima noctis imago,
Qando umbras abigis corpore, Christe, tuas.

Historia de Christo inter Doctores in templo sedente.

Aliud pro iisdem Patribus similiter elaborabat opus de Christo duodecenni in templo inter Doctores sedente: in quo tanta apparebat vestium Judaicarum, vultumq; varietas, & Pharisæorum tam singularis expressio, ut Artis periti unanimiter dicerent, à pluribus compositum videri opus artificibus, pingente tamen in singulis naturâ ipsâ: tam arguta enim hic per omnia spectabatur discriminatio, ut nullam figuræ inter se haberent similitudinem.

Pro Cœnobio deinde Waldhusiano in Austria superiore in magna quâdam Altaris tabulâ Missionem Spiritus Sancti expingebat, multis exornatam figuris quàm vividissimis. Sic Christum quoq; alibi exhibebat in Gloria redeuntem, præsentibusq; Sanctis, Angelisq; plurimis; judicium in Valle Josaphat instituentem, ubi proborum cœtus ad cœlestia suscipitur gaudia; septem autem vitia Cardinalia ab Angelis ministrantibus prostrata in barathrum conjiciuntur infernale ad innumeras ejulantium Dæmonum catervas.

Historia missi c... litus Spiritus S. Waldhusii.

Extremū judicium.

Quamvis autem ex Italis plurimi, & inter illos Leonhardus Vincius opera sua sæpiùs imperfecta desererent, manumq; ante consummatam picturam tabulæ subtraherent: Noster tamen Artifex quiescendum haud ratus est unquam, donec conceptam semel operis cujusdam Ideam patientissimè atq; felicissimè explesset. Ubi simul cum Laude de ipso narrari potest, posteriora semper illius opera prioribus fuisse meliora. Quo in genere multos imitatus est priscorum Germanorum Artifices, ut sunt, Albertus Dürerus, Johannes Holbeinius, Ambergerus, & Elzheimerus, qui majora semper sectati sunt perfectionis incrementa: cum econtrario aliarum Nationum plurimi decrescant potiùs diligentiâ, Solisq; autumnalis instar à perfectione indies declinent.

Omnia cōsummat Sandrartius, inque arte semper proficit.

In templo Scotorum Viennensi Altare quoq; spectatur laterale, in quo istius manu effigurata est Crucifixi Domini imago, cum Maria, Johanne, & Mariâ Magdalenâ, amplexu pedes Salvatoris stringente; prostrato in genua etiam Longino Seniore, quem duo sustentant milites: quod opus omnem transcendit Momi proclivitatem. Ex adverso autem ab ipso quoq; elaboratum extat martyrium Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, qui ætate jam graves à furente militum caterva ad necem prorepti Discipulis suis ultimum dicunt vale: quod opus tanta pollet teneriorum affectuum vi, ut citra commotionem spectari haud queat.

Opera illius alia; Crucifixio Domini.

Martyriū Petri & Pauli.

Duæ hæ tabulæ laterales tantoperè famam Domini nostri de Sandrart extollebant, ut cum & pro Altari illius templi Scotorum summo, pictura quædam solidioris artis desideraretur, præ omnibus aliis, qui varias etiam, (non sine favore & commendatione ipsius Aulæ Cæsareæ,) obtu-

Et altare ejusdem templi summum.

lerant

lerant suorum operum ideas, ipse tamen eligeretur, quamvis absens, venditoque prædio suo Stockaviano Augustæ Vindelicorum jam larem habens; curante potissimum Reverendissimo Domino Johanne Schmiedbergero, ad Prælaturam illam haud ita pridem elevato, Viro ut omnium studiorum gnaro, sic omnium quoq; Artium, & nobilissimæ præsertim Pictoriæ fautore maximo. Et licet opus hoc magna urgeretur festinatione, & intra septem mensium spatium absolvendum esset, ut sc. collocatum jam esset, cum Sacra Sua Cæsarea Majestas Festo Michaëlis Archangeli templum hoc inviseret, quod vix cuiquam videbatur possibile: noster hic tamen Artifex feliciter omnia præstitit, opusque hoc singulare non saltem consummavit, sed & transmisit; ut Sacra Sua Cæsarea Majestas cum tota Aula Imperiali illud statuto tempore spectaret, seduloque consideratum cum Artis peritis omnibus, multis encomiis eveheret. Quo successu idem jam Augustæ spectatum publicè fuerat, cum urgentibus Graphicophilis in curia illius Urbis expositum fuisset, concurrente non Magistratu saltem illius Urbis Nobilissimo, sed & Prælatis, Clericiq; ordinis variis aliis & cœterorum statuum multis millibus.

Opus ipsum autem Gloriam exhibet cœlestem, in qua sub felicissimis Divinæ Majestatis radiis varii resplendent Angelorum Sanctorumq; cœtus, tanta dispositi harmonia, tantoq; tam diagraphices quàm chromatices acumine, vultuumq; & vestium ornamentorumq; varietate exhibiti, ut citra admirationem conspici nequeant.

Tabula Altaris maximi in Templo S. Cajetani Monacensi. Subsequens quod Augustæ adhuc elaboravit opus magna est Tabula pro Summo Altari templi S. Adelheydis & S. Cajetani, quod Monaci Serenissimus Bavariæ Elector in gratiam PP. Cajetanorum dirigente Augustino Barelli Bononiensi Architecto famigeratissimo magnificentissimè erigi curavit. Ubi quidem à celeberrimo illo Jacobo Tintoreto Veneto magno pretio obtenta simul fuit Tabula quædam, quæ Ablationem Christi è cruce refert; quo in opere figuræ variæ elegantissimæ, & imago præsertim Salvatoris inclinato capite demortui magna arte expressæ sunt, ut nulla quasi sufficerent encomia, nisi icones quædam Clericorum nonnullorum, moderno simul intermixtæ spectarentur habitu, que vix decorem tribuunt operi: unde pro altari etiam laterali adhibita fuit Tabula ista. Opus autem primarium à Serenissimo Electore, Domino nostro de Sandrart commissum, & ab hoc tanta Artis perfectione absolutum fuit, ut in Oeco Arcis Monacensis Imperiali expositum à tota familia Electorali, imò tota aula Bavarica satis collaudari non posset; nec unquam operi cuidam inibi locorum tantus exhibitus fuerit honor; testante hæc omnia singulari quodam in hunc finem in lucem emisso libello: unde & pro tanta in consummato hoc Laborum genere adhibita sedulitate honorariis cumulatus fuit largissimis Artifex, gratiamq; expertus est Serenissimi Electoris singularem. Argumentum autem operis Nosocomium exhibet, quale Neapolitanum est, cum figura S. Cajetani: quod oculo ipsi potiùs dijudicandum relinquitur, quàm ut calamo infra meritum denuò pingatur.

Uxoris illius primæ obitus, & matrimonium ejus secundum. Cum autem an. 1672. Domino nostro de Sandrart dilectissima moreretur Conjux, morbo nimirum correpta diuturno admodum: Ipse finito luctus maritalis anno, sequente abhinc altero, divinâ dirigente Providentia, ad secunda transiens vota matrimonio sibi junxit Virginem nobilitate virtutibusq; clarissimam Estheram Barbaram, Domini Wilhelmi Blommarti, Numerosioris Senatus Urbis Noricæ Adjuncti, & Dominæ Annæ Elisabethæ Salmuthiæ filiam: celebratis 5. Novembris ejusdem anni publicè Nuptiis. Larem Norinbergam transfert. Cumq; hoc ipso connubio multi amicorum ejus dilectissimorum affinitate quoq; ipsi jungerentur, hinc commotus tandem fuit, ut relictâ Augustâ Vindelicorum domicilium suum Norinbergam transferret.

Scripta ejus in lucē edita. Hîc editis in lucem Academiæ suæ Teutonicæ Scriptis dignissimis de Nobilissimarum Artium, Architecturæ scilicet, Statuariæ, & Picturæ Theoriâ atq; arcanis &c. totam Germanorum Nationem, omnesq; simul exteras, & cultores potissimum atq; Fautores istorum studiorum tantoperè sibi devinxit, ut propterea in Serenissimorum Palmigerorum ordinem, quem Societatis Fructiferæ appellant, susceptus, Utilitatis publicæ studiosus (der Gemein-nutzige,) nominaretur. In ordinem Palmiferum suscipitur.

Opera ejus Lambacensia ulteriora. Inter celebriora opera ejus postrema multis quoq; efferuntur laudibus duo quædam Altaria pro supra commemorato Cœnobio Lambacensi ab ipso elaborata: quorum altero fidelissimi Salvatoris nostri obitus depictus est, adjectis duobus latronibus in crucem sublatis, & in terra Longino genibus innixo, multisq; lachrymis brachia pandente: adstantibus etiam Diva Matre, Sanctoq; Johanne & cognatis aliis, affectu tenerrimo expictis, ut suspiria spectanti extorqueant. Alterum missionem Spiritus S. in Beatissimam Virginem Apostolosq; die Pentecostes factam tanta veritate exhibet, ut omnes hîc nervos intendisse Ars dici queat. Unde novem Altarium tabulæ in templo illo Benedictinorum Lambacensium pulcherrimo, à Domino nostro de Sandrart felicissimè expictæ, inq; provectiori jam ætate ejus absolutæ spectari queunt.

Ultimum opus ejus Extremū judicium. Ultimum autem & gloriosissimum operum ejus, in quo ad septuagesimum septi-

mum

mum usq; ætatis suæ annum omnes adhibuit penicilli vires magna est de Extremo Judicio Tabula: in qua Salvator rediens summa cum Majestate Throno cuidam insidet, comitantibus eum magno confluxu Angelis, mortuosq; ad judicium excitante Archangeli Tubâ. Libri hîc quoq; aperti spectantur tam Vitæ quàm Necis, in quibus hæc leguntur Dicta;

Dan. VII.

Judicium sedit, & Libri aperti sunt.

Apocal. XX.

Et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris.

Sursum à tergo Salvatoris cœlum omninò apparet apertum, in cujus choro superiore ad dexteram Patriarchæ omnes extant ab Adami temporibus, ut Noah, Abrahamus, Moyses, Aharon, unà cum Prophetis, Regibus, aliisq; piis Dei ministris omnibus: Ad sinistram autem prima mater nostra Eva cum omnibus veteris Testamenti Matronis, pietate nobilibus, quas omnes atq; singulas facillimè cognoscere licet. Paulò inferius ad utrumq; Christi latus exhibentur Apostoli, Evangelistæ, Martyres, Doctores Ecclesiæ, aliiq; novi Fœderis fideles, notabili lætitia insigniter & cum admiratione spectabiles. Infra autem in terra omnia in motu apparent, tam vivi scilicet, quàm mortui, qui variis distincti formis, sexu, statuq; & nationibus è sepulchris prodeunt, partim ab Angelis ministrantibus ad cœlestem elevati gloriam; partim ad sinistram secreti: Ubi Michaël Archangelus cum exercitu suo maledictum illum cacodæmonum Principem Luciferum, unà cum catervis suis, inter quas septem peccata mortalia cum vitiis aliis magna facilitate discernendis, larvisq; spectrorum teterrimis in abyssum profligat tartaream.

Quod opus inventione mirabili, expressione accurata, affectu vario, veritate naturali maxima, aliisq; ad genuinum laboris characterem directis proprietatibus diversis tam est consummatum, ut varii tam Electores quàm Principes, unà cum Graphicophilis aliis innumeris illud, miraculum Artis hujus dicant, cui quoad hoc argumentum simile mundus non viderit. Tam rari enim undiquaque occurrunt actus, ut inventio plurium deficere videatur: tanta est totius dispositionis perfectio atq; cura, ut res ipsa spectari dici queat: tanta delineationis sedulitas, ut vivere omnia moveriq; videantur: tanta quoq; colorum proprietas, atq; amœnitas, ut verba desint plura dicturo. Uno verbo, sive in genere res spectetur, sive in specie, compendium habes perfectionis, scholam sublimioris imitationis, specimen universalis picturæ, & exemplum Judicii ultimi sine exemplo; quod si gemmam Pictoriæ, Apicem peniculi, Solem hujus professionis dixeris, parum dices.

Hunc igitur jam alma Noris gremio amplectitur dulcissimo, quæ Mater semper atq; nutrix magnorum extitit ingeniorum; Virum, inquam, à summis omnium Statuum Viris, Imperatoribus, Electoribus, Principibus, Prælatis, Comitibus, atq; Dominis vario cultum affectu, elatumque honore, atq; favore dilectum: quem Academia illius Urbis Præpositum habet dignissimum, Doctorem fidelissimum, Exemplum rarissimum; è cujus ore plura hauriuntur dum differit, quàm variæ propinant terræ, dum spectantur: cum præsertim non penicillo saltem doceat, sed & calamo atq; scriptis utilis esse velit, quod hoc potissimùm opere intendit.

Hanc rariorum Artium Aquilam Divini numinis benignitas in senio jam rejuvenescere faciat, ut ad contuendum perfectionis consummatæ Solem alis suis elevet plurimos, ipsiq; inter sidera tandem locus supersit.






SANDRART
ACADEMIA
PICTURÆ